MONUMENTA INFELICITATIS; SIUE MORTES PECCATORUM PESSIMAE; EX...

Paolo Aringhi

Digitized by Google

III 37
SS. 11. 4.
f. IV
Digitized by Google

Collegij Sanctorum Blasij et Caroli Vrbis.

Digitized by Google

Digitized by Google

MORTES
PECCATORVM
PESSIMAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONVMENTA INFELICITATIS; SIVE MORTES PECCATORVM PESSIMAE;

Ex Varijs, probatiſque Auctoribus.

A PAVLO ARINGHO ROMANO
Congregationis Oratorij Presbytero collectæ,

Et multiplici tum ſacra, tum prophana eruditione Ad commodiorem Studioſorum,

Maximè verò Concionantium vſum in duos Tomos diſtributæ.

CVM DVPLICI INDICE CAPITVM, AC RERVM LOCVPLETISSIMO.

TOMVS PRIMVS.



ROMÆ, Sumptibus Ioſephi Corui, MDCLXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Collegij Sanctor. Blasij et Caroli Vrbis.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEOPOLDO I.

ROMANORVM

IMPERATORI

AVGVSTO CAESARI

PAVLVS ARINGHVS ROMANVS,
Congregationis Oratorij Preſbyter ſempiternam Felicitatem.

ENIMVERO' miraberis (Imperatorum Auguſtiſſime LEOPOLDE) quod ego tibi ignotus, & à te, tuoquè Auſtriaco cœlo longè diſſitus, Operi huic meo (qualecumque eſt) Maieſtatis tuæ patrocinium implorem; Operi nimirum, in quo non à maioribus tuis, tuiquè ſimilibus præclara geſta recenſentur, ſed ſcelera potius, & flagitia, quorum atrocitas vel ipſam Dei manſuetudinem prouocare valeat ad iracundiam, & præparata poſt mortem ſupplicia iuſtè cogat anticipare, nec tua dignum Maieſtate videatur; MORTES PECCATORVM PESSIMAS hic, velut in theatro ſpectare, cum olim vel ipſa Reorum cadauera, & Dialis Flaminis, & Cæſarum quondam ab aſpectu remouerentur; Sed mirari profectò deſines, ſi conſilij mei cauſam audire pro tua benignitate non grauaberis. (Aulus Gellius lib. 10. c. 15. Alij apud Spondanum lib. de Sacr. Cœmiter. par. 1. c. 8. n. 7.)

Equi-

Equidèm ego cum ſuperioribus annis. FERDI-
NANDO III. Auguſtæ, immortaliſquè memoriæ,
parenti tuo Subterraneæ Romæ Opus, Sacris Chriſtia-
norum, beatorumq; Chriſti Martyrum Cœmeterijs,
pijſquè Religionis antiquæ exuuijs, Cimelijsq; diues,
onuſtumq; obtulerim, à Sacris modò ad prophana ſty-
lum inflectens, haud ab re (vt quod verum eſt fatear)
exiſtimaui, ſi vel tibi in præſens pro Sacris Cœmeterijs,
in quibus Pretioſæ Iuſtorum Mortes recoluntur, MO-
NVMENTA INFELICITATIS, ſiuè Peſſimas Im-
piorum Mortes contemplandas hic offeram, tuiquè ſub
Nominis auſpicio bipartitum hoc Opus vniuerſo terra-
rum Orbi, cunctis (vt ſpero) rem gratam facturus euul-
gem. Sed nè rem temerè aggreſſus videar, diuina mihi
auctoritas præſto eſt, quandò in ſacris quoquè pagi-
nis frequens perditorum hominum ob ſua paſſim
Auguſtinus præfat. in Pſal. 50. ſcelera mulctatorum mentio incurrit, adeòque *Taceri*
(vt Auguſtinus ait) *noluit Deus, quod voluit ſcribi*. Nec
ſummos item Principes delibare iſthæc oculis dede-
cet, quæ publicis Dei nutu tradita ſunt monimentis.
Plura quippè, & haud caſu (vt Chryſoſtomus aptè in-
culcat) in ſacris tabulis de Impiorum pœnis, quàm
Chryſoſtomus in Pſal. 7 de electorum prœmijs habentur. *In Euangelijs* (inquit)
*plura dicuntur de ſupplicio, quàm de Regno, quia non tàm bono-
rum promiſſio, quam tormentorum metus adducit ad virtutem*.
Quapropter cum funeſti in ſacris paſſim ſcripturis
exitus, magno mortalium documento prodantur, tua
quoquè ſuprema Maieſtas in noſtris iſthæc paginis,
velùt in Orbis theatro inſpicere, hæc per ſe legere non
dedignabitur. Quod & prouidentiſſimo Deus conſi-
lio, ſalubrique magiſterio inſtituit, & Conſtantinus il-
le Auguſtorum, Chriſtianorumque Principum ver-
tex ſua olim auctoritate probauit; Impiorum quippè
mortes adeò præ oculis ſemper habuit, vt memoran-
dos priorum Principum exitus, & ſecum iugiter men-
te recoleret, & ore ſæpè, ac ſæpiùs, Euſebio teſte, re-
Euſebius in vita Conſtantini cap. 24. apud Baron. an. 324. n. 49. peteret, vt eius ad Sanctorum Cœtum oratio declarat,
in qua Imperatorum præſertim, qui Chriſti Eccle-
ſiam

Digitized by Google

ſiam perſequuti ſunt, velùt in ſpeculo clades vnicuique contemplari fas eſt; Non nullos etenim acriter ibidem ore perſtringens, ſic ipſum in primis Decium compellat: *Abs te* (inquit) *Deci ſciſcitari volo, qui aliquandò Iuſtorum laborem inſectatus es, qui Eccleſiam odio habuiſti, qui poenam ſanctè, pièque degentibus irrogaſti, quid crudelitatis iam poſt hanc vitam patras? imò verò quibus etiam, & quam acerbis calamitatibus ipſe quaſi irretitus tenèris?* Et Aureliani ſubindè exitum repetens. *Tu etiam* (inquit) *Aureliane omnium ſcelerum incentiuum, cum in Thraciam quaſi aperto Marte, & inſanæ mentis impetu ferebaris, in media via cæſus, orbitas in via impreſſas impio cruore compleuiſti*. Demùm verò Diocletiani omnium perditiſsimi miſerandum finem commemorans, amarulentiſquè eum verbis ſuggillans: *Diocletianus* (ait) *cum ob cruentam cædem in perſequutione factam, ipſe contrà ſe quodadmòdo propter vitium amentiæ, & delirationis ſuffragium tuliſſet, ſe vnius abiectæ, & vilis manſionis munitioni, ac præſidio concredens pœnas dedit*. Et iuſtè quidem iſthæc pius ille in impios, magni ad inſtar elogij viſus eſt meminiſſe. Impietas quippè impiorum ſanguine, funeribuſquè vindicata, vtì ſpectaculum, Deo dignum, gratiſsimumquè illi ſacrificium eſt, ità haud ingratum quoquè ſpectaculum, ſed maximè (vt Regius Pſaltes docet) Principibus exoptandum; *Lætabitur iuſtus* (inquit) *cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*.

Ibidem.

Euſebius vbi ſupra cap. 25 apud Baron. an 316. n. 8.

Pſal. 57. 11.

Atquì omiſsis nunc, quæ Impiorum funera, remveluti à te alienam renunciant, proſcribuntquè, vt ad te è proximo loquar, vel ipſum, quod fronte geris LEOPOLDI nomen, à Sanctiſsimo illo tuæ Auſtriæ lumine in baptiſmate acceptum, me ad Opus tibi dicandum inuitat; Eius enim ipſe, vt nomen, ſic & virtutes ſub auguſta clamyde nobis veriſsimè exhibes, qui *rarum* (vt Scriptores tradunt,) *& memorabile fuit Sanctitatis exemplum*. Cuius & laudibus illud accedit: *quod in magna peccandi licentia ſanctè vixerit*, adeòquè cum primùm à ſuis pietatem, quaſi per manus acceperit: LEOPOLDVS vbiquè PIVS dici meruit. Id tibi

Martyrolog. Rom. die 15. nouembris. Baronius to. 12. an. 1131. n. 15.

Franc. de [illegible]

zat. apud Surium die 15. nouembris.

bi quoquè meritò arridet, qui cunctis in rebus, quibus manum generoſiſsimè admoues, pietatem in primis exibes, cunctiſque Religionem negotijs ſingulari meritorum prærogatiua, atque exemplo præfers, Am-

Ambroſius epiſt. 30. ad Gratianum Imper.

broſij vtiquè verborum memor: *Nullius* (inquit) *iniuria eſt, cui Deus Omnipotens anteſertur:* digniſsimus planè in hoc LEOPOLDI alterius æmulator, *qui ſubditis non tàm præeſſe, quàm prodeſſe curauit, & ſe Rectorem pariter, &*

Baron. an. 474. n. 13.

Exemplum præbuit. Enim verò tu quoquè cum in ipſo ætatis flore ad Imperij culmen ſis euectus, quod Sido-

Sidonius epiſt. 76.

nius olim de Ecdicio Auiti Imperatoris filio ad Patriciam dignitatem aſſumpto edixit, in te iuſtiſsimè recidit: *Honor* (inquit) *Patricius accedit celerrimè, ſi cogites eius ætatem, ſi merita, tardiſſimè; Nam ille iàm pridem ſuffragium dignitatis non ſoluit in lance, ſed in acie*. Quæ tibi iure conſonant, qui inſtruendis, promouendiſque pro Ortodoxa Religione aſſuetus bellis, ac ipſius quodadmòdo Imperij tyrocinium in armis auſpicatus contrà Boreales Hæreticos (quorum ingens eſt numerus) & aduerſus feròs, barbaroſque Othomannos, Mahumeticæ ſuperſtitionis cultores (quorum còpia abſquè numero eſt) prauamque eiuſmodi ſectam diuino fretus auxilio viriliter, imperterrituſquè in acie iugiter ſtas, Parentis Optimi in hoc virtutem pro hęreditate ſortitus; adeò vt

Sidonius lib. 5. epiſt. 18.

quod Sidonius de altero, id & tibi, qui ipſi in Imperij ſolio ſuffectus es, aptiſsimè quadret: *Mortuo* (inquit) *Imperatore laborantium deuotioni quidquid ſpoponderit Princeps, ſemper redhibet principatus*. Tuus quippè ſapientiſsimus Pater tot pijs, quibus antecucurrit laboribus te procul dubio Romanorum Imperio ſucceſſorem pleno meritorum ſuffragio deſignabat.

Meritis igitur æquè, ac armis potens paternarum virtutum; ac ditionum hæres Romani Imperij thronum conſcendiſti, victor planè tàm tui, quàm aliorum ſemper magnificus, & triumphator. Tantùm verò animi magnitudine, rerumque gerendarum ſolertia, animorumque vi ætatis præcurrendo annos præcellis, vt Cònſtantini Magni, aliorumque Auguſtorum virtu-

tes

Digitized by Google

tes vnus in te omnes, ac eius pariter gloriam digniſsimè hoc noſtro ſæculo repræſentes, & de te maiora in dies ſub victoriali Crucis vexillo repromittas. Et vt laudum tuarum præconia, vel tua prohibitus modeſtia ſileam, Magni Conſtantini laudum præconis te verbis alloquor: *Magnum hoc* (inquit) *Imperator Maxime, ſed de tua pietate non mirum: adeſſe tibi in omnibus ſummam illam Maieſtatem, quæ te circumplexa tueatur, &c. Quis enim eſt hominum, quin opitulari Deum credat, cum id, & vita mereatur, & rerum geſtarum magnitudo teſtetur.* Nazarius apud Euſeb. lib. 8. cap. 26. In Panegir. Conſtantin lib. 1. cap. 27. apud Baron. an. 312 n. 23.

Demùm vt finem faciam, cum noſtris maior ſis laudibus, Tu, qui pro Chriſti Fide, ac Religione dimicas, qui domi, foriſque, tam belli, quàm pacis tempore te ipſum imperio, ac cœteros regere didiciſti, qui tuam Dei cauſam facis, qui non tam bella, quàm ſemper in bellis concordiam quæris, qui tuis religionem magis, quam ditionem armis propugnas, adiutricem profectò tibi ſemper è Cœlo manum, palmamque, & cum palmis æternos ſecurus in Cœlo triumphos expecta. Viue diù cunctorum bono ſoſpes, ac inter homines felix, felicior poſthàc cum Deo regnaturus.

PIO, AC STVDIOSO
LECTORI.

Gen.c.8.21. PRONA *quidem, atque expedita ad vitia magis, quam ad virtutes hominum ingenia ſunt adeòque id vnicuique innatum, congenitumque, vt cunctis iure optimo Poetæ carmen occinat:*
Horatius Satyr.3.libr.1. Vitijs nemo ſinè naſcitur. *Virtus verò, cum ob ſui excellentiam, ac prærogatiuam in arduo poſita ſit, ſectatores nonniſi paucos, itineris aſperitate, rerumquè altiſsimarum obiectu abſterritos ſortitur; iuxtà quod alter Poetarum elegantiſſimus monuit:*
Silius Ital. lib. 2. de bello Pun. Ardua virtutem profert via. *Quapropter ad homines, qui ad bonum amplexandum, æmulandumq; ſegniores videntur, in malum verò nedum alacres, ſed & præcipites ſunt, ritè rectèque, quaſi manuducendos nonniſi prœmijs, pœnisq; à Deo iudice agendum fuit. Quod Lynceus ille inter philoſophos vidit, cum quænam Ciuitas ritè gubernari queat, interrogatus:*
Plutarchus. in Polit. Cum boni *(inquit)* incitantur prœmijs, iniuſti dant pœnas. *Prœmiorum namque ſpes tardigrados, pigritantesq; ad virtutem efficaciſſimè prouehit.*
Liuius Decad.1.lib.4. Nil quippè *(vt ille aiebat)* non aggreſſuri ſunt homines, ſi magna conantibus prœmia proponantur: *a vitijs autem pœnarum duntaxat metus abſtinere compellit. Enimverò ſi ſua virtutibus præmia, ac vitijs itidem pœnæ iuſto Dei nutu, ac Sapientum calculo non adſint, tunc publicam proculdubio rem, ſusq, deque inuerti, hominumque Societatem dilabi quodammodo, & (vt Tullius docet) peſſundari contingit.*
Cicero lib.3. de Natura Deorum. Neque domus *(inquit)* neque Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea rectè factis prœmia extent nulla, nec ſupplicia peccatis. *Hinc ſanctiſsimas quæque Reſpublica leges habet, quibus tum prœmijs, tum mulctis in bonos, maloſque decernitur.* Legibus

(att)

Google

(ait) prœmia propoſita ſunt virtutibus, & ſupplicia vitijs: *vt nimirum virtutis decor non abſque prœmiorum fœnore mortalium oculis affulgeat, nec culpæ dedecus ſit abſque decòre iuſtitiæ.* Idem lib. 1. de Oratore.

Quod ſanè prouidentiſſimo Dei conſilio in hominum virtute prœditorum, Improborumq; pariter tum vita, tum morte contemplandum nobis occurrit, quorum diſſimilis plerunquè exitus totam vitæ fabulam prodit, & vt moralis quondam aiebat Philoſophus: Verus, iuſtus, atque honeſtus labor honoribus, prœmijs, ac ſplendore decoratur; vitia autem, atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctantur. Cicero lib. 1. de Oratore. *adeòque imparilitas finis, nonniſi æquo diuinitatis calculo vtroſque ab inuicem ſecernit, diſcriminatque. Vt Sacræ enim tabulæ docent:* Pœnæ Impiorum in theſauris reconditæ. *Sic itaquè comparato pœnæ, prœmiorumque auxilio, quæ homines ad bonam mentem adducerent, abſterrerentquè à vitiſs, duplex olim haud caſu in hominum cœtu Philoſophiæ genus extitit; Eorum nimirum, qui humanæ vitæ meditando, ſcribendoq; prodeſſe conati ſunt, vt alteri propoſitis tum publicæ, tum priuatæ honeſtatis, ac virtutum commodis, quæ proſperè bonis viris in omni memoria euenere, hiſque narratis mores hominum probè excolendos ſuſciperent; Alteri è contrà admoto ſuppliciorum frœno toti in exaggerandis malorum incommodis eſſent, oſtenderentque, quàm non ſolum turpis, ac fœda, verùmetiam infelix, & miſera ſit peccantium, & ab ipſius naturæ lege, ac recta ratione recedentium conditio. Verum enimverò, quòd ad primum ſpectat, cum plerique Scriptores veterum, alijque permulti non minus clari ſæculi noſtri exequuti ſunt, tum in primis, qui nuper piorum hominum Mortes* (quas Pretioſas in conſpectu Domini) *cum Pſalmiſta eleganter appellat, vndiquè congeſtas recenſuit. Altera nunc publicæ iuuandæ rei pars deſiderari poſſe videbatur; De illorum ſcilicet miſeria tractatus, qui vitam per ſcelera, & flagitia fœda traductam, infelici demum morte concludunt, quam Regius idem Pſaltes appoſito, atque eleganti, nedùm veraciſſimo elogio:* Deuteron. 32. 24. Pſal. 115. n. 15. Io. Seueranus lib. Pretioſæ Mortes Iuſtorum. Pſal. 33. n. 22.

MORTEM PECCATORVM PESSIMAM

dixit; Cui meditandæ ſtudium, operamque impendere haud omninò otioſum, ſed maximæ cuiuis futurum vtilitati credimus. Quandoquidem & ſi in omni vita haud dubiè expedit innocentem eſſe, ac ſuæ negocium ſalutis rectè, atque vtiliter exequi, id tamen in fine cuiuſquam maximi omninò momenti eſt, cum impunè ſtulto homini eſſe non licet; Rectè enim, aut perperam facta præſens tunc, aut ſupplicium, aut prœmium conſequitur, cum poſt vitam nullus ad pœnitentiam aditus manet, ac nullum denique ad Dei miſericordiam homini confugium eſt.

In hoc itaquè argumenti genere nobis in præſenti Opere verſari conſilium eſt, nec ſine digno (vt ſperamus) laboris, & operæ pretio, propter ſuſceptæ rei, ac propoſiti grauitatem, ſummumque eius ad deterrendos à peccatis homines efficaciam, vtilitatemquè. Agendum verò in re propoſita haud præceptis, quæ nec tantas ad perſuadendum, quæ velis, vires habent, & paſſim in diuinarum Scripturarum paginis, Sanctorumque Patrum monimentis occurrunt, ſed ſolis duntaxat exemplis ab omni veteris, nouiquè teſtamenti memoria petitis, quæque à ſacris, prophanisq; Scriptoribus traduntur, in quibus (vt noſtra fert mentis opinio) atque experimento inſuper comprobatur; Magis enim, *(vt ille ait)* mouent exempla, quàm verba, *efficax quædàm ineſt, & compendioſa philoſophia, vitæq; ad virtutis normam componendæ quibuſuis præſtantior ratio, quæ legentibus facilem, adeòque nec ſenectute, neque peregrinationibus indigentem experientiam viuis in tabula coloribus repræſentat, dum homines, qui* malunt *(vt alter inquit)* exempla, quàm verba, *aliena periculo diſcunt à proprijs cauere culpis, & velùti è portu à longe proſpicientes, cum aliorum naufragia cernunt, quæ tempeſtates vitandæ, quæ Syrtes fugiendæ ſibi ſint, impunè docentur; dum Mortem, quæ antiquiſſimus, & primus peccati fructus eſt, in multis, varijsq; & atrocibus Impiorum caſibus terribilem, ac ſpecie fœdam intuentur, eamque per otium* in mundi *(vt Bernardus ait)* amiſſione malam, in carnis ſeparatione peiorem, in vermis, igniſque conſumptione peſſimam *hic vltrò animaduertunt, videntque cum Hieronymo quàm iure lugendi ſint,* quos gehenna ſuſcipit, quos tartarus deuorat, in quorum pœnam æternus ignis exæſtuat. *His etenim præmiſſis, & quaſi manu facem præferentibus Salutis via mortalibus panditur, adeòque cum* plures ſint *(vt Auguſtinus docet)* quos corrigit timor, quàm quos dirigit amor, *ſalutaris in cunctorum animis timor ſuboritur, vt eius beneficio* malè pereuntium mors *(vt idem ait)* ad noſtram ſalutem proficiat; eorum tribulatio ſit noſtra correptio, & de aliorum plagis faciamus medicamenta vulneribus noſtris, *recedamusq; ab eorum ſententia, qui Dei prouidentiam ob id vnum temerè, ac petulanter accuſant, quod malos fœlices eſſe, Bonos verò omni calamitatum genere vexari patiatur. Quæ cum abundè alioquin, primoque aſpectu per ſe refutetur; cèrto videlicet ab æternis prœmijs, æterniſquè ſupplicijs deducto argumento, maximè tamen abſurda, vanaquè deprehenditur in multiplici caſuum, quos hic offerimus, fœditate. In his quippè diuina iuſtitia præparatis poſt vitæ finem ſceleri, ac flagitio poenis haud contenta, poenas ipſas in foedo, miſerandoque Impiorum exitu, quaſi ad ſpectaculum vniuerſo terrarum Orbi*

con-

Ariſtoteles lib. 10. Ethicorum.

Lactantius Firm. lib. 2. de vera Sapientia c. 23.

Bernardus in epiſt.

Hieronymus epiſt. ad Paulam ſuper Bleſillæ obitu.

Auguſt. epiſt. 50. ad Bonifacium.

Aug. ſer. 111. de temp.

Pſal. 72. n. 3. 12. & alibi. Hier. c. 1. Malach. 3. Abac. 1. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei c. 28. & in pſal. 72. 2. Ambroſ. ibidem & alij.

Digitized by Google

contemplandas proponit, nec in occulto eſſe patitur, quod oculis admotum & in illuſtri poſitum monumento, ſalutare cunctis futurum eſt. Quod ſanè mihi (vt verum fatear) præcipuo in Opus incitamento fuit, datamque (ſi fas eſt dicere) hanc mihi quaſi Deo aſpirante prouinciam exiſtimaui, vt quæ ſuæ ætatis hominibus profuturi ſalubriter exempli vtilitatem attulere, huius noſtri Operis beneficio (ſi tamen, quid dignum propoſitæ materiæ dignitate effecimus) omnibus, qui vbiquè ſunt, omnique mortalium poſteritati proficiant.

Fruere tu interim Lector hoc noſtro labore, qualiſcumque eſt, ſtylique tenuitatem, rudeq; & impolitum, quo vtimur, dicendi genus, vel ipſius, quam tradimus, rei maieſtate, & excellentia, tuaque inſuper patientia, ac benignitate ſubleuari patiare, nec te Ordinis, quem proſequimur, ſimplex, & vulgaris ratio per Alphabeti ſeriem digeſta inter legendum offendat; ità enim commodiùs, & vſui legentium expeditiùs futurum non temerè exiſtimauimus. Plura verò ſunt, quæ conſultò dempſimus, nè Opus vel cum Lectoris toedio per ſe redundans videri poſſet. Hæc ipſa tamen, ſi quà præſens tibi Opus arriſerit, operamquè in eo vtcumq; noſtram probaueris, ſuis aptè, nequid deſiderari contingat, diſtincta capitibus non abſque propoſiti argumenti vtilitate, nec otioſam penitùs, ingratamquè alteri (vt arbitrari fas eſt) Tomo materiam ſuppeditando, typis poterunt Deo fauente poſtmodum demandari. Illud interim hic admonentes, vt ſi fortè aliqua in hoc Opere occurrent, quæ à Baronio diſcrepare videantur, vti de Ottone Theutonicorum Rege ex Damiano ſuo loco diximus, hæc vti, & coetera ex ipſius Baronij annalibus corrigantur. In quæ verò inter legendum errata incurres, hæc inter inſcitiam noſtram, & Typographi negligentiam, tui æquitate animi, & ſolertis iudicij trutina partiri non dedigneris. Demum ſi quem ex his fructum feres, totum Deo bonorum omnium auctori acceptum referas, meque tuis apud ipſum (quod maximè in votis eſt) precibus iuua. Vale.

In hoc Opere Mortes peccat. peis. to n. 1. lib. 2. cap. 10. n. 2. & de eo Baron. to. 10. an. 973. n. 4.

Google

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

M. A. Oddus Epiſc. Peruſinus Viceſg.

CVm Opus Adm. Reu. P. Pauli Aringhi, Congregat. Oratorij de Vrbe Presbyteri, cui titulus: *Monumenta Infelicitatis, ſiuè Mortes Peccatorum Peſſimæ &c.* Ego Infraſcriptus iuſſu Reuerendiſſimi P. Raimundi Capiſuchij Sac. Apoſt. Palatij Magiſtri attentè, diligenterque perlegerim, cumque mecum ſæpius omnia eius dicta, omneſque ſententias animo ſtudioſè penſauerim, non ſolum nihil à me in eo animaduerſum eſt, quod Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus aduerſetur, pijque, & Catholici hominis aures offendere poſſit, ſed immò vniuerſus eius contextus pietatem, & religionem omni ex parte mihi ſpirare viſus eſt, atque ad excitandum humanis in cordibus ſalutarem Dei timorem mirificè conferre. Quarè publica luce dignum omninò iudico, eiuſque aſſiduam lectionem Fidelibus tam ſuæ, quam proximorum ſaluti ſtudentibus egregiè fructuoſam futuram.

Ita Cenſeo Ego Stephanus Gradius Sacr. Congregat. Indicis Conſultor.

Imprimatur

Fr. Raimundus Capiſuccus Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Mag.

ABB.

Google

ABB. FELICIS VERDVCCIOLI

Olim in patrio Peruſino Gymnaſio
Eloquentiæ profeſſoris

AD LIBRVM.

I Felix labor ingeni beati,
I docto ſoboles parente digna,
Illuſtris Liber ad ſerena lucis
Prodi tẽpora; quid moraris vltrà,
Doctrinæ omnibus, elegantiæq;
Excultus numeris? tibi gemellus
Frater auſpicio præit ſecundo,
Olim qui latebris ſuis ſepultam,
Spectandam potuit decòre pulchro,
Et ſeptem ſuper eruiſſe Colles,
Et cælo tenùs extuliſſe Romam.
At tu Funera peſſima Improbo-
rum,
Et ſortis Monumenta ſæuioris
Effers dum Latio nitòre culta,
Permulcens animos, ſimulque
terrens,
Dum Roma, & pietas vigebit alma,
Fraterna minor haud ferère laude,
Et pari ſimul ibitis triumpho;
Vt quicunque leget pericla, diſcat
Non ſuo ſapiens malo cauere;
Hæc & laurea ſit peculiaris,
Tetras Eumenidum fugare peſtes,
Suis agminibus replere Olympum;
Vt poſt viſa Volumina erudita,
Nulla non bona fata ſint Proborum,
Aduerſæ Monumenta nulla ſortis.
Ergò præpetibus citatus auris,
Et te Palladio regente ſceptro,
Et te Cæſarea ferente penna,
Ad Famæ iubar, & decus perenne
I felix labor ingeni beati,
O tanto ſoboles parente digna.

ANONYMI

In Mortes peccatorum peſſimas.

FVnera Peccantum nigro ſignanda lapillo,
Et ſcelera infauſto marte notata legens,
Hic triſtes noxas, hic iuſtas Numinis iras
Horreſces, diræ mortis ad imperium.
Haud ſemper Superum ſera eſt vindicta, nocentem
Sæpè ſuum veniens obruit antè diem.
Auguror: haud fuerint Monumenta expertia frugis;
Funera quæ noctis, fœnora lucis erunt.

In Idem Argumentum.

Multiplices, foedæque olim longo ordine Mortes
Quàm benè terrificant corda, ſimulque beant!
Hìc virgas, hic ſaxa, lues, hic vincla, ſecures,
Hic vndas, laqueos, fulmina, tela, feras,
Et genus omne mali, & pœnæ, & genus omne pericli
Aſpicis, innumeris Mors furit vna modis.
Pone modum ſceleri, & Mortis Monumenta reuiſens,
Aeternum vt poſſis viuere, diſce mori.

Aliud.

Quid legis in titulo? foedas hic perlego Mortes,
Quas funeſta nimis carta notata refert.
Si ſapis, ex titulo culparum collige fructus;
Mors etenim vitæ peſſima finis adeſt.

In Idem.

PErlegis in tabulis Magnorum geſta Virorum,
Perluſtraſque oculis ſæcula priſca tuis:
Haud legis hic Vitas hominum, ſed Funera; quondam
Peccantes miſeri, quæ peperere ſibi.
Ergò ſi culpas, ſi geſtis geſta rependas,
Digna hæc ſunt dices funera funeribus.

In

In Operis Argumentum.

ABB. EIVSDEM FELICIS VERDVCCIOLI PERVSINI.

HEù ſontes animæ grauante culpa,
Heù triſtes miſeræ premente flāma,
Quam nulli Oceani, dieſq; nulli
Olim extinguere, vel leuare poſſint!
Imis carceribus tenebricoſis,
Horrendùm laniantibus ceraſtis,
Et tortoribus hinc, & inde ſæuis,
Et diris furialibus flagellis,
Aeternis lacrymiſque, luctibusq;
Addictæ, ſceleri nec expiando
Vllis ſupplicijs ſatis luendis,
Vllis temporibus ſatis futuræ,
Fruſtrà deſinere, & mori petentes.
Heù ſontes miſeræ, quibus prophana,
Et ſacra omnia miſcuiſſe quòdam,
Et Numen Superum, piaſq; leges
Corde ſacrilego, manu cruenta,
Truci pectore, peierante lingua,
Per mendacia mille, perq; fraudes,
Per mille inſidias, neceſque mille,
Per furta, innumeras per & rapinas,
Contempſiſſe fuit voluptuoſum,
Aurum & moribus exuiſſe totum,
Solum & moribus induiſſe ferrum,
Dum ſolum cupidè ſititur aurum.
Heù ſontes, gula quas hiãte rictu
Ventris ingluuie voraciore,
Et mero nimio tumens lyæus;
Quas, & ambitio, impotensq; faſtus,
Et malam in Venerem libido præceps,
Deturpatus honos, fides refracta,
Sacris religio negata Templis,
Fucato vitium colore pictum,
Tot laruæ pietatis, & pudoris,
Liuor improbus, Hæreſis proterua,
Riſus proditor, impudens querela,
Fallax obſequium, dolus malignus,
Et mens perfida, contumaxq; votũ,
Fœdas criminibus, Deo rebelles,
Peccare intrepidas, & obſtinatas
Modis omnibus, & perire certas
Malis omnibus obruère fatis.
Infelicia funera impiorum!
Heù ſpectacula monſtruoſa tetra!
Et quiſquam aſpiciens, legenſque poſſit
Mentis impauidæ tenère robur,
Non totis penitùs quati medullis,
Non horrère animo, metuq; frangi?
Viuentes adeò, atque ſentientes
Non vna inſequitur furens Megæra,
Et pœna eſt ſua corpori, ſuusq;
Lictor, & Nemeſis, ſuusq; Auernus.
Heù quanti fugiens, caduca, nulla:
Heù quanti miſeris ſtetit Voluptas.

INDEX CAPITVM
QVAE PRIMO VOLVMINE
CONTINENTVR.

CAPITA LIBRI I.

Infelices Abſtinentiam violantium exitus. pag. 1

Cap. I. ABSTINENTIAM Eccleſiaſtico præcepto, vel regulari obſeruantia indictam temerè violantes infeliciter pereunt. pag. 2

Cap. II. Adulteri infeliciſſimè pereunt. 22

Infelices Ambitioſorum exitus. 39

Cap. III. Qui Diuinitatem, eiuſque honores ambiunt infelici exitu tolluntur. 39

Cap. IV. Qui Principum, popularemque gratiam malis artibus ambiunt. 53

Cap. V. Qui humanos honores ambiunt. 65

Cap. VI. Qui aliorum regimen perperam ambiunt, exercentq. 94

Cap. VII. Qui per inanem gloriam martyrium ambiunt. 105

Cap. VIII. Ambitionis cauſa bonis operibus incumbentes. 120

Cap. IX. Antipapæ infeliciſſimè pereunt. 127

Cap. X. Antipapis adhærentes, eorumdemque fautores. 162

Infelices Apoſtatarum exitus. 190

Cap. XI. Apoſtatæ Chriſti fidē abnegantes infeliciter pereunt. 191

Cap. XII. Apoſtatantes à religioſæ vitæ inſtitutis, ac religioſæ vitæ habitum temerè deponentes. 208

Cap. XIII. Aſtrologiæ iudiciariæ, ac Genethliacę artis ſectatores. 254

Cap. XIV. Auari, qui diuitijs per iniuriam comparandis inhiant. 216

Cap. XV. Auari bona iniuſtè acquiſita retinentes. 238

Cap. XVI. Auari vſuris rem familiarem augentes, ac pauperes expilantes. 246

CAPITA LIBRI II.

Infelices Blaſphemorum exitus. 272

Cap. I. BLaſphemi Deo, ac Sanctis contumelioſi infeliciter pereunt. 273

Bla-

Cap. II. Blaſphemis vocibus Chriſtum Dominum, Deiparam Virginem, Sacroſancta Euangelia, ac ſacros Eccleſiæ ritus impetentes. 298
Cap. III. Calumniatores infeliciter pereunt. 312
Cap. IV. Qui Calumnias diſſeminant, vel temerè iiſdem aures adhibent. 327
Cap. V. Caſtitatis Votum violantes. 337
Cap. VI. Cauſidici ſuum iniuſtis cauſis patrocinium deferentes. pag. 348
Cap. VII. Choreis operam dantes per iniuriam ſacrorum temporum, aut locorum. 353
Cap. VIII. Concubinarij malè pereunt. 361
Cap. IX. Confeſſionem Sacramentalem detrectantes, protelanteſque, aut perperam obeuntes. 368
Cap. X. Conſiliarij praui, ac doloſi. 397
Cap. XI. Conſuetudinarij Peccatores. 405
Cap. XII. Conuerſionem differentes, aut contemnentes. 417
Cap. XIII. Correptionem aſpernantes, detrectanteſque. 285
Cap. XIV. Crapulæ, & Ebrietati indulgentes. 426
Cap. XV. Crucis ſacroſanctæ violatores. 435
Cap. XVI. Crudeles infeliciter pereunt. 444
Cap. XVII. Cultui corporis plus nimio operam dantes. 470
Cap. XVIII. Qui Delicijs affluunt, & corporis Voluptatibus immodicè ſeruiunt. 475
Cap. XIX. Deſperantes Dei Miſericordiam. 483
Cap. XX. Detractores alienæ Famæ. 493
Cap. XXI. Diſcordiarum Auctores. 504

CAPITA LIBRI III.

Infelices Eccleſiæ Hoſtium, ac perduellium exitus. 521
Cap. I. Eccleſiæ Hoſtes, ac perduelles infeliciter pereunt. pag. 522
Cap. II. Eccleſiæ bona tyrannicè vſurpantes. 538
Cap. III. Res Eccleſiæ cultui dicatas ſacrilegis manibus attrectantes. 561
Cap. IV. Eccleſiæ iura Violantes. 567
Cap. V. Epiſcopi intruſi, vel ad Cathedram ſimoniacè prouecti. 578
Cap. VI. Epiſcoporum electioni, alias indebitæ ſe immiſcentes. pag. 587
Cap. VII. Epiſcoporum, ac inprimis Romani Pontificis imperio ob-

obluctantes. 591
Cap. VIII. Ad Euchariſtiæ Sacramentum indignè accedentes, vel in Hoſtiam ſacratiſſimam contumelioſi. 605
Cap. X Excommunicationis Cenſuram contemnentes. 611

CAPITA LIBRI IV.

Infelices eorum, qui Feſtos dies violant, exitus. 630

Cap. I. FEſtorum dierum Violatores infeliciter pereunt. 632
Cap. II. A Fide Chriſti, vitæ, aut imperij, aut Magnorum principum gratiæ retinendæ cauſa transfugientes. pag. 641
Cap. III. Fidem Chriſti, vel Baptiſmum poſt acceptam diuinitus notitiam repudiantes. 651
Cap. IV. Fidem alteri præſtitam, ac iureiurando obligatam infringentes. 655
Cap. V. Filij parentibus inobedientes, & contumelioſi. 660
Cap. VI. Filij perduelles aduerſus Parentes. 664
Cap. VII. Filij Parentum imprecationibus irretiti. 669
Cap. VIII. Fœminæ nimium corporis pulchritudini ſeruientes, impuriſque amoribus deditæ. 676
Cap. IX. Fratricidæ infeliciter pereunt. 686
Cap. X. Fures, & furtiuarum rerum detentores. 690

Google

MORTES PECCATORVM PESSIMAE.

LIBER PRIMVS.

Infelices Abſtinentiam violantium exitus.

1 INSIGNIORA quæque fœdi, miſerandique impiorum hominum interitus exẽpla ſcribere inſtituẽti mihi, & cum à recentioris, tum ab antiquæ memoriæ monumentis eruta, in vnũ veluti corpus includere cogitanti, nequaquam incongruum viſum eſt, ab eo malitiæ genere opus propoſitum auſpicari, quæ mortis, & peccati funeſtiſſimam humano generi calamitatẽ inuexit; gula videlicet, vetuſtiſſimo mortalium vitio, quæ Principem noſtræ gentis auctorem corrumpendi, agendiq. præcipitem tantum virium, ac roboris habuit, vt peſtem vnius inflictam hominis capiti, in vniuerſam eius ſtirpem inuſitato cõtagionis genere trãsfundere, ac diſſipare potuerit. Initium itaq. dicendi faciam ab infelici eorum exitu recenſendo, quibus abſtinentiæ ſaluberrima, ſanctiſſimaq. lex ſtatis diebus ab Eccleſia, fidelibus obſeruari propoſita, nõ abſq. manifeſta religionis contumelia deſpectui fuit: haud enim mors, & perditio in orbem terrarũ irrepere, neq. tantis cladibus generi mortalium inſultare potuiſſet, niſi primus homo in ſumma rerum omnium affluentia, ac felicitate conſtitutus abſtinentiam diuino ſibi iniũctam imperio violaſſet: *Si ab vno*, inquit Chryſoſtomus, *cibo abſtinuiſſet Adã, ſi ab vno ieiunaſſet, mortua fuiſſet mors, imò non fuiſſet mortua, quia non erat, ſi hoc pharmaco vſu fuiſſet Adam, non fuiſſet mortale noſtrum genus*. Ex ingluuie igitur ſummæ, ac ingenitæ quodammodo illius abſolutiſſimæ felicitatis diſpẽdia, inde mors, inde luctus, inde cuncta, veluti ex radice malorum germina pullularunt.

Authoris conſilium.

Exempla infelicium mortiũ in vnum opus contracta.

Ab Adamo fluxit mali labes.

Violata abſtinẽtia mortem orbi intulit.

Chryſoſt. ſerm. 1. de ieiun.

Cõfirmatur ex Chryſoſtomo.

2 Nec enim *Beatitudo Paradiſi*, vt ait Hieronymus, *abſque abſtinentia cibi potuit dedicari, quamdiu ieiunauit in paradiſo fuit, comedit, & eiectus eſt*. Vnq. huic degeneri cupiditati pariſ ſui potens

[illegible]

tens obtemperat, manumq. pomo, & pomum ori admouet, infauſto illo interdictæ dapis morſu ſpem omnem generis, ſubſidium familiæ, deſtinatum futuræ poſteritati patrimoniũ abſumpſit: *Facilius enim ventri* (vt eſt apud Tertullianũ) *quã Deo, pabulo potius, quã præcepto annuit, ſalutem gula vendidit.* Quamobrem non aliud vitiũ humano generi carius ſtetiſſe dicẽdum eſt, quodq. à diuina iuſtitia adeò latè patentibus, adeòq. ſeueris animaduerſionibus vindicetur, quãquã ne præſens quidem huiuſmodi intemperantiæ pœna deeſſe cenſenda eſt, in affecta, quæ inde conſequi ſolet, corpus, animamq. valetudine.

Tertullianus aduerſus Pſychicos.

Et ex Tertulliano.

Salus à gula diuendita.

------------ *Viden vt pallidus omnis*

3 (Ait ille poetarũ elegantiſſimus.)

Cœna dſurgat dubia, qui corpus onuſtum.

Heſternis vitijs, animum quoq. prægrauat vna,

Atque affigit humo diuinæ particulam auræ,

Horatius ſer.2. lib.2.

Helluonis miſeri deſcriptio

Anima diuinæ mentis particula per analogiã dicta.

Hinc ille veteris populi à veri Dei cultu ad impuriſſimas Ægyptiorum ſuperſtitiones prolapſus: *Sedit enim populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere. Gula quippè,* vt ait Baſilius, *ad idololatriam populũ deduxit, & contaminauit:* Ex quo Deus ad iracundiam concitatus funeſtiſſimam populo intulit vaſtitatem: *Adhuc enim eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum.* Nãq. ab epulis ad funera, ira Dei in profanos deſuper ſequiente helluones, tranſitus fuit: adeò vt lugubris eorumdẽ iure optimo inter peſſimas peccatorũ mortes deceſſus, Baſilio aſſeuerante, computandus ſit: *In deſerto* (inquit) *quorumnam membra ceciderunt? nonne illorum, qui carnes appetiuere?* Ipſumq. met inditum loco nomen funeſtam hominum ſtragẽ teſtando, abolendam rei memoriam patentibus ignominiæ notis perennauit: quid enim aliud *ſepulchra concupiſcentiæ,* auribus inſonant mortalium?

Exod. 32. 6. Baſil. tom. 3. de ieiunio.

Iudęi comeſſãdi labuntur in idololatriã.

Pſ. 77. 31.

Baſilius vbi ſup.

Conuiuia vertuntur ijs in funera.

CAPVT I.

Abſtinentiam Eccleſiaſtico præcepto, vel regulari obſeruantia indictam temerè violantes infeliciter pereunt.

Abſtinentia à Deo in Paradiſo terreſtri dedicata.

1 ABSTINENTIA igitur ſub ipſa mundi primordia in peramœno delitiarum loco, qui paradiſi nomen obtinuit, & in quem tanquam colonus humanę totius proſapiæ protoplaſtus pedem intulit, Deo mortaliũ auribus inclamante, dedicata eſt. *Ex omni,* inquit, *ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quacumq; enim die comederis ex eo, morte morieris:* Mortem quippe homini indixit, ne iniunctum ſibi ieiunium violaret, & ab vno vetito duntaxat cibo manum continere

Gen. c.2. v.16.

præcepit: At vbi diuino abiecto imperio comedit, omnem, qua perfruebatur, felicitatẽ exuens, actutum è paradiſo exul amandatus eſt; *Quoniam enim non ieiunauimus* (ait Baſilius) *à paradiſo exulamus:* Abſtinẽtiã ſiquidẽ Dei inſtitutam oraculo violaſſe, cunctorum homini cauſa malorũ extitit, & nobiliſſimarum virtutum, donorũque ſupernorum mercem, quam ſibi, ac toti pariter poſteritati Adam ieiunando ſeruaſſet, vnius pomi edulio prodegit, *Semper quippe* (vt magnus ait Leo) *virtuti cibus ieiunium fuit.* Atqui pri-

Primus homo illa violata ex eodem paradiſo eiectus.

Baſil. Hom. 1. de ſacr. ieiun.

Eius violatio cunctorũ malorum cauſa.

S. Leo PP. Ser. 8. de ieiun. 10. menſ.

Per abſtinentiam à ligno vitæ Adam eiectus.

primũ hominem, quẽ gula ex interdicto ligni pomo edẽtem deiecit, eũdem poſtmodum abſtinentia à ligno vitæ ieiunantẽ erexit; Enimuero emiſit eum Deus de terreſtri paradiſo: *Ne forte*, inquit, *mittat manum ſuã, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat*: Ad nouam namque altiſſimus abſtinentiam hominem compulit, vt poſterior prioris defectum abſtinentia redimeret, & qui comedendo mortem incurrerat, ieiunãdo vitã lucraretur; quippe ob id vnum à Deo homini poſt lapſum demandatũ eſſe ieiunium Tertullianus affirmat, *vt homo*, (inquit,) *per eandem materiam ſatis Deo faciat, per quam offenderat; atque ita ſalutem æmulo modo reaccenderet inedia, ſicut extinxerat ſagina*: Qui igitur quandiu in terris degunt, à præſcripta ieiunij lege non recedunt, digni proculdubio cenſentur, vt in paradiſum, è quo iuſte exulant, quaſi poſtliminio reuertantur: nec alia prorſus via, quam ieiunando Helias in cœlum rapi, illucque feliciter remeare promeruit; *Meritò* (Ambroſius ait) *illum dignum cœlo diuina iudicauit ſententia, vt cum ipſo raperetur corpore, qui cœleſtem vitam viuebat in corpore, ac cœleſtem vſum conuerſationis exhibebat in terris*: Quo ſane cunctis argumento palàm demonſtratum eſt, *poſſe nos* (vt hic Hieronymi verbis vtamur) *per ieiunium redire in paradiſum, vnde per ſaturitatem fueramus eiecti*. Itaplane in cœlum reduces ieiunium, ac paradiſi ciues ſobrietas efficit, quos Orco ſagina deuouerat. Enimuero indicta homini diuinitus à cibis parcitas, vel ſponte à mortalibus arrepta, haud vires corpori, haud vim animo, virtutemque minuit; imo magis auget, ſubminiſtratque; hinc haud ſemel Philiſtinos Iſraelitæ ieiunando potius, quam pugnando fudere, fugaruntque in acie ſtrenuè præliantes; Iudæis inſuper validè ad bellum excitandis, roborandiſque ieiunium magis profuit, quam holocauſtum: *Cum Samuel* (vt Tertullianus ait) *offerebat holocauſtum, in nullo magis procuratam audiuimus Dei clementiam, quàm abſtinentia populi*: Inde robur, inde vires, inde pugnam, inde palmam, velut è nobili armamentario auſpicati ſunt: *Cæciderunt* (inquit ille) *paſtos impaſti, armatos inermes: hæ erunt vires ieiunantium, Deo cœlum pro eiuſmodi militat*: Vt fortes igitur ac validi pugnantes in arenam proſilirent, abſtinentes à cibo, & potu ſeueræ ſibi caſtigationis adhibuere cenſuram; *Et vt hoſtes* (inquit Leo) *vincerent, gulæ illecebram in ſe ipſis ante vicerunt*: Quapropter ſi quis in bello fortis euadere, virtutẽ exerere, ſegnitiem exuere, palmam denique conſequi optat, ad abſtinẽtiam, qua nihil eſt validius, recurrat: *Ieiunium quippe* (Ambroſio teſte) *infirmitatis alleuamentum eſt, alimentum ſalutis*.

Gen. 3. 22.

Tertull. l. 6. aduerſus Pſychicos cap. 3.

Abſtinentiæ ſectatores paradiſi ſtationẽ merentur.

Ambroſ. de Helia cap. 2.

Hieron. l. 2. contra Iouin.

Abſtinentia à cibis corporis vires, virtutemque non minuit.

Tertull. lib. aduerſus Pſychicos cap. 7.

Ex Iudæis ad bellum properantibus robur dedit.

S. Leo Serm. 3. de Quadrag.

Qui victoriam cõſequi optat, ea vti debet.

Ambroſ. lib. de Helia cap. 8.

2 Solemne itaq. probatumq. iugiter ſacrum ieiunij pharmacum cũctis tum gentibus, tum temporibus fuit, & in vtriuſq. teſtamenti tabulis certæ præſcriptæ ſunt ieiuniorum leges, quas vel leuiter præterire, ingens piaculum creditũ eſt; & celebris adeò apud Hebræos pia ieiunandi obſeruãtia fuiſſe noſcitur, vt Zacharias in ſuis paginarum monimentis tradit: *Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras*: Ad antiqua verò Iudæorum ieiunia ipſemet Tertullianus alluſiſſe videtur, dum ait: *Aſpice Iudæos faſtos, & inuenies nihil nouum, ſi quæ patribus ſunt præcepta omnis deinceps poſteritas hereditaria religione cuſtodit*: Porro ex Iudæis ſubinde, ex qui-

Zach. cap. 8.

In veteri teſtamento multæ abſtinẽtiæ leges præſcriptæ

Tertull. aduerſus Pſychicos 13.

In lege noua Eccleſia Chriſti exēplo ieiuniorum obſeruantiam indixit.

bus primæuam traxit originem, ritus quoque eorumdem laudabiles ſacroſancta Chriſti Eccleſia æmulata, certas ſibi ieiuniorum leges, ipſius Chriſti magiſterio edocta, decerpſit, indixitque: *Qui ita veteris* (vt Leo ait) *teſtamenti Sacramenta diſtinxit, vt quædam ex eis ſicut erant condita, euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtianæ:*

S. Leo ſer. 4. de ieiunio 7. menſis.

Abſtinentiæ lex in Eccleſia non finem ſicut lex Moſaica, ſed initium fecit.

Quamuis autem primùm à Iudæorum ieiunijs ieiunandi mos in Eccleſiam deriuaſſe comprobetur, licet iā Moſaicæ finem obſeruantiæ acceperint, ieiunandi tamen lex in Eccleſia non finem, ſed initium fecit: *Illa enim* (ait Leo) *quæ rerum futurarum figuras gerebant expletis, quæ ſignificauere, finita ſunt; ieiuniorum vero vtilitatem noui teſtamenti gratia non remouit, & continentiam animæ & corpori ſemper profuturam pia obſeruatione ſuſcepit:* hæc Leo de inolito ieiuniorum apud Chriſtianos ritu; cuius itē præconia Baſilius illis apte verbis perſtringit: *Ieiunium per omne tempus vtile eſt his, qui illud ſuſcipiunt:* Et de quadrageſimali quidem ieiuniorum, quæ apud omnes ſolemnis adeo eſt, diſciplina loquutus, hæc addit: *Sed multo magis*, inquit, *hoc tempore, quo per vniuerſum terrarum orbem vndique denuntiatur ieiunij præconium, nec vlla eſt inſula, nec terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non ſit auditum ieiunij edictum: quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & ſummo gaudio excipiunt:* Soli, ſoli inquam, hæretici ſunt, ac fidei deſertores, qui vti cætera, ita ieiunium pariter quadrageſimale proſcribunt, reijciuntq; cū tamen apud orthodoxos perditus omnino habeatur, qui illud, teſte Auguſtino, temere infringit ac violat: *Quia alijs*, inquit, *diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium, in quadrageſima non ieiunare peccatum eſt; alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam, in quadrageſima, qui non ieiunat, ſentiet pœnam:* quibus Auguſtinus verbis acriter non ieiunantes redarguit, ſuggillatque.

Abſtinentia à SS. Patribus laudata.

Baſil. oratione 3 de ieiun.

Quadrageſimalis potiſſimum à S. Baſilio commendatur.

Aug. de tempore ſer. 62.

Gnoſtici primi Abſtinentiæ & ieiuniorum hoſtes.

3 His igitur duntaxat, quibus amica, grataque eſt voluptas, inuiſa ſemper ciborum parcitas exſtitit, ex quorum numero primi, omniumque anteſignani Gnoſtici fuiſſe deprehenduntur, qui cum immaniſſimis ſcaterent vitiorum turpitudinibus, & cœlo ac terræ ob nefanda ſcelerū portenta peſſime olerent, ieiunia ſuis e caſtris primum abiecere, ſagina interim, & quauis delitiarum pompa vna cum vitijs omnibus hoſpitio receptis; adeo vt Epiphanius, dum eorum mores retexit, errorumq; potius monſtra, quam dogmata iſthæc fuiſſe his plane verbis demonſtrat: *Corpora autem ſua tum muliebria, tum virilia noctu ac diu curant vnguentis, balneis, epulationibus, & ebrietatibus vacantes; deteſtantur ieiunantem dicentes, quod non oportet ieiunare, principis enim qui fecit ſæculum, eſt ieiunium: verum oportere nutriri, vt corpora ſint robuſta, quo poſſint fructum reddere in tempore ſuo:* Hæc ille: Ieiunijs quippe ſublatis, abrogatiſque, in omnem protinus laſciuiam porcini homines declinarunt; vti eaſdem Epiphanius turpitudines ſuggillans ait: *Et revera erubeſco dicere, quæ apud ipſos fiūt, iuxta Apoſtoli illius ſancti dictum; quæ apud ipſos fiunt turpe eſt & dicere; attamen non erubeſcam dicere, quæ ipſi facere non erubeſcunt, vt omnibus modis horrorem incutiant audientibus turpia, quæ ab ipſis perpetrantur, ſ[illegible] minora:* Et magno quidem totius Eccleſiæ propudio eiuſcemodi ab impijs Gnoſticis dogmata, obſcœnaque facinora promana-

Baron. tom. 2. an. 120. n. 14.

Horrendi eorum errores à S. Epiphanio deſcripti.

Epiph. hæreſ. 26.

Epheſ. cap. 5. 12

Suis Gnoſtici erroribus gētiles à Chriſti fide auertere tentarunt.

Digitized by Google

manarunt, vt gentes à Chriſti fide,& Chriſtiano itē nomine, quod tā malè olebat, auerterētur, vt ipſemet Epiphanius ait: *Indiderunt enim ſibi cognomen Chriſtianorum ad hoc, vt gentes per ipſos offendantur, & ſ nctæ Eccleſiæ Dei vtilitatem & veram prædicationem propter illorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem auerſarentur.* Et infra: *Ipſi ad detractionem diuini nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes à Satana præmiſſi ſunt, vti ſecundū alium modum, quę ſunt illorum audientes homines, & putantes omnes nos tales eſſe, auertant aures ſuas à præconio veritatis, aut videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement, in nullo eis communicantes, neq. in doctrina, neq. in moribus, neq. in quotidiana conuerſatione:* Hæc Epiphanius de perditis ieiuniorū hoſtibus, qui in adeo fœdas, abiecta ciborum temperantia, ſordes proruerunt.

Epiphan. vbi ſupra.

Chriſtiana fides à perditis eorundē moribus infamiā contraxit.

Epiph. vbi ſup.

4 Enimuerò abſtinentia catholicæ fidei ſectatoribus adeo frequens, ac familiaris adeo ſēper extitit, vt ab ipſiſmet Eccleſiæ incunabulis Chriſti fideles è matris ſinu, & ab vberibus vnum pro lacte ieiunium biberint, ſolamq. pro cibo, ciborum parſimoniā toto pectore hauſerint: Solis verò hæreticis gula pro obſonio placet, lautorumq ciborum ſobrietate reiecta, dānatiſq. ieiunijs crapula eum in modū arridet, vt ſoli qui de fide perperā ſētiant, male itidem de ieiunijs audiāt; Seipſos etenim infenſos ieiuniorū hoſtes ampullanti ore, ac diſtēto ventre iactantes, paraſitorum more his, qui cibis parcè, temperanterq. vtuntur, inſultent, amarulentoq. in eos ſtomacho contumeliarum ſibilos, blaſphemiarumq. perhorrēdas intimis è præcordijs voces eructent: Hi profecto ſunt, quos digito olim Apoſtolus demonſtrās, apertiſq. verbis perſtringēs ait: *Multi quidem ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt:* Quid autem homines delicatiore cibo confarcinatos, à ieiunijs, & Chriſti cruce alienos, auerſoſq; niſi crudelis, exquiſitaq. apud tartareum carnificina manet? diuinæq. ſuperbas, tumidaſque Epicureorum ceruices nōniſi gladius vltionis expetit? Atqui Iouinianus Hæreticorum ſaginæ addictorum anteſignanus claſſicum præ cunctis canens, abſtinentiæ primum è monaſterio profugus, Chriſtiq. deſertor, ieiunijs bellum indixit; cū enim monaſticæ à ſe procul diſciplinæ iugum abieciſſet, ventremq. iam pro Deo coleret, nullum, vt plurimorū ſibi gratiam conciliaret, nullum inquam abſtinentiæ meritum ſuis palam edixit, in quem iure meritò Ambroſius orationis ſtylum intorquens, fideles, vt rabidos egredientes è ſyluis lupos cauerent, illis inſtanter verbis præmonitos voluit, cum ait: *Audio enim homines, qui dicunt nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æſtimari pretio, delirare eos, qui ieiunijs caſtigant carnem ſuam, vt menti ſubditā faciant, quod nunquam feciſſet, nunquā ſcripſiſſet ad inſtruendum alios Apoſtolus, ſi deliramentum putaſſet; gloriatur itaq. dicens: Sed caſtigo corpus meum, & ſeruituti redigo, ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniar: ergo qui non caſtigant corpus ſuum, & volunt prædicare alijs, ipſi reprobi habentur: Aſt quid tam reprobum, quā quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad laſciuiam prouocat? quam incitamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ iſtos Epicureos noua ſchola ſubmiſit? non philoſophorum, vt ipſi aiunt, ſed imperitorum, qui voluptatem prædicant, delicias ſuadeant, caſtimoniam nullius eſſe dicāt vtilitatis: fuerunt nobiſcum, ſed nō fuerunt*

Abſtinentia in Eccleſiæ primordijs fidelibus cum lacte inſtillata.

Hæretici gulæ dediti.

Ad Philip. 3. 18

Guloſis inferni pœna præparata.

Iouinianus hæreticus abſtinentiæ infenſus.

Baron. tom. 4. an. 382. n. 35.

Ambr. Epiſtola 82.

Contra ieiuniorum hoſtes præmuniti fideles à S. Ambroſio.

Google

Vitia quæq. inter blandas carnis illecebras, deliciaſque vigent.

runt ex nobis; neque enim pudet dicere quod dicit Euangeliſta Ioannes, ſed hic poſiti primùm ieiunabant, intra Monaſterium continebãtur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſę diſputationis licentia, hoc delicati non potuerunt ferre, abierunt: deinde volentes redire non ſunt recepti, pleraq. enim audierant, quæ deberent cauere; monuerã, nihil profeceram: efferueſcentes itaque diſſeminare talia cœperunt, quibus incentores eſſent vitiorum, omnia miſerabiles perdiderũt, vtique quod ieiunauerunt; perdiderunt quod aliquo ſe continuerunt tempore: nũc itaque diabolico ſtudio inuident aliorum operibus bonis, quorum ipſi fructu exciderunt &c. Hæc in Iouiniani crapulam, & in ſectatorum eius impietatem Ambroſius, dum eum è Mediolanẽſi monaſterio regularis obſeruantiæ, ac Chriſtianæ pariter abſtinentiæ pertæſum aufugiſſe affirmat, vbi *tanquam in ſacroſancto ſpectatæ diſciplinæ laudatæq.* (vt Baronius ait) *obſeruantiæ habitaculo Iouinianus cum collegis impietatis ſub catholico nomine, & habitu monaſtico aliquandiù delituit:* Loci item, in quem Chriſtiana religio, ac cunctę pariter virtutum gratiæ diuertiſſe videbantur, & catholica ſub Ambroſij magiſterio diſciplina ſedem fixiſſe, Auguſtinus quoq. diſertè in ſuis Cõfeſſionibus meminit, cũ ait: *Erat monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore:* Quod (vt Baronius proſequitur) inſtar maris expuit latentia ibi cadauera, nempè Iouinianum, ac ſocios, Deo quidem mortuos, & aquis iam concupiſcentiæ turgidos.

Iouinianus fuit aliquãdiu monachus in Mediolanenſi monaſterio.

Baron. vbi ſupra num. 30.

Huius monaſterij laudes.

Aug. confeſ. lib. 8. cap. 6.

Baron. vbi ſupra num. 30.

5 Verum ex ipſius Iouiniani nomine Hieronymus mores eiuſdem adumbrans ſitis acute perſtringit, cauendoſq. veluti quid peſtiferum inculcat, Romamq. alloquẽs à ieiuniorum hoſte, & crapularum cultore inſidias, ac laqueum ſuis prauis dogmatibus propinãte pertimeſcendum his verbis edocet: *Caue Iouiniani nomen, quod de Idolo deriuatum eſt &c. Squallet Capitolium; templum Iouis & cæremoniæ conciderunt; cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant?* Quibus narratis ſtylum in Iouinianum intorquens, hæc coronidis inſtar homini ſaginam perditè adamanti inſcribit: *Fauent tibi craſſi, nitidi, dealbati; adde, ſi vis, iuxta Socraticam irriſionem omnes ſues, & canes, & quia carnem amas, vultures quoque, aquilæ, accipitres, bubones: numquam nos Ariſtippi multitudo terrebit; quoſcumque formoſos, quoſcumque calamiſtratos, quos crine compoſito, quos ridentibus buccis videro, de tuo armento ſunt, imò inter tuos ſues grunniũt: de noſtro grege triſtes, pallidi, ſordidi, & quaſi peregrini huius ſæculi, licèt ſermone taceant, habitu loquuntur & geſtis:* Hæc ille ad veros Monachos, qui iugi in clauſtro macerabantur inedia, qui aſſiduis operam ieiunijs dabant, alludens, & ne homo pinguibus ſatur, de frequenti ſectatorum ſuorum turba glorïaretur, hæc illi Hieronymus obiectare non deſtitit: *Ne glorieris,* inquit, *quod multos diſcipulos habeas; filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim tamen illum Apoſtoli ſequebantur &c.* Et infra: *Quod multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim te tam eloquentem probant, quam ſuis fauentem vitijs:* Et infra: Illum vnà cũ multis ſectatoribus altius delirantem his ſubinde verbis carpit: *Et pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehẽnæ ſuccidiæ nutrias?* Quin voluptuoſum hominem crucis inimicum obtreſtando, his illum verbis, dum ſuis à Deo auerteret delitijs homines, increpat: *Vexillum crucis, & prædicationis auſteritas idolorum tẽpla deſtruxerat; è regione luxuriæ ventris, & gutturis ſubuertere nititur fortitudinem crucis:* Nec verò iſ hæc in-

[illegible]

Hieron. lib. 2. in Iouin.

Hieron. vbi ſup. in Iouin.

Id. ibid.

Hæretici malè de diſcipulorum turba gloriantur, cum ſit pronior homo ad malũ.

Google

eum ſemel, atque iterum intorſiſſe verborum iacula contentus, Iouiniani, dum ieiuniorum auſteritatem à ſuis abdicās, carnis laſciuiæ fræna laxaret, ac pudendas, quibus ad ſui ſequelam morbidas, delicatioreſq. fœminas alliciebat, magni inſtar probri, portentique voces in medium profert: *Egregia ſanè vox, inquit, & quam audiat ſponſa Chriſti inter virgines & viduas, & cælibes, (vnde & ipſius nomen inditum eſt, quod cælo digni ſint, qui coitu careant.) raro ieiunate, crebrius nubite, non enim poteſtis implere opera nuptiarū, niſi mulſum, & carnes, & nucleum ſumpſeritis; viribus opus eſt ad libidinē; cito caro conſumpta marceſcit; nolite timere fornicationem; qui ſemel in Chriſto baptizatus eſt, cadere non poteſt, habet enim ad deſpumandas libidines ſolatia nuptiarum:* His Hieronymus putulentam hominis, qui impenſe ventris ſaginam colebat, perſtrepebatque vehementius contra ieiunia, audaciam, temeritatemq. adumbrat, increpatq; ad cæteros perditos ieiuniorum inſectatores, nouatoreſq. hæreticos de facie agnoſcendos.

Hieron. vbi ſupra. Pudenda Iouiniani guloſi verba ab Hieronymo ipſi in faciē retorta.

At qui perfidus voluptatum magiſter, & abſtinentiæ hoſtis, infelici tādem exitu viuendi finem fecit; qui enim procul à ſe continentiam, & nūquam ſatis laudatam ciborum temperantiam ablegās, ſuam tot vitiorū portentis ſectam, ac animæ tunicam deturparat, tandem ex Honorij Principis reſcripto, velut perditiſſima totius orbis Chriſtiani lues in inſulam Boam, quippequi bouinam intus præſeferre videbatur animam, & turpiſſimè in voluptatum cœno demergi, ac volutari geſtiebat, ablegatus eſt, vbi porcorum more victitans, porcinam tandem animam tartaro deuoluendā ſuas inter epulas, libidineſque malè ſaginatus euomuit; Cuius quidem obitus, ad perennem viri infamiam, à Gennadio, ex acceptis à Paulo presbytero, his planè verbis deſcribitur: *Meminit Iouiniani heretici & voluptatum, & libidinum prędicatoris, cui in tantum continentis vita, & caſtę inſtitutio contraria fuit, vt inter luxurioſas epulas animam eructaret:* Cui quidem alterius hæreſiarchæ verbis parentare, eiuſdēque has tumulo dedecorum notas inſculpere placet: Lutherus quippe de ſuis voluptatum, errorumque aſſeclis ait: *Credunt vt ſues, viuunt vt ſues, moriuntur vt ſues:* Iouinianus igitur, qui ſaginam adeò deperibat, nonniſi male ſaginatus perijt, & in tartarum miſer deuolutus eſt, vbi ſuos infernus epulones, ganeoneſq. poſt ſaginam, ac mors pariter, haud vnquam tamen morte abſumendos demetit: *In inferno, inquit, poſiti ſunt, mors depaſcet eos:* & hæc coronidis inſtar ieiuniorum hoſti, alterique moribus inter Chriſtianos Epicuro iure merito inſcripſiſſe voluimus.

Infelix eiuſdē exitus in gulæ pœnam, nēpe in inſula Boaria exulis, & in carnis ſordibus ſepulti. *Baron. an. 412, num. 26.*

Eadem mors infamis à Gennadio deſcripta.

Gennad. de vir. Illuſtr. cap. 75.

Cornelius à lapide in epiſt. 2. S. Petri c. 2. § 18 Lutheri ſectatores vt ſues viuunt & moriuntur.

Pſal. 48. 15.

6 Quoniam vero crapula ſolemnis eſt hæreticorum teſſera, qua à Catholicis de facie ſecernuntur, Vigilantius quoq. Iouiniani magiſterio edoctus, ſuas aduerſus ieiunia inimicitiarum artes, fraudeſq. exercuit, illoque ſublato nouus alter abſtinentiæ oſor rediuiuus ab inferis in lucem emerſit, ſaginamque ventris voluptatibus iungens, claſſicum altius aduerſus ieiunantes inſonuit, vt Hieronymus in eumdem Vigilantium ſtylum his verbis intorquet: *Quomodo Euphorbus in Pythagora renatus eſſe perhibetur, ſic in iſto Iouiniani mens praua ſurrexit; vt in illo, & in hoc diaboli reſpondere cogamur inſidijs; cui iure dicitur: ſemen peſſimum para filios tuos occiſioni peccatis patris tui. Ille Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus inter Phaſides aues, & carnes ſuillas non tam emiſit ſpiritum, quàm eructauit; iſte caupo Calagurit[illegible]nus, & in peruerſum proprium nomen*

Vigilantius hæreticus abſtinentiæ bellum indixit.

Baron. tom. 5. ann. [illegible] Hieron. aduer. Vigilant. initio.

vituli mutus Quintilianus miſcet aquam vino, & de artificio priſtino ſua venena perfidiæ, catholicæ fidei ſociare conatur; impugnare virginitatem, odiſſe pudicitiam in conuiuio ſæcularium contra ſanctorum ieiunia proclamare. Hæc in illum Hieronymus: Sed impius homo, ieiuniorum vtpote inimicus, à crapula in laſciuiam diffluens, palam virginitati bellum indixit; ſanctiſſimum reliquijs cultum abſtulit, eleemoſynas proſcripſit, vigiliaſque Dormitantius iſte ab Eccleſia ablegauit; haud enim cibis iam ſatur, nedum Chriſto mortuus, ad aliud quam ad ſcelera, ad probra, ad Chriſti, Sanctorumque contumelias vigilare potuit, qui ad pietatis duntaxat opera altius obdormiſſe comprobatur: At condigno demum fine, Epicureorum in morem, vitam claudens, perpetuus ex Vigilantio noctifer in exteriores proiectus tenebras euaſit.

Idem virginitatis inimicus.

Eiuſdem luctuoſa mors.

7 Huic interim cæteri œcumenicæ fidei deſertores, qui aduerſus ieiunia conſpirarunt, meritò ſubtexendi videntur, & Lollardi præ cæteris, qui anno redepti orbis M.CCC.IX. ab inferis prodiere, dum aduerſus orthodoxam abſtinentię diſciplinam proclamantes, Deo, ſacriſque tum diebus, tum etiam ieiunijs contumelioſi, omnem prorſus religionis cultũ viſi ſunt abrogaſſe; hæc enim de ijs Trithemius in Chronico ſcribit his verbis: *Ieiunium irridebant, carnibus omni tempore etiam in ſexta feria Paraſceues veſcebantur, dies feſtos non ſeruabant, ſed in die Paſchæ laborabant &c.* In hæc aliaque immania hæreſum deliramenta impij homines cum ſuo authore Valthero poſt ſacra reiecta ieiunia pertinaciter lapſi, ignibus tandem iure addicti ſunt, de quibus, cum de hæreſum ſectarijs agemus, opportuna nobis mentio recurret.

Lollardi Heretici abſtinẽtiam ſuſtulere. *Ra ald an. Chriſti 1318. n.44.*

Trithem. in Chron. Hirſaug.

8 Si qui autem ex Hæreticorum numero abſtinentiam excoluiſſe noſcuntur, id non tam virtutis ſectandæ, propugnandæque pietatis ſtudio, quam ambitus, & auræ popularis aucupandæ gratia præſtitere, adeo vt, quos iugis inedia, & quotidiana decoquebant ieiunia, hos elatæ tumor mentis, ac faſtus, digituſque hominum, vt ille apud Caſſianum aiebat, ſaginaret: hi quippe cum ſubdolis gratiam ſibi apud homines artibus conciliaſſent, abſtinentiam protinus, cuius lenocinio nomen ſibi quæſierant, abijcientes, ieiunijs è medio proſcriptis, ventri, ac ſaginæ impenſiùs indulgebant; Quod quidem Fraticellorum ſectæ potiſſimum ſolemne fuit, quorum Aluarus Pelagius meminit, eoſque cum Sarrabaytis, ideſt pſeudoeremitis, Beguardis, Beguinis, Apoſtolicis confundit; in hoc enim cuncti hæretica prauitate vitiati, parique vitiorum ſorde polluti conſentiebant, vt religioſo impietatem cultu, pallioq; velarent, virtutumque vmbram duntaxat præferentes, ventrem vna cum vitijs pro idolo colerent, quos viuis in tabula coloribus repræſentat, dum ait: *Iſtis vltimis temporibus hypocritalibus plurimi maximè in Italia & Alemannia, & prouincia Prouinciæ, vbi tales Beguardi & Beguini vocantur, nolentes iugum ſubire veræ obedientiæ, ſed libertate noxia potiti, nec ſeruare regulam aliquam ab Eccleſia approbatam ſub manu præceptoris & ducis legitimi, vocati fraticelli, alij de paupere vita, alij Apoſtolici, aliqui Beguardi, qui ortum in Alemannia habuerunt, ſpecie tenus, & tum ad hominem exteriorem mundo renuntiare videntur; & dicentes Religioſos ab Eccleſia approbatos promiſſas regulas non ſeruare, durante primo feruore deſerta domeſtica penetrant, ſoli ſedent, vel pauci ſimul, paupertatem ſeruare videntur, abſtinentijs ſe macerant, ſed ventrem replent; diſciplinæ operam dant, ſed* de.

Heretici propter vanã gloriam non virtutis ſtudio abſtinentiam ſectati.

Ioan. Caſſian. in collat. Serapionis.

Hoc in Fraticellis probatur. *Rainald. Anno 1317. num. 57.*

Aluarus Pelag. de planctu Eccleſiæ lib. 2. c. 5.

Immania vitia quibus ſecta ſcatebat.

deficiente feruore quaſi poſt annum ſedent ſub vmbra iuniperi. Ionæ III. Hæc ille; Quibus certè vmbraticam eorumdem abſtinentiam, ementitãq. ad populares ſibi animos conciliandos, non ad prouehẽdum virtutis cultum, meritumq; reſpicere, ac demùm arrepta ab eis in ſaturitatem, ſaginamque ventris ieiunia deſinere hunc in modum oſtendit: *Ad homines*, inquit, *ſe conuertunt, laborare refugiunt, quia panem otioſum inueniunt &c.* & infra: *Simplices ſe oſtendunt per domos dominarum, & viduarum conuiuantur, otio vacant*: nonnullis autem interiectis perditam horum hypocriſim, abſtinentiæ obductam pallio his verbis deſcribit: *Et quia obedientia ligati non ſunt, pro libito comedunt & bibunt, ſurgunt & ambulant, & ex occaſione libertatis, quia corrigi non timent, nec per hominem viſitari, nec excitari, communiter poltronizant (vulgare eſt Italorum) vitam pinguem volunt cum libertate, & ſine labore, dediti ſomno, & vagationi continuę &c.* Quibus ſanè verbis commẽtitia ieiunantium hæreticorum diſciplina, fucataque ad fallendum duntaxat eorumdem facies cunctis contemplanda proponitur.

Aluarus Pelag. vbi ſupra. Hæreticorum abſtinentia in crapulam deſinit.

9 Demùm vt perditi perfidique nebulones à cunctis reiecto velo, qui ſunt de facie agnoſcantur, *Speciem quidem* (vt Apoſtolus ait) *ſanctitatis habentes, virtutem autem abnegantes*, & vel dum magis latere ſatagunt, ſeipſos produnt, reuelantque, vt Aluarus hunc in modum proſequitur: *In ſua hypocriſi ſe, & mũdum decipiunt; nam eorum prima abſtinentia in gaſtrimargiam vertitur, paupertas in peculiũ, vigilia in ſomnolentiam, ſilentium in multiloquium, maxime ſub ſpecie loquendi de Deo, ſimplicitas in malitiam, ſolitudo in conſortium, & familiaritatem ſæcularium & mulierum &c.* Hic tandem fictitiæ hæreticorum abſtinentię, ieiuniorumq; finis, quo ſeipſos Chriſti, ac eorumdem hoſtes, certa veluti teſſera palàm faciunt; quos ſubinde, adulterinos veluti palmites Ioannes XXIII. Pontifex Eccleſiaſtici anathematis gladio ab Eccleſia recidit, impiaque vna cum hominibus dogmata, Apoſtolica authoritate damnauit: Nec alij poſtmodum defuere, qui cũ iam extincti penitus putabantur, vix integro inter lapſo ſæculo emergentes ab inferis, ſua aduerſus abſtinentiam, ieiuniaque arma exeruere; Vuicleffus videlicet, eiuſque perfidiæ ſectatores, quorum hæreſis dum iam deſijſſe credebatur, anno Chriſti M.CCCC.II. prauis iterum dogmatibus inualeſcens, reuiuiſcere viſa eſt; *Sed ita è latibulo* (vt Rainaldus ait) *colubri capita educta ſunt, vt eliderẽtur, infundique ſimplicibus ſolita ab impijs venena producta in lucem fuere, vt quiſque ad ea cauenda communiretur, quorum pars maxima à nouatoribus præteriti ſæculi iterum ab inferis reuocata eſt:*) Præ cæteris autem perfidæ mentis erroribus, quos perditi homines fideliũ auribus inſtillabant, ſacrorum feſtorum, recolendamque ieiuniorum obſeruantiam è medio tollebant: hæc duo potiſſimum inter cætera pro dogmate ſuis (vt Vualſingamus ait decantantes) *Sed nec habemus diem dominicum, ſed quilibet dies eſt eiuſdem libertatis ad operandum, comedendum, & bibendum &c.* Iſta igitur blanda, ac malè ſana ſtertentium Epicureorum, ſaginatorumque doctrina ſacris tum diebus, tum ieiunijs cultum denegans, ſolam duntaxat carnis libertatem, ac ventrem pro Deo colendum prædicabat.

Eorumdem Praticellorum Hypocriſis deſcribitur. Ad Tim. 2. 3. 5.

Aluarus Palag. vbi ſupra.

Ijdem Anathemate perculſi à Ioanne XXIII. *Extrauag. Sancta Rom. de relig. dom.*

Rainald. Ann. Chriſti 1402. num. 3.

Eorumdem deliria ac mẽdacia.

Vualſingha hiſt. Anglic. in Henrico IV.

10 Abſtinentia igitur, cuius grata nobis adhuc mentio recurrit, Catholicæ duntaxat fidei deſertoribus eum in modum inuiſi iugiter fuit, vt hi priùs à ceruicibus abſtinẽtię iugum, quàm Chriſti fidem abijcerent.

Hieronymi Pragenſ. artes pro confirmãdis ieiunijs. Raynald. ann. 1416.

& crapulæ ſe totos deuouerent. Hinc Hieronymus Pragenſis egregius ille Ioannis Hus Hæreſiarchæ diſcipulus, indiuiduuſque in proſeminandis erroribus eiuſdem comes, qui Polonos tentauit inficere, & Ruthenos in Schiſmate confirmare, impiaque inſuper Vuicleffi dogmata totis viribus inſinuare populorum auribus ſatagens, iuſtam, veram, ſanctam, catholicamque eius ſectam iactando, ieiunijs primùm ablegatis, eorumdem diſciplinam à ſe, ſuiſque procul amouit, vt in Conſtantienſi Concilio contra ipſum apud Patres palàm ab Henrico è Pyro his verbis proclamatum eſt: *pro parte inſtigatoris humiliter exponitur, quod dictus Hieronymus in dicta cuſtodia ſic tentus, comeſſationibus, & crapulis vitam plùs exorbitantem, quàm ſi liber exiſteret, ducit*: & infra: prolatis in medium Chriſti Domini, Sanctorumque hominum, quibus iugis abſtinentia cibus fuit, exemplis, nonniſi ieiunijs, quæ tormentorum inſtar maximè abhorrebat, ieiuniorum hoſtem mulctandum interim, conficiendumq. contendit: *Nonne* (inquit) *Chriſtus ante paſſionem ſuam quadraginta diebus ieiunauit? Moyſes legiſlator, Elias in Cœlum leuari, Daniel Leonum triumphator per abſtinentiam fieri meruit: quare petijt dictus inſtigator quatenus reuerendiſſimæ veſtræ Paternitates eundem Hieronymum ieiunijs afficiant, quæ ſunt tormenta Clericorum, & maximè hæreticorum &c.* Quæ planè verba iuſtiſſimè in perfidos homines ieiunio infenſos, ac fidei deſertores, quibus crapula mirificè ſapit, & ieiunia pro ſupplicio ſunt, iaculorum inſtar validiſſimorum intorta fuere: Porro quæ perditus homo & quanta poſt abolitam ieiuniorum diſciplinam, in Eccleſiam, Bohemiamque totam mala inuexerit, ob quę ignibus iure merito adiudicatus eſt, ſatis prolixa Laudenſis Epiſcopus ad eum oratione his verbis expreſſit: *Attendite quæſo Catholici Domini, quanta fuit horum virorum ſcilicet Ioannis Hus, & Hieronymi huius præſumpta temeritas, vt homines viles, plebeij, infimi, ortuque ignoti auderent nobile regnum Bohemiæ totum concutere, barones, & principes ad lites & diſſenſiones incitare, milites prouocare, regimina antiqua immutare, conuocare cohortes, diuidere populos, inter ciues diſſentiones maximas commouere, cateruas ducere, ſatellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare, vel procurare, ſpoliare Eccleſias & altaria prophanare: O beatum regnum Bohemiæ, ſi natus non fuiſſet homo iſte! Valde quippe deteſtandum eſt, quod homines Eccleſiaſtici ſub cuiuſdam prætextu ſanctitatis, qui debent Deo vacare, diu noctuque precibus inſiſtere, pro peccatis populi (cuius bona comedunt) orare, tempus ſuum orationi impendere, non vereantur regum & principum curias infeſtare, lites commouere, decreta regnorum velle pro libitu immutare, litibus inſudare: O quanti mali radix fuit horum duorum ruſticorum præſumptio! ex qua quot ſunt ab vtroque occiſi, quot ſolemnes Clerici detruſi, quot exilio & violenter expulſi, quot ſpoliati, quot verberibus cæſi, quot deſolatæ Eccleſiæ, quot prophanata altaria, quot deſtructa monaſteria!* Hæc ille: ex quibus certam ſemper, funeſtamq; ab ieiuniorum aduerſarijs tam Eccleſię, quã regnis vaſtitatem prouenire liquet, quemadmodum in ſacris Scripturarum paginis Nabuzardan princeps coquorum Hieruſalem olim muros deſtruxiſſe legitur: tandem vero infelix nebulo ignibus poſt ſaginam addictus eſt, vt Niemius his verbis tradit: *Tandem ipſe Hieronymus dignis digna recipiens, hic finaliter condemnatus de hæreſi &c. curiæ ſeculari traditus eſt ipſo die, qui fuit Sabbathi 30. menſis Maij, hora 10. & Spiritum igne combuſtus miſer efflauit:*

In carcere dedit ſe crapulę. Act. M.S. Congreg. generalis habitæ 27. Apr.

Act. Concilij n. 5. vbi ſup.

Ieiunia hæreticorum tormenta ſunt.

Expoſita publicè Hieronymi ſcelera. Apud Cochleum Hiſt. Huſſit. l. 3.

A viliſſimis homuncul is Bohemia euerſa.

Quanta ab his geſta mala.

Theodor. Niemius in vita Ioannis XXIII Hieronym. Pragenſ. crematur igne.

Sa-

Satur itaque deſertor iſte deſperatorum inſtar igni traditus in tartarum miſer prouolutus eſt.

Rainald. Ann. 1414. num. 14. Flagellatores hæretici abſtinentiæ & ieiuniorum hoſtes.

11 Atqui recenſitis hactenus Flagellatores quoq; hæretici ſub Conrado Smeteorũ anteſignano pari impietate, ac odio ſacra Eccleſiæ ieiunia abolentes adnumerandi ſunt, qui anno à partu Virginis M.CCCC.XIV. fœdiſſima conflata hæreſi, quæ plura pernicioſaque Vviclephi dogmata complectebatur, nonnulliſque æquè execrandis ſuperadditis in lucem prodeuntes, Chriſtianum orbem inficere, ſuiſque errorum dementare delirijs quos poſſent, conati ſunt: Perditi igitur ac ſi nouum pro ſe cudiſſent euangelium, nouamque ſuis arridentem votis cupiditatibuſque traditam ſibi à Chriſto Domino legem accepiſſent, per orbis regna alacriter diſcurrentes, ſe flagellis, vt Gobelinus ait cædebant, iactanteſque, quòd tunc Deus Romano Pontificatu, cæteriſque Eccleſiæ Præſulibus abrogatis, eorumdemque authoritate proſcripta, Sacerdotio abiecto, Sacramentiſque antiquatis nouum in orbem baptiſmum, ſanguinis videlicet, altero aquæ abolito inuehere pro viribus contendebant. *Quapropter aiebant, cruce præcedente flagellis publicè ſe flagellando, quod lex baptiſmi in aqua deponebatur à Deo, & lex baptiſmi in proprio ſanguine inſtituebatur; Vnde dicunt cum Chriſtus in Cana Galileæ circa finem conuiuij nuptialis aquam mutauit in Vinum rubeum, deſignauit quod circa finem mundi baptiſmus aqua in baptiſmum ſanguinis mutari deberet, & ſicut Vinum rubeum præ omni Vino prius poſito conuiuantibus magis placuit, ita noua lex baptiſmi Sanguinis Deo præ cunctis legibus grata exiſtit, & ſic poſt prædictum tranſitum nemo Verus Chriſtianus fuit, nec intrare potuit regnum cælorum, niſi qui proprio ſanguine de corpore per flagellum in memoriam paſſionis Chriſti ſponte excuſſo fuit baptizatus:* In hæc planè delira dogmatum monſtra recens flagellatorum ſecta deriuauit: quinimò abdicato inſuper feſtorum, paucis admodum retentis, dierum cultu, ieiunijs item, ad ternarium numerum eorum diſciplinã contrahentes, ieiunijs inquam, eo quod ventri minùs grata forent, nũtium remiſere, ac ſi flagella pro ieiunijs abunde ſufficerent, eorumdemque cumulatiùs vicem ſupplerent; id enim illis ſolemne inter dogmata fuit, vt author his verbis tradit: *Item quod nullius diei feſtiuitas ſit celebranda, niſi diei Dominicæ ac Natiuitatis Chriſti, & aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Item quod nullum ieiunium ſit obſeruandum; niſi feriæ ſextæ, & Natiuitatis Chriſti, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & quando dies Natiuitatis cadit in feriam ſextam, ſuper ieiunio illius diei diſpenſari non poſſit:* Hæc perfidi, curioſique ieiuniorum obſeruatores ſuis petulanter inculcabant; adeo rigidi, vt ternarium numerum nolint ieiunando excedere, tam pij ac religioſi ſubinde, quin imò ſuo ventri, quem pro idolo colebant, indulgentes adeo, vt ſibi crapulam, ſaginamque toto anni tempore operari fas eſſet, abſtinentiam vero, ſi tres excederet è ſolemnioribus dies, ſuperſtitioſam dicerent, manifeſtumq; in Chriſti legem ſacrilegium computarent. Verùm quoniam finis eorum, qui ventri deſeruiunt, (vt Apoſtolus ait) eſt interitus, hi profectò nil aliud ſaginatarum pecudum more, quam culcrum poſt ſaginam expectare debuerant; multi quippe ex his in Miſnia cum hactenus latitaſſent tandem detecti, & Eccleſiaſtico iudicio ſuppoſiti, *Super præmiſſis (vt Gobelinus ait) articulis præfati hæretici culpabiles inuenti*, igni ad-

Gobelin. in Coſmod. art. 6. c. 33. & Chronol. Belgij.
Eorum figmenta contra Eccleſiam, ſpretaque ab ijs Sacramenta.

Baptiſmus Sanguinis flagellorum vi eliciti impiæ commendatus.

Feſta ab eis abrogata cum ieiunijs.

Gobelin. vbi ſupra.

Superſtitioſã trium duntaxat dierum abſtinentiam coluere.

Ad Philip. 3.19

Gobelin. vbi ſupra.
Conuicti flammis exuſti.

iudicati in præfato oppido Sangerbuſen combuſti ſunt. Contemptus itaque Sacrorum ieiuniorum, cum iſti vnà cum ſuis exleges eſſe in Eccleſia cuperẽt, veluti perfidos, nedum abſtinentiæ, ſed fidei deſertores ignibus addixit, ac orco ſubinde deuouit.

Ieiunia Eccleſiaſtica religioſè colẽda.

12 Enimuerò qui præcipuam ſacrorum dierum abſtinentiam, quam certis ex more anni temporibus, ſolemni ritu Eccleſia, vel certè religioſæ inſtituta obſeruantię indicunt, vt ventri intemperanter indulgeant, vetitis ſe ingurgitando cibis proculcare non dubitant, diuina Apoſtoli, aptis epulones eiuſcemodi ad viuum coloribus adumbrantis, triſtemque eorumdem deſcribentis exitum, aut certè prænunciantis, verba attentius recolant: *Multi*, (inquit ille) *ambulant, quos ſæpe dicebam Vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus Venter eſt.* Helluonum igitur, qui ventrem pro idolo colunt, cibiſque lautioribus opiparè farciunt, necnon infenſi hoſtes ieiuniorum effecti, abſtinentiam à vetitis (vt pius catholicorum mos eſt) epulis, prorſus ignorant; Helluonum, inquam, immane ſaginatorum tùm ventri, tùm gutturi, diuinæ gladius animaduerſionis iuſtiſſimè intentatur.

Ad Philipp. 3. 18. Apoſtoli in helluones grauis ſententia.

Sagina ventris ſit diuinitus eſt.

13 Et ne noſtra longiùs aberret Oratio, portentoſum hic, quod Bredenbachius probæ fidei ſcriptor enarrat, in medium proferamus exẽplum, ex quo duo nequiſſimi homines, hæretica prauitate vitiati, cum piis ſanctiſq. (vt hæreticorum impietas conſueuit) Eccleſiæ ieiunijs inſultarent, ac lautioribus ſacrum, recolendumq; Dominicæ paſſionis diẽ ferculis non tam deuotè colendum, quàm inhonorandum, abolendumq; ſatagerent, ipſas inter pinguium eſcas pro contumelioſa impietate, diuinæ vltionis gladio iugulati ſunt. Sed quæſo rem geſtam, Scriptoriſque ipſius ſtylo digeſtam accipiamus.

Bredẽbach. in hiſt. belli Liuon. cap. 14. Ex Martino del Rio diſquiſ. Magic. lib. 3. qu. 7. p. 79. Inſigne apud Bredẽbachium exemplum.

14 *Paucis ab hinc annis poſtquam Torpatenſes in Lutheranam doctrinam conceſſerant, feria ſexta ſolemne Chriſti Reſurrectionis feſtum proximè præcedente, finita Lutherani Eccleſiaſtæ concione, ciuibus è templo D. Mariæ Virgini ſacro reuertentibus, quidam alium conciuem, & familiarem inuitat ad prandium: rogat vnà domum comitetur, habere ſe egregiè paratum petaſonem Veſphalicum. Alter parum abhorrens reſpondet ſibi eſſe gallum opiparè elixum, quem cupiat in ſymbolum adſerre. Dùm ad menſam accumbitur, alter os quoddam galli comedere volens, imprudens penè ipſum deglutit, quod cum neque tranſmittere, neque eximere valeret, eo ipſo die ſuffocatur. Alter poſtridie Paſchæ, malo ſpiritu corripitur, & non multò poſt rabie, ac furore exagitatus animam vnà cum Dæmone exhalat.* Hæc Bredenbachius. Et quidem congrue ſordidis hiſce nebulonibus, *quorum Deus venter erat*, & qui ſacroſanctæ Dominicæ paſſionis diei in orthodoxæ Religionis probrum epulando illudẽtes, palàm ſe crucis Chriſti inimicos ferinum in morem exhibebant, deplorandus præ foribus, tũc cum minus putarent adfuit interitus, vt hæreticos palam homines Apoſtolicis deſignatos verbis, poſthac de facie catholicorum quiuis agnoſceret: *Quorum*, inquit, *finis interitus*; A cõuiuio quippè ad ſepulchrum, ab epulis, ad funera, à ferijs, ad inferia inexpectatus iiſdem tranſitus fuit: *Quippe propter crapulam* (vt ſapiens ait) *multi obierunt, & qui abſtinens eſt adijciet vitam.* Enim verò, vnà cum eſcis, quas perfido iſtorum alter ore deglutire vix potuit, mortem deglutijt; & alter vnà cum carnibus diabolum deglutiendo, haud multò

Hæreticorum impia ingluuies in prophanando ſacræ hebdomadæ ieiunio. *Bredenbachius de bello liuonico pag. 37.*

Alter cibo vetito, ſeu laqueo præfocatus.

Alter dæmonẽ vorat, ab eoq; deuoratur.

Ad Philip. 3. 18.

Proſpiciant ſibi ex funeſtis exemplis hæretici.

Philipp. 3. 18. Triſtis menſæ cũ ſepulchro commutatio.

Eccleſiaſtic. c. 37. 34.

Triſtius ab inferno deglutiri.

poſt

poſt cibis, quos vorauerat malè ſaginatus, animam diabolo tradidit apud tartarum deglutiendam.

Exemplum aliud ex Baronio.

15 Idem planè Anonymo cuidam quadrageſimalis abſtinentiæ, quæ apud catholicos, ſacro per annum recurrente dierum circulo ſolemnis eſt, contemptori, funeſtiſſimè contigit, qui hanc inſuper ſibi ab Epiſcopo Dominicis inhærente præceptis, ad expiandas anteactorum ſcelerum culpas ſalubri indictam conſilio temerè proculcarat, vt Baronius noſter in ſuis annalium paginis meminit; In conſcriptis enim B. Alphegi Vvintonienſis in Anglia Epiſcopi geſtis, quidam dùm recolendam ſacrorum praxim ieiuniorum derideret, ac viro Dei religioſè monenti obtemperare detrectans rem in iocum, ac fabulam, verteret, ſeuera iudicij animaduerſione mulctatus, ſatanæ ad interitum carnis, præter eam, quam animæ fecit iacturam, Apoſtolico ſpiritu traditus legitur. Hæc igitur apud Baronium.

Non impune violata quadrageſima.

Baron. Ann. tom. 10. an. 947. n. 4. Alphegus Epiſcop. Vvintonienſis.

16 *De Beato Alphego legitur, quod cum in die cinerum de more hæreticos de Eccleſiæ limitibus remoueret, hortatus eſt eos, vt tempore quadrageſimali, ieiunio, & caſtitati vacantes, diebus illis vxorum etiam delicijs abſtinerent: Quorum vnus cæteris Epiſcopi iuſſionibus reuerenter obtemperantibus ioculari cæpit dicens, ſe abſtinere non poſſe à venere, à cibo pariter, & coniugio: cui Epiſcopus; Contriſtas me miſer oppidò neſciens quid tibi pariat dies ventura. Et ſic homo ille recedens duram Beati Alphegi prophetiam nebulo experitur, dum poſtera luce in cubiculo ſit repertus exanimis, incertum vtrum à Diabolo ſuffocatus.* Hic miſeri finis, qui interdictis quadrageſimalem abſtinentiam obſonijs violaſſe deſcribitur: adeo vt congruè gulæ, ac ventri opiparè ſaginando intentus, faucibus diabolico miniſterio præcluſis, condignas gulæ, ac ſaginæ pœnas exſoluerit.

Surius in vit. S. Alphegi Vvintonienſ. epiſc. Ad temperantiam & caſtitatem Anglos hortatus in quadrageſima.

Illuſus ab impio prædicit illi exitium.

Non irritæ mi... cadunt.

Exanimis intemperans reperitur.

17 Dies igitur ſacrorum cultui ieiuniorum dicatos, & quadrageſimali ſolemnes obſeruantia, temerè infringentes, infelici deceſſu, gulæ irato Numini pœnas dediſſe cõprobantur: cuius rei manifeſtum ſatis exemplum ex Drexelio hic repetendum occurrit; Gratis igitur auribus excipiamus.

Inſignis ali... in quadrage... næ prophan... lores animad... uerſio.

Drexelius c. 1. de aeriden. pa... fol. 290.

18 *Anno*, inquit, 1575. *tempore verni ieiunij, anniuerſaria Chriſti patientis hebdomada, Miles Comitis Ludouici Haſſouij in Belgio hybernabat, & carnibus temerè veſcebatur, nec ſine mutua gratulatione, quod liceret eſſe tam improbis, & exlegibus. A caſtris non procul aberat Philippus Olmanus Parochus, Theologus; hic ſuos cohortans, ne peſſimis exemplis animati, legibus Eccleſiæ fraudem facere in animum inducerent: impios illos milites nunc quidem ridere, forſan breui ploraturos; Dictum viri vaticinium videri potuit: Nam quarto Paſchatis die cum adhuc eſcæ eorum eſſent in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & totus eorum exercitus cum omnibus Ducibus, inter quos Ludouicus, & Henricus Naſſouius, ad internecionem ab Hiſpanis cæſus eſt.* Quamobrem vna interdictarum gula carnium, carniuoris interitum hominibus e proximo intentauit; haud aliud enim, niſi eccleſiaſticorum contemptus ieiuniorum hoſtiles in eoſdem mucrones exacuit, eorumdemque reſperſit ſanguine, qui ſe paulò ante per ſummam impietatem carnium edulio ſaginauerant, vt hinc probè intelligi queat, *Quod plures occidit gula, quam gladius.*

...uniani ...rcitus Hæ... tici triumph... tes in ſcelera...

Contempti ri...

Pſal. 77. n. 3...

Interneci... delentur.

Non tam ... dio quàm la cæſi.

19 Manifeſtam igitur violati quadrageſimalis ieiunij pœnam, nec vnus, aut alter ex tot militum numero, ſed omnes, ac ſinguli vnà cum Duce, ac toto ferè exercitu, vt Bredenbachius

chius narrat funeſtamq; pro contemptu plagam ſubiere; Quam item ſtragem Gerardus Gandidus in appendice hiſtoriarum Belgicarum Ioannis Meyri his perſtrictim verbis adnotauit: *Decimoquarto (inquit) Aprilis die auxiliares copiæ, quæ Auraici vires nitebantur firmare in Ericeto Mokenſi, vulgò Auffder Moeter, Neyden ab Hiſpanis fuſæ ſunt, & diſſipatæ, præcipui exercitus Duces, Ludouicus, & Henricus Naſſouij Comites, & Chriſtophorus Palatinus, nec inter viuos, nec inter mortuos reperti*. Gula quippè, quæ diuinis Eccleſiæ contemptis legibus, ac venerando ſacrorum abiecto dierum cultu, in carniuoris hominum caſtris perfidiæ vexillum erexerat, fortiſſimos quoſque eneruauit milites, condignamque impijs pro ſagina vaſtitatem Helluonibus intuliſſe viſa eſt, cum quadrageſimalis è contra parſimoniæ vigor, ac religio, validas hoſtibus vires ſuppeditando, de inuictis victores effecerit, pioſque vnà cum ſuis ducibus milites nobili ex impijs triumpho adauxerit. Vrbes enim non tàm à præſidiarijs militibus, quàm à ciuium virtutibus conſtanter defendi, nec tàm ab hoſtibus, quàm à ſuis ſceleribus, præſidia queque, ac milites expugnari Ambroſio teſte didicimus: *Tunc (inquit) ciuitatis porta munita eſſe poterit, ſi priùs in nobis portæ iuſtitia muniantur: Cæterùm nihil prodeſt muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis*. Hæc ille.

Gerardus Gandidus in appēd. hiſt. Belgic. Ioānis Meyri.

Catholici milites ſacra abſtinentia corroborati.

Celebres triūphos agitant.

Pietas vrbium fortiſſimum munimētum. *Amb. ſerm. 88. de bellic. tumultu.*

20 Atqui ſacri contempta quadrageſimalis ieiunij diſciplina, ipſiſmet præliantium caſtris, armiſque aduerſùs hoſtiles contendentium copias, funeſta ſemper fuit. hoſtes enim, ac ſi omni virium robore, armorumque præſidio deſtitutos, continuò ſe in fugam proripere, ac palmā, quam manu iam prætendebant, alteri cedere haud ſemel compulit, vt Polonorum quondā copijs accidiſſe Cromerus hunc in modum ſcribit: *Naclum Pomeranorum arcem munitiſſimā Vlaſdislaus Polonorum Rex obſideret: Ibi noctu lucente Luna, aſpiciebantur crebrò ab excubatoribus, quaſi armatorum acies ex apertis campis ad Polonorum ſtatiua adequitantes, & incurſantes: Cùm id ſæpius accideret, indignati Poloni inquietari ſeſe, nec vſquam in apertum certamen prodire hoſtes, nocte quadam cum ibidem hoſtes adeſſe nunciarentur, fremebundis agminatim à caſtris ſeſe proripuere, diffugienteſque caſſo labore proſecuti ſunt: Obſeſſi, tumultu Polonorum exaudito, & excurſione è caſtris animaduerſa erumpunt ſubitò, & ignem in opera, atque tuguria militum, ſtramine, arundineque contecta inijciunt: Quo celeriter pluribus in locis ſeſe diffundente, paucis, qui in caſtris remanſerant ſe defendentibus, facili opera cum magna caſtrorum parte conflagrarunt. Nocturnas illas vmbras fuiſſe autumant, quæ hoſtilis exercitus ſpeciem oſtentantes, Polonas ita diuino permiſſu exagitarunt, propterea quòd ſolemne omnibus Chriſtianis quadraginta dierum ieiunium priore expeditione promiſcuo, ac temerario carnis, ac lactuariorum eſu moribus, & inſtitutis Eccleſiæ catholicæ contemptis temerauerant. Quo incommodo accepto, re infecta ab oppugnatione Nacli, iuſſu regis domos diſcedunt omnes*. Et congruè irreligioſis Polonorum militantium caſtris, qui vetitis ſe præter ſacros Catholicorum ritus, moremq; carnibus ingurgitauerant, diuinæ gladius vltionis adfuit, iraq; in eos numinis exarſiſſe comprobatur, vt illud meritò in homines ſaginæ deditos intorqueretur: *Et gladius meus deuorabit carnes*.

Quare periculoſa caſtris videatur ieiunij religio.

Martinus Cromerus lib. 5. hiſtor. Polon. Obſidebat Vladislaus Naclum.

Spectrorum exercitu tacitus fugit.

Ab hoſte erūpente ſladitur.

Cœleſtis vltio contēptæ quadrageſimæ aſcripta.

Deuteron. c. 32. num. 42.

21 Quid verò præſcriptos ab Eccleſia ieiuniorum, dies, vetitarum edulio carnium, violantibus funeſtè

acci-

acciderit ex hiſtoriarum ſuperioris ſæculi tabulis hic nobis repetendum, eſt; ex his enim alterum nobis perditi helluonis exemplum ſuppetit, qui cum præter ſancitas catholicis leges, ſexta recurrente feria (qui dies Chriſti Domini patientis memoriæ ſacer eſt) auidè carnibus paſceretur, vnà cum prophanis edulijs diabolum, à quo incitatus ad comedendum fuerat, ipſamque tùm animæ, tum corporis vaſtitatem deglutijt, vt ex annuis Societatis Ieſu Epiſtolis Drexellius his verbis tradit: *In Prouincia Polonica, anno à pariente Virgine milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, iuuenis quidam in oppido Podlachia cum die Veneris carnibus licenter veſceretur, nec ab hoſpitibus monitus reſipiſceret, hoſpita, vt eſt fœminarum ad imprecationes aptum ingenium, ad helluonem verſa: Vtinam* (inquit) *& diabolum vores? habuit ſubitum euentum mala precatio; nam carnium vorator protinus à malo genio captus eſt inſideri, & torqueri: Cumque ad Sacerdotem delata res eſſet, adhibitaque de more ſolemnes Eccleſia preces, ſæuire peſſimus hoſpes in ſacerdotem, furere in circumſtantes, iuuenem ipſum immaniter excruciare cœpit, donec interclusis faucibus hominem penitus enecauit.* Carniuorus quippe, qui diabolo conſuetum ieiunij diem violandum ſuadenti aurem adhibuerat, ventremque obſequendo obtulerat ſaginandum, expetita eidem præda, gratumque Orci faucibus pabulum ceſſit.

Feriæ ſextæ abſtinentia Chriſti memoriæ ſacra.

Contempta à Polono iuuene.

Ex litt. Ann. Societ. ann. 1585. in miſ. ad aulã regiam.

Drex. lib. de mal. ling.

Dum vetitas carnes vorat à dæmone corripitur.

Spec. hiſt. exem. tit. 32. cap. 4. ex. 18.

Quare prã eo fruſtra Sacerdote præfocatur.

22 Enimuerò proculcata ſacratiſſimæ diei, in qua dominicæ myſteria paſſionis recoluntur, religio, haud tritas, vulgareſque impiorum ceruicibus clades intentare conſueuit; ad quod comprobandum, portentoſum, funeſtumque eſt, quod Drauultius ex annuis item Epiſtolaribus Societatis Ieſu paginis hunc in modum deſcribit: *Ruſticus noſter die Veneris negotij cauſa hæreticum Villæ miniſtrum adijt: erat in menſa opiparè ſanè apparata carnibus. Iubet ille aſſidere hoſpitem, vt irridendum propinet compotatoribus: quippe catholicum inuitat ad carnes, cum ille conſtanter abnueret, & ſe eo die arceri ab ijs religione diceret, arripiunt riſus materiam, vrgent, ſolicitant, riſu, cachinnis, atque temulentis clamoribus admouent ori, intrudunt prope in oculos: tam egregius miniſter magnum bolum delicatiſſimæ carnis arripit, ruſticum nomine appellat, & in eius ludibrium cunctis intentis ad ſpectaculum manum attollit, ac deglutiturus pandit impuriſſimas fauces: non adhuc eſca erat in ore ipſius, & ira Dei deſcendit ſuper eum. Hæſit aperto, atque hianti ore: nullo conatu, nulla vi coniungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus disjunxerat, perducitur Vradislauiam, noſtros adhibet chirurgos, aliosque medicos: dumque magni fiunt ad rem nouam concurſus, ille, qui contra religionem catholicam os aperuerat, & ore apertiſſimo verbum exprimere nullum poterat, eo miraculo prædicabat apertiſſimæ fidei veritatẽ, in eiuſque teſtimonium os habebat apertum inuitus; Non abſimili modo funeſtiori item exitu petulans muliercula inter catholicos immorans die Sabbati, vt primum carnis bolum inos ingeſſit, extincta repète in terram concidit.* En quales ſuis gula carniuoris reſperſas abſinthio dapes, dum impensè ventrem diſtendit, ad certum poſt crapulam interitum offerre conſueuit.

Cœleſtis vltio in hæreſeos patronem.

Drauultius theſ. 2. hiſt. cap. 4. tit.

Ex litt. ann. Societ. Ieſu 1592. ſub Auſtr. pag.

Ruſtica catholicu violanda ieiunij rel nem vrge

Ex vora ne fauci mani hiulſus.

Aperto to ore ritatem dicat.

Petula liet cib to præ

23 Et quidem ſartam, tectamq; olim Eccleſiaſticorum diſciplinam ieiuniorum cupiens, eamdemq; à catholicis conſtantiſſime retinendam Gregorius Nazianzenus inculcans, quo numen viris abſtinentiæ deditis, propitium adſit, triſteſque procul clades à fidelium laribus arceantur, ſolicitè, inſtanterque contendit; Qua pro-

Ieiuni quitus gioſiſſi

propter non homines duntaxat hæreticos Eccleſiæ catholicæ perduelles, ſed & fideles inſuper, morum tamen prauitate corruptos, à recto tramite deuios, & ab Apoſtolicæ diſciplinæ vigore laſeſcentes, aberranteſq; mira verborum authoritate, ſcientiarumq; pódere coërcuit. Hinc cum à Præfecto ſibi amicitia coniuncto, indicta ex Eccleſiæ præſcripto ieiunia prætermitti compeeriſſet, vti enormis reum piaculi, his ad ipſum conſcriptis redarguit: *Excepi* (inquit) *te etiam tacens, vt ſilentij quoque ſermonem eſſe intelligas per calamū ſe proferentem: loquar autem ea, quæ amicitiæ, & huiuſmodi tempori conueniunt. Legibus iniuriam facis Iudex, qui non ieiunas; Et quomodo leges humanas ſeruabis, qui diuinas contemnis, ac pro nihilo ducis? Purga Tribunal tuum: ne duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut exiſtimeris. Fœda ſpectacula proponere, ſeipſum traducere eſt. In ſumma ò Iudex, futurum ſcito, vt iudiceris, & minus peccabis. His nihil melius habebam, quod tibi præberem.* Audis quanta imperij, ac ſententiarum vi ſanctiſſimus præſul nobilem alioqui præſidem, pro retinendo ſacrorum ieiuniorum cultu, aculeatum intorquens ſtylum conuenit, perſtringitque, ne fortè ingens aliqua homini, qui Eccleſiæ infringere leges conabatur, calamitas Deo vlciſcente obreperet.

Gregorij Nazianzeni in Præfectum nō ieiunantem obiurgatio. *Greg. Nazianz. epiſt. 74. apud Bar. tom. 4. an. 384.*

Conſpicui dignitate præluceant exēplo.

24 Atqui pro aſſerēdo religioſo ieiuniorū cultu non manifeſtis dūtaxat è cælo portentis aduerſus impios hæreticos, qui iſthæc tam es veluti res, ac meram redolentes ſuperſtitionem, improbant, ſuggillantque; verùm etiam peruerſos apud catholicos, qui ſacras temerè conſuetudines cōtemnunt, Deus haud ſemel, in acie ſteti ſſe viſus eſt; & ne nuper aſſertis fides deſit: Solemne eſt, quod Zacharias Bouerius religioſo cuidam, nomine tenus, ac irreligioſis vitiato moribus, perditoq; nebuloni accidiſſe diuinitùs his verbis tradit: *Ioannes Vlricus in Clericorum adhuc ordinem relatus, cuius ſæpe concionatoris noſtri aliquando ſocius fuit, qui cùm in quodam oppido haud longè à Neapolitana Vrbe, Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret, apud quoſdam Regulares, quorum ordinem reticendum cenſeo, hoſpitabatur. Porrò in eo Conuentu vir erat illius Eccleſiæ Sacriſta, helluo, ac ventri deditus, qui cum Ioannis ieiunia, atque auſteritatem derideret, oblatis carnibus eum frequenter, vt ieiunium ſolueret, verbis ſolicitabat: At Ioannes hominem ſuauiter increpās, ſæpe illum ad Eccleſiæ, & regularis obſeruantiæ leges reuocabat. Ridebat ille, qui omnem ex animo Dei metum excuſſerat: Quin etiam cùm ſemel Ioannes ad veſpertinum potum nuces cōcionatori ſuo deferret, is elixam gallinam oſtendens, quam ſibi ad cœnam parauerat, his eum verbis ludificat: Heus bone vir, hæ meæ nuces ſunt, quibus veſcor: At verò Dei Maieſtas, viri petulantia, nedum ingluuie, ac voracitate læſa, haud riſit, haud luſit: quin etiam ob id grauiùs in eum animaduertit. Nec dum enim quadrageſimale ieiunium abſolutum erat: cum nocte quadam, dum clam conſuetis ventris delicijs, cubiculo incluſus incumbit, horrendus ex ipſius cella ſtrepitus auditur: Protinus eò fratres occurrunt, viſque aperto cubiculi oſtio miſerum Sacriſtam mantili, quo vtebatur, ita à dæmone præfocatum cernunt, vt alterum eius mantilis caput ex ore, alterum ab ano emitteret: quod dum fratres inde educere tentant, ſimul cum mantili viſcera eidem tenaciùs inhærentia extrahunt. Vt diuina in eum* [illegible] *ſpectaretur, dum venter* [illegible]*, quæ* [illegible] *te vorauerat, inteſtina reddidit. Id ſæpe Ioannes* [illegible] *commemorare ſolitus erat,*

Zaccharias Bouerius in Annalibus Capucin. tom. 1. an. 1529. pag. 826. nu. [illegible]

Monachus ieiuniorum deriſor.

Monitus officij proteruus fit.

Gallinam opiparam ſuas nuces vocat.

Horrendo pœnæ ſupplicio illato à dæmone.

Mantili per os ad guttur inferius ad acto præfocatus.

Laturi opem ſocij viſcera cum mantili educunt.

In catholicos etiam ieiunia ſacra violātes diuinitus animaduerſum.

vt ſi

vt ſi quos gulę vitium delectaret, hoc illos exemplo abſterreret. Profanus igitur ſacriſta, qui gulam, ac ventrem, Sardanapali ad inſtar non ſecus, ac nobile Epicuri emporium, ſacrariumque excolebat, immoderatæque deditus crapulæ, vnus præ cæteris iure merito computari poterat, qui dignè in Beli apud Aſsyrios templo miniſtraret, dũ indictis ab Eccleſia ſolemni ex ritu ieiunijs fraudem faciens inſultat, epuliſq. iam ſatur in Orcum abiturus, ſalutem gula, ventriculo animam prodidit, perdiditque: Nam, qui ſaginæ diutiùs, brutorũ more, inſtiterat, miſer denique adipem, ſaginamque vnà cum viſceribus regeſſit, & non tam coquinæ, quàm carnificinæ tortorum infernalium manu deſtinatus æternis vltrò pœnis, animam ſaginandam deuouit Diuinũ quippe, vt propoſito in ſiſtamus, oraculum eſt, quod & Chryſoſtomi ore percrebuit, haud locis videlicet, haud veſtibus, ſed moribus, ſed affectibus religioſorum ſanctimoniam hominum certo veluti calculo comprobari. *Cæterùm, non in habitu* (inquit,) *ſed in corde Religio eſt:* Quid enim abdita cœnobiorum ſepta proſunt, vbi cordis ſolitudo, & mentis cuſtodia deeſt? Quid religioſa rudiũ inſignia indumentorum iuuant, vbi piam, religioſamque ieiuniorum, & abſtinẽtiæ quis procul normam abijciens, clauſtrum pede, ſæculum mente, prauoque ſe ipſum affectu tenet? cum profanis profectò quicumque ille eſt, hominibus, qui fluxis, futilibuſque rebus iugiter inhiant, inhærentque, computandus, ac veluti infatuatum ſal in ſterquilinium iure merito proiiciendus videtur. Hinc peſſimos, immaneſq. inter arctiora clauſtri ſepta, religioſorum caſus Auguſtinus aliquando recenſens, amarulento ore queritur, ac deplorat, dum ait: *Ex quo ſeruire Deo, cœpi quomodo difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt*. Ita planè Religioſorum hominum vitam vitia enormiter deprauant, ſuggillantque: ſed inflicta diuinitus iacula, & eorumdem intemperantiam corrigunt, turpeſq. animorum labes, ne à ſancto degeneres propoſito ſerpant vlteriùs, reſecant, eiubratoque vltionis gladio conficiunt.

O miſeram ingluuiẽ, quæ in carnificinã vertitur.

Religio non habitu ſolo, ſed corde exprimenda.

Chryſoſtom. in homil.

Auguſtin. in epiſt.

D. Auguſtini in monachos ſui muneris oblitos ſententia.

25 At funeſtum hic duorũ Religioſorum interitum, quos gula, haud gladius carnes præter fas appetentes è medio abſtulit, repetamus: in his enim eorum, qui poſt deguſtatum in deſerto mannæ pabulum ſub Moyſe quondam (vt diximus) nimia carnes auiditate concupierant, ſuppliciũ inſtaurari contigit. Ira enim Dei portentoſa in iiſdem cladẽ intẽtauit. Ideq. prorſus his, quorum hiſtoriã ſubteximus, accidiſſe liquet: oblatos enim ſibi in menſa piſces, cum nauſeabundi reſpuiſſent, vix quas eſurierant, ori carnes applicuere, cum fatalem gutturi eſcam admouiſſe viſi ſunt, vt Vincẽtius in ſuo hiſtoriali ſpeculo, his verbis tradit. *Sanctus Odo, cum diſcipulos ſuos regularibus diſciplinis inſtrueret, diuerſorum monachorũ mirabilem narrauit hiſtoriam. His, inquit, diebus, duos fratres rapidiſſima raptos eſſe morte nouimus, non in vno loco, nec in vna die: veniens vnus ex eis in domum cuiuſdam ſuæ ſororis, vehementiſſimè ſe eſurire dixit, & refectionem petijt. Cui protinus illa piſces abundanter ſe habere reſpõdit, vt comederet, qua hora, & quales vellet. Ille quaſi indignatus, piſces ſe faſtidire reſpondit, nec iam eos ſe poſſe videre dixit. Tunc armum cuiuſdam animalis ſibi aſſari præcepit; ſed non ferens aſſandi moram, portiunculam incidit, & eam in prunas proiecit. Deinde vinum ſibi afferri iuſſit, & carnis morſum auidè ſumpſit; ſed hoc, quod ſumpſit,*

Religioſi ex clauſtro ob ingluuiẽ profugientes funeſtè obeunt.

Pſal. 77. n. 30.

Ex ſpecul. hiſt. Vincentius lib. 26. cap. 67.

D. Odo diſcipulos ad ſeruanda ieiunia inſtruebat.

Narrata ab eo funeſta hiſtoria.

Monachus ventre carnis eſu præfocatus.

Digitized by Google

nec inſumere, nec reijcere potuit, ſed vitam cum cibo perdidit. Experimento quippe ſapientis oraculum adimpleri viſū eſt, quia *plures gulæ intemperātia, quàm hoſtilis mucro internecioni dedit*. Sed ne interim quos gulæ vitio, & carnium voracitati deditos par tum pœna, tum culpa inuoluens morti ſociauit, orationis ſtylus ab inuicem ſecernat, appoſitè hic exitialem ventris ingluuiem in religioſo altero diuinæ animaduerſionis calculo notatam, perſtrictamque ſubteximus, vt auctor ſupra recenſitus his verbis proſequitur.

Vincentius Bellouacenſis. Ibid. lib. 24. cap. 67.

Alterius carnes prohibitas helluantis triſte ſuppliciū.

Alius frater veniens ad domum cuiuſdam parentis ſui, ſtatim ad comedendum quæſiuit. Cui cum reſpondiſſet, quia necdum comedendi hora venit, cum indignatione adiecit. Heu tota nocte equitando poſt iniunctam mihi obedientiam laboraui, & nunc vos ieiunare me cogitis: afferte ergo mihi, ſi quid habetis. Cui cum dicerent piſces ſe habere, indignatus huc, illucq; oculorum intuitus circumferens (ibat autem circa pedes eius gallinarū grex) quaſi furens baculum arripuit, & eam, quæ ei placuit, percuſſit, ac furibundo ore dixit. Hæc eſt mihi hodie piſces. Qui autem circumſtabant cum quodam rubore dicebant. Licet tibi carnem comedere pater? At ille; Volatile, inquit, non eſt caro: volatilia enim, & piſces vnam habent originem; Appoſita eſt ergo coram eo gallina, quam occiderat, iam aſſata, ex qua offam abſtulit, & momordit, quem morſum, nec euomere potuit, nec deglutire; ſed eum vita priuauit.

Delicato, cibo vt præſenti toxico perimitur.

En quanto ſui periculo, funeſtoque vitę diſpendio, qui cœnobiticam ex inſtitutorum legibus Deo abſtinentiam vouerat, vetitas Iſraëlitarum more carnes expetierit, quas cū famelicus intemperanter comederet, ipſas inter pinguium eſcas à morte abſorptus, deglutire haud potuit.

26 Verùm, vt legentibus innoteſcat, quàm immanè ſacra cœnobiorum ſepta, in quibus illibatus abſtinentiæ candor, ieiuniorumque rigor vigere conſueuit, interdicto potiſſimum ciborum vſu, ac gulæ vitio polluantur, ex altero B. Elphegi diſcipulo, quem gula dumtaxat perdidit, ſatis compertum redditur, de quo iſthæc in conſcriptis eiuſdem actis habentur:

Cœnobitica abſtinentia haud impune temerata.

Ex ſpec. hiſt. Vincent. lib. 25. cap. 2.

D. Elphegus immorigeros diſcipulos nactus.

Diſcipuli quidam S. Elphegi Magiſtri monita ſpernentes, profeſſionis immemores, nihilq. communem vitam facientes, medijs noctibus conſueuerant furtiuos cibos edere, ebrietati operam dare, laſciuire, & prorſus inhoneſta, quæ latens ſinebat audacia, perpetrare. Sed ira Dei illum, qui in hoc ſcelere capitalis erat, horrendo, ſubitoque iudicio inuoluens occidit.

Media illi nocte laſciuiæ, & ingluuiei ſe dabant.

Facinoris princeps ſublatus impœnitens.

Nocte verò, quæ diei ſepulturæ illius ſucceſſerat, Elphego ſacras de more excubias celebrāte, & ſe Domino ſacrificium offerente, contigit infra ambitum monaſterij, validas voces audiri, quaſi vim inferentium, vel illatam ſuſtinentium: vir Dei ignorans, quid eſſet, concitè ad monaſterium tendit; attonitiſque auribus ſonum captās, verba diſcernit, domum irrumpit, & ecce, qui nuper obierat, miſer afflictus ſolo iacebat, ſuper quem horrendi aſpectu homines ſtabant, qui taureis, & igneis ſerpentibus eum flagellabant, illoque præ doloris anguſtia vlulante, hoc illi improperabant. Nec tu Deo, nec nos tibi. Eademque ſæpius repetentes, è loco captiuum extraxerunt. Tum ſanctus rediens, quod reliquum erat noctis, flens, inſomne duxit. Orto autem ſole diſcipulos inſimul compulit, & quæ manifeſtante Deo viderat retulit: Videres alios pallere, alios pſallere, omnes trepidare. At hi, quos mortui ſcelus ſodales habuerat, medij proſiliunt, errorem fatentur, prauè geſta, ſeu malefacta poſtulant vlciſci, ne diuinæ vltioni remaneant obnoxij. Requiſiti autem vbi conueniendi, & conuiuandi locum habuiſſent, illi eum locum deſignant, quo defuncti animam ſpiritus nequam

Oſtenſa diuinitus viro ſancto oranti, illius dānatio.

Eo quæ viderit narrante, conſortes flagitij reſipiſcunt.

In eodem loco in quo laſeruerāt carnificinā à dæmonibus exercitam compertum eſt.

quam

Digitized by Google

quam cruciauerant: Sic pius Deus propter optima viri merita, dum vnius ſcelus noluit latere, omnium mala voluit detegere; & dum vni noluit parcere, omnium morbos voluit ſanare. Hæc ille; Ex quibus profectò vnius inflicta capiti pœna cæteros, qui lubricè intra ſacrum monaſterij ambitum, monaſticæ arctioris obſeruantiæ, non tam profeſſores geſtis, quàm proditores videbantur, ad ſanam, ſobriamque mentem Deo aſpirante traductos liquet: Suprema quippe bonitas, vel dum deuios, aberranteſque corripit, & flagella deſuper intentat, id plerumque altiſſimo prouidentiæ nutu præſtat: *Vt pœna* (videlicet) *ad paucos, metus ad omnes perueniat,* quod & in fulminibus experimento videre eſt: *hac enim* (vt moralis ille philoſophus ait) *paucorum periculo, metu omnium cadunt: ſic animaduerſiones magnarum poteſtatum terrent latiùs, quàm nocent.* Porrò quantum ad fœdos, corruptoſque hominum mores corrigendos, flagella vnius inflicta capiti proſint, ac vim ad terrendum obtineant, exemplo, quod è Cantipratenſi excerptum proferimus ſatis ſuperque innoteſcit: *Erant duo* (inquit) *ſenes monachi ab ipſis puerilibus annis pares in ſcelere* (inquit) *diſſolutè valde in monaſtica obſeruantia enutriti. Hi ſibi plures ex iuuenibus in immunditia aſſidui quotidie copulabant, ſeorſim vacabant epulis, riſibus, & cantibus exultabant, & innocentibus, & ſimplicibus detrahebant. Cumque de illorum inſolentijs quotidie non mediocriter turbarentur, nec eſſet, qui corrigeret delinquentes vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: vix enim ſinit turbationem piorum clauſtralium inultam. Accidit ergo quodam veſpere, vt ſecundum conſuetudinem ſuam eſtulento ore ad voraginem inhiarent; vix ori cibis appoſitis, quartum, aut quintum morſellum manus obtulerat; cum ecce vnus, prædictorum ſenum ſubita ingluuie ſtrangulatus, euerſis ſtatim oculis expirauit. Territi igitur omnes, qui conſederant, ſurrexerunt. Nec diù poſt ſuperſtes veteris ſocij animaduerſione hac non fractus, licèt ad momentum horruiſſet, ſicut porcus, occiſo à carnifice porco, reſumpta audacia reſedit ad menſam, & cum enormi crapula ſic eſſet repletus, vt amens penitus portaretur ad lectum, quaſi brutum animal expirauit. Horrore ergo hoc omnes exemplorum talium perturbati vitam ſuam, & mores in melius correxerunt, communemque vitam, & cibum ſtrictiſſimè ſeruauerunt.* Hæc ille. Ab intemperantis quippe hominis crapula, qui repentino pœnas interitu luit, hi, qui pari ventris, ac ſaginæ morbo tenebantur, ipſa inter animaduerſionis iacula, ſobrietatem tam mentis, quàm corporis edidicere.

Diuina miſericordia vnius ſupplicio plures ad officiũ reuocat.

Seneca lib. 1. de clementia ca. 7.

Thomas Cantiprat. ex lib. apũ 2. cap. 12. par. 5.

Miſerandus duorum monachorum Helluonum interitus.

Alter è menſa ad pheretrum elatus.

Non caſu eo commotus ſocius ſe ingurgitat, & amẽs perit.

Territi diuina animaduerſione cæteri reſipuerunt.

27 Atqui felix proculdubio renunciandus eſt, qui alieno edoctus periculo, quæ ſuo impendent capiti mala præcauet, ſapidoque vſus conſilio calamitatem ſubterfugere nouit, prout Poëtarum ille cecinit:

Fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Fœlicitas autem, & ſors eiuſcemodi haud omnibus, qui vno, eodéq. vitiorum impetu abripiuntur, ſed paucis, cordatiſque dumtaxat obuenit, vt idé Cantipratenſis de alijs quibuſdam Monachis verba faciens his verbis tradit: *Erant* (inquit) *in Monaſterio quodam nigri Ordinis tres Monachi in omni laſciuia diſſoluti: cumque vna ſeorſum in thalamo ad epulas cõſediſſent, vnus buccella panis inuerſa ſubito ſtrangulatur, cuius morte nec verecundiam, ſaltem paſſi duo reſidui, derelicto loco eminus iuxta prandium perfecerunt, & ſic in clauſtro ſocij euentum mortui nunciauerunt. Nec diu poſtea dum dicti* duo

Decantatum à Poeta carmen.

Non omnium eſt alieno malo ſapere.

Cantipratenſis eodẽ lib. 2. apud c. 7. p. 3.

Probatur exẽplo trium monachorum Benedictinorum.

Primus in mẽſa repente præfocatus.

Nox ſuperueniens.

duo ſocij non recogitando, quid actum ſit, ad balneandum in fluuium iuxta cœnobium, nudati veſtibus deſcendiſſent, vnus ad profundum digreſſus ſubmerſus eſt, extractus, & ſepultus. Relictus poſt hæc tertius; cum veſpere dormitum pergeret, & ſe diſcalce. ſſet, Monachus nudus (ille ſcilicet, qui ſubmerſus fuerat) apparuit ei dicens: Ecce quanta pœna damnatus ſum, tu autem quid facias, nunc ſaltem recogita. Ego quidē immundus, & lubricus dignè penitus excrucior, ſed illud multum ad verecundiam damnationis accumulat quia ſine habitu nudus à dæmonibus irrideor. Tu autem da mihi, in quo ſignum meæ damnationis oſtendam. Hæc autem audiens turbatur Monachus, & citò detrahens togam tibiæ femoralem roganti dedit; & ſic defunctus repente diſparuit. Mira res! vix dies illuxerat, cùm tantus fœtor clauſtri ambitum occupauit, vt ſe omnes extingui horrore fœtoris præ anguſtia conclamarent. Narrante autem monacho, quod ſibi veſpere contigiſſet, quæſita eſt vndique dicta toga, & tandem inuenta eſt fætidior omni cadauere, & ſuper fuliginem denigrata: qua humo celerius cooperta in admirationem conuerſi monachi plorauerunt. Dictus vero ſocius defuncti ad ordinem Fratrum Minorum repente tranſiuit, & vſque nunc tantæ rei certus teſtis, & fælix viuit. Eandem ex Cantipratenſi hiſtoriam Fr. Lucas V vadingus vir pietate, ac eruditione clariſſimus, in ſuis minoricanæ familiæ Annalibus concinnè, eleganterque ſuo ex more deſcribit, qui, & illum inſuper ex Benedictino monacho ad Minoritarum Beati Franciſci Ordinē tranſijſſe, quantocyus, peſſimo alterius fine ſalubriter cōmonefactum affirmat. Ex quo qui legit patentiſſimum in monacho, qui monachalem veſtem abiecerat, diuinæ iudicium vltionis intelligit, quippe qui cum temerè cucul-lum exuiſſet, omnimodam monachi, ac monaſtici pariter inſtituti formā, normamque ſimul à ſe viſus eſt abiiciſſe, adeò vt nuptiali miſer nudatus veſte, quam ad finem vſque prouidus, ſolicituſq; ſeruare debuerat, à cœleſtis procul conuiuij loco, exteriores in tenebras amandatus, tartareis ſit perpetuò carceribus, ignibuſque addictus.

Ad balneum progreſſi alter eorum mergitur.

Sodali ſe videndum obijcit.

Æternæ damnationis ſuæ dat ſigna.

Horrendo fœtore, cōpletur cœnobium.

His territus ſocius acerbioris vitæ inſtituta amplectitur.

Fr. Lucas Vvadingus Annal. Min. tom. 2. an. 1236. pag. 551. n. 15.

Non rursum eſt religioſam veſtem exuere.

28 Iure igitur ſordidum crapulæ vitium, quod vel ipſos ſæculares viros dedecet, ſi Religioſos arctiori ieiuniorum conſuetudini addictos, & voti religione, ac vinculo religatos inuadit, ſuiſque captiuos illecebris reddit, grauiſſimè Deum in ganeones fœdifragos exacerbat; vt quid enim, qui piam, laudabilemque à cibis Deo abſtinentiam vouere, ventris ſubinde ingluuiem iugiter meditantes, interdictorum, quo ſaginam nutriant, eduliorum opiparè fercula appetunt, & nedum Dei, ſuæque profeſſionis memores, gregarios ſe ex eorum numero milites præferunt, *quorum Deus venter eſt*. Sed tremendo hic nobis exemplo portentoſus alter, inter Minoritas helluo ex eorumdem chronicis contemplandus à Vvadingo proponitur, qui inter vetitas, expetitaſque auidiùs dapes non tam cibum, quam lethum funeſtè comedēdo vorauit: Scriptoris igitur verba excipiamus: *Aliud addo exemplum tardæ, ſed grauis Dei vindictæ, pro ijs, qui in religione ſui inſtituti aſpernantur præcepta, Hyppolitus in Prouincia Marchiæ à primis ſuæ initiationis incunabilis corporis nimis indulgens, ægrè ſatis ferebat quaſcumque arctis macerationes, atque vt indulgentiæ velamen obtenderet, plurimas fingebat infirmitates. Solemne eſt Minoritis ieiunium à ferijs omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini, quippe à S. Franciſco in regula præſcriptum, ſed Hyppolito grauiſſimum,*

vtque

Ingluuies in viro religioſo magis quam in ſæculari damnanda.

Ad Philip. c. 3. 3. 19.

Fr. Lucas Vvadingus ann. Min. tom. 5. an. 1445 pag. 477. nu. 20.

Hyppoliti Minoritæ helluonis mors horrida.

Violata ab eo cœnobitica aduentus Domini ieiunia.

vtque moleſtiam declinaret, ad fictos morbos recurrit, rogans ſuperiorem, vt carnibus veſci liceret. Negauit ille facultatem, niſi Medicorum teſtimonio conſtaret de neceſſitate. Cauſatus ille morbos occultos, Medicis ignotos, reſponſum accepi, veterem hanc eſſe cantilenam, & ſuperiores non poſſe iudicare de occultis, nec diſpenſare ſine cauſa ſibi nota in præceptis. Adhuc reluctantem, & ieiunia violare tentantem compeſcere volens Guardianus, præcepit ne carnes darentur, & aliunde manducantem ne abſoluerent Confeſſarij. Miniſtrabantur tamen à ſorore, & conſanguineis, & clanculum deuorabat, obducto callo conſcientiæ. Venerat ſub illud tempus Capiſtranus Vicarius Generalis in conuentum ſerò nimis, abijtque in Architriclinium, leui edulio vires refocillaturus. Acceſſit Hyppolitus congratulaturus, vt moris eſt aduentui, & facta reuerentia perrexit ad ſocium laicum, interrogauitque qualiter ſe haberet, reſpondit ille, ſe defeſſum ex itinere eſurire, & ſi per ſacrum ieiunij tempus liceret, velle breuem collationem inſtructiori cœna commutare. Ego melius habeo (inquit glorianter Hyppolitus) qui hac nocte lautè cœnaui, & ex anſere aſſo iucundè comedi. Vnus profectò erat hic adeò gulæ deditus ex eorum numero, qui *lætantur*) vt ſacra docent oracula) *cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*; miſer quippe, ac ſi parum eſſet conſuetas ieiuniorum leges violaſſe, de contumelioſa inſuper fraude gloriabatur; ſed quem viri crapula ſortita ſit finem, videamus: *Videns ſocius Helluonis inuerecundiam, & gloriantem, quòd malè fecerit indignatus adiecit; Anſerem adhuc non digeſſiſti, tu videris, quantum mali tibi aduehat interdicti cibi repletio. Verè prophetauit: nam paulò poſt cum omnes irent cubitum, adimpletum eſt illud Scripturæ; Adhuc eſcæ illorum erant in ore ipſorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos. Audita ſunt etenim in dormitorio voces digladiantium, ſtrepitus equitum armatorum, & clamores inuicem congredientium. Obriguerunt timore fratres, obſeratiſque oſtijs tutius iudicabant latere. Prodijt ſolus in apertum Capiſtranus, vocatumque Guardianum pauitantem, & trementem iuſſit, vt crucem afferret, & aquam luſtralem. Accenſis luminibus imperauit malis genijs, vt abſcederent, & morantes aqua ſacra fugauit. Audita tamen vox eſt mirabiliter ter dicentis: Heù mihi, quia perij. Congregatis fratribus, dum huius præſtigij cauſam inueſtigaret Vicarius, interrogaretque, an omnes fratres adeſſent, compertum eſt ſolum Hyppolitum defuiſſe. Vocatus nihil reſpondit, excuſſoque oſtio inuentus eſt in terra mortuus nudus, Æthiope nigrior, habitus ad lecti pedes proiectus, culcitra, & ſyndone, quibus vtebatur appoſita, & cubiculum multis rebus inſtructum. Ad hæc ingemiſcens, & flens Capiſtranus Eccleſiaſtico iuſſit carere ſepulchro, & ſepeliri ſepultura aſini, hominem, in quem manifeſto, & memorabili ſigno miſit Deus iram indignationis ſuæ; Indignationem, iram, & tribulationem immiſſiones per Angelos malos. Longo tempore hic ſuis delectabatur concupiſcentijs, ſed tandem duram diuinæ vindictæ ſenſit vltionem*. Gulæ igitur profanus iſte, ac inter religioſos morbidus, prætérque Sacri Ordinis præſcripta ſibi indulgens, gula ſalutẽ perdidit, & dũ vetitis eſculentioribus cibis ventrem infarcit, ſemetipſum gehennæ, cui addictus eſt, immundum veluti animal nutriuiſſe liquidò comprobauit; adeò vt, non tam ſe Chriſti, & Beati Franciſci, quàm Antichiſti, ac Epicuri ſub Minoritarum habitu, ac vexillo diſcipulum ſectatoréq; in clauſtro exhibuiſſe viſus ſit. Et hæc de abſtinentiæ violatoribus hactenus enarraſſe ſufficiat.

Prætexit morbos vt gulam foueat.

Cenſuras ſpernit, vt ventri cenſum ſoluat.

Vetitas carnes eſitaſſe gloriatur.

Prouerb. 2. 14.

Iſtentata illi diuina ira à ſocio B. Capiſtrani.

Pſal. 77. 31.

Inferna cohors irrumpit in miſeri cubiculum.

Auditi horrendi fragores

B. Capiſtrani in fugandis dæmonibus conſtantia.

Audita ter Hyppoliti dãnati vox.

Cadauer illius tetro colore infectum.

Abiectum in ſterquiliniũ.

Pſalm. 77. v. 49.

Coerceant hoc exemplo gulæ illecebras religioſi.

Turpe eſt Epicuri vitam in in Chriſti ſodalitio ſectari

CA-

CAP. II.
Adulteri infeliciſsimè pereunt.

1 EA eſt tabularum, quas matrimoniales vocāt, religio, vt ſēper cùm apud chriſtianos, tum etiam apud gentiles ſanctiſſimè cuſtodirentur, eaſdemque vel ſemel violaſſe, grande apud quaſq. orbis nationes piaculū creditum ſit, & non niſi morte expiandum. Quapropter tam ex diuinarum, quàm humanarum legum præſcripto aduerſus moechos, publicæ animaduerſionis gladius perſtringi conſueuit, & morte prorſus digni habentur, qui ſacra connubij iura quoquo modo infringunt. Immane igitur ſcelus eſt, quod ciues perdit, quod bellatores eneruat, militeſque fortiſſimos imbelles reddit, & conſules ipſos falcibus ſuis expoliat. Quod vel vnius trabeati viri, eiuſdemque in Auguſtorum aula clariſſimi exemplo comprobatum eſt, qui idcirco è ſummo rerum apice infeliciter cecidit, quia mæchus, ideoque dolis, armiſque pariter attritus eſt, quia alieni thori violator extitit. Armatus hic nobis ſubintelligendus eſt, qui peſſima adulterij labe vitiatus ſuas tum vires, tum fortunam peſſundedit, de quo hæc ex Suida apud Baronium leguntur. *Armatus Cognatus Baſiliſci Imperatoris, Zenonidis verò Auguſtæ adulter, qui ab eodem Baſiliſco in conſulatu collega aſſumptus primū fuerat, & demum exercitu Zenoni tradito, ab Onoulo quodam interfectus eſt; quem idem Armatus pauperem, & recens à barbaris venientem humaniter ſuſceptum comitem primum fecerat, deinde præfectum Illyricorum, & ad·conuiuia multo argento inſtruxerat, ſed is barbarica perfidia, & ſanguinaria manu gratiam illi retulit, cuius Armati cæde eius ciues admodum ſunt gauiſi:* Hæc tragica Armati ſtrophes ob adulterij potiſſimùm crimen, quo erat reſperſus inter maiora rerum incremēta deiecti, qui ob violatam alieni thori fidem, nullam ab eo, quem maximis affecerat beneficijs, fidem ſortiri promeruit, qui etſi Thraces prius armis vicit, vitiis ſubinde victus eſt, & à barbaro homine miſerrimè trucidatus, pro gratia mortem recepit.

Immane piaculum apud Deum, & homines adulterium.

Eneruat milites, & hoſtibus victoriam portendit.

Baron. to.6. an. 477. num.3.

Suidas in Baſiſco.

Armatus ob adulterium hoſtibus cedit triumpho.

2 Atqui Zenonides Auguſta Baſiliſci vxor, quæ adulterii conſors extiterat, & apud quam ob ſuos turpes amores Armatus plurimū valuit vnà cum viro, ac filijs in exilium Zenonis iuſſu deportata, obſcænarum voluptatum pœnas varijs calamitatū affecta incommodis exſoluit; frigore enim, ac fame conſumpta apud Cappadoces viuēdi finem fecit, vt Procopius rem totam his verbis proſequitur: *Zeno rurſum imperium repetens, Armati officium ante omnia probauit: verùm paulo poſt eum in ſuſpicionem venientem de medio ſuſtulit. Baſiliſcum autem tyrannum ſimul cum vxore, & filijs in Cappodociam mittens hyemis tempore iuſſit, neque veſte, neque cibarijs iuuari, ex quo breuiter vnà ſe complexi corporibus, collacrymantes miſerè perierunt.* Hæc Procopius de infelici Auguſtæ mulieris, mariti, filiorumque eius ad infelicitatis cumulum clade in ſuis hiſtoriarum paginis tradit, quibus tum mœcho, tum adulteræ hìc parentaſſe ſat eſt.

Procop. de bello Vvad. lib.1.

Zenonides anguſtia duro exilio adulterij pœnas luit.

Baſiliſcus Imperator, & vxor ac filij miſere vitam finiunt.

3 Huic alteram regiæ proſapiæ fœminam, Blancam Ducis Burgundiæ filiam, parique notatam dedecore, ac ſupplicio ſubteximus; quæ cum matrimoniali fœdere Ludouico Frācorū regi, dicto Hutino iuncta fuiſſet, ob adulterii ſcelus coniugi inuiſa, ab eo-

Blanca Regina ob adulteriū infeliciter perit.

que

Digitized by Google

que in carcerem coniécta, ibi miſerabiliter denique diem clauſit: vt Rainaldus in ſuis annalibus his verbis meminit: *Priorem Ludouici coniugem Blancam Ducis Burgundiæ filiam in priuata cuſtodia, in quam ob adulterij ſcelus coniecta erat, mærore, vel vt Ioannes Villanus, & S. Antoninus, alijque tradunt, præfocatam linteo obijſſe ferunt*. Et congruè mulier, cuius vita parum nomini conſonabat, & præter nomen, ac regios faſces nil ſe, ac proſapia dignum præferebat; & quæ ſe deuinctam alteri, oppignoratamque non cogitabat, veluti lucis beneficio indigna ſibi, ac Deo male conſcia in vinculis vitam abrupit.

Rain. an. 1315. numer. 2.

Ioan. Vil. lib. 9. c. 65.
Ant. 3. p. tit. 27 c. 3. §. 4.

Multiplex auctorum ſententia ſuper eius nece.

4 Ingentes quippe tum regnis, tũ regibus violata ſacrarum matrimonialium tabularum iura vaſtitates inferunt, ſupremumque proximis quibuſque tam perſonis, quàm rebus numine vlciſcente exitium, quod Petrus Caſtellæ Rex ſuo ſatis mortales exemplo edocuit, qui cum à crudelitate regnum auſpicatus fuiſſet, abiectaq; Blanca vxore ſe, regiaſque infulas adulterinis amoribus coinquinaſſet, regno tandem pulſus, iuſtaque Dei indignatione multiplicibus exagitatus calamitatibus tumultuario profligatus prælio, poſt fugam fruſtra tentatam ab Henrico fratre, vt regno potiretur, expetitamque de illo vltionem caperet confoſſus gladio viuendi finem fecit. Qui enim ſceptro, & gladio malè vſus, ſui primordia regni in ſpurios fratres deſæuiendo vitiauerat, gladio demum fraterna manu transfuerberatus promeritas antiquorũ pœnas criminum exoluit. Sed illud infelix ſceleri ſcelus addidit, vt Blancam Philippi Ducis Borbonii filiam, regio Gallorum ſanguine progenitam, quam ſibi matrimonio iunxerat, turpibus Mariæ Padilliæ vitiatus amoribus ſub ipſamet nuptiarum exordia indigniſſimè abiecerit, eiuſque loco pellicem, thori ſimul ac Regni conſortem induxerit; vt Rainaldus his verbis teſtatur: *Petrus Caſtellæ rex, qui adulterijs, & cædibus Hiſpanias fœdauit. Is antequam Blancam Philippi Ducis Borbonij filiam regio Gallorum ſanguine ſatam, vxorem duceret Mariæ Padilliæ amoribus irretitus adeo erat, vt moleſtè ad coniugem adductam è Gallijs acceſſerit: peractaque nuptiarum celebritate, Blancam deſeruerit, quamquam Maria mater regina, atque Eleonora amita ipſum magnis precibus vrgebant, ne tanto dedecore regium nomen inficeret, neue iuſta Gallorum arma in ſe concitaret. Sed effrænatæ libidinis iuuenis rex, veſaniæ habenas laxauit, conculcatoque Diuini Numinis metu ad ſcortum abiecta Regina eſt reuerſus. Cuius turpitudine audita Pontifex regiæ ſalutis ſolicitus, Petrum officij coniugalis Kalendis Maij admonuit, ne auctorem coniugij Creatorem in malè habenda coniuge, iniuria afficeret, ac Mariam reginam, vt filium ad frænandas diuinarum legum metu cupiditates perpelleret, hortatus eſt: tum Blancam reginam viri gratiam captare, eiuſque voluntatibus morem gerere iuſſit. At rex impudicus, nec Pontificijs, nec maternis, nec Principum ſuorum monitis flecti potuit, ſed Principes, & Præſules, qui ſacra matrimonij iura tuenda ſuſcepere, ferro, flammaque inſectatus eſt, indeque ciuili bello Caſtella conflagrauit. Ferunt iniectam Petro magico carmine amentiam Iudæi operâ ad Mariæ Padilliæ preces cum zona, qua Petrus à Regina donatus fuerat, quaque ob cultus elegãtiam admodũ oblectabatur in draconis ſpeciẽ mutata præcinctus viſus eſt*. Hæc de impuris, adulterinisque Petri amoribus Rainaldus, à quibus aliquando nouis bellorum tumultibus inter Hiſpanos, & Gallos ob ortis reſipiſcere viſus eſt, dum proceres

Petrus rex Caſtellæ ob adulterium infelix.

Marian. lib. 15. 16.

Relecta Blanca vxore pellicem imperiũ ducit.

Rain. an. 1358 nu. 16.

Nullis artibus ab infami cõmercio reuocari poteſt.

To. 1. epiſt. ſeſ. pag. 89.

Monitis non acquieſcens in monitores ſæuit.

Innocentij vit. auctor.

Marian. lib. 16. c. 17.

Digitized by Google

ceres videlicet regni, ſaracenicos eius mores exoſi regiam dignitatẽ tueri, Galliſq; vltrò adhærere parati eſſent; quam nactus temporis opportunitatem Innocentius Epiſcopum Seuecẽſem in Caſtellam miſit, qui Blancam regio reſtituendam thoro omnimodis curaret, diſcordiarumque motus cõponeret. ***Faſtidire enim*** (vt Rainaldus etiã tradit) ***tum Mariæ Padilliæ lenocinia, ac formam Petrus Rex cœperat: atque illa vel ſceleris horrore perfuſa, vel ob regium contẽptum, repudium dare mũdo, ſeque religioſa domo includere decreuerat, in qua, vt ad Pontificem ſcripſerat, anteactæ vitæ maculas delere lacrymis, pijſque conſilij factus particeps Caſtellæ Rex flagitauit litteris ab Innocentio, vt condendi monaſterij ordinis S. Claræ, in quo Maria Padillia vnà cum ſanctimonialibus operam rebus diui ıis daret, poteſtatem permitteret. Cui Innocentius ex vtriuſque conuerſione, quam præ ſe ferebant, recreatus annuit, ac Petrum grauiſſimis ſententijs ad inijciendum cupiditatibus frænum eſt adhortatus.*** Hæc Rainaldus.

Innocentius Pontifex paternis officijs ſollicitus.

Raibal. an. 135. num. 39.

Petrus ad tẽpus à turpitudine reſipiſcit

5 Porrò quàm graui verborum pondere Pontifex ad remouenda tam prauæ conſuetudinis ſcandala apud regem inſtiterit, teſtes ſunt tranſmiſſæ ad eum epiſtolæ tenoris eiuſcemodi; *Age Fili, & ſicut ipſius mulieris* nimirum Mariæ Padilliæ, *fauiſti deſiderio, precibus ſic ad huiuſcemodi operis, quod eſt Dei, cuius perfecta ſunt opera, perfectionis operam ſolerter impende, vt omnis in te aboleatur infamia & omne fiat à te periculum alienum: mulierum enim forma deceptrix, & demulcens perſuaſio multis fuit præcipitij cauſa, & multorum gloriam offuſcauit. Nam Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier expulit, & Samſon fortis, & validus, qui leonem ſuffocauit, diſſoluit hoſtium vincula, & alienas meſſes incendit, quoniam amorem ſuffocare non potuit, & cupiditatum ſuarum nexus explicare nequiuit, Dalilæ accenſus igniculo, virtutis ſuæ meſſem indecenter amiſit. David quoque Rex depoſteſtantes acceptus, quamquam polleret ſpiritu prophetiæ, quia in Berſabeæ concupiſcentiam exardeſcens, amoris illiciti faces neglexit extinguere, in innocentis Vriæ necem immaniter deſæuijt. Salomon præterea, qui velut quoddam luminare magnum præ cæteris Regibus ſapientiæ luce reſplenduit, & vſque ad ſenium in via mandatorũ Domini ambulauit, ætate iam frigidus, ſed flammis amoris incenſus ad adorandum Aſtartem, & Achamos, & Moloch Sidoniorum, & Moabitarum, ac Ammonitarum ſurda, & muta ſimulacra, oblitus gloriæ præpotentis Domini genua incuruauit: propter quod regnum eius ſcidit, & diuiſit Dominus indignatus, & duodecimam tantum eius, quæ remanſit regnanti poſt eum filio ſuo Roboam, David patris eius merita impetrarunt. Multi, & multi, & alij: quorum nomina, & caſus deſcribere longum eſſet, & plures, quorum nec celebris memoria eſt, per effrenis voluptatis abrupta vagantes præcipites corruerunt. Hac tibi licet pauca libenter exempla deſcripſimus, vt in eis quaſi quodam in ſpeculo intuearis, quot & quantis diſcriminibus ſubiacent ſectantes improuidè impudicitiam mulierum.* Hæc Pontifex ſapientiſſimis verbis inculcans Regem ad ſana, quam citiſſime arripienda conſilia perurget, mortiſq; fræno ad ſedandos inſanos amoris impetus, prauaſque animi cupiditates cohibẽdas aptiſſimè vtitur, vt eius verba teſtantur:

Innoc. tom. 2. ep. it. ſeuer. pag. 61.

Prauus mulierum amor quã grauium cauſa malorum.

Exemplis antiquorum abſterretur.

Ad huius (inquit) *præfatæ Mariæ procul dubio neceſſariam tibi; & ei conſummationem deſiderij nullas moras temporis patiaris, ne præoccupatus die mortis, ſpacium pœnitentiæ quæras, & nequeas inuenire: frequenter enim expectans tempus, temporis conſecutione frau-*

Innoc. ubi ſupra.

Mortis metu rex à turpi cõſuetudine reuocatur à Pontifice.

Digitized by Google

fraudatur; & quod ire non intelligit, demum ſentit neceſſitate cogente vltimum tranſiiſſe, ac immutabilis ſententiam mortis excepit ſæpe iuuenis ante ſenem. Et quoniam properanti cuilibet ad ſalutem non ſufficit à ſe mala quæque præſcindere, niſi ſtudeat bonis operibus inſudare, oportet inclyte princeps, & magnitudini tuæ neceſſariò expedit, vt chariſſimã in Chriſto filiam noſtram Blancham Reginam Caſtellæ, & Legionis illuſtrem vxorem tuam, quam anteſatæ mulieris demulcentibus illectus, & deceptus blanditijs, non ſine graui Creatoris tui contumelia, ſalutis ac famæ diſpendio, regnorum tuorum periculo, & exemplo deteſtabili contempſiſſe, & contemptam dimiſiſſe diceris, omninò recipias, & receptam ſicut eam, quam diuinæ diſpenſationis munere ſortitus es vxorem, & ſociam, & quæ tecum diuinæ legis indiſſolubili ſententia facta eſt vna caro, prout decet tanti ſanguinis principiſſam, & tanto principi matrimonio copulatam, ſic amabiliter tractes, & honorificentia debita proſequaris, quod ipſe Rex Regum, per quem tibi regnare conceſſum eſt; & quem, eius præcepta contemnens in ipſius vxoris tuæ dimiſſione offendiſti, & offendis grauiter, ſufficienti ſatisfactione pacatus, & propitius tibi factus te, ac eamdem Reginam de ſolio ſuo ſancto reſpiciens tollat de domo tua, in qua velut vnicum lumen irradias, ſterilitatis opprobrium, & populorum tuorum expectantium de fæmore tuo ducẽ, & Principem, qui (te tuis dormiente cum patribus) eos regat fæcunditate numeroſæ prolis benignè conceſſa, deſiderijs annuat, roboret thronum, & ſtabiliat ſceptra tua: tuque hæreditatem tuam vertendam ad alienos non metues, quin imò lateris te illam proprijs hæredibus relicturum. Intonuit profectò Innocentius delirãtis adulterinos inter amoris æſtus principis auri fatidicum ore Apoſtolico carmen, & quod illi diuinitus impendebat longè antequam fieret, viſus eſt iudicium præſagiſſe, qui ob paterna contẽpta Pontificis monita in ſuis obſcænis voluptatibus in dies obſordeſcendo miſerè tandem perijt, adeò vt vitam ante finierit, quàm inſanam concupiſcendi libidinem expleſſet.

Salubria Pontificis monita.

Sacra matrimonij iura violare, manifeſtus Dei contemptus.

Prædicit illi Pontifex infelicem è vita exitum.

6 Interim verò noua putridarum libidinum volutabra voluptuoſus iſte, veluti ſus lota commutando requirens Caſtriam quoque ſibi in coniugij ſpeciem iunxit, paucoſque apud eam, haud vnquam libidine ſatur, dies demoratus, expleta iã conceptæ voluptatis libidine ad Mariam Padilliam velut ſui impotens reuerſus eſt. Quibus ad Pontificem delatis, is Petrum ad Blancã reuocandam cenſuris compellere voluit, ac tum in eum, tum in proceres, qui regijs cupiditatibus lenocinari potius, quam obſequi gaudebant, legibus, ac iure iudiciario agendum edixit his datis ad eum epiſtolis: *Ecce iam quaſi orbis ſcelerum tuorum rumoribus perſtrepit, ecce peccatorum fama vulgata auribus ferè omnium inſonat.* Et poſt multa perditos laſciuientis regis mores, adulterinoſq; inter amores dimiſſa vna pellice alteri inſerentis inſaniam his verbis proſequitur. *Subitò quaſi actus in rationis exitium eadem non dimiſſa pellice, ſed retenta, dictaque Regina non ſolùm non admiſſa, ſed abiecta turpiùs, & maiori confuſione contempta quamdam aliam ſuperinduxiſti peccator adulteram, cum qua ad pallium præſumpti facinoris, ac iniquitatis attentatæ velamen &c. matrimonium imò contubernium de facto contrahere præſumpſiſti: non aduertens, quod tantam vim habet, tantæque virtutis eſt matrimonij ſacramentum à Domino inſtitutum, vt eius nullus rumpere vincula, nullus nodos valeat explicare. O ſcelus, ò nefas. Princeps ad aliorum corrigendos errores con-*

Mar. lib. 16. c. 18.

Vix vna abiecta pellice, rex aliam inducit.

Tom. 2. epiſt. ſecret. pag. 82.

Exemplum Principis ruina populorum.

conſtitutus à Dño, alios facis tuorũ exẽplo facinorũ delirare, & gladiũ, quẽ tibi ad vindictã malefactorũ, laudẽ verò bonorum portare conceſſum eſt, innocentis mulierculę conuertis in metum. Et poſt multa valido eum timoris diuini, ac mortis iaculo perurgens in ſalutis ſemitam abiecto infami ſcorto, quibuſuis modis reuocare ſatagit, hæc enim illi: *Timorem Domini reaſſume, quoniam beatus vir, qui metuit Dominum, & potens in terra ſemen erit ipſius; ne ſi (quod abſit) in peccato quaſi ſoporatus obdormias, Deus Zelotes aduerſum te ad vltionem excitans zelum ſuum, quaſi vmbram cum declinat, te auferat, & de terra memoriam tuam perdat.* Hæc Petro Innocentius Chriſti vicarius, Petrique ſucceſſor paterna charitate ſuggerere haud deſtitit.

Metus Dei, ac mortis illi proponitur.

7 Porrò cum Rex veſanis dæmone inſtigante amoribus teneretur, non modò grauiſſimis calamitatibus iuſto Dei iudicio exagitatus eſt, ſed & ne Abdalas Rex Clarorum monitũ à mahumetica ſuperſtitione ad chriſtianam religionem Caſtellanis armis fretus tranſuolaret, dæmonis item impulſu factum eſt; atqui Pontifex vbi hominẽ ad prænemoratas pellices diuertiſſe, eiſdemque adhuc inhærere comperit, cenſuris tum regem, tum fœminas ab infami copula abſtrahendas curauit; Quapropter anathemate Rex ſubinde perculſus, magnas tum ſibi tum regno calamitates exarcebato numine inuexit, & regni quidem lugubrẽ faciem Pontifex his in tabula coloribus exprimit: *Dum anxiè cogitamus qualiter pacis hoſtis, quietis impatiens, & inuidus charitatis, dolorum machinamenta conglutinans, & fomenta diſcordiæ clandeſtinus interſerens ſupplantator, ſtatui Caſtellæ, & legionis, ac aliorum regnorum, & terrarum tuæ ditioni ſubditarum vulnera dolendæ corruptionis inflixit; illumque per tempeſtuoſos guerrarum fluctus, & turbines diſſentionibus multiplicibus ſuſcitatis, & ſcandalis nititur deformare; maioris perferimus doloris in animo punctiones, fidelium cauſas propterea perditioni lugentes expoſitas, & corpora diſcriminibus periclitari continuis, multiplicatis facultatum diſpendijs deplorantes. Dolemus, inquam, quod in eiſdem regnis, & terris cultus diuinus neglectus reperitur, eccleſiarum, & perſonarũ Eccleſiaſticarum iura, dum in eiſdem regnis, & terris receditur à iuſtitiæ cultũ, depereunt, & bona violentis prædationibus exponuntur; & (quod nos acerbiore turbatione moleſtat) fidelium regnorum, & terrarum prædictarum animi demittuntur, & redduntur aduerſus perſecutores chriſtiani nominis ſegniores ipſorumque perſecutorum impietas rabidiori furore in fideliũ eorundem extinctionem accenditur, & crudeliùs in eoſdem opportunitate captata per truculentam innatam eis rabiem deſæuitur.* Aduerſis igitur rebus regia libido diuinitus perculſa, calamitatibuſque regno ingruentibus mens excita, de Blanca vxore thoro reſtituenda vel ſerò cogitauit, ac mox Caſtellani, qui arma ceperant oſtenſaque Regis conuerſione ſpem bonam hauſerat, ab inceptis belli tumultibus deſtitere. Toleti igitur, quæ vrbs cæteris defectionis exemplum præbuerat, honorificè exceptus, Reginam protinus in aulam reuocauit. Verùm ſuæ reconciliatus vxori Rex non diu perſtitit, iterumque inſufflante dæmone ad Padilliam lutulentus remeauit, quam paulò poſt è partu, doloribus extinctam condignũ voluptatis vetitę luiſſe ſupplicium auctores tradunt. Verùm Rex poſtmodũ vltionis cupiditate in eos, qui Reginæ partes defenderant, furens, vt Mariana ſcribit, ſuam armis exercere ſæuitiam, belloq. acriùs inſectari cœpit. Hi verò fuga ſalutem redimentes, ac partim ad crude-

Eius exemplo infideles ab amplectenda fide retardantur.

Innoc. 6. ann. 3. lib. 1. p. 1. epiſt. currente.

Dei cultus in regia, ditione tepeſcit.

Rain. an. 1355. num. 30. 32.

Calamitatibus attritus ad Deum reuertitur.

Marian. vbi ſupra.

crudelitatem illius, tyrannidemque auertendam arma arripuere, ex quo inteſtina bella, malaque fere innumera prouenere, vix enim vnquam pacificos adulteria exitus ſortiuntur, & facilè plerumque à prauis vetitiſque amorum voluptatibus ad odia, ad cædes, ad ſanguinem proſilitur; *Ignis eſt enim praua libido*, vt Iob ait, *eradicans vſque ad fundamenta*.

Laſciuia ſuis ſemper funeſta.

Raina. an. 1361 num. 6.

8 Verùm poſt quam toties Rex impurus ad priſtinas fæces redijt, valido in Blancam vxorem odio exæſtuans, veneno medici opera propinato eamdem demedio ſuſtulit, vt Mariana his verbis: *Deteſtandam, inquit Veſaniam, impium, & crudele facinus, puellam infantem regio ſanguine nobiliſſimam, lectiſſima forma, ſanctiſſimis moribus, prudentiaque, vigeſimo quinto ætatis anno peremptam*; & infra ad Regem ſermonem inflectens hæc habet: *Sed te Rex truculente, fera verius immanis, diuina ira manet, tuum caput hoc ſanguine conſecratur*. Nonnulliſque interiectis verbis, quæ ſceleris odium ab auctore expreſſit, præmonitum diuinitus regem, ſupremamque illi vltionem, ni reſipiſceret prænuntiatam his verbis tradit. *Fama eſt, & idonei auctores confirmant, Regi ad Aſſidoniam certanti Paſtorem occurriſſe vultu, veſteque horridum; capillo, barbaque ſqualidum extrema comminantem, ni mutata mente Blanchæ calamitate moueretur. Miſſi qui indagarent an Reginæ ſuaſu, ea paſtor renuntiaſſet, nixam genibus caſtiſſimis, precibus vacantem inuenerunt aditu ita clauſo, vt omnis ſuſpicio amoueretur. opinio hominum magis confirmata, cum paſtor è vinculis emiſſus nunquam comparuiſſet aliquo inſtinctu, inſtatuque diuino prædixiſſe futura*. Hactenus Mariana, ex quibus diuinam regio capiti ante patefactam, quàm inflictam fuiſſe vltionem liquet, & pro ſacris matrimonij iuribus Reginam precibus apud Deum cauſam, ſuiſque Deum apud Regem monitis, flagelliſque vindictam peregiſſe compertum eſt.

Maria. de rebus hiſp. lib. 17. c. 4.

Reginam in deteriora lapſus è medio tollit.

Diuina regi vltio intimatur.

9 Atqui Rex monitis nihilo ſe ipſo melior effectus, diuque à Deo patienter toleratus, haud multò poſt ingentem à Ruffo Mauro Granatenſi tyranno cladem vnà cum ſuis accepit; poſt cladem verò cum res eidem proſperè obueniſſet violato iure gentium, Ruffo Maomadi, qui ſupplex aduenerat, præſtitá infringes fidem, eumque bonis expolians, contumelijs afficiens ſuaq; manu confodiens, facinus inmane, regio homine planè indignum, & quod diuinam è cœlo accelleraret vltionem præſcribit; cumque de crudelitate, cui animum dederat ab Vrbano Pontifice obargueretur, & ad pacem cum Aragonio inſtaurandam ſollicitaretur, eam reſpuit. Verùm cum ſubinde in Hiſpania ingentes bellorum procellæ ingruerent, Deo iuſtam antiquorum ſcelerum vltionem expetente, ipſius tandem Petri ſanguine reſtinctæ ſunt; enimverò cum Henricus Traſtamaræ comes Toletum armis obſediſſet, & ciues qui in contraria ſtudia conuerſi; cuinam ſe dederent, animo fluctuarent, Petrus Rex, haud probè ſuas conſilio dimenſus vires ne ampliſſimæ Vrbi inter arma tunc impenſiùs laboranti deeſſet feſtinus plus quàm par erat, auxiliaribus armis præſto eſſe maturauit. At venienti Henricus Bertrandi Gueſclini auxiliaribus copijs inſtructus occurrens, collatis ſignis Petrum acie fudit, fugientemque in proximum oppidum Montielem nomine, caſtris circundedit. *In eas itaque conpulſus* (vt Rainaldus ait) *anguſtias Rex infelix, quem diuina vltio ob innumera flagitia manebat, fugam capturus, Bertrando Gueſclino ducenta aureorum millia*

Rain. an. 1362. num. 18.

Violat ius gẽtium adulter crudelis effectus.

Rain. an. 1369. num. 11.

Audax, & nimium ſuis armis præfidens.

Rain. vbi ſupra.

Impurus Rex diu toleratus miſerè perit.

atque ampliſſimas poſſeſſiones eſt pollicitus ſi ſaluti regiæ viam aperiret: illectuſque vana ſpe in Bertrandi tentorium irrepſit;cui mox armatus Henricus fratrum, ac matris cruorem vlturus affuit, ac Regem, eumdemque fratrem pugione confodit. Hæc de Petro ob antiquas, multipliceſque dedecorum labes, violatasque matrimonialium legum tabulas diuinis perculſo iudicijs,funeſtoq; inſuper exitu ſublato ex Eccleſiaſticis annalibus pio lectori ſuggeſſiſſe voluimus: ſed iſthæc in rem præſentem Mariana ſepulchralis inſtar tituli inſcribit, ex quo ſcriptor hauſit.

Marian. lib. 17. c. 13.

A notho fratre gladio impugnus Rex obtruncatur.

10 *Tetrum* (inquit) *ſpectaculum regem, regumque progeniem in ſuomet ſanguine volutari à notho fratre cæſum. Sed cuius funeſta Hiſpaniæ vita fuerat, mors extitit ſalutaris; grauique documento monſtratum, nullis legionibus, opibus, potentia tutam eſſe improbitatem. Exemplum editum, quod admirentur poſteri, perpetuoque exhorreant*. Qui deinde paucis interiectis hæc ſubdit: *Vigeſimotertio Martij die interfectus eſt in ætatis flore, annos natus quatuor & triginta, menſes ſeptem: regnauit annis decem & nouem, tribus minus diebus*. Ita infelix Rex miſerè tandem perijt, quem toties ſaluberrima Romanorum Pontificum monita adulterinis irretitum amoribus contempſiſſe, & ob id potiſſimum incurriſſe exitium conſtat. Hactenus verò narratis de infelici Regis obitu,geſtorũ Vrbani ſcriptor conſonat, qui tragicam rerum Hiſpanicarum ſeriem narrans, hæc addit: *Et ſic hæreditas Iſaac ad Iſmaelem eſt perducta; quod an iuſtè, an iniuſtè, eſt diſcernere, cuius iudicia ſunt abyſſus multa*. & hæc interim nobis de rege matrimonialium legum violatore narraſſe ſufficiat.

Infelicitas regiæ proſapiæ.

Hiſt. Vrbani V. apud Bzou.

11 Huic alter regio item clarus diademate ſubtexendus eſt: Petrus videlicet Rex Cypri, eximiuſque Apoſtolicæ Sedis cultor, qui primùm quidem humillima Romano Pontifici piæ, deuotæque mentis obſequia detulit, ac pari orthodoxæ tuendæ fidei, propagandæque Religionis zelo conſpicuus aduerſus infideles, barbaroſque arma corripiens Sataliam Turcharum Vrbem diuitijs redundantem ferro viriliter aggreſſus expugnauit, & Candelorii tyrannum vectigalem ſibi reddidit. Neque his dum ad magna quæque animum, manumq; protendit contentus, haud vllis Religionis cauſa incommodis,laboribuſque parcens, ad Vrbanum Quintum profectus, eum ad Cruceſignatorum expeditionem in Saracenos inſtruendam, & ad id pariter Ioannem Francorum regem alacriter pergere non deſtitit; Quapropter vt captiuorum bono chriſtianorum conſulens, rem, quæ ſibi maximè in votis erat, opere adimpleret, Sacroſanctæ Crucis Symbolum Pontificia è manu arripiens, dux ipſe aliorum bellatorumque exercitui anteſignanus, iter pandere, ac præmunire voluit; Verùm ſubinde viri principes,eius zelo, ac exemplo permoti, ac in primis Imperator, alijque Reges,ac Magnates, dum ad opportuna ſuppeditanda auxilia ſollicitarentur, tanti viri potiſſimum cùm præſentia, tũ verbis acriter ſuccenſi ſuam vltro, libenterque impendere operam non deſtitere. Demum cum tantæ prouinciam rei audacter ſubire decreuiſſet, ab Vrbano Pótifice, vt in Orientem iter accelerarет, ac Cruceſignatorum expeditionem ad Dei duntaxat gloriam referret,admonitus eſt. Deo itaque præfiſus,arreptoque itinere, feliciter iam conſertis cum hoſte manibus, Alexádriam Ægypti regiam cepit, quam nonnullorum poſtea deluſus ignauia turpiter deſerere coactus,Pontificem, à quo militaria primùm ſubſidia expetierat,

Petri Regis Cypri laudes ob pereclaregeſta.

Rain. an. 1365. num. 16.

Arma in Saracenos pro fide ſuſcepit, promouetque

Poſt hæc præſtita Rex inuitis prolabitur.

Digitized by Google

perierat, aptis releuantem ſe adhortantemque verbis ad opus acriter perſenſit.

12 Atqui, ò rerum humanarum inconſtantiam! Rex tantus ac pius, adeò, haud in bono ſubinde conſtās, ſed in deteriora lapſus, quam pridem meruerat gloriam, ac ſe ipſum pariter perdidit. Qui enim inuictus hoſtes haud ſemel vicerat, à voluptate turpiter victus, propriaque abiecta coniuge in fœtidum adulterij cœnũ prouolutus, palmarum, quibus illuſtrabatur, laudem enormiter viſus eſt obſcuraſſe; ad quod illud acceſſit, quòd paterna ſummorum Pontificum hac de re monita non abſque magno animæ, rerumque ſuarum detrimento contempſerit. Quoniam verò iuſtè pertiti neſcendũ erat, ne Rex ſupernis deſtitutus auxilijs, ab impijs, quorum putulentis ſordibus inhærebat, ob condignam adulterij pœnam, diuexaretur, ipſum Chriſti Vicarius, cui reges ipſos regere à Deo datum, eſt, paternæ charitatis officio conueniens ad ſana mentis conſilia conſcriptis Apoſtolicis litteris vltro reuocare conatus eſt: ait igitur.

Poſt hæc præclaris Rex in vitia prolabitur.

Rain. an. 1369. n. 14. 7.

Tom. 6. epiſt. ſtrav. pag. 32.

13 *Amara nimis, & horrenda relatio, & apoſtolicis auribus ſæpius inculcata, noſtro patefecit auditui, quòd tu propria abiecta conſorte illuſtri genere, ac morum elegantia decora, non erubeſcis quamdam adulteram publicè retinere: ex quo Deum Creatorem tuum inſtitutorem ſacri matrimonij offendis grauiſſimè, animam tuam laqueo damnationis inuoluis, regiam claritatem obnubilas, & populum tuum, qui iucundatur in multiplicatione regalis ſobolis triſtem facis, ac hoſtes crucis, et tuos, quorum es perſecutor acerrimus, ex colatificas, quòd regem regum, qui contra ipſos tibi largitur victorias, offendere non paueſcis, ac de propitio, tuis culpis conſtituis offenſorem; & meritum, ac gloriam, quæ pugnando ſtrenuè contra dictos hoſtes aſſequeris, proh pudor: cauſa vnius impudicæ mulieris amittis. Quare celſitudinem tuam cuius ſalutem, & gloriam paternis zelamus affectibus, monemus, ac rogamus attentius, & hortamur, tibi nihilominus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ſi ita eſt (quod vix credere poſſumus) ad quantum, & quam deteſtabile prolapſus ſis facinus, in humilitatis, & contritionis ſpiritu recognoſcens, & omni tempore, præſertim iſto, quo magnificè proſequeris cauſam Dei, te ab eius offenſione cuſtodiens, feſtines reatum tuum celeriter emendare, eamd m adulteram abijciendo prorſus; & eminus, ac præfatam tuam conſortem affectu coniugali tractando, & condignis honoribus proſequendo, ſic perfectè errata corrigens, quod Deo, & hominibus fias correctus placidior, quam eſſes primitus non excedens.* His planè monitis aberrantem Petrum, Vrbanus Petri ſucceſſor perſtringens à perditionis barathro in ſemitam ſalutis retrahere ſategit, pia inſuper Raimundi Epiſcopi Nicoſienſis ſtudia in hac re adiunxit, quibus Regem permotum reſipuiſſe, ſuumque errorem retractaſſe par erat. At is inſequenti anno ex Oriente in Occidentem ad cõparanda ſibi in Saracenos auxilia progreſſus, Pontificem à quo ſalubriter admonitus fuerat, veluti æqui, bonique monitorem ſupplex in vrbe conueniens ſalutauit. At funeſtus ſubinde regis exitus, Deum ad adulterij vindicandum ſcelus valdè exacerbatum fuiſſe oſtendit. Enim verò qui ſemper in hoſtes inuictus extitit, dum captiuus libidine, voluptatumque obſcænarum vitijs teneretur, ſuam non parum perditis labefactaſſe moribus gloriam viſus eſt, vt enim in rem præſentem Rainaldus in ſuis annalibus adnotat, nefando mæchus fœminæ amoris conſortio implicitus, admi-

Adulterinis amoribus illaqueatur.

A Pontifice ne ſuas laudes obumbret monetur.

Vt adulteræ conſuetudinẽ abijciat.

Rain. an. 1367. num. 14.

Digitized by Google

admirationem, commiſerationemque ſui ingentem cunctis, nedum Pontifici ingeſſit, hæc enim de infelici eius ſtatu Rainaldus tradit: *Victus, inquit, à molliſſima voluptate in adulterij cœno iacebat Petrus Rex Cypri, qui ante armatos Saracenorum cuneos vicerat, partarumque victoriarum gloriam obſcurabat; nec leuis aberat periculum, ne ab impijs, quorum ſpurcitias, imitabatur clientela diuini numinis deſtitutus vexaretur; Ipſum itaque Chriſti Vicarius, cui Reges regere cælitus datum eſt, conceptis litteris ad puriora conſilia reuocare niſus eſt.* Atqui vir tantus, totque nobiliter adauctus triũphis inglorio tandem fine deceſſit, quod fortè illi ob admiſſam adulterini conſortij culpam, violataſque ſacras matrimoniales tabulas, ſcandalumque chriſtiano orbi de ſe exhibitum iuſto Dei iudicio credere nobis par eſt contigiſſe; adeo vt qui ſuam exoſam coniugem habuerat, reieceratque alterius amore irretitus, charioribus ſuis inuiſus redditus eorumdem machinis, gladio tranſuerberatus ciciderit: vt in conſcriptis Vrbani Papæ quinti geſtis his verbis tradit: *Petrus inſuper Rex Cypri ſupra ſæpius nominatus, qui vltra omnes Reges, & Principes ſuos contemporaneos ad recuperationem, & acquiſitionem terræ ſanctæ aſpirauerat, & ad hoc alios multos incitauerat, et induxerat pro viribus ſuis, quin infideles multis modis expugnauerant; totus enim bonus, virtuoſus, et animoſus, velut alter iuſtus Abel, vel Ioſeph innocens per operationem, et machinationem fratrum ſuorum fuit malitioſe, et crudeliter interemptus.* Hæc de funeſta Petri Regis cæde, qui et ſi virtute conſpicuus cæterorumq expers criminum, ac rebus fortiter geſtis chriſtiano orbi admirandus extitit, ob violata tamen ſacra matrimonialium tabularum iura, quibus Deo fides oppignoratur, diuinam promeruiſſe indignationẽ viſus eſt, vt eius exemplo mortales turpem admiſſi, quo in Deum, & in proximum peccatur, facinoris labem, non niſi ſanguine, funeſtoque expiandam exitu intelligant.

Hoſtium victor, & à vitijs victus.

Rain. an. 1367. num. 14.

Suorum odia in ſe concitat.

Geſta Vrb. apud Boſq.

In adulterij pœnam ſuorũ gladijs Perit.

14 Ad quod item exemplis validè confirmandum, funeſtus Huigonis Delphini Viennenſis ex antiquis hiſtoriarum monumentis exitus ſuppetit, qui cum ab alieni tori iniurijs, laſciuiẽtis inſtar iuuẽci ſe nullatenus cohiberet, & Sabaudiæ arcem, quã obſidione cinxerat, ſpretis apoſtolicis Ioannis XXII. monitis, oppugnare nõ deſiſteret, ſaxo ab hoſtili manu percuſſus, condigna adulterorum pæna, quæ lapidibus eiuſcemodi homines mulctãdos ſubijcit, viuendi finem fecit, vt Rainaldus in ſuis annalibus his verbis rem complectitur: *Delphinus ſaxo balliſta hoſtili contorto eliſus ad diuinum tribunal raptus eſt. Infelix mortis genus impudicæ eius vitæ conſentit: petulantem enim inſtruendis aliorum coniugibus inſidijs fuiſſe deſcribunt auctores. Significatã ferunt diuinitus miſerandam Delphini mortẽ Carolo Principi Ioannis Regis Bohemiæ filio, qui poſtea imperium geſſit: vidiſſe enim in ſomnijs præſtantem forma iuuenem raptum in ſublime, atque genitalibus inhumaniter exſecari; interroganti verò cur tam eleganti forma iuuenis adeo atroci ſupplicio diſcruciaretur, reſponſum eſſe, damnatum à diuino Numine eo pœnæ genere, qui impudicè aliena cubilia attrectaſſet; elapſis ab eo cæleſti viſo paucis diebus relatum Huigonem Delphinum ſub id tẽpus confoſſum, vt dictum eſt periſſe: Carolum porrò, vt cæleſtis moniti memor eſſet, & ne infelici alterius exemplo laſciuiret, Templum B. Virgini poſuiſſe in Parmenſi agro, in loco, in quo per nocturnam quietẽ ea ſpecies obuerſata erat, atque ad celebrandum in eo diuinum cultum vectigalibus locupletaſſe.* Miſer

Rain. an. 1333. nu. 21.

Paul. Æmil. in Phil. IV.

Carol. 4. Imper. in vita ſua.

Æn. Sylu. in hiſt. boe. c. 33.

Paul. Æmil. in Philipp. IV.

Infelix hominis ſtatus diuinitus innoteſcit.

ob

Infelicitates rettulit ob cõtempta salubria monita.

ob cõtempta Pontificis Romani monita cenſuris Eccleſiaſticis innodatus obijt, & ab his ſubinde poſt mortem, Pontificis iuſſu ſolutus eſt .: Sed magis ex eo diuinam indignationem exacerbaſſe viſus eſt, quia ſacris connubialibus tabulis laſciuiendo contumelioſus extiterat.

Diuina vltio ſæua in adulteros.

15 Si quis verò mœchos adulteros, qui alieno thoro contumeliam inferunt, Deo ſcelerum vindice è medio tolli, ac turpes, infeliceſque lutulentos homines, vetitos inter amores, ſortiri exitus ignorat, quæ Iobus fulmina potius, quam verba validè in adulterantes intorquet ſeriò mente repetat, vt ſaltem in pœna ſceleris fœditatem ediſcat: *Ignis eſt*, inquit, *vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina;* Blandas quippe vitiorum eiuſcemodi, animos titillantium voluptates, diræ clades, crebra funera, calamitateſque innumeræ, vt hiſtoriarum tum ſacræ, tùm prophanæ edocent paginæ ingenti malorum cumulo, breuique compendio inſequuntur. Quæ igitur Petrus Damianus contigiſſe his verbis narrat, excipiamus.

Iob. ca. 31. n. 12.

Flammæ amorum in æterna vertuntur incendia.

Ex Petr. Dam. Epiſt. ad Deſiderium cap. 14.

Inſignis hiſtoria ex B. Petro Damiano.

16 *Cum apud Parmenſe Oppidum degerem, ibique liberalium artium ſtudijs inſudarem, quoddam me contigit noſſe, quod non inutile videtur ad poſterorum notitiã, ſtyli currentis articulo tradere. Ad Occidentem ſanè prædictæ Vrbis, eſt quædam extra muros ſita Baſilica, gemino Beatorum Martyrũ Geruaſij, & Prothaſij titulo decorata; nocte quadam, quæ videlicèt eorumdem Martyrum natalitia præcedebat, vir quidam maturè ſurrexit, boueſque ſuos ad paſcua remotiora deduxit. Cui conuicinus quidam flamma nequiſſimæ libidinis inflammatus inſidiatus eſt, vt eius vxorem polluere moliretur. Eadem ergo nocte ad domum eius callidus explorator acceſſit, & occaſione reperta, non diutiùs poſtquàm ille cum paſcendis animalibus abijt, ille febricitare, diabolica machinatione, ſe confingens in lectum ipſius vxoris vir ſimulatus intrauit. Cumque velut frigeſcens intremeret, dentium ſtridores emitteret, & crebriùs ſingultiret, infelix mulier tanquàm ægroto viro compatiens, cœpit eum vlnis aſtringere, lodice contegere, & quibus valebat impendijs refouere. At ille, vt dolorem mente conceperat, peperit iniquitatem. Violat itaque alienum thorum, ſibique procurat interitum, moxque concitus abijt. Sed ecce vix breui temporis ſpatio maritus redit, & ſtratum repetit. Cui protinus vxor vehemẽter exprobrans ait; Optimè poteris hodie Sanctorum Martyrum, quæ tibi tam contigua eſt, Eccleſiam ingredi, & cum cæteris Chriſtianis, diuinis intereſſe myſterijs? Cumque vir attonitus, quid illa loqueretur, inquireret, euentumque rei ſicut contigerat per ordinem cognouiſſet, vtique ſe deprehendentes irriſos, ac turpiſſima ludificatione deluſos intolerabili doloris anguſtia conſternati ſunt. Interea dum populus ad Eccleſiam hinc inde conflueret, vt nocturnæ laudis officium deuotus audiret, tandem, & illi reſumpto ſpiritu nihilominus conuenerunt, atque omnis verecundiæ rubore depoſito, querelam ſuam coram omnibus depoſuerunt, præſertim mulier laceros crines euellens, & vberrimis lachrymis triſtia ora perfundens, lugubres emittebat vlulatus in cælum, dicens: Domine tu corda nouiſti hominum, tu conſcientiæ meæ teſtis es; quia hac ſanctiſſima nocte proprij thalami amplexus abhorrui, alieno præſertim miſceri viro penitus ignoraui. Tu ergo Domine non aſpicias, oro peccata mea, ſed placeat coram te, vt Sanctorum tuorum vlciſcaris iniuriam. In conſpectu ergo populi tui nunc oſtende virtutem, & ad gloriam ſanctiſſimi nominis tui; prode meæ perditionis authorem. Producatur in medium,*

Suis diſtincta circumſtantijs

Adulter in alienæ coniugis amplexus, virum mentitus ſe inſinuat.

Satiat libidinem impendẽtis exitij neſcius.

Detegitur ſcelus ab vxore, & viro, at ſtupri authorem ignorant.

Cõfugiunt ad Sanctorũ Geruaſij, & Prothaſij opem.

Vindictam flagitij poſcũt

&

& immunitatem cruentiſſimi ſceleris de ſuo fraudis aufugio non lucretur. Vides admirandum profectò pudicæ mentis propoſitum, & quàm immanè mulier, altera velut Suſanna fœdam adulterij labem ſit execrata, intelligis: Vt enim illa, cum ad adulterij probrum ab impuris ſenibus præferuidè ſollicitaretur; *Adulterij maluit* Auguſtino teſte, *pœnam, quā conſcientiā pati*. Sic & iſta miro prædita animi vigore, quoduis malum potiùs ſubire, quàm adulterij labi fieri obnoxia elegit. Quapropter contumeliam, quam vel neſciæ, vel inuitæ ſacrilegus intulit, vlciſcendam à Deo impenſiùs precando popoſcit: Nec verò irritæ fuerunt caſtæ mulieris preces, vt Damianus his verbis proſequitur: *Cumque multa his ſimilia mulier amaro ſpiritu, non clam, ſed vociferando profunderet, & populus ei pio mœrore compatiens, eidem votis, & precibus diuinam clementiam imploraret, author ſceleris, vbi latebat, dæmoniaco ſpiritu repente corripitur, & in furorem nimium, atque veſaniam rabidus effrænatur, moxque in Eccleſiam, populo nouiter obſtupeſcente, proſiliuit, omneſque in ſui admirationem laniando ſe, & diſcerpendo conuertit, edebatque fremitus, & rugitus, & proprijs ſe manibus lacerabat volans quodammodo, & in alta proſiliens, deinde ſe grauiſſimo impetu in ima demergens & modò in parietem caput concutiens, modò ſe in pauimentum inſaniendo proſternens, omnia viſcera ſua mirabiliter conquaſſabat. Hoc itaque malignus eū ſpiritus modo collidere non ceſſauit, donec infelicē ſpiritū coram populo, qui aderat, de corpore euulſit. Videntes autē qui aderant, immenſam authori iuſtitiæ Deo gloriam referunt, qui & impunè paſſus non eſt abire peccantem, & inuocantem conſolatus eſt mulierem. Quando autem mihi reuelatum eſt, videbantur adhuc ſaxa videri, in quibus impegerat, ſanie illius, ac cruore rubentia*. Hæc prænemoratus auctor, omnique fide digniſſimus enarrans procos, mœchoſque, ſacrata connubij iura violantes, vel vnius ſupplicio, quod iuſtè, ipſiuſque diaboli miniſterio intentatum eſt, ſalubriter admonet, vt Deum ſeueriſſimū nefarij coitus vindicem, ac diabolū eiuſcemodi hominū tortorē pertimeſcāt: haud enim is, *Satanæ in interitū carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret* (quod olim Apoſtolus preſtitit) ſed ęternùm cruciadus, mactāduſq; apud Orcum ſupplicio traditus eſt.

Auguſt. in ſer. de Suſanna.

Non irritæ preces fuſæ apud Sanctos.

Petr. Dam. vbi ſupra.

Adulter dæmone corripitur.

Mania percitus prouo at in Eccleſiam.

Inſpectante populo raptatur, colliſuſq; perit.

Oſtenſa Petro Damiano ſaxa ſabo infecta.

Diſcant connubij iura colere impudici.

1. Cor. 5. 5.

17 Verùm enim verò, quòd alieno iniuriam thoro inferentes, nullum in regno Dei vnà cum electis conſortium habituri ſint, ſed vnà cum impuriſſimis ſpiritibus tartaro deuoluendi, patentiſſimis Apoſtolus verbis edocuit, dum ait: *quoniam Adulteri Regnum Dei non poſſidebunt*: A regno igitur perpetuò extorres tāquam putridæ oues Orco deſtinātur, neque enim in altero ſæculo pœnas dūtaxat Deo acerbiſſimas exſoluent, ſed & in præſenti funeſtiſſimo tolli exitu conſueuere, vt clerico, qui adulterio homicidium addidit, contigiſſe Surius his verbis narrat.

1. Corint. 6.

Adulteris non eſt pars in Dei Regno.

18 *Clericus adulter virum occidit adulteræ: cumque perpetrato facinore cum ea oblectaretur, abijt miſer ventrem exoneraturus; mox adeſt cæleſtis vindicta, & cum fæcibus corporis viſcera quoque in cloacam deponit, negatoque ipſi pœnitendi ſpatio infælicem animā in tartarum præmittit*. Condignum profectò impuriſſimo homini ſupplicium Deo vlciſcente illatum eſt, vt dum non ſine magna connubialis thori iniuria inter carnalium voluptatum fœces, ſus veluti immunda voluitur, impuriſſimam vnà cum fœcibus, viſceribuſque animam in latrinam, ac in tartarum pariter, congruū eiuſcemodi vitio, ac vitæ locum, ſuiſque

Surius in vita S. Gandulphi to. 3. Maij 2.

Adulter in ſceleris pœna viſcera effundit.

Digitized by Google

ſuiſque voluptatibus exitum nactus effunderet.

19 Sed vt in rem præſentem, vbi de adulteris ſermo recurrit, exéplis, nouiſſimo huic noſtro ſæculo exhibitis aſſertionis propoſitum fulciatur, præcipuum hic poſtremo loco Lectori delibandum voluimus. Inſignis in Vrbe aurifex, vergente in ſenium ætate ſub hæc noſtra tempora extitit, qui cum artis peritia cæteris antecelleret, viris principibus fuit apprimè charus; diuitijſque ex lucro artis eum in modum affluebat, vt alium quemque tùm artis excellentia, tum etiam pecuniarum copia ſuperaret: verùm quia vix vnquam, aut certè raró immunes à vitijs diuitiæ tranſeunt, cum ex pecunijs in vnum coaceruatis cuncta vitiorum germina conflentur: ab ijs enim, quorum commercia obtinent, ſuum & nomen deriuant, vt ille olim Poëta cecinit.

Ex relat. Marſil. Honorat. Cōgregat. Orator. Presbyt.

Poeta.

Nomen idem Vitijs, diuitijſque datum.

Diuitijs cum üitijs nimia intercedit affinitas.

Cum igitur is abundè aurum poſſideret, pertractaretque, in cœno miſer, ac luti ſterquilinio, velut in cinnamomis periucundè volutabatur; laſciuiæ etenim morbo, ſuas inter diuitias, induſtrius alioqui vir, corripi cœperat, qui etſi coniugio mancipatus, ſuam domi vxorem haberet; haud tamen ea contentus, turpiter in ſuper præter Euangelij præſcriptum, pellicis conſuetudinem induxerat, vt qua captiuus tenebatur arctiùs, ſatis voluptati faceret. Verùm enim verò eò deuenit, vt inter execrandæ libidinis æſtus, quotidie inſordeſcens cum Deum, tum homines contumelia afficeret, coniugemque ſuam, ob turpem, qua Adulteræ inhærebat, laſciuiam, in dies grauiùs exacerbaret: vir enim, vt potè liberaliter voluptuoſus, nullam in alenda pellice rei familiaris, diſpendiorumq; curam habens, ingentes in alenda fœmina pecunias profundebat; quod vxor præter iniuriam ſacris matrimonialibus illatam tabulis iniquiùs ferens, Deum, quem teſtem ſciebat, vindicem aſſiduè obteſtabatur.

Artificis adulteri hiſtoria.

20 Res autem Sacerdoti, quo ille à confeſſionibus vtebatur, nunciata; is ſalutis eiuſdem zelo, ſubmouendique ſcandali ſtimulo percitus nullum non mouit lapidem, vt à nefaria inſanientem conſuetudine reuocaret. Multa fecit, dixitq. quibus morbo altiùs laborantem iuuaret, at fruſtra: cũ enim prauę callũ cōſuetudini miſer obduxiſſet, tam obiurgationes, quàm minas, ac ſalutis monita, quę Sacerdos iugiter adhibebat, aniles prorſus fabulas, ac deliramẽta cōputabat, dũ à vitio velle in poſterùm pedẽ retrahere, ſed adhuc ſe id commodè præſtare neutiquam poſſe teſtabatur; Quin ſemel, atque iterum (quod magis deplorandum eſt) conſcientiam ille ſuam apud Sacerdotem ſacrilegus peccata ſubticendo onerauit potiùs, quàm expiauit: *Qui enim carnis* (inquit Bernardus) *deſiderijs non reſiſtit, ita conſuetudine illigatur, Vt etiam Volens reſiſtere non poſſit.* Quid interim ad hæc? Sacerdos ira, zeloque ſuccenſus, vbi nullum in morbido homine peccandi finem comperit, contempti vltionem Numinis è proximo cōminatus; Heus tu (inquit) quid peccatis peccata adijcis, quid in voluptatis cœno immane demergeris, & Deum tuæ conſcium turpitudinis neutiquam pertimeſcis? *Deus profectò*, vt Apoſtolus ait, *non irridetur*: ſeuerus tibi aderit extemplò iudex, ac vindex, quem blandum nunc monitorem, hortatoremque ſurda aure pertranſis. Quid plura? Quoniam tu Dei, vt video, patientia abuteris, repentinus tibi, dum non putas adue-

Salubria incaſſum propoſita remedia.

Fœda eſt ſeruitus conſuetudo vitiorum

Bern. de inter. dom. cap. 17.

Piacularij Sacerdotis ſacra monita ſpreta

Ad Galatas cap. 6. 8.

d by Google

aduenict interitus, & cum tuis obſcœnis hiſce voluptatibus ad orcum pertraheris. Hæc Sacerdos, quæ ipſius tunc ore prolata, Dei Oraculū extitiſſe, rerum poſtmodum euentus comprobauit.

21 Cum igitur viri improbitas, & turpitudo, tū cæterorū detrimento, tum coniugis probro in dies inualeſceret, tandem Deo vindice finem accepit; nam cum animæ nil ſuæ intenderet, totuſque iam in carne ſepultus, ſuas inter blanditias, amoribus indulgeret, repentè è vita præreptus ad Dei tribunal aſtitit. Statuerat miſer extra Vrbem ad mineraliū fontem aquarū, quas acetoſas dicunt, vnà cum amicis ſe conferre; & vt hac occaſione ſe magis oblectaret, delicatiores, quas vnà cum iiſdem comederet auiculas, ſibi à coquo parari iuſſerat. Currus igitur, quo illuc deueheretur, iam ante oſtium bigis adiunctis in promptu erat. Cumque de oblectando, exſaturandoque cibis, ac voluptatibus corpore, ſeriò apud ſemetipſum, de anima verò nil prorſus cogitaret: en illum ſubitò deliquium pati contigit; Quamobrem domeſtici ad ſacerdotem noſtræ congregationis, apud quem is peccata ſacramentaliter expiare conſueuerat, conuolant, rogantque enixiùs, vt periclitanti quantocyus adſit, ſi qua ratione abſolutionis beneficium, vel morienti valeat impendi; Sacerdos interim euocatus ire non diſtulit, etſi eum, vti apertis illi ante verbis edixerat, abſque vllo pœnitentiæ remedio deceſſurum animo conſtanter fixum habebat. Quid igitur? accurrit, præſto eſt, hominemque ex nomine compellat, à quo cum nullum ſibi reſponſum daretur, tota animi contentione, vt aliquod contriti cordis, etſi non lingua, manu ſaltem ſignum exhibeat, monet, hortaturque, ſed fruſtra: iam quippe exanimis, nulla corporis, nedum animæ remedia ſentire poterat. Enim verò cum Medicus, qui vocatus aduenerat, venarum pulſus explorafſet, iam de homine conclamatum aſſeruit; Cum igitur obſcænis voluptatibus implicitus, repentino miſer interitu deceſſiſſet, haud dubiam perditionis, quam illi Sacerdos, vt à peccato abſterreret, fuerat Deo ſuggerente comminatus, cunctis ſententiam reliquit, quò illud Iobi Oraculum in voluptuoſo iſto diuite adimpleri videretur; *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Ad Orcum enim inter carnis blanditias, diuitiaſque laſciuiens, dum mortem minus proſpicit, diuino miſer expetitus iudicio migrare compellitur. Sacerdos igitur, cū praua viri cum pellice conſuetudo iam ſatis, ſuperque cunctis innotuiſſet: Eia, inquit, condigno vir iſte, quem videtis, exitu è vita, Deo vlciſcente abſceſſit, malè vtiq; perijt, qui male vixit, iiſdemque vitijs, quibuſcum aliorum ſcandalo irretitus hactenus perſtitit, alijs exēplo futurus, infeliciter, vt ego iam illi enunciaueram, captiuus in tartarum moriens abijt. Et profectò quidem aurifex iſte, auro magis, quàm conſcientia diues, & conſilij dum viueret, prorſus inops, illius Euangelici diuitis ad viuum exhibuiſſe imaginem viſus eſt, qui vel nocte, e vita deceſſurus, longa ſibi vitæ tempora, ac ſubſidia, prolixaſque, ad perfruendum bonis, quæ parauerat, inducias repromittens aiebat: *Anima mea habes multa bona diſpoſita in annos plurimos, ede, bibe, epulare*. Namque totus (vt Auguſtinus ait) *in carne ſepultus cum anima loquebatur*, non ſecus ac ſi corporeos anima cibos, nō ſpirituales appeteret. Ita iſte mox è vita abſceſſurus, delicatiores ſibi aliū dapes

In ipſo deliciarum apparatu repente adulter perit.

Tractu Sacerdos, & medicus exciti.

Momento infœlici fœlix vita clauditur.

Iob. c. 21. n. 13.

O miſera diuitū ludibria.

Luc. 12. 19.

Aug. in ſerm.

Google

dapes, haud ſuæ vllum animæ viaticum comparabat. Et quidem haud dubijs, priùſquàm mors obreperet vir, cuius mentio recurrit, dũ ſanus adhuc vigeret, à Deo ſignis, quo priſtinos vitæ errores pertęſus ex animo retractaret, admonitus fuiſſe comperitur; nam cacodœmonem antequam in eiuſdem poteſtatem mortuus deueniret, viuens adhuc vegetuſque monitorem nactus eſt; Enim verò ingentem is extero cuidam homini pecuniam mutuo dederat; & pignoris loco annulum nobiliori gemma exculrum, magnoque à peritis pretio æſtimatum apud ſe cuſtodiendum acceperat. Verùm cum die quadam rheda per vrbem veheretur, quemdam Benedictini ordinis è Caſſinenſium Monachorum familia, ſummæ probitatis virũ caſu obuium habuit, qui cũ ad eius aſpectũ totus, ac ſi homine vultu auuerſatus, expauiſſet, dũ cauſam poſtea ab eo alter ſeriò ſciſcitatur, innumeram à ſe malorum geniorum adſtantem circa illum turbam, inſidentemque, cateniſq; ferreis illi inſultantem conſpectam fuiſſe enuntiauit, monuitque vt annulum, quem apud ſe deferebat, citò ſubmoueret, ac domino redderet, ne funeſtum quid pati obtingeret; Quare verbis hiſce admonitus, cum immortales monitori gratias, vt par erat, exſoluiſſet, pretioſum annulum quem geſtabat, à viro principe ob traditam pecuniam ſibi oppignoratum, ac ſe diabolicæ, quæ latebat in annulo, fraudis inſcium omnino fuiſſe aſſeruit, ſed rẽ ſignis haud dubijs, ex eo cõperiſſe; quippe dum annulũ digito pręferret, animi intus moleſtia, ſupra quàm dici poteſt, afficiebatur: Quod Deo diſponente agebatur, vt diabolicæ iugum tyrannidis ex annulo pręſentiens, ſui captiuitatem animi, qui libidinis tyrannidem ſubierat ex angore, quo tunc intimè laborabat, agnoſceret, præſentiretque.

> Nõ defuerant vt ſaluti proſpiceret Eccleſia monita.
>
> Viſus fuerat caterua dæmonum ſuccinctus.
>
> Geſtabat tum annulo incluſum dæmonem.

22 Porrò præmemoratum illum annulum, vt religioſo viro morem gereret, ad dominum quamprimum deferri curauit, nec domi apud ſe ampliùs manere voluit: ex cordis enim anguſtia infauſtam, funeſtamque demorantis apud ſe hoſpitis præſentiam liquidò coniectabat. Cui & inſuper ad futura præſagienda mala acceſſit, quò ſibi alterius edoctus exemplo præcaueret, ac ſua in alterius caſu damna internoſceret; infœlix videlicet mors, quæ viro illi primario inter delicias, atque epulas laſciuienti, & nil de anima cogitanti obtigit; cum enim opiparè ventrem reficeret, ac poculis liberaliter indulgeret à dœmone, quo familiariter vtebatur, & quocum exitiale ſibi diutius commercium extiterat, præfocatus, alter veluti Iudas extemplo crepuit, infelicemque Orco animam deuouit. *Qualem enim* (vt Cyprianus inquit) *te inuenit Deus cum vocat, talem pariter iudicat*. Illud autem mirum eſt, quod nec amici caſus, cuius iam fuerat alter conſcius, ad perditum erudiendum hominem profecerit, qui vel alterius exitu, ſuum probè noſſe, ac præſagire periculum debuiſſet, quippe vt Poeta canit.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

At qui ſubinde amico infeliciter extincto, ac ſi nihil ſeria dignũ animaduerſione obtigiſſet, ſic ad conſuetas ille carnis illecebras, ſus veluti in cæni volutabrũ remeauit, in quibus demũ & ipſe fato miſerrimè interceptus, nõ ſecus ac perditus ille amicus pari exitu, parique exitio vitam abrupit. Quæ ſingula Sacerdos è noſtris, qui oculatus fuit rei teſtis, ad aliorum hic inſtructionem, inſerenda voluit.

> Triſtis magicæ artis exitus.
>
> Nullus ſeruier dæmone familiari proditor.
>
> *Cyprian. in ſer.*
>
> Vna corpus animamque viri principis necat.
>
> Poeta.

Digitized by Google

23 Verùm enim verò, quemadmodum hi, qui ſacris matrimonialibùs tabulis iniuriam inferunt, Deum vt vidimus, vltorem ſentiunt, ita qui veneranda coniugalis fidei iura infringere, ac quod ſanctum, ac religioſum eſt, turpiter labefactare non verentur, condignas irato numini pœnas exſoluunt. Ad quod palàm lectori comprobandum perditus alter totuſque ad improbitatem natus teſtis accedat, qui formoſam, honeſtamque mulierem nactus vxorem, cum non tam ex manuum labore, quàm ex infelici coniugis forma quæſtum facere ſtatuiſſet: otio quippe magis, quàm labori deditus, victum cum ſibi, tum vxori, etſi pauperes alioqui eſſent, haud honeſto artis opificio comparare ſatagebat; in quẽ ſanè ex otio, ac deſidia, velut ex fonte ipſummet ſenſim, vt Poeta de alio cecinit, adulterium corriuabat.

Ex relat. Marſ. Hon. Cong. Orat. Presbyt.

Deſidia aperit proſtibula.

Ouid. de arte amandi.

Quæritur Ægiſtus, quare ſit factus Adulter,
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Importunis igitur deſidioſus iſte verbis in ſingulos dies, leno ex marito effectus vxorem ad nefandum opus vrgebat, & vt ſe ipſam volentibus vltrò prodigeret, ac forma, qua inter fœminas præſtabat, pudicitiæ oblita lenocinium faceret, hortabatur. At mulier cum nil honeſtate antiquius haberet, ac pudicitiæ nihil anteferendum duceret, lenocinanti viro, ſtuprumque ad comparandum ſibi victum ſuadenti, magna animi conſtantia viriliter obſtitit: Mille ſe (inquiens) vitæ, quam pudoris iacturam ſubire. Sed vir cum nil verbis ad vxorem in ſtuprum pelliciendam proficeret, minas quoque poſt verba ſuggerendas, intentandaſque cenſuit, quò tandem imbellem fœminæ animum expugnaret. Verùm illa has inter anguſtias, conſilij inops, omnique ferè auxilio deſtitutam ſe videns, vbi virum, quem pudoris ſui tutorem, ac vindicem crediderat, infenſiſſimum iam hoſtem, ac inſidias cõtinuò parantem animaduertit, nec alium ad quem confugeret, ſibi propugnatorem ſuppetere intellexit, Dei, cuius timori vnicè addicta erat, auxilio ſubnixa, Deiparæ Virgini, quam tutelarem ſibi patronam elegerat, ſe, ac ſui pudicitiam corporis commendauit. Vt autem res ex voto ſibi proueniret, ſacram Beatiſſimæ eiuſdem Virginis, quæ in Vrbe ad montes dicitur, ædem ſemel, atquè iterum deuotè inuiſere cœpit; obteſtarique, ne miſeram tutelari eius ex corde fidentem patrocinio derelinqueret, ſed vt vel ſe, aut maritum è vita tolleret, ſi qua pudori labes, quod illa ſummoperè formidabat inſtaret; nuncupata igitur mulieris vota Deipara excepit, & quæ cunctis ſe ipſa miſericordiæ mater eſt, periclitanti fœminæ, atque laboranti eius pudicitiæ è cœlo protinus adfuit; nocte enim per viſum eidem ſe videndam offert, blãdiſque delinitam verbis, bono animo eſſe iubet, ac ſuum vltro illi patrocinium pollicetur; *Sed quid tu interim in mei* (inquit Virgo) *honorem dum voti compos extiteris, præſtabis?* Cui mulier ſe ſabbathi recurrente die iteratis ieiuniũ vicibus ſeruaturã, reſpõdit; cui Virgo; *Benè quidẽ ſi hæc præſtiteris,* inquit; *at interim animũ ò mulier non deſpondeas, votis enim tuis propitia nunc adſum, & quod à me petis, libentiſſimè faciam; Vir igitur tuus, qui tibi in præſens moleſtiã exhibet, breui, & tres infra dies è vita decedet, ac tu proinde ſaluo pudore, à viri moleſtijs libera prorſus euades.* His auditis animum, atque oculos mulier in cœlum, vnde ſibi auxilium impendi ſperabat, erexit, & ſub Virginis patrocinio, cui ſe totam de-

Solicitata à viro vxor, vt pudicitiã ſpe quæſtus proſtituat.

Ad Deiparæ aſylum perfugit.

Optat vel viro ſe, vel ſibi virum eripi.

Cœleſti ſpecie admonita de impendẽte viro nece.

deuouerat poſthac ſecurior degebat; Igitur, vt dictis ſtaret fides, quæ Virginis ore acceperat, vera omninò fuiſſe, euentus comprobauit. Nam cum vir improbus latrinæ cuidam in peruetuſtis ædibus demoliendæ operam daret (erat enim faber cœmentarius) fornicem, quo latrina obtegebatur ſuperiori è parte ferro deſtruere ſatagens, lignum quod fornici ſuffulciendo appoſitum fuerat, per imprudentiam amouit, & infelix extemplo ruina muri oppreſſus, cochlear ferreum, quod fabri ſemper ad manus habent, dum caderet, collo impegit, adeo vt parum abfuerit, quin malè ſano homini caput ruinarum mole abſcinderetur. Quod vbi caſta mulier reſciuit rem totam ex ordine enarrans, haud ingemuit, ſed condignas Deiparæ ob ſuam pudicitiam è periculo vindicatam, gratias agens, eius ſibi in ſummo rerum diſcrimine opem adfuiſſe gauiſa eſt. Plures autem rei teſtes fuere, qui perditos hominis mores, prauamque eius conſuetudinem nouerant, & idem Marſilius Honoratus noſtræ Congregationis Sacerdos, cui pia, & pudica mulier iurgiorum inter ſe, & virum hanc vnam extitiſſe cauſam non abſque lacrymis ſignificauit, ſuaſque à Deipara, ad quam confugerat, preces benignis exceptas auribus fuiſſe obteſtata eſt.

Infelix lenonis exitus.

24 Vtinam huius exemplo pudicitiam, qua nil pretioſius in fœmina, Deoque gratum nil magis, tota animi contentione tuendam, & ipſimet vitæ, vbi opus eſt, anteferendam chriſtianæ mulieres ediſcant; inter ipſa enim pericula præſentiſſimum Dei auxilium, vel ex enarratis vnuſquiſque adeſſe intelligit. Viri autem vxorum malè conſulentes pudori Deum ſeueriſſimum maritalis thori vindicem, atque impudicitiæ apprimè infenſum agnoſcant, atque iſthæc animo inſculpant ſuo. Sic Deus caſtos, atque innocentes vindicat; ſic in perditos homines animaduertit. Sed hæc lectori ſuggeſſiſſe haud cōtenti, alterum hic ex his, quæ Ianus Nicius conſcripſit, exemplis excerptum ſubijcimus, quo pari infelicitate tam adulter, quàm adultera ſublati fuiſſe, his ab eodem verbis deſcribuntur:

Commendent ſe diuinæ cliētelæ mulieres.

25 *Noui ego* (inquit) *aulicum quemdam, iam ſenio confectum, hominem fortunatum, ac nobilem, ac pingui Sacerdotio præditum, qui cum ob ætatem grandæuam, & Sacerdotalis ordinis reuerentiam, caſtitatis, ſanctimoniæ, virtutumque omnium ſpecimen eſſe deberet, vt ſanctos decet; non ſecus ac quiuis adoleſcens diſſolutus, & intemperans, libidine, luxuriaque diffluebat. Cum igitur die quodam mulieri nuptæ, vti ille conſueuerat, prandium dediſſet, eoque confecto ſe oblectare cum ea cępiſſet, ex improuiſo, horribili apoplexia adeò correptus eſt, vt ſtatim ſenſus fere omnes amiſerit, neque ita multos poſt dies mortem obierit, & quod eſt morte ipſa longè deterius, nullam peccata ore confitēdi facultatem habuerit. At mulier, quò documento eſſet cæteris, quæ ſe cum hominibus Deo dicatis admiſcent, maiore quadam vi à Deo verberata eſt. Nam pridie diei D. Bartholomæi ſacri, cum magna vis imbrium de cælo decidiſſet, nec cloaca domui mulieris proxima, lapidibus, cænoque obſtructa, decurrentes aquas poſſet excipere, vniuerſas in eius cellam vinariā humi defoſſam immiſit, ac penè totam oppleuit. Erat ibi cellæ oſtium ex ligno tabernæ ſuper impoſitæ pauimento annexum, quod clauſum pauimenti inſtar habebat, ſupra quod mulier ex ſolito cū vellet ingredi, ſiue quod illud erat ex lignis vetuſtate corroſis; iuſto Dei iudicio, aſſulatim comminutum eſt totum, atque illa præceps lapſa in cellam,*

Diuina in Sacerdotē adulterum vltio.

Exemp. Virtut. & vit. Ian. Nic. Erithræi exem. cap. 7.

In flagranti ſcelere apoplexia percuſſus.

Adultera repentino caſu aquis præfocata.

lam plenam aquis, vt diximus; quibus antea obruta eſt, quàm vt fidem vicinorum implorare, aut quiſquam laboranti venire auxilio poſſet. Congruo igitur adulter ſupplicio præreptus è vita eſt; Mulier autem quæ in fœtido obſcęnarum turpitudinum cœno laſciuiens volutabatur, ipſiuſmet latrinæ, ac cloacæ emergentibus aquis obrui meruit; Vt enim aptè Caſſiodorus legit: *In ſtercore voluitur, cui carnis vitia dominantur*. Et ſi Tertulliani verbis in rem præſentem vtamur: *In ſterquilinio volutatur*. In mulierem autem hanc, quæ ſordidis cloacæ fluentis enecta eſt, illud optimè Socratis elogium quadrat, vbi de muliere loquens ait: *Mulier ſpecioſa, & pulchra, templum eſt ſuper cloacam ædificatum*. Ita planè ſpecioſa hæc mulier, quæ formam, ac pudorem prodiderat, nidum ſibi ſupra cloacā, atque exitium pariter ad infelicitatis cumulum conſtruxerat; Caueant interim qui adulterinis adhuc amoribus irretiti ſunt, atque infelicitatis alienæ magiſterio edocti, lenia duntaxat pro obſtinatis morbis remedia auſpicentur, & iam non ferrum, non ignem, non laminas, non cultros ad vrendum, ad ſecandum, ad perdendum, ad ſuccidendum expectent; quibus enim mitiora nil proſūt pharmaca, auſteriora medicorū manu aptari conſueuere medicamenta. Qui igitur ſacris connubij tabulis contumeliam inferre non timent, pœnas tandem ſceleri condignas Deo vlciſcente luunt; inter quòs meritò infeliciſſimus ille recenſendus eſt, qui vxoris pulchritudinem paruo quidē proſtituere pretio conſueuerat, cuius tragicam ab Ottonello acceptam, ac latinitati ſubinde à nobis redditam, hic delibandam volumus hiſtoriam. *Hic igitur*, ait; *cum victum ſibi turpibus obſcænarum voluptatum nundinis compararet, coniugis formam adamantium cupiditati venalem fecerat; argentum etenim, ac lucrum pluris, quàm pudicitiam, atque honeſtatis decorem æſtimans; aureamque vxoris pudicitiam vel obolo diſtrahens, perpetuam ſibi ignominiam comparabat: Verum cum plures ad liberalis formæ mulierem coirent, Deo vindice, vnus ex impudicis illis hominibus marito mulieris grauiter indignatus, amarulentiora quædam ore effudit verba; Neque hic finis: nam ex verbis orta ſubinde rixa in cædes, ac vulnera proſiliens, eum in modum euaginato eumdem cultro percuſſit, vt hominem lethaliter conciſum vita priuauerit. Itaque aurum quod vxoris, ac ſui probro lucrifecerat nundinator infelix, per ſua tandem vulnera regeſſit.* Hæc ille, quibus & alia multa, cum ex antiquis, tum ex recentioribus hiſtoriarum monumētis eruta interſeri, & in mœchos adulteroſque conflari queūt exempla.

Caueant itaque homines, quibus chriſtianæ pudicitiæ decus, ſacrarumq. tabularum parum religio cordi eſt, timeantq. *Ne Deum, quem intimum piaculi teſtem habent, vindicem quoque ſeueriſſimum ſortiantur.* Sed vt breuitati conſulamus, hæc interim enarraſſe ſufficiat, & iam ab adulteris, ad ambitioſos ſtylum conuertimus.

Caſſiod. in pſal. verb. 111. 7. Et de ſtercore erigēs pauperem.

Socrates.

Meretrix cloaca eſt.

Adulteros acerbiſſimę animaduerſiones expectant.

Ottonell. de vir. famul. mulier. exempl. adnot. 13. 1. pag. 198.

Proſtitutor vxoris miſerè trucidatus.

Plura non deſunt exempla.

IN-

Digitized by Google

INFELICES AMBITIOSORVM EXITVS.

Ambitio malorum fons.

INSANA præcellendi cupiditas, honorumque inanium ambitus, natiuo iugiter malo exæſtuans inter cætera, quibus humana mortalitas captiua detinetur, vitia maximè ſupercilium attollit, adeo vt ſub ipſa rerum, mundique exordia intimè tam Angelo, quàm homini adhæſerit: inofficioſo quippe elatæ mentis tunc faſtu diuinitatem vterque ſibi præoptans, hanc exambiendo, ipſimet Deo contumelioſus inuidit; Ex quo ſubindè è ſua, quàm poſſidebat, felicitate proruens, condignam ſceleri pœnam ſubire promeruit; Hoc enim vno exitium Angelis, ac hominibus pari ſcelerum conſpiratione conflatum fuiſſe comprobatur, *Magna enim* (vt Rupertus ait) *tum Angeli tùm hominis celſitudo vtriq; exitio fuit, neuter quippe pondus tanti honoris humiliter ferre potuit*. Vt ad ſua igitur mens recurrat initia, conſultò de Ambitioſis hic à nobis ſermo inſtituitur: à Dei enim contumelia, vtriuſque intellectiuæ ſubſtantiæ ambitus peccandi fecit initium: *Quid autem hoc* (inquit Ambroſius) *peccato poteſt eſſe deterius, quod à Dei cæpit iniuria*, ideoque Scriptura dicit: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Quamobrem æquo nunc iure in ambitioſos inuehimur, in quos primam Deus indignationis exercuiſse vltionem, & ad ſui tutamentum honoris, addixiſſe viſus eſt ſupplicio contemptores: *Tanquam enim ſuæ contumeliæ propulſator* (vt idē Ambroſius edisſerit) *velut quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpirituale certamen*: Quibus præmiſſis iam dicendi initium faciamus.

Rupert. lib. 2. de uict. Verbi c. 12

Amb. ſer. 7. pſ. 118.

A Dei cæpit iniuria, & in mala innumera continuauit.

Amb. ubi ſupra

CAP. III.

Qui diuinitatē, eiuſque honores ambiunt, infelici exitu tolluntur.

1 PORtentoſus planè mortalium faſtus, mentiſque ſuperbia nuſquam tolerāda, vt quis diuinitatis, quæ nullum alium præter ſe conſortem patitur, conſortium exambiſſe aliquando videatur. Etenim cum Deus vnus ſit, ſupremæ bonitatis eiuſcemodi participatione vnitatem inſana hominum nequitia è medio tollere haud erubuit. *Deus namque* (vt Tertullianus ait) *ſi vnus non eſt, non eſt*. Qui autem plures ſibi Deos effingit, colitque, nullum profectò præter ſe vnum, Deum habet. *Multorum quippè* (vt Cryſoſtomus inquit) *admiſſio, vnius eſt negatio*. Quapropter ſapientiſſimè olim Tertullianus in carmine de Senatore, qui à Chriſti religione ad idololatriā transfugerat, illum iure merito arguit, perſtringitque, quod nullum planè Deum coleret, dum plures veneraretur, inquiens: *Nilque colis, dum cuncta colis*: Diabolus itaque doli artifex, ſuam Deo diuinitatem inuidens, de medio auferre conatus eſt, qui Deorum, Cryſoſtomo teſte, pluralitatem in orbem

Inſana diuinitatis ambitio diuinitatem impugnat.

Tertullia. lib. 1. contr. Marc. c. 3

Cryſoſt. in pſ. 53.

Qui multos Deos colunt, nullum Deum colunt.

Tertull. in car. de Senat.

Google

orbẽ inuehere auſus eſt dicens: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*: *Primus* (inquit) *præco multitudinis Deorum Diabolus, ſed qui multos dixit, vnum negauit*. Impiam verò Diaboli vocem Apoſtolus iuſtiſſimè improbans, refellenſque, Epheſios idolis ſeruientes, plureſq. Deos ſomniãtes, homines ſine Deo appellauit. *Eratis*, inquit, *ſine Deo in hocmundo*. Et quidem non incongruè, qui tam multos Deos Iouem, Mercurium, Martem, Saturnum, innumeroſque Deorum greges venerabantur, homines ſine Deo, nulliuſque Dei cultores dici ab Apoſtolo potuere. Quemadmodum enim Samaritana illa mulier, quæ multos habebat viros, nullum ſe habere virum dicebat: *Maritorum quippe multitudo*(vt ait Chryſoſtomus) *efficit, vt nullus cenſeatur maritus*. Ita & multiplex Deorum numerus in cauſa eſt, vt nullus verus cenſeatur eorum ex numero Deus. *Propterea* (ſubdit Chryſoſtomus) *& ſine Deo, quòd cum multos elegerint, ab vno exciderunt*. Ad quod ſanè Nabuchodonoſor potentiſſimus ille Aſſyriorum rex, præ cunctiſque ambitioſiſſimus alludens, eò dementiæ inter exambiendum proſilijt, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio; *ac omnes Deos terræ* (vt ſacræ loquuntur paginæ) *exterminaret, vt videlicet ipſe ſolus diceretur Deus*. Sed qui diuinitatem appetijt, humanitatem quodãmodo amiſit: *Comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis*: & qui cœlo dominari voluit, regno turpiter excidit, exulauitque. Huius autem exemplo complures alij viri principes, qui in exambiendo, ſe mortales obliti ſunt, extruſi è ſolio, multiplicibuſque addicti calamitatibus, inglorij tandem, imo magnam per ignominiam, eo quod diuinitatem affectaſſent, è vita abiere.

Gen.3.5.

Cryſoſt. ſup. cit.

Epheſ.2. 13. Diabolus Deorum pluralitatem homini credendam propoſuit.

Chryſoſt. in Io. 4.17

Nec vxor plures viros, nec homo plures Deos patitur.

Chryſoſt. ad eph.2.13.

Judith.3.13.

Pſal.

Pſal. 48.13.

Superbus in beſtiam mutatur.

2 Et vt propoſiti memores, exequendis eorum, qui multipliciter vitiorum illecebris irretiti, funeſto tãdem fine conſumpti ſunt, inſiſtamus exemplis; iuſta Dei vltio, quæ haud vnquam hominum conniuere peccatis nouit, eos potiſſimum perculit, qui in ipſummet Deum, *(Cui ſoli honor debetur)* contumelioſi, eius ſibi honorem temerario auſu vendicare, ac diuinitatem aſciſcere non dubitarunt. Et quidem immane hoc piaculi genus, haud abiectos, & infimæ ſortis homines, ſed laudabiles quoſque, ac vita, moribuſq. præcipuos inuadere conſueuit: quippe (vt Ambroſius ait) *Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubuertere, facit ambitio criminoſos*. Ita prorſus natiuus iſte honoris, ac gloriæ ambitus, ac cæcus excellere cupientium appetitus, ipſoſmet infatuando Sapientes, in ſyrtes, ac præcipitia irreparabili caſu non ſemel illiſit. *Quapropter iure odibilis* (vt Sapientis vox eſt) *coram Deo, & hominibus ſuperbia; & initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo.*) Qui enim de donis ſibi diuinitus impertitis, non ſecus, ac de innatis ambiendo, ac ſuperbiendo intumeſcit, iam receſſiſſe à Deo, eiuſque cultum, ſacrilego ſuimet cultu mendaciſſimus abnegaſſe conuincitur. At quoniam *Deus*(vt in diuinis ſatis decantatum eſt oraculis) *Superbis reſiſtit*, ſuperbientibus iſtis, elatoque mentis ſupercilio delirantibus diuina à tergo vltio adeſt.

1. ad Timoth. 1. 17.

Non abiectos ſed ſanctitate ſublimes adoritur.

Amb. ſer. ſuper Lucam.

Vincit etiam vitiorum domitores.

Eccl. cap. 10. 14

Deficit à Deo qui ob illius dona ſuperbit.

Iacobi 4.6.

3 Et ne prolixiùs ſermonem trahamus, ſed quod noſtri inſtituti eſt, ambitioſorum exitus ſub initia recẽſentes, exhibitam numinis in eiuſcemodi homines vindictam repetamus: Primum quidem dirus, repentinuſq; Herodis Agrippæ interitus, è ſacris actuum Apoſtolicorum paginis, hic nobis contemplandus obijcitur, qui

Baron. to. 1. an. 42. n. 1. 3. & 4.

Herodes Agrippa ambitioſorum ſpeculum.

dum

Digitized by Google

dum ſibi diuinitatis honores aucupari geſtit, miſerrimę è proximo mortalitatis ærumnas adfuiſſe, adeò vt, qui nimio tumidus faſtu altiora præſumebat, vermibus abſumptus, mortalem ſe conditione hominem, cæterorumque inſtar fœtentium cadauerũ putredini obnoxium fuiſſe comprobauit. Videamus igitur Regem primò quidẽ inter honores, ac plauſus delirum, ac præſentaneo ſubindè abreptum interitu, antequam eumdem lento ſaucium morbo, fatiſcentemq; ac vel ſano, integroque adhuc corpore inſanum, vt ita dixerim, vermibus, doloribuſque contabeſcentem agnoſcamus.

Act. cap. 12.

Diuinitatem affectans vermibus arroſus perit.

4 *Statuto autem die* (inquit Lucas) *Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro Tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Hæc Lucas, dum immanem Herodis Agrippæ cladem paucis perſtringit, quibus & Ioſephus inter hebræos diſertiſſimus ſui temporis ſcriptor paribus rem totam verbis, etſi ethnicam ex parte ſuperſtitionem redolentibus, prolixiori ſermone ediſſerẽs ſubſcribit, quem audire hic præſtat.

Ioſeph. antiq. lib. 19. cap. 7.

5 *Peruenit in Vrbem (inquit) Cæſaream, quæ prius Stratonis turris dicta eſt: vbi ſolemnes ludos celebrauit pro ſalute Cæſaris: ad quam feſtiuitatem magna multitudo nobilium, ac procerũ*

Crudelis adulatio, quæ lenocinio perijt.

conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die ſecunda proceſſit manè in Theatrum, amictus veſte tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radijs Orientis Solis perculſa, & diuinum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat ſpectantibus: moxque adulatores pernicioſi alij aliunde acclamantes, Deum conſalutabant, rogantes, vt fauerẽt propitius: hactenus enim vt hominẽ reueritos, nunc agnoſcere, & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius; hanc impiam adulationem nec ille caſtigauit, nec repulit; pauloque poſt ſuſpiciens, vidit ſupra caput ſuum bubonem funi extenſo inſidentem, *Adulatoribus ſuis conſenſit.* *moxque vt ſenſit hunc eſſe calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit, ſecuta ſunt ventris tormina ſtatim à principio vehementia. Conuerſis igitur in amicos oculis; En, inquit, ego ille veſtra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium, & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior. Sed ferenda eſt voluntas cæleſtis numinis: neque enim malè viximus, imò tanta felicitate, vt omnes me beatum prædicent: Hæc locutus creſcente dolore diſcruciabatur.* Iſthæc Ioſeph, qui extremam, funeſtamque tragicæ hiſtoriæ periodum ſubtexens, miſerandum planè hominis ob nimiam felicitatem infeliciſſimi, & ob diuinitatis ambitum delirantis, deceſſum enarrat.

Nimia fœlicitas miſeriarum ſemina continet.

Ioſeph. vbi ſupra.

6 *Cruciatus deinde* (inquit ille) *per continuos quinque dies, morbo nihil ſe remittente, confectus vitam finiuit, annum natus quartum ſupra quinquageſimum, poſtquam regnaſſet per ſeptennium.* Verùm, qui diuinos ſibi honores adſcribi, ac publica adulantium voce ſe conſalutari Deum paſſus eſt, acerbiſſimas tum ſibi, tum ſuis contumelias, & ab ipſiſmet, quos ſingularibus iam pridem beneficijs affecerat, pro gratia odium, ac pro meritorum officijs, poſt mortem non niſi conuicia, probraque retulit; vt idem Ioſephus hunc in modum ediſſerit.

Ioſep. lib. 19. antiq. cap. 7.

Inſultant defuncto qui antea Deum appellarant.

7 *Poſtquam autem cognitum eſt exceſſiſſe Agrippam Cæſarienſes, & Sebaſteni (ſunt hi Samaritani) beneficiorum eius obliti, peſſimam ei retulerunt gra-*

F

Digitized by Google

gratiam, conuicia non dicenda iactantes in defunctum. Militum quoque vulgus. qui tunc fortè aderat, protractas, è palatio filiarum ſtatuas, vnanimiter detulerunt in lupanaria, eiſq; vt poterant, illudebant modis, quos turpe ſit eloqui: inſtructiſque per loca publica epulis conuiuia celebrabant, coronis redimiti, & delibuti vnguentis, libantes interim Charonti, & ſibi inuicem propinantes præ gaudio, quod ex obitu regis conceperant. Quibus haud obſcuris calamitatum, quæ ambitioſum regem conſequutæ ſunt, notis eidem ſcriptor parentaſſe viſus eſt. Et ſanè præproperam Herodis Agrippæ necem, inter inſanas perperam adblandentium voces, proclamantiſque populi plauſus, quin imò inter adſcitæ ſibi diuinitatis ambitum, mendaciſſimam rerum humanarum faciem, quis non videt? quippe qui dum ea, quę ſupremæ felicitatis ſunt, exambit, mortalium è proximo infelicitatem ſalutat, atque ob immortalitatis auram deſipiens, vitam extemplo infeliciſſimè amittit; Deceſſurus autem, fætidum veluti cadauer, pro honoribus probra, contumelias pro muneribus, ſplendido veſtium amictu, ſortitus inuiſuſq; cunctis, nō tam diuinitatem, immortalitatemque, quàm ignominiam, calamitateſque ſe exambiſſe intellexit. Salubri igitur conſilio ſapiens, mortalium quę que illis præmonitum verbis voluit. *In veſtitu* (inquit) *ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius.* Breui quippe infelicitatum compendio totam humani ambitus gloriam, veſtimentorumque decorem aliquando nouit altiſſimus in amplā perennemque hominis infamiam cōmutare. Vtinam verò miſer ſolemne illud inter plaudentium voces moralis Philoſophi oraculum meminiſſet: *Me* (inquit) *hominem eſſe tunc maximè cogitabo, cum Deus vndique conſalutabor*: haud enim funeſtè inglorius vitam exuiſſet.

Filiarum ſtatuas in lupanaria raptant.

Triſtis ambitioſi exitus.

Eccleſ. 11.

Senec. de beat. vit. c. 25.

8 Porrò hic vbi de ambitioſa mortalium cupiditate mentio incidit, infelicem alterius, haud poſtremi inter faſtuoſos, exitum ob oculos proponamus. Atqui, (vt diuina ſiquidē vox eſt) *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*; cum nullum exambiendo finem faciant, Deo, proinde contumelioſi, humanoque homines pluſquam faſtu elati, ne dum ſibi, ſed & ſuis, cæteriſque exitio ſunt. Diuinos quippè ſibi honores tribuendo, mortalibus Deo vlciſcente exoſi, contemptibileſque redditi, ſuos quoque ad Dei propulſandam iniuriam hoſtes prouocant, eorumdemque ſuo gladiū iugulo intentāt. Inſanus igitur hominum tumor, dū haud ſua contentus ſorte, numini cœlum, diuinitatemque inſuper inuidet, iacula è cœlo non ſemel intorta, plagæque ſuperbientium inflictæ capiti, vel ſerò hominem, qui ſupra ſe in mirabilibus ambulabat, & nidū ſuum in cœlo poſuerat, quemq; haud ferenda pridem ambitio commentitium planè Deum credi fecerat, ſuomet mortalem calculo renunciarunt.

Superbi Deo ac hominibus inuiſi.

Pſal. 73. 23.

Lugubris mutatio rerum.

9 Namq. Antiochus, vt res pateat exemplo, ille præ cūctis ambitioſiſſimus, *qui* (vt diuinæ teſtantur paginæ, *ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere*, haud multò poſt viuens adhuc in horridum, inuiſumque cadauer conuerſus ſuam vel nolens, vel inuitus cunctis arrogantiam, ignominiamque conteſtatus eſt. *Qui enim paulò ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo po-*

Machab. 9. 8.

Antiochi ſuperbia attrita.

Machab. 9. 2.

Infelix exitus.

terat

Digitized by Google

terat propter intolerantiam fœtoris porta-re. At demum ambitioſam ſui principatus felicitatem, funeſta clade abrupit, hæc enim de eo: *Igitur homicida, & blaſphemus peſſimè percuſſus, & peregrè in montibus miſerabili obitu vita functus eſt.*

Mach. 9. 27.

11 Tunc profectò cordatiſſima illa quantumuis coacta, ac ſemimortua inter ſupremos apices infeliciter abrepti, inſipiẽtisq; ab ore vox mortalium auribus intonuit: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Tunc & Alexander Macedo cuius votis vniuerſa terra anguſta ſatis viſa eſt, nullumque exambiendo finem fecit, de quo iſthæc Iuuenalis cecinit:

Antiochus se hominem mortalem fatetur

Machab. 9. c. 2.

Alexand. Mag. illuſus ab impoſtoribus.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis,
Aeſtuat infelix anguſto limite mundi.

Iuuenal. ſat. 10.

Is inquam, qui honores, ac ſceptra aucupandi apprimè cupidus fuit, quem Iouis filium cuncti paſſim cõſalutabant, feſtiuiſque pluſquam hominem vocibus vnanimes prædicabant, intima ferro rimante præcordia, cum hoſtili ferro liberaliter ſaucius ad vitæ properaret occaſum, ſobriam vel ipſa inter funera mentem edoctus, altius inclamaſſe fertur: *Omnes me Iouis filium prædicant, ſed vulnus hoc mortalem me eſſe renunciat.* Pari quoque modo inſanum Caij Caligulæ Imperatoris ambitum, qui ſe vti Deũ inter homines coli voluit, fatale ferrum mendacij infeliciſſimè redarguit, adeout, qui ſe paulò ante numinis inſtar colendum exhibuerat, iam pecudis ad inſtar mactatus, triſte præter fatum, fabula cunctis euaſerit. Exemplum igitur ex antiquis hiſtoriarum paginis non tam lachrymis, quam cachinnis excipiendum, hic contemplandum obijcitur.

Non Deum, ſed mortalem ſe fatetur ex vulnere.

Scriptores incerti vita.

12 Caius igitur cũ vel ratiocinãdo væſanè ambitioſus qui *homines* (vt Dio ſcribit) *pecora faciebat, vt ſe faceret Deum*, abominibus, vt Deus coli vellet, ac ne Ioui quidem primas cederet, quippe qui de inferendo in Vrbem Iouis Olimpij ſimulacro pridẽ, deque illius effigie in ſcenam commutanda conſilium iniſſet, Petronio, quem ad Syriæ adminiſtrandam Prouinciam miſerat, id vnum itẽ in mandatis dedit, vt ſuam Hieroſolymitano in templo ſtatuã collocaret; ſed Ioſephi hic verba repetamus: *Iubet* (Petronio videlicet) *vt cum valido exercitu inuadat Iudæam: & ſi ſponte idem admittant, ſtatuam in templo Dei collocaret; quod ſi detrectent, bello deuictos imperata facere adigat.* Sed qui rem geſtam aſſequi cupit, ipſiſmet Ioſephi verbis ab altiori repetitam principio hic ſummatim excipiat: *Apion Alexandrinorum* (inquit) *legationis princeps multa in Iudæos iactauit crimina, interque cætera, quod Cæſarem non proſequerentur debitis honoribus: nam, cùm quam latè patet Orbis Romanus, Caio extruerentur templa & altaria, & pari honore colatur cum cæteris numinibus; ſolos iſtos turpe putare, dedicare illi ſtatuas, ac iurare per nomen Cæſaris.* En quàm impensè diuinos Caius honores, vir alioqui omnium ſceleſtiſſimus, ipſoſque inter Cæſares portenti inſtar habendus affectauerit. Quapropter trucem hominis, erectamque aduerſus Deũ ceruicem, ſibique ac ſuis, qui ad exorandum de more Principẽ è longinquo aduenerant, vehementius infenſam, ac triſtia portendentem conſpicatus Philo Iudæorum ſapientiſſimus, ſeque nec ad dicendam pro ſe, ac ſuis cauſam admiſſum videns, bonam de Deo ſpem, vel rebus iam deſperatis præfidenter concepit; ſed ex Ioſepho iſthæc accipienda ſunt: *Quapropter* (inquit) *erectus conuicio, conuerſus ad Iudæos atteſtatores: nunc inquit*

Dio lib. 59.

Caligula commentitiam diuinitatem ſibi aſciſcit.

Sueton. in Caio cap. 27.

Suam ſtatuam Hieroſol. templo inferri iubet.

Ioſeph. antiqui. lib. 18. cap. 10.

Perpende Iudæorum miſeriam, qui Cæſarem inſanũ prætulere Chriſto.

Philo orator ab iis ad Caligulam decernitur.

Ioſeph. vbi ſup.

Prædicit impendentem numinis vltionem.

Digitized by Google

quit, oportet bono eſſe animo, quando Caius iratus eſt, nunc enim Deus contra illum aderit. Sed, vt iniquus proprio ſe ore iudicet, ſuamque ambitionis haud ferendæ orbi inſaniam reuelet, ipſemet Caius Agrippæ inter loquendũ, affectatæ diuinitatis ambitu ſe teneri, ac ſupremi honoris percupidum his verbis palã fecit. *Boni* (inquit) *homines, ſique ciues tui, qui ſoli ex omni hominum genere dedignantur Caium habere pro Deo, videntur iam mortem ſibi per contumaciam quærere: dum me iubente in ipſorum templo conſecrari Iouis ſimulacrum populariter ex Vrbe, agriſque occurrerunt ſpecie ſupplicum, ſed re vera mandatum meum proculcaturi*. Vides inter fumos, & iras, delirantemque ſub ſceptro hominem; ſed vide iam tumidiſſimi faſtum nebulonis, atque animum præ nimio honoris æſtu inſoleſcentem, dum Philonem, ac cæteros, qui ad perorandum, ne Hieroſolimitanum templum profano eiuſdem ſimulacro pollueretur his planè verbis affatur. *Vos ne eſtis illi Dijs inuiſi, qui me omnium confeſſione Deum declaratum ſoli aſpernamini, maultiſque veſtrum innominatum colere? ſimulque ſublatis in cælum manibus erupit in vocem, quam ne audire quidẽ fas eſt, nedum proſequi verbis totidem, ac mox exorta eſt aduerſæ partis ingens lætitia, qui hoc audito iamtum ſe victores in hac cauſa fore ominarentur; Itaque geſtiebant, & exultabant præ gaudio Deorum omnium ei acclamantes cognomina*. Neque verò iſthæc ſcriptor enarraſſe contẽtus, arrogantis belluę, ac perditiſſimi capitis faſtum, eoſdẽ Iudeòs alteri, & non ſibi ſacrificia obtuliſſe conquerentis, his verbis ſubinfert: *At eſto* (inquit Caius) *ſacra fecistis, ſed alteri nec pro me: quid igitur prodeſt? mihi certè non ſacrificaſtis?* Quò enim humana ambitio efferri, ac proſilire vlteriùs potuit? Demum vir diſertiſſimus Philo, vbi pro ſua ad Caium legatione agit, ac de remouendo ab ipſa ſimulacri dedicatione obſtinato principis animo iam penitus deſperaſſe viſus eſt, ſe pro re ex voto obtinenda impenſius Deum exoraſſe his verbis enarrat: *Laſſi* (inquit) *deſperanteſque, nec aliud, quam mortem expectantes; vix animi compotes, præ anxietate, ſuppliciter ad Deum verum confugimus, vt nos è falſo nominati Dei minis eriperet. Qui nos miſeratus furorem eius mitigauit. Itaque depoſita iam ferocia tantum hoc præfatus: Homines iſti non tam mihi videntur mali, quam miſeri, quia ſibi perſuaderi non ſinunt me eſſe naturæ diuinæ participem*. At ipſe quidem miſerior, qui miſeros Iudæos veri Dei cultores nuncupando, ſe quantumuis miſerum, tamẽ eſſe non agnoſcebat. Illud verò in perdito ſtolidoque homine mirandum; miſerandumque præ ceteris viſum eſt, quòd cum tot vitijs, ſcelerumque probris, ac belluinis potiùs, quam humanis præditus eſſet moribus, nihilominus diuinitatem intenſiùs exambiendo, diuinos tum titulos, tum honores auida pluſquam mente ſibi aſciſceret aucuparetque: *Inuſitata* (inquit Philo) *ſpecie terror incutiebatur populo miranti, quòd honores ſibi vſurparet eorum quorum virtutes aſpernabatur, contentus ſolis inſignijs*. Quod quidem, & inſanæ mentis indicium eſt, hominemque talia exambientem pari ſcelerùm, ac calamitatum ſummos inter honores cumulo adauctum vniuerſo orbi fabulam, portentumque fecit.

13 Verùm Deus iſte recens, ac gentilitijs planè ritibus dedicatus deliramentiſque, demũ gladijs, cruẽtiſque conſalutatus eſt notis, adeo vt ſuo reſperſus ſanguine, qui alieno

redun-

Caius diuinitatẽ ſe affecta ſe proprio ore fatetur.

Ioſep. heb. vbi ſupra.

Aſſentatores dæmonum cognominibus ineptè exornãt Caligulam.

Obijcit ille Iudæis ſibi nõ litaſſe.

Ioſeph. vbi ſup.

Infelices infelicior ſubſannat quod pro Deo ipſum nõ colant.

Delira ſuperbi hominis mens.

Caligula etſi belluinis moribus diuinitatem tamen exambiuit.

Philo de legat. ad Caium.

Hoſtia in gladijs conſciſſus.

Digitized by Google

redundabat, ab immani, qua tenebatur, dementia reſiliret; Vulneribus igitur confoſſus, cum annis tribus, menſibus decem, diebus octo imperaſſet, ferinam illam, quam ſomniando diuinam commentus fuerat, valida conſpirantium manu, triginta confectus vulneribus infamem, peroſamque animam per totidem ora, quot vulnera tali dignus exitu euomuit: At quo ſubinde honoris cultu recentis, ementitique Dei cadauer exceptum ſit Suetonius his verbis exequitur: *Cadauer eius clam in hortos lamianos aſportatum, & tumultuario rogo, ſemiambuſtum leui ceſpite obrutum eſt: poſtea per ſorores ab exilio reuerſas erutum, crematum, atque ſepultum ſatis conſtat, prius quam id fieret, hortorũ cuſtodes vmbris inquietatos; in ea quippe domo, in qua occubuerat, nullam noctem ſine aliquo terrore trãſactam, donec ipſa domus incendio conſumpta ſit.* Hæc Suetonius; quibus ſanè ambitioſo homini, plebeio, ac ignobili parentatum funere, ac tumultuario corpus rogo donatum arſiſſe conſtat; ignibus enim duntaxat, ac gladijs condigno is honore exceptus eſt, qui Deo, hominibuſque inuiſus pariter, & contumelioſus, nil præterea promeruiſſe viſus eſt.

Ignobile eius funus ac ſepulchrum.

Sueton. in Caio cap. 59.

Domus in qua occubuerat dęmonibus infeſtata.

14 Concinnè autem huic conſonat ferale, & haud obſcuris conceptum notis, elogium quod ab ingenioſo homine ſepulchralis inſtar lapidis eidem inſcriptum eſt, ex quo pauca duntaxat, quæ aptè in rem præſentem faciunt, ſtudioſo lectori delibanda propoſuiſſe voluimus.

Illius ſepulchrale elogiũ.

Theſaurus in libello elogior. in aliq. Caſares.

Claudium Caſ. rem Caligulam,
Ex clade Heroum, ex cæde Nominis,
ex caligine obliuionis
Perge, vindicare fama.

& poſt multa de eius immani ambitione hæc ingerit.

Deus credi voluit
Humana vitia, Deorum commendans
nomine.
Immortalitatẽ affectauit mortalis.
Demum ſua morte mortalitatẽ eſt faſſus.
Nam inter milites ortus, inter milites obijt.
A milite vitam accepit, & mortem.

Humana vitia diuinis fruſtra commendãtur nominibus.

Immenſa igitur huius ambitio ingloriò eiuſcemodi fato extincta, ac tumulo pariter per obſcuro qui exambiebat, addictus eſt.

15 Quoniam verò ambitioſa votorum cupiditas (vt videre eſt) immane excreſcens, nulliſque circumſcripta terminis, haud mortalium cõtenta honoribus, in ipſam quoque diuinitatem, temerario non ſemel auſu proſilijſſe viſa eſt, adeo vt homines, perditis alioqui moribus, ac vitæ turpitudinibus fœdi ſemetipſos Deos dici, ac in Deos conſecrari voluerint, diuinoſque ſibi honores, ingenti diuinitatis propudio, ac non abſque ſuimet ignominia aſciſcere non erubuerint; Atqui præ cæteris Flauius Domitianus Imperator, vitiorum non tam ſeruus, quàm viliſſimum ſub ſceptro mancipium eò inſaniæ ambiendo peruenit, vt ſe Deum, ac Dominum in toto terrarum Orbe iuſſerit appellandum, quo ſuis gratiam ſceleribus, auctoritatemque apud homines conciliaret; ſceleraque ipſa per ſe ſatis obſcura, illuſtri Diuinitatis titulo augeret. Vir igitur, ſi nomine hoc indomita bellua appellanda eſt; Vir, inquam, qui ob dedecorum deliramenta, cunctis videri potuit ridendus; iam colendus, iamque extimulante ambitione ſuſpiciendus videbatur; Neque hoc ſe titulo, voce tenus impertiri, ſed publicis inſuper cõſcriptis tabulis nũcupari ſatagebat, vt Scriptor Ethnicus hominis veſaniam demiratus, eamdemque apprimè ſugillans in eius geſtis

Domitianus coronatum vitiorum mancipium.

Bellua effigie humana induta.

Digitized by Google

Sueton. in Dom. c. 13.

Dominum & Deum Romanorum ſe vocari.

geſtis hunc in modum ſcribit: *Pari arrogantia (inquit) cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic capit. Dominus, & Deus noſter ſic fieri iubet. Vnde inſtitutum poſthæc, vt ne ſcripto quidem, ac ſermone vnquam appellaretur aliter.* Quid igitur arrogantius, quam hominem criminibus immane redundantem, ſcatentemque vitijs, diuinitatis tamen ambitu inter vitiorum propudia laborare, & haud alio, quam Dei contentum nomine, velle ſe à mortalibus vti Deum cõſalutari. Hinc Poetæ recentem hominis ſtoliditatem, qui de diuinitate, neſcio quo illi delata ſuffragio, altiùs contendebat, carminibus, vltro decantarunt, dum nonnulli ex his aſſentandi potius, quam, quod canebãt, aſſerendi gratia ipſiuſmet principis aures perfricarent, inter quos Statius è numero adblandentiũ præcipuus, hæc cecinit.

Poetæ illi aſſentantur.

Statius Siluis lib. 4.

En hic eſt Deus, hunc iubet beatis
Pro ſe Iuppiter imperare terris.

Martialis autem in aſſentando haud alteri impar poetæ, & ſuo Domitiano Principi, licèt perperam plectro arridens, illis carminibus luſit, dum iſthæc cecinit:

Edictum Domini, Deique noſtri.

Martial. lib. epig.

Et illud.

Poſſe Deum rebus pariter, muſiſque vacare.

16 Sic Martialis inter modos metricos Domitianum Deum appellans, ſe vnà cum illo, dum male adblanditur, exhibet deridendum; ſed vt à prophano Poeta, ad ſerium hiſtoricum æqui, bonique arbitrum digrediamur, audi quibus verbis inſani Principis ambitum in ſuis Eccleſiaſticis annalibus Baronius perſtringat: *Magna planè (inquit) inſania, dum idem Imperator Dei Virginis filius dici voluit, nempe Palladis: quod ſi quis fraude detrectaſſet, tanquam magni criminis reus detrudebatur in carcerem, prout apparet ex his, quæ Ioſephus ſcribit: Nunquid a Ioſepho Iudæo eius lateri inhærente ſuggeſtum ex oraculis prophetarum ita fore, qui in perpetuum regnaturus eſſet Rex, quod antea ſuggeſſerat idem Ioſephus Veſpaſiano? ſanè quidem Domitianum eamdem ſpem excepiſſe, vt quod Veſpaſianus fuerat conſequutus, ipſe acciperet; inde poteſt coniectura ſumi, quod ſicut ille, ita & iſte inquiri fecit, ſi qui reliqui eſſent ex familia Dauid, vt ſuo loco dictum eſt. Inani igitur tali ſublatus ſpe diuinum ſibi aſciuit honorem, vt Deus, & Virginis filius diceretur. Sed hæc omnia opportunè de nouo Deo contingebant, quo Chriſtiani ad confutandam ſuperſtitionem gentium de Dijs reliquis, noui Dei exemplo, quinam illi fuiſſent, certum, patenſque ſuppeteret argumentum.* Hæc eleganter Baronius aduerſus delirantis Imperatoris ambitionẽ, & pro Chriſti cultu viſus eſt peroraſſe. Vt quid enim Domitianus iſte inter Deos? cui nulla meritorũ, niſi forte ſola crudelitatis prærogatiua, diuinitatis promeruiſſe titulum videri potuit. Quis enim neſciat viros clariſſimos dire ſub eius imperio exagitatos, ac eius potiſſimum iuſſu velut indignos, funditus è vita ſublatos, quo condignum ſibi, ipſiſmet conſcribentibus ethnicis exitium cõparauit. Flauium enim Clementem virum conſularem, ac chriſtiana præ cæteris religione conſpicuum interemit; At Suetonium iſthæc recenſentem excipiamus: *Denique Flauiũ Clementem ſuum contemptiſſimæ inertiæ, cuius filios etiam [illegible] ſucceſſores palàm deſtinauerat, & abolito priore nomine alterum Veſpaſianum appellari iuſſerat alterum Domitianum repente ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non in ipſo eius conſulatu, interemit: quo maximè facto, maturauit ſibi exitium.* Hæc Suetonius

Baron. tom. 2. an. Chriſti 89. num. 1. Cur Virginis filius credi voluerit.

Satos Dauidis ſtirpe trucidauit.

Patuit inde ludibrio gentilitia ſuperſtitio.

Flauius Clemens ob pietatem traductus a Sueton.

Sueton. in Dom. c. 15.

Ambitio crudelitati iuncta cladẽ Domitiano attulit.

tonius

tonius teſtatiſſimus rerum ſcriptor, qui, & immenſa rerum prodigia, quę octo inſequentium menſium, quibus ille vixit, ſpatio contigere, ſingillatim recenſet; ſed alios, quos impius Princeps ob Chriſti nomen è medio ſuſtulit, ſuo loco cum de perſecutoribus, malè decedentibus ſermo incurret, enarrabimus.

17 Iure autem de Domitiano, cui nil crudelitate antiquius extitit, & ad bonos compoſitum mores, & ad optimi exemplum Principis nil præter nomen affulſit, hæc Herodianus compendioſè protulit. *Nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliqui fecit*. Cum explendæ igitur ſæuitiæ habenas Imperij dediſſet, & in quoſq; præclari nominis viros, ac ſuos contumelioſè irruens, nulli parceret, gladio tandem in effuſi Chriſtianorũ ſanguinis pœnam, vt Iuuenalis teſtatur, tranſuerberatus eſt. Aequo igitur Dei iudicio, cuius nutu cuncta proueniunt, vir, qui diuinitatem tam contentioſè ambierat, gladijs vltrò ferientibus inter homines Deus impensè ſaucius, ac Deos inter mortales diuino demũ calculo morti, ipſe quoque obnoxius renunciatus eſt.

Herod. hiſt. li. 6. Domitiano nil boni præter nomen adſuit.

Gladio, enſis perit.

18 Sed præſtat hic, quæ de ignobili eiuſdem funere Suetonius enarrat, ac de publica Senatus lætitia ob trucem hominem è viuis præreptum ſuggerere. *Senatus adeò* (inquit) *lætatus eſt, vt repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo, atque acerrimo acclamationum genere laceraret: Scalas etiã inferri, clypeoſque effingi iuberet, nouiſſimè eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quam occideretur menſes, cornix in Capitolio elocuta eſt* ἔσται πάντα καλῶς *nec defuit, qui oſtenſum ſic interpretaretur.*

Sueton. c. 23. in Domit. Senatus ex illius morte gaudet.

Nominis illius veſtigia abolet.

Nuper Tarpeio, quæ ſedit culmine cornix
Eſt bene non potuit dicere; dixit erit.

Dæmon cornicis ore loquutus.

At hæc vna iuſtiſſimè Domitiano diuinitus pœna illata eſt, vtqui diuinitatem intẽperanter concupierat, inglorius decederet, eiuſque memoria Senatu iubente perfractis, contritiſque eiuſdem ſtatuis, ac deletis titulis aboleretur, prout Dio enarrat: *Flagrabãt* (inquit Dio in Nerua) *odio in Domitianum ciues: quare ſtatuæ omnes tum aureæ, tum argenteæ in illius honorem conſtitutæ, ſubitò in maſſam conflatæ fuerunt. Arcus præterea in eiuſdem vnius titulum, & nomen ſubſtructi euertuntur*. Hæc Dio; quibus hæc ſubijcit in rem præſentem Baronius: *Nomen inſuper ipſius è ſaxis radi iuſſum, Macrobius teſtatur ſic dicens: Octobrem verò ſuo nomine Domitianus inuaſerat: ſed vti infauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo placuit eradi, menſis quoque vſurpatione tyrannicæ appellationis exutus eſt*. Hæc autem, vt Baronius addit *tunc temporis cum nerua Imperator deſignatus eſt, ſunt à Ciuibus facta*.

Dio in Nerua. Macrob. in Saturnal. li. 1. c. 12

Domitiani ſtatuæ in maſſam conflatæ.

Baron. an. Chriſti 98. n. 21.

19 Verùm ne condignis perditi principis deceſſus portentis deſtitueretur, illud apprimè portentoſum de eius cæde ab Appollonio, dum Epheſi moraretur per concionem, ac ſi oculis tunc Romæ, dum contigit, adeſſet denuntiata, Philoſtratus narrat. Nam ea ipſa die, & hora, qua Imperator gladio à Stephano impetebatur: *Appollonio concionem habenti ad Populum in media Oratione* (inquit Philoſtratus) *nouum quidem, & incredibile occurrit, nam conciſè magis, quam conſueuerat verba proferens, tandem quaſi horum, quæ dicere vellet oblitus conticuit, toruis oculis in terram aſpiciens. Tres inde, aut quatuor paſſus è loco, vbi conſtiterat progreſſus,* Per-

Eius cædes Apoll. Thyaneo oſtenſa à dæmone. *Philoſt. lib. 8.*

Percute tyrannum clamabat: non vt qui è ſpeculo veritatis imaginem traheret, ſed qui res ipſas ante ſe fieri videret, & auxilium afferre conaretur. Cum ſtuperent Epheſij, qui frequentes aderant: ſubſiſtens Appollonius ſicut facere ſolent, qui rem aliquam dum fit videntes, quò tandem euaſura ſit, expectant, tandem confidite, inquit, *ò viri: Tyrannus namque occiſus eſt hodie, quid autem dixi hodiè? immò potius hoc ipſo temporis momento, ita me Pallas adiuuet. Cumque illum inſanire putarent Epheſij, cuperent tamen vera eſſe, quæ diceret, ſed propter periculi magnitudinem talibus verbis aures præbere metuerent: Non miror* (inquit Appollonius) *vos mihi non adhibere fidem iam nunc ea enarranti apud vos, quæ non dum omnes, qui Romæ ſunt, cognouere, ſed iam ecce cognoſcunt.* Hæc Philoſtratus de Appollonio, quilicet abſens, non ſecus tamen, ac ſi oculis delibaret, Domitiani necem Epheſiorum populo denunciabat, magicis enim præſtigijs ac huius potiſſimum artis miniſterio fiebat, vt *Magi per Parhædos*, vt docet Baronius, *ipſos, quos vocant familiares dæmones, imagines rerum, quæ longè abeſſent repræſentatas inſpicerent*; ſed præſtat hic poſt infamem è vita exceſſum, impio homini iiſdem planè notis, quas ſepulchralis inſtar tituli quidam in ſuis Cæſarum Elogijs ingenioſè ludens exculpſit parētare.

Baron. to. 2. an. 98. n. 21.

Vt per imagines abſentes, res exprimantur.

Theſaur. in libel. elogior. 32. Cæſar.

Vinctolegibus Principe ſoluta reſpublica, ſolutoque vincta.

Cæſar muſcarum venator.

In Theatro bellator, ſpectator in campo.
Fratrem ſuſtulit, vt ſe extolleret:
Gemuit rurſum Roma inducias experta, non pacem.
Sub Principe legibus vincto reſpirauit ſoluta.
Sub ſoluto vincta fuit ſerua.
A fratre vno vitam, mortem ab alio accepit imperium:
A Patre medicinam, & vulnus.
Scena interdixit Hiſtriones, ſolus Hiſtrio datur ſcenam
Hoſtibus muſca, muſcis hoſtis fuit:
Gladium præuidit, culpas videns ſuas:
Non tamen vitauit.

DISCE LECTOR.

Præuiſa mors malos terret, non corrigit.

Sed hic ambitioſo homini, quot notas, tot dedecorum monumenta ſtylo inſculpſiſſe voluimus.

20 Verùm enimverò eos inter Principes, qui diuinos ſibi honores, ſupremiq; cultum obſequij auidiſſimè expetierunt Traianus quoque Imperator adnumerandus eſt, qui inter ſumma vitia, quæ ſummæ fortunæ in eo paria extitere, ac inter fœda, quibus tenebatur, dedecorum probra, haud à diuinitatis ambitu ieiunus fuit. Enim verò cum in toto paſſim Romano Imperio, ob ſuos turpes amores, delitiaſq; peſſimè oleret, inſanus tamen æquè, ac voluptuoſus in eam mentis arrogantiam, caliginemque deuenit, vt ſe quoq; Deum crederet, ac pro Deo gerens, inter alios Deos iure meritò ſe optimum, veluti Principem computandum non erubuerit; cum alioqui inſignis eius improbitas cœlũ maximè impeteret, offenderetque, ac Deos ipſos apprimè dedeceret; nam quod is quanquam vitijs refertus, digna cœlo de ſe præſumeret, Plinius, dum eius celebrat laudes, illique mendaciſſimè adblandiens, illis haud obſcurè verbis teſtatur: *Tu ſideribus patrem intuliſti, tu ad metum Ciuium, non ad contumeliam numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis: Minus eſt hoc cum ſit ab ijs, qui ſe Deos putant: ſed licet illum aris, puluinaribus, & flamine colas, non alio magis tamen Deum facis, & probas, quam quod ipſe talis es.* Hæc Plinius in ſuo panegirico in Traiani laudem decantato

Traianus peſſimis vitijs deditus ſub ſceptro diuinos honores exibit.

Eius conſortiũ Dijs ob hominis vitia inuiſum.

Plin. in Paneg. Traiani.

ybi

vbi diuinitatis præcipuè ſuo principi cuius potiundæ deſiderio tenebatur, memoriam refricat, vt Baronius his verbis notat: *Hæc Plinius homini adulatus, qui ſeipſum eſſe itidem Deum exiſtimaret, gloriæ enim eum fuiſſe cupidiſſimum, etiam Dio teſtatur*; & poſt multa idem Baronius impuriſſimum hominem inter gẽtilitios Deos à ſuis Ethnicis impudẽtiſſimè relatum deridens, ſubſannanſque hæc habet: *Patietur ne quis in ſummum cælum Traianum eſſe receptum? quem nec quidem in infimum, niſi ſaluo Ganymede placuit in conuiuium ſuorum Deorum admitti*. Procul quippe à cœlo, nedum à Deorum honoribus, Princeps quouis mortalium honore indigniſſimus arcendus eſt. Atqui homo, tum Deo, tum hominibus pro ſua immani laſciuia inuiſus, non ſecus ac orbis terrarum lues, iuſto Dei nutu infeliciter ſublatus eſt, vt Dio his verbis tradit: *Traianus Auguſtus Romam reuerſurus apud Selinuntem Ciliciæ ciuitatem, quæ poſtea cognominata eſt Traianopolis, ſiue morbo, ſiue veneno, (quod etiam ferebatur) extinctus eſt*. Funeſto igitur Princeps ambitioſus æquè, ac vitioſus fine vitam abrupit, ſuaſque duntaxat turpitudines ob infamiam ſilentio prætereundas, perẽnes apud poſteros effecit.

Baron. an. 100. n. 16.

Gloriæ cupidus, à diuinitatis ambitione non abſtinet.

Dio in Traian.

Baron. vbi ſupr.

Superbus Princeps, ac ambitioſus mortalibus inuiſus veneno extinctus.

Dio vbi ſupra.

21 Diocletianus quoque Imperator, cui nemo Romanos inter Principes impietate, ac crudelitate præcellit, & de quo nobis opportuna alibi cum de perſecutoribus agemus, mentio erit, adeo hic mortalium infeliciſſimus ſub ſceptro inſaniјt, vt à diuinitatis, quam perditè affectabat, contumelia neutiquam temperaret, & poſt triumphum de Perſis, mortalitatis oblitus, vt Deus adorari, & vt frater Solis ac, Lunæ haberi voluerit, ſtolidiſſimèq; cõtẽderit. Atqui iuſto Dei iudicio totius veluti orbis portentum, ſuoquemet, vtpotè imperio adminiſtrando indignum calculo proſcribens, tum principatu quem gerebat; tum mente, & vita pariter excidit, vt Conſtantinus in ſua oratione luculenter edocuit: *Diocletianus quoque cum poſt cruentam cædem in perſecutione factam, ipſe contra ſe, quodammodo propter vitium amentiæ, & delirationis ſuffragium tuliſſet, ſe vnius abiectæ, & humilis manſionis munitioni, ac præſidio concredens pœnas dedit*. Hæc ille. Sed quàm infeliciter Diocletiano ob ſuam impietatem, atque exambitam diuinitatem res ceſſerit, ad quam tribus tantum primis elementis, à quibus Diocletiani nomen deſumebat initium, licet re immane diſtaret, pertigiſſe viſus eſt, vt Cedrenus his verbis tradit: *Diocletianus cum ſe Imperio abdicauiſſet, grauiſſimum in morbum incidit, cuius doloribus vehementibus totum corpus affligebatur, viſcera inflammatione acerrima corrumpebantur, caroque vniuerſa ceræ in morem colliquebatur, quin & luminibus miſer captus atque mutilatus eſt. Exinde miſerabiliter putredine abſumptus, ex faucibus multitudinem vermium ipſa cum lingua, quæ computruerat, eiecit, atque adeo in ſepulchris confectorum cadauerum fœtore nihilo melius fætuit. Inter hæc ſpirans, & gemens mortem inuocabat, atque extremo ſpiritu, hæc verba edidit: Væ miſerabili mihi, & digno qui lugear*. Lugendus ſibi profectò ſub vitæ finem viſus eſt, qui pridem ſibi iucundus, ac diuino dignus cultu videbatur.

Niceph lib. 2. c. 2. par. 20.

Diocletianus impius, æque ac crudelis.

Conſtantin. orat. ad ſanct. cæt. c. 25.

Dei iudicio amens redditus, ſe imperio abdicat.

Cedren. in com

Calamitatibus morbiſq; viuens adhuc contabeſcens ſeipſum luget.

22 Atqui miſer ob ſupremos exambitos, qui diuino numini debentur honores, honoribus, & vita pariter orbatus eſt, vt Baronius his verbis tradit. *Hic tandem finis truculentæ belluæ, ebriæ Sanctorum ſanguine: qui enim olim* (vt Euſebius, & Eutro-

Baron. an. 316. n. 2. 3.

Euſeb. in chron.

G

Eutropius tradunt) *adorari ſe iuſſit vt*
Euſeb. in chron. *Deum, & gemmatos calceos, atque veſtes, non contentus purpura ſe ipſum induit primum imperio (vt dictum eſt) arreptus amentia exuit, ac tandem infeliciſſimum finem ſortitus eſt, ſic iuxta Deboræ canticum: omnes inimici tui Domine pereant: qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent;* Hæc Baronius de Diocletiano diuinitatis percupido, quem et in Deorũ ſubinde numerum à Licinio referri
Eutrop. lib. 9. in fin. contigit, vt Eutropius tradit: *Contigit igitur ei quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet, inter Diuos tamen referretur.* At cuncta iſthæc illi in maiorem impietatis cumulum ceſſere.

23 Atqui Conſtantius Imperator, etſi non vt cœteri palam ſupremos ſibi diuinitatis honores aſciuit, tamen ob ſecundos rerum prouentus delirans, ac indies arrogantior, tum felicitate, tum ſubdolis Arianorum adblandentium acclamationibus, plauſibuſque euadens, dum facile eiſdem aures præbet, Arijque ſectam totis neruis propugnat, in eam diuinitatis contumeliam proſilijt, vt æternitatem, quam impij dogmatis ſectatores Dei filio denegabant, ipſe ſibi per ſummum nefas aſcriberet, vſurparetque, atque in apertam æterni numinis iniuriã, blaſphemiamque ſe ipſum æternum dicere, ac nuncupare non dubitaret, vt Ammianus Marcellinus his verbis teſtatur: *Quo ille ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus, immunemque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à iuſtitia declinauit, ita intemperanter, vt* AETERNITATEM MEAM *aliquoties ſubſcriberet ipſe dictando, ſcribendoque propria manu orbis totius ſe dominum appellaret. Quod dicentibus alijs indignanter admodum ferre deberet is, qui ad æmulationem ciuilium Principum vitam formare, moreſque ſuos, vt prædicabat, diligentia laborabat enixa.* Hæc quidem Ammianus de inſolenti ipſius Conſtantij faſtu, quæ diuinitatis ſunt, ſibi temere vendicantis. Et ſiquidè iſthæc illi Arrinorum lenocinio obtigere; quippe qui cum Principis animum prauis dogmatibus corrupiſſent, iam perditis vocibus faſtuoſas illius aures blaſphemando titillabant, vt Baronius his verbis tradit: *Adulantes verò Ariani hiſce titulis exornare ne dicam, an potius (quod verius eſt) dehoneſtare conſueuerunt eumdem Conſtantium Imperatorem.* Ea quippe perditorum hominum pro ſua tuẽda, propagandaq. hæreſi, impietati iuncta calliditas fuit, vt ſuo æque adblandiri Principi, ac Deum blaſphemare non deſiſterent, vt Athanaſius de eis ſermonem faciens hunc in modum teſtatur: *Omnia reſpectu ſuæ hæreſis ſcripſerunt: deinde cum ſimularent ſe de Domino ſcribere, alium ſibi Dominum, Conſtantium ſcilicet creauerunt. Ille enim ipſis impiè agendi facultatem præbuit, ſuumque Cæſarem æternum appellauerunt, qui filium Dei æternum eſſe negant, tantos ſe pro impietate, Chriſti hoſtes præbent.* Hæc Athanaſius. Faſtu quippe Princeps tumidus, blaſphemiſque ſuorum vocibus arridens æternum frequentiſſimè in ſuis edictis repetere cõſueuit: *vt in reſcriptis etiam* (inquit Baronius) *ſæpe eſt reperire: Conſtantium ſe ipſum æternum nominare. Tali igitur faſtu infamauit Chriſtianam Religionem hæreticus Imperator, in qua animi ſumma ſubmiſſio atque manſuetudo potiſſimum commendatur.*

24 Atqui ſuperbo homini, & contra Deum ſe immane extollenti, eiuſquè orthodoxam fidem enixiùs oppugnanti, Lucifer Calaritanus in libel-

Conſtantius diuinorum cupidus honorum, æternum ſe dici, credique faſtuiet

Arriani ambitioſis vocibus adblandiuntur.

Ammian. lib. 15. in princ.

Ipſum æternitatis vocabulum impiè mortali homini tribuitur.

Baron. an. 353. nu. 14.

Athanaſ. lib. de Synod.

Hæretici, qui Dei filium æternum negabant, Conſtantium æternum dixere.

Baron. vbi ſup.

Aeternum ſe in reſcriptis impius inculcabat.

Digitized by Google

libello, quem de regibus apoſtatis inſcripſit, eidem in faciem acerrimè reſtitit, infelicem è vita exitum his planè verbis conteſtatus. *Vides Conſtanti, tametſi contingat tibi in ſumma felicitate in hac temporaria verſari vita; tamen magis timere debes, quod Dei reſerueris iudicio, & licet etiam ij, qui ſtatim extinguuntur, quibus hic aliqua diuinitus irrogantur pœnarum, poſt diſceſſum ſemper torqueantur, tamen tu ſi in ſumma viuens felicitate fueris hinc raptus, aduerte, qualiter in te vindicta ſit proceſſura, qui in tanto inueniaris ſcelere*: His, & alijs ſapientiſſimis inuiſam Principis arrogantiam verbis perſtringit, ſugillatque. Verùm, perfido homini à ſpecioſis rerum initijs principatum auſpicanti, in funeſtum tandem fortunæ ludibriū cunctæ reciderunt, nam cum in Thraciam armatis ſtipatus conceſſiſſet, bellumque hoſtibus illaturus, fatali correptus morbo, diem infeliciter claudendi inſtare ſibi finem intellexit, vt Ammianus his verbis: *In hoc rerum aduerſarum tumultu hærens eius fortuna, iam & ſubſiſtens aduentantem caſum vitæ difficilem modo non loquentibus ſignis apertè monſtrabat. Namque & nocturnis imaginibus terrebatur, & non dum penitus merſus in ſomnū, vmbram viderat patris obtuliſſe pulchrum infantem, eumque ſuſceptum, & locatum in gremio ſuo excuſſam ibi proieciſſe ſphæram, quam ipſe dextera manu geſtabat. Id autem permutationem temporum indicabat; licet interpretes placentia reſponderent*. En tibi qui paulo ante æternitatem ſomniando auſpicatus, cum Deo de felicitate contendere videbatur, iam proximum, haud obſcuris ſignis fatum præſentiens riſum in lacrymas, feſtiuaſque in lamentum voces conuertit. Sed ipſius Ammiani verba excipiamus. *Venit Tarſum vbi leuiore febre contactus, ratuſque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti poſſe diſcrimen, petit per vias difficiles Mopſueſtiam Ciliciæ vltimam hanc pergentibus ſtationem ſub Tauri montis radicibus poſitam, egredique ſecuto die conatus, illabente morbi grauitate detentus eſt, paulatimque vrente calore nimio venas, vt ne tangi quidem corpus eius poſſet, in modum foculi feruens, cum vſus deficeret medelarum, vltimum ſpirans deflebat interitum, deinde anhelitu iam pulſante lethali conticuit, diuque cum anima colluctatus iam diſceſſura abijt è vita*. Hic hominis, qui ſe mortalem dedignatus, paria Deo ſentiebat, æternitatemque ſibi in mortis regione repromittebat, infelix inter dolores exitus fuit. Verum, qui viuens æternitatem tam impotenter affectauerat, poſt mortē quoq. vix à diuinitatis ambitu abſtinuiſſe viſus eſt; In Deorum enim numerum iuxta quorundam ſententiam relatus fuiſſe deſcribitur, etſi Baronio horum ſententia parum arrideat; id tamen forte Iuliani Imperatoris, vt ſe benefici Principis memoriæ gratum præ ſe ferret, opera præſtitum fuit, vt idem Baronius his verbis: *Miramur dici eumdem Conſtantium eſſe inter Diuos relatum, niſi fortaſſe id Iulianus Apoſtata præſtitit ad abolendas contractas ex ingratitudine notas*. Hæc ille: at de Conſtantio ſatis. Demum, vt ſupremam enarrationi manum imponamus, haud ab horum numero ille ſeiungendus eſt, qui vtpote impiorum, reproborumque omnium caput, ambitioſorum quoque anteſignanus exiſtet, & in diuinis exambiendis honoribus nemini ſecundus, Antichriſtus videlicet, cuius tot ambitioſi præcurſores fuere, & qui, vt nil eius ſceleribus deſiderari contingat, vti in cæteris, ita & pertinaciſſimè in diuinita-

Lucifer. Calar. de reg. apoſtat. in princip.

Inſana viri contumacia à Lucifero Calaritano perſtringitur.

Ammia. lib. 21

Superbia calamitatibus, ſpectriſque rerum futurarum confunditur.

Ammia. lib. 21

Infelix faſtuoſi hominis exitus.

Mortuus inter Deos relatus.

Baron. an. 361. num. 32.

Antichriſtus pertinax in ambienda diuinitate.

te exambienda cupidus ſe pro Deo haberi, colique totis ſub orbis fine m viribus contendet, de quo iſthæc Apoſtolus, dum eiuſdem faſtum mortalium ob oculos ponit. *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus.* Atqui funeſto tandem nequiſſimum caput, veluti Deo inuiſum, ac contumelioſum fine tollendum iam ſatis apoſtolico ore intonuit *Quem* (inquit) *dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus.* Diuinitatis quippe præ cunctis inſtantiſſimè auidus hanc Chriſto præreptam, ſibi duntaxat vendicare conabitur; Ipſum met verò Antichriſti nomen immanem hominis perfidiam chriſtianorum auribus inculcat; namque Deo, ac Chriſto ſe mortaliũ infeliciſsimus comparare imò anteferre non erubeſcens bellũ in ſuperos acerbiſsimum conflabit, vt in libro Danielis prænunciatum eſt: *Eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduerſus vniuerſa conſurget.* Quapropter impius in Deum non ſecus ac Lucifer ſupercilium attollens, omnem prorſus religionis cultum vſurpabit, ac ſe quaſi ſupremum numen colendum proponens, ſacrificia proinde, aras, vota, thura, vt ſibi ſoli congrua vendicabit; quin imo per ſuum nomen homines iurare, præcipiens. latriæ cultũ ſibi à mortalibus deferendum ſtatget, vt Apoſtolus ait: *Ita vt in templo ſedeat, oſtendens tanquam ipſe ſit Deus.* Inuiſa prorſus ſuperbiſſimi arrogantia hominis, diuinitatem perditè adamantis. *Non autem (* inquit Chriſoſtomus *) ad idololatriã abducet ille, ſed* [illegible] *quiſpiam erit quoſuis Deos peſſundans; iubebitque ſe ipſum pro Deo coli, ac venerari, & in templo Dei collocari, non hyeroſolimitano tantum ſed et in Eccleſijs, & oſtendens,* inquit, *ſe ipſum eſſe Deum,* & infra: *& magnifica quidem faciet opera, & ſigna ſigna patrabit admiranda.* Hæc ille.

Ad Teſſalonic. 2.3.

Vbi ſupra n. 8. 9.

Funeſto exitu Antichriſtus peribit.

Danielis c. 11. 36.37.

Antichriſti in Deum impietas.

Apoſt. vbi ſup.

Cryſoſt. in epiſt. ad Theſſalonic.

Impij conatus Antichriſti.

25 Atqui triſtis, repentinuſque beſtiæ adeo ſe aduerſus Deum extollenti interitus aderit: *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui &* ideſt, *vel Solo,* vt Theophilactus docet, *ſolo,* inquam *imperio, ſiue afflatu ſpiritus Sancti plene delebit, & obſcurabit ipſum Antichriſtum, ſoloque aduentu ſuo abolebit;* Ea enim Chriſti ad iudicium properantis futura eſt maieſtas, *vt ſolo* (Anſelmus inquit) *timore Chriſti aduentantis moriatur peſtifer ille, vel certe terra* (vt alijs placet) *dehiſcens eum abſorbebit, & rapietur in tartara*) Hic nequiſsimi hominis ob ſuam impietatem exitus futurus deſcribitur, qui vti nouiſsimis temporibus aduerſus Deum pæliaturus conſurget, nos haud incongrue nouiſsimo loco, hic de eo ſermonem inſtituiſſe voluimus, & de his hactenus.

Antichriſti finis funeſtus

Theoph. in epiſt. Pauli.

Anſel. ibidem.

Cornel. à lap. bi ſupra.

CAP.

CAP. IV.

Qui Principum, popularemque gratiam malis artibus ambiunt.

1 PRincipibus viris, magnatibuſque, qui Dei nutu, ac imperio præſunt, ſubdi, debitumq; ijſdem cultum deferre par eſt: *Omnis anima* (inquit Apoſtolus) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo*; modò cultus, qui homini defertur, religioni non aduerſetur, nec quicquam animæ obſit, & vbi denique Cæſaris fauor, aut gratia nil Deo immortali detrahat, ac pietati nil penitus demi contingat. Quamobrem illud aptè ſubtexit Apoſtolus: *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem honorem*. Cultus enim, qui cum Dei iniuria Principi defertur, *haud Cæſaris* (inquit Chryſoſtomus) *ſed diaboli tributum eſt*. Vt ſuos item Chriſtus in Euangelio monuit dicens: *reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Hinc primæui chriſtianæ fidei cultores illibato religionis cultu ſuis morem gerentes Principibus, deuoti iugiter, addictique eorumdem imperio fuere, & vt Tertullianus ait: *Chriſtiani non ſeditioſi, non rebellantes*. Integram quippe, atque illibatam eorumdem erga Principes fidem ne ingrato ſcriptor ſilentio præteriret: *Colimus* (inquit) *Imperatorem, ſed quemadmodum, & nobis licet, & ibi expedit, alioquin quid erit Dei, ſi omnia Cæſaris?* Obtemperandum igitur, deferendumque eſt poteſtatibus, ſed, vt idem Tertullianus ediſſerit, *intra limites diſciplinæ*. Ita planè.

Ad Rom. 13.1.

Principibus honoris cultus debetur.

Rom. 13.22.

Cultus cum Dei iniuria delatus Principi Diaboli tributum eſt.

Chryſoſt. in Matt. 22. 21.

Matt. 22.21.

Tertul. apol. c. 31.

Tertul. vbi ſup.

2 Verùm quod chriſtiani piè, laudabiliterque præſtitere, id gentiles vel ſua erga Principem ambitione ſuperſtitioſi, ac in eorum aucupanda gratia contentioſiſſimi nil prorſus curaſſe videntur. Ea quippe in deferendo poteſtatibus cultu, phreneſi laborabant, vt Iouem, ac reliquam Deorum turbam potius, quam ſuum Cæſarem inhonoratum præterirent, cuius rei gratia in profanos homines iure merito Tertullianus inuehitur: *Citius* (inquit) *apud vos per omnes Deos, quam per vnum genium Cæſaris peieratur, & maiori formidine, & callidiore timiditate Cæſarem obſeruatis, quam ipſum de Olimpo Iouem*. Terrenis namque addicti apud Capitolium duntaxat cœlum requirebant. Porrò Chriſti cultores, qui probè inter Deum, ac Principem diſcernere, ac ſua vtrique iura illibata ſeruare didicerát, impia Cæſarum haud ſemel, vbi occaſio præ ſe tulit, imperia detrectarunt; adeò vt Iuliano Principi ſuam illis impietatem impingere, ac perſuadere conanti conſtantiſſimè in faciem reſtiterint, vt Auguſtinus his verbis tradit: *Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi eum, qui in cælo erat, quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant*. Deo videlicet primum, ac ſubinde Principi morem gerere ipſius Chriſti magiſterio edocti.

Gentiles in colendo Principe ambitioſi, ac ſuperſtitioſi pariter.

Tertul. apol. c. 35.38.

Chriſtiani ne Deum lædant Principi repugnant.

Auguſt. pſ. 124.

3 Quod & Ambroſius Valentiniano iuniori, ſui præmonitum volens officij, apud quem Symmachus Vrbis præfectus pro inanium Deorum aris, cultuque inſtaurando vehementius inſtabat ſapientiſſimis inculca-

Baron. an. 384. n. 9. 10.

Ambroſius Valentiniano Dei cultum inculcat.

culcare verbis non deſtitit: *De negotijs* (inquit) *ciuilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum, & præceptum de religione calcatur? Deferendum merito clarorum virorum, & ego ſuadeo, ſed Deum certè eſſe omnibus præferendum. Quando de Religione tractatum eſt, Deum cogita, Nullius iniuria eſt, cui Deus omnipotens antefertur.* Quibus animo conſtanter fixis, ſi præter quam quod Deus iubet, Princeps velit, contendatque ſe illi totis fore, vt obſtet neruis, conteſtatus eſt. *Certè ſi aliud* (ait) *ſtatuitur, Epiſcopi hoc æquo animo pati, ac diſſimulare non poſſumus, licebit tibi ad Eccleſiam conuenire, ſed illic non inuenies Sacerdotem, aut inuenies reſiſtentem.* Norat profectò Chriſti Præſul digniſſimus, Deo ac Principi ſuas deferre, ac debitum vtrique tributum exſoluere.

Amb. ep. 38. ad Gratian.

Amb. vbi ſupra

Epiſcopos, cæteroſq. vbi Dei cultus violatur, principi pugnare opus eſt.

4 Quibus præmiſſis vt iam ab vno vel altero Romanorum Imperatore ad Iudæorum Præſidem, & ab impio Herode, cuius ſupra mentio incidit, inter praua ambitionis ſtudia funeſtè ſublato, ad profanum moſaicæ legis antiſtitē non tam diuinæ, quā humanæ gratiæ percupidum ſermo recurrat. Hi potiſſimum, alijque ſubinde vel ſerò ipſomet rerum humanarum experimento edocti ſunt, certum ſibi videlicet exitium intentaſſe, dum religionem, Dei cultum, ac iuſtitiæ decorem inanibus, ſubdoliſque dominantium illecebris tracti, ac viris Principibus obſequendi ſtudio, petulanter proculcant: *hi quippe, dum Imperatoris* (vt Ambroſius ait) *gratiam ſequuntur, Dei gratiam perdiderunt.* Parum igitur ex voto Pilato ceſſit Chriſtum, quem inſontem omnimodis abſoluendum nouerat, ac inſequentibus, conclamantibuſque Iudæis innocentiſſimū enunciauerat, inſanis tandem obſtrepentibus vocibus condemnaſſe, vbi primum dixerat, *Nullam in eo cauſam mortis inuenio*, quod palam aduerſus expoſcentes, ſitienteſque ſanguinem conteſtatus fuerat, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*; impius tamen iudex lauit manus, vbi illis acriter verbis perculſus eſt; *ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe regem facit contradicit Cæſari*; Quibus auditis lotis planè manibus ſentētiam, & quidē iniuſtiſſimam, ſuæ teſtimonio conſcientiæ reus protulit. *In quo quidē* (vt Ambroſius inquit) *ſe Pilatus non diluit, ſed inquinauit, iuſtos enim non abſoluit ſententia, ſed vita.* Sed vide quanta in vno facinore crimina, *Iurauit* (inquit Ambroſius) *vt peieraret; lauit aqua manus, vt ſceleratiùs innocentis ſanguine inquinaret.* Sed ſacrilegam Præſidis ſententiam quātæ ſubſecutæ ſunt à tergo pœnæ. Innumeras planè infelix homo calamitates inde perpeſſus eſt; exturbatus quippe in exilium ab officio, ac præfectura tandem reiectus; breui calamitatum omnium compendio, manus, quas in Chriſti condemnatione impiè cruentarat, ſordidauerat que, abluendo, ſibimet è iudice carnificis, iuſto Dei conſilio partes obiturus intulit; ſed hic rem geſtam ex annalibus repetamus.

Excidit à gratia, qui gratię cauſa malè agit.

Amb. in pſ. 118.

Io. 18. 38.

Io. 19. 12.

Io. 19. 12.

Cæſarē gratiæ cauſa Chriſtus à politico neci addictus.

Amb. expoſ. in pſ. 61.

Non ſententia ſed vita, iuſtos abſoluit.

Lauit Pilatus manus, vt Chriſti cruore inquinaret.

5 Sub Olimpiade ducenteſima quarta, anno tertio Pilatum olim Iudeæ Procuratorem, miſeranda morte interijſſe, Euſebius ſcribit his verbis: *Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria ſe manu interfecit, vt ſcribunt Romani hiſtorici.* Hæc Euſebius; id ipſū Caſſiodorus in ſuo chronico affirmat. Viennæ autem in Gallijs id accidiſſe cum multi Baronio teſte, referant, Ado eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus rem hunc in modum deſcribit: *Pilatus, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, & ipſe*

Baron. tom. 1. an. 41. n. 23.
Ado in chron.

Tædio vitæ, qui vitam necarat, ſibi necem intulit.

Digitized by Google

Compendium malorum quæ rens in cumulum ſe conie-cit.

ipſe perpetuo exilio Viennæ recluditur: tantiſque ibi irrogante Claudio languoribus coarctatus eſt: vt ſua ſe transuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit. Quæ quidem verba ex Oroſio, vt Baronius ait, deſumpta ſunt, licet ipſe vix vllum de Viennenſi Vrbe, cuius mentio recurrit, verbum faciat. *Cæterum de profani* (vt ſubinfert ad rem Baronius: *de profani*, inquam *hominis interitu æquè Scriptores conſentiunt, ipſum ſumma deſperatione actum ſibi manus intuliſſe.*

Oroſius li. 7. c. 5

6 Atqui Pilato, qui Deum non nouit, iuſtitiamque penitus oblitus eſt, dum Cæſaris, Iudæorumq. gratiã in iudicio meminit, magno crimen pretio ſtetit; vt enim ſubdolus, palpo morem gereret Principi, ſuomet iudicium calculo ſubuertiſſe, inſontemq. Chriſtum reum pronunciãdo addixiſſe patibulo viſus eſt hominẽ, qui ſolus ab hominibus gratiam duntaxat merebatur; vt Iuglaris aptè in rem præſentem inuehitur;

Iuglar. elog. 57.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Perfidus, ambitioſuſq. Iudex, in accuſatorũ perfidiã tráſit. Principum, ac populi gratiã æquitati præponit.

Homo bulla
Ad primos vulgi fractus eſt flatus,
Oblitus illico Deum eſt,
Cum ſibi Cæſarem, plebemque propoſuit,
Abijt in accuſatorum perfidiam,
quam damnauerat:
Ita omnis fuit illi ratio furoris alieni,
Nulla muneris ſui.

Enim vero, vt populo, ac Sacerdotum liuori, haud muneri faceret ſatis, iniquis Deum legibus proſcripſit, ac innocentiam, quam omnia iura tutam, illibatamque volunt, cum ſuis minimè ſeruandam iuribus, ſed vt Principem beneuolum tibi faceret, proculcandam gratis putauit: hæc enim auctor in Pilatum iure merito intorquet:

Iuglar. vbi ſup.

Aptare legibus popularem veſaniam
Sperare nemo potuit, niſi veſanus;
Suetus attendere, quæ placerent alijs.
Non quæ ſe decerent
Facilitate crudeli
Perdidit ſemetipſum, & Deum,
Cautus vt eſſet, ac ſolers,
Ne ipſe quidem duobus
Seruire dominis potuit.
In eo venia non dignus,
Quod deteriorem reueritus,
Meliorem contempſit.

Deteriorem partem Iudex eligit.

At prætor, qui Cæſaris amicus eſſe maluit, quam Dei, ac Principum exambiuit magis gratiam, quam innocentium inter ſubſellia defenſionem, placendo quidem Lynceus, lippis autẽ oculis plectendo inſontem fuiſſe comprobatur, vt prælaudatus auctor inculcat:

Iuglar. elog. 60.

Et tu Cæſaris amicum te dixeris,
Qui metu tuo nequiorem illum indices.
Quam vt placere illi valeat iuſta decernens.
Atqui ſenſeras de Deo ipſo nil melius
Qui ad datam ab eo legem Iudæos dimitteres,
Ac ſi poſſet per illam licere,
Innocentis oppreſſio,
Quæ non licebat per tuam:
At popularis auræ captator
Ita quos places attendis,
Vt quem plectas non videas

Dum attendit quem placet, non videt quẽ plectit.

Iniuſtus quippe rerum arbiter, ne vnius gratiam perderet, iuſtitiam, ac innocentiam pariter iniquo iudicio perdidit. Ex quibus videre eſt quomodo qui Cæſaris gratiã calcatis iuribus ambitioſè ſectari non extimuit, Cæſarem infenſiſſimum ſubinde nactus pro admiſſo facinore, condignas Deo pœnas exigente, quem promereri ſategerat, in ſe vnum iuſtiſsimè concitauit, adeo vt contumeliam pro gratia, pro fauore exitium, ſuppliciumque vindicante numine conſecutus ſit.

7 Pari quoque, & haud abſimili calamitatis exitu æquè ambitioſus, ac profanus ille inter Sacerdo-

tes, omniumque profanorum hominum longè ſceleſtus Caiphas inuolui promeruit, qui humano potiſſimum retinendæ dignitatis, ac Iudaici Regni à Romanorũ manibus vindicandi ſtudio permotus, & tam honoris, quam ditionis tuendæ deſiderio, ac ſcelere præ cæteris irretitus, perdendi vitæ auctorem, ſua inter conſilia delirans, conſilium dedit, potiſsimaque necis Chriſto Domino inferendæ vnus ipſe cauſa extitit: Quærentibus enim Iudæis, vt ſacer textus exponit: *Collegerunt Pontifices, & Phariſei conciliũ aduerſus Ieſum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, venient Romani & tollent noſtrum locum, & gentem.* Quippe perditus ſibi, ac ſuis, vitæ auctorem perdendo conſulens, conſilium immane illud, publicæ Iudæorum rei excidium, omnimodamque Hieroſolymitanæ, ac ſuæ pariter cauſam cladis futuram, inſanus alter, ſua inter conſilia Architophelus dedit, inquiens; *Vos neſcitis quidquam, expedit vobis, vt vnus homo moriatur, & non tota gens pereat.* Chriſti igitur ſanguine, in cuius mortem perditi homines vna cũ impio Caipha, temporalia duntaxat exambiendo, ac malè conſulendo conſpirauerant, communem tam mænibus, quàm hominibus vaſtitatem, ac ruinam, vix vnquam inſtaurandam propinarunt; *Plus enim perditi homines* (vt Auguſtinus ait) *cogitabant quomodò necerent, vt perderent, quàm quomodo ſibi conſulerent, ne perirent. & tamen timebant, & quaſi conſulebant. Dicebant enim! Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, & ſic vtrumque amiſerunt.*

Caiphæ politici deliramẽtum.

Ioan. cap. 11. 47.

Excidium gẽti ſuę parat dũ flagitio amoliri illud putat.

Ioan. ſeq. cap. 11.

Auguſt. 49. in Ioan.

Male pereunt, qui nĕ pereant Chriſtum perdunt.

En tibi, vt ambitioſæ hominum mentes, atque exſecranda perperam cõſulentium ſtudia ſuis votis, conſilijſque fruſtentur; at iuſtam ſubinde numinis vltionem erga præcipuum malorum architectum, ac præ cæteris longè infenſum auitarũ legum, ac templi ipſius hoſtem Chaipham, pœnamque religioſo homini prauè, ac ambitioſè conſulenti inflictam videamus. Vitellius è Syria, cum ſuæ Paleſtina ditioni ſubiaceret, Proconſul à Tiberio deſtinatus fuerat, qui de more Prouinciam luſtrans in Iudæam proficiſcitur, Hieroſolymamque inuiſens honorificẽtiſsimè, vt Ioſephus ait, à Iudæis exceptus eſt, demùm cum multa ſubinde in gentẽ, gratificãdi, ac ſe beneficum exhibendi gratia præſtitiſſet, vt ſe ſcelerum quoque perditis, qui aderant hominibus, Dei nutu vindicem exhiberet, Sacerdotali munere Chaipham amouit, Ionatha illi ſuffecto, vt idem Ioſephus his planè verbis meminit: *Hoc gratificatus genti, & in locum Ioſephi Caiphæ Pontificis ſubrogato, Ionatha Anani Pontificis filio iter fecit verſus Antiochiam.* Infatuatum profectò eſt Architophelicũ diuinitus Chaiphæ conſilium, qui ſibi, ac ſuis innocentis profuſione ſanguinis, Deũque hominem humanæ ſalutis auctorem perdendo, conſulendum duxerat: *Venient, inquit, Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Infelix quippe homo à Romanorum Pręſidibus, à quibus adeo ſibi timebat, & quorum gratiam per fas, nefaſque ambitioſè quærendam edixerat, è Sacerdotij gradu amotus, eliminatuſque, iniuſtam quidem in Chriſtum Dominum, iuſtam verò in ſemetipſum, dum ſic conſuleret ſententiam protuliſſe comprobauit; ſed nunquid hac dumtaxat animaduerſione perculſus, pœnam ſceleris profanus

dedit?

Caiphas exauctoratus à Vitellio.

Ioſeph Iud. antiq. lib. 18. c. 6.

Ionathæ Anani filio in eius locum ſubrogato cedit.

Ioan. cap. 11.

Io. 11. 47.

Plectitur à Romanis quos ſcelere ſibi deuinxerat.

dedit? Dedit profectò pœnas longe acerbiores, nam qui gladium male conſulendo in innocentem perſtrinxerat, haud carnifici, vt par erat, addictus eſt, ipſe iuſtus ſibimet carnifex futurus, vitamque ſuis met manibus exciſurus. Sed Baronium interim haud obſcurè in ſuis annalibus, obſcuriſſimam hominis mortem notis hiſce deſignantem, ac prænotantem conſulamus.

Perditæ vitæ Authore ſibi vitam eripit. Baron. tom. 1. ann. 38. n. 3. Clem. conſt. lib. 8. c. 1. Niceph. l. 2. c. 10.

9. *Cæterùm ipſum Caipham vitæ pertæſum, mortem ſibi conſciſſe apud Clementem legitur, ſed & Annam malè periſſe Nicephorus tradit.* Hæc in rem præſentem Baronius, ex quibus cœco ambitu delirantes honorum, perditique homines, qui pares in criminibus, & in conſulendo vnanimes extiterent, pari quoque pœnæ addicti fuiſſe comprobantur. Hæc igitur qui legit, illa jugiter Bernardi verba meminerit, ſuoque ambientibus ambitu parari ſupplicia, dum virorum Principum gratiam aucupantur, intelligat. *O Ambitio*, (inquit) *ambientium Crux. Quomodo omnes torquens omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat.* Ambitioſi quippe ſuis, haud alienis crucibus configuntur, & ipſamet, quæ ſibi malis artibus conſtruxere, ſupplicia ſubeunt tolerantque. Funeſta quippe ſemper ſuis ambitio ſectatoribus ſub conuiuij finem, extremamque vitæ periodum venena propinat, ſupremamq; poſt blandas honorum inſularumque illecebras calamitatem intentare ceruicibus conſueuit. Quocirca Pallas, inter aulicos in Palatio primus, qui Claudij temporibus maxima apud Principẽ auctoritate pollebat, ſummaque rerum potitus, in toto Romano Imperio à Principe ſecundus habebatur, inuersâ poſtmodum fortunæ aleâ Neroni Cęſari, qui in Imperio ſuffectus eſt, maximè inuiſus inſenſuſque, ac eius demum iuſſu gladio ſublatus, haud ſolidam diuturnamque Magnatum, virorumque Principum fore gratiam, beneuolentiamque ſuo ſatis exemplo cunctos edocuit. Miſer quippe ijſdem planè modis, quibus Claudio gratus, acceptuſque immenſas coaceruando diuitias, & iam pridem turpiter adblandiendo deliquerat, fortuna ac Principis inſuper gratiâ abuſus, ineuitabilem demum Neronis iram ſæuitiamque incurrit. Qui enim arridente ſibi fortuna, & Principis aſpirante gratia, ſummos apices immenſaſque diuitias parauerat, his velut irritamentis alterius animo ad inuidiam, rapinamque ſimul incitato; vita pariter, ac bonis omnibus per ſummum dedecus expoliatus eſt, vt Baronius ex Tacito rem mutuatus in ſuis annalium paginis paucis admodum verbis complectitur: *Sed & auaritia Principis his coniuncta flagitijs, ditiſſimos quoſque libertorum, & inter alios Pallantem, penes quem fuerat ſumma Imperij tempore Claudij è medio ſuſtulit. Sed hæc Tacitus & alij plures.* Cõgruè autẽ Claudij gratia Pallanti ipſis ab oculis occidit, & quæ primos eidem faſces, opeſque ultrò detulerat, eius tandem funeſtiſſimam cervicibus cladem intentauit. Ni enim vir ambitioſe diues coacervatis opibus redundaſſet, haud Neronianam miſer inuidiam ſæuitiamque pariter incurriſſet.

Ambitio ambientium crux eſt. Bernard. l. 3. de conſid. ad Eugen.

Ambitio funeſta honores ambientibus.

Pallas à fortuna inter

Baron. 41. 64. num. 14.

Tacit. l. 15.

Vita, diuitijs, honoribus expoliatus.

10. Et vt ambitioſos hic magis magiſque orationis ſtylo perſtringamus, certe quidem Homines, qui intemperanter principum gratiam exambiendo, ſuam immortali Deo fidem infringere non verentur, velut mortalium nequiſsimi, ne dum à Dei regno, ſed ab ipſamet virorum principum aula & obſequio repelli,

Ambitioſi à Conſtantio Cloro in au la defecti mulctantique

& non ſecus ac nequam proditores, inuiſiq; proſcribi merentur. Quod ſapienti quondam conſilio Conſtantiùs Clorus Romani imperij princeps, dum optione ſuis data de ſectanda, quæ magis arrideret, religione, eos omnes, qui vt Imperatori morem gererent, eiuſque ſibi gratiam obſtringerent, nuncium Chriſto ſub perſequutionum procella dediſſent, ſuo e conſpectu abſcedere protinus iuſsit, ablegatoſque à palatio, nullam eis, qui orthodoxam Chriſti abnegaſſent, deferendam vltrò fidem cenſuit: ex quo miſeri ambitioſique deſertores, & Chriſto, ac principi ſimul contumelioſi, innumeris addicti calamitatibus, & Dei ac principis orbati gratia pro eiuratæ fidei diſpendio, contemptuque, incommoda, contumelias, pœnaſque, ac triſtem denique exitum elucrati ſunt. Sed Euſebium iſthæc in ſuis paginis prolixius enarrantem audire pręſtat.

Euſebius in vit. Conſtan. tij. lib. 1. c. 9. & 10.
Baron. an. 304. n. 17. 18.

11. *Cum magiſtratus in ſingulis prouincijs ex Imperatorum mandato pios homines paſſim inhumanè, & grauiter perſequerentur, & ſancti martyres, qui in Ipſis Imperatorum palatijs verſabantur primi omnium certamina pro pietate obirent, ignemque, ferrum, vaſtos maris gurgites, omnia denique mortis genera ſumma cum animi alacritate, & tolerantia ſubirent, vſque eo, vti breui Imperatorum regiæ ſanctis viris eſſent omnino orbatæ, (quæ res auctores maleficij clementi Dei obtutu, curationeq; prorſus priuauit; quippe qui dum homines pios inſectarentur, etiam eorum preces inſectati ſunt, & abſque ſe penitus euerterunt) ſoli Conſtantio ſapiens quædam, & ſolers animi occurrit cogitatio: & facinus facit, vt incredibile auditu, ita factu in primis admirabile. Nã illis, qui in regia ipſis inſeruiebant, libera data optione (quæ etiam illis, qui aliquem dignitatis gradum in familia eius obtinebant, delata fuit) hanc tulit conditionem: vt vel dæmonibus immolando integram haberent poteſtatem, tum apud ipſum commorandi, tum conſuetis honoribus perfruendi, vel ſi minus hoc exequerentur, aditu ad ipſum prohiberentur, & à conſuetudine ipſius, ac familiaritate penitus repellerentur, reijcerenturque:* Sapientiſſimus quippe vir pari prudentia, ac virtute ſuffultus optimè coniectabat, quod cum in quibuſq; arduis rebus ſub rationis imperio homines metu potiſſimum, ac ſpe ad virtutes, & vitia concitentur & ad cuncta, quę aggrediuntur, aut agũt, hoc vno mouentur impulſu, ne videlicet quid aduerſi incurrant, vel certe vt bonum, quod ſibi in optatis eſt, conſequantur, hominum, & ambitioſorum preſertim fides ad lydium lapidem, vt certum caperet experimentum, probanda ſibi viſa eſt; quid igitur in re tam ambigua pręſtitit, videamus.

Chriſtiani commentitij ex aula, retecta fraude, reiecti.

A Chriſti fide & Principis item gratia excidũt.

Euſebius vbi ſupra.

12. *Poſt quam igitur (Euſebius inquit) in duas partes dirempti fuerunt, alijque in hanc, alij in illam ſegregati: illico ſinguli quo animo eſſent, & inſtituto perſpicue oſtenderunt. Ibi tum admirabilis ille Conſtantius commento, quod celatum erat, ſtatim poſt patefacto, quorundam timiditatem, & nimium amorem, quo ipſi ſe, ſuamque vitam complectebantur, vehementer alios coarguit: ob ſinceram, & integram erga Deum mentem approbauit plurimum. Illos deinde tanquam Dei proditores, Imperatoris ſeruitio indignos cenſuit: Quomodo enim (inquit) fidem erga Imperatorem ſeruare poterunt inuiolatam, qui aduerſus Deũ Optimum Maximum perfidi eſſe manifeſto conuincuntur? Quapropter hos procul à regali ſuo domicilio ſtatuit amandandos: illos vero, qui veritatis teſtimonio digni Deo fuere comprobati, ſimiles erga*

Qui Deo infidi ſũt, haud principi fidẽ ſeruant.

Impe-

Digitized by Google

Imperatorem fore affirmans, ſtipatores ſuos, & ipſius regni cuſtodes conſtituit: inquiens id genus hominum in præcipuis maximeq; neceſſarijs amicis & familiaribus numerandos eſſe, multoque pluris quam æraria ingenti theſauro referta merito æſtimandos. Huc vſque Euſebius, eademque Sozomenus habet; ex quibus ambitioſos domeſticos homines, & Chriſti cultores, qui ſolam Principis gratiam ſperabant, uti commentitios planè Chriſtianos, domeſticoſq; ubi opportuna ſe offerret occaſio, tam facilè Imperatorem, quàm Chriſtum deſerentes, ac ęquè in Deum, ac Principem impios rebelleſq; futuros, haud dubio ille argumẽto coniiciebat.

Proditores Principis agnoſcuntur, qui fidem Deo infregerant.

12. Ambitioſi igitur, qui vt Principis ſibi oculos, animumque concilient, peruertere jura, proculcare juſtitiam, inſontes opprimere, ac vniuerſas rapinis, ac cędibus prouincias, ipſam demum Romanam aulam contaminare non dubitarunt, triſtes tandem exitus ſortiti ſunt. Quod his potiſſimum, qui Cõſtantio Imperatori Arrianorum coryphęo acceptiſſimi fuerant inprimis contigit; eos enim Iulianus, qui vbi primum Romani Imperij principatum accepit, publicis expoliatos muneribus gladio iuſtiſſimè ſubiecit. Namque breui temporis interlapſu, incerta rerum alea, in præcipuos Romani Imperij adminiſtros, in quos Conſtantius adeo beneuolus pridẽ fuerat, quam rigidus ſeueruſque Iulianus ſubinde extiterit, & quas ex eiſdem eorumque ſceleribus in fratris odium, vltionem iuſto Dei iudicio expeticrit, conſcriptæ ab eo epiſtolæ orbi teſtatiſſimum faciunt; enimuero Iulianus poſt Cõſtantii obitum orbis imperium accepiſſet ad Hermogenem AEgypti Præfectum ſcribens, amarulento in ambitioſos rerum publicarum, prouinciarumque ſub fratre miniſtros ſtomacho iſthęc edixit. *Permitte mihi iuxta Poetas dicere: O me præter ſpem ſeruatum! O nuncium præter expectationem allatum, quod euaſerĩ, non me hercle hydrã multorum capitum fratrem meum Conſtantium (fuit is qualis fuit) ſed belluas ipſius comites, quæ oculis vnumquemque expetebant, quæque illum reddebant atrociorem, qui per ſe non admodum clemens erat, licet malus eſſe videretur. Verum illi, quandoquidem à vita iam exceſſit, terra (vt aiunt) ſit leuis. Iſtos autem iniuſtè pati quidquam velim, ſcit Iupiter: ſed quia accuſatores nacti ſunt multos, in curiam aduola, videre enim te mediusfidius cupio & nunc cum te ſaluum eſſe libentiſſimè audiuerim, venire te iubeo.* Ex quibus, ut ritè Baronius adnotat, infeſtiſſimo Iulianum fuiſſe animo, tum in Conſtantium, tum aduerſus Conſtantii aulicos, & Magiſtratus innoteſcit; de perditis autem illis, qui malis Conſtantii Imperatoris gratiam artibus honorum ambitione adducti exquiſierant, Iulianus item ad Antiochenos his verbis meminit: *Vtinam vobis ſolis ex omnibus Romanis dent Dij multos Conſtantios, vel potius amicorum eius rapinas experiri.* Qua ratione in perditè ambitioſos, criminoſoſque prouinciarum pręſides Iuliano inuehente, factum eſt (Baronio teſte) *ut qui ob impietatem aliàs execrandus videri potuerit, idem Iulianus hac ex parte etiã Chriſtianis optatiſſimus videretur.* Ad quod Mamertinus dum ob delatos ſibi Conſulares faſces gratias agit, his verbis viſus eſt alluſiſſe: *Exhauſtæ* (inquit) *prouinciæ non minus exitialibus quàm pudendis Præſidentium rapinis, vltrò opem Imperatoris expoſcerent.* Hæc ille.

Iulianus ambitioſos inſequitur.

Baron. ann. 361. n. 7.

Iulian. apud Herm. ex. 13

Qui Magiſtratus ambitione delinquendo obtinuerũt, exagitat, amouetque.

Baron. ubi ſup.

Vind x Apoſtata à Deo ambitioſis Arrianis decretis.

Iulian. in Mytiia.

Baron. ubi ſup.

Mamert. in ſuo lib.

13. Condignum verò perditis, vitioſiſq; ſuis, ambitio cultoribus præmium detulit, dum poſt Imperatoris

Digitized by Google

gratiam, & nonniſi ſcelerum, malarumque artium lenocinio adeptam ad ſuas exſaturādas, quibus captiui tenebantur, cupiditates, prouincias, ac regna rapinis paſſim, cædibuſque perderent, peſſundarentque, iuſtam demum Apoſtatæ pro mercede iram ſubiere; quod peculiari ipſius Dei nutu accidiſſe nemo ſapiens non videt, vt lynceus in ſuis hiſtoriarum paginis Baronius hunc in modum adnotauit: *Magna planè Dei prouidentia factum eſt, vt tale monſtrum prodierit, Imperator in ultionem Conſtantij Magiſtratuum, atque domeſticorum, qui in gratiam eiuſdem Imperatoris fauentes Arrianæ hereſi, magnis moleſtijs Catholicos afficerēt: ut inter alios Taurus anni huius Conſul ordinarius, qui impietate Conſulatum promeruit, dum vocans ex vniuerſo orbe Occidentali Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos ad Ariminenſe Concilium tyrannicè detentos affixit. Quid autem tum hic, tum collega Florentius, quid in primis Palladius Magiſter Officiorum, & Euagrius Comes, quorum mentio eſt apud Athanaſium, quid Euſebius ille Eunuchus Præfectus cubiculi, qui omnium cladium, quæ ab Arrianis in Catholicos illatæ ſunt, auctor extitit, vel fautor acceſſit, quidue alij paſſi ſint, Ammianus accuratè recenſet.* Ex quibus æquo ſanè iudicii calculo, quos potiſſimum ambitio, atque improbitas Conſtantio gratos, acceptoſque imprimis reddidit, eoſdemque ſubinde vitia, perditique mores, ac malè publica res adminiſtrata Iuliano inuiſos, infenſoſque præ omnibus renunciauit, adeo ut apud unum ipſi cum ſuis ſceleribus gratiā, apud alterū verò Imperatorem acerbam pro ſuis ſceleribus pœnā, vltionemq; promeruerint. Sed quam iuſta Imperatoris in perditos domeſticos, ambitioſoſq; animaduerſio extiterit, ex his quę aptè Ammianus ſuggerit, compertum ſit, hęc enim ille de horrifico tribunali apud Calcedonem conſtituto his verbis narrat:

Qui rapinis prouincias afflixerant, pœnas exoluunt.

Baron. ubi ſupr.

Quàm perdite ambitioſi Magiſtratus obierint.

Apoſtata faternæ gratiæ ſectatores gladio enecat.

14. *Breui deinde ſecūdo Saluſtio Promoto Prætorio Præfecto ſummā quæſtionē agitandarum, vt fido, commiſit Mamertino, Arbetione, & Agilone, atque Neuitta adiunctis, itidemq; Iouino Magiſtro Equitum per illyricum recens Præfecto: qui omnes tranſgreſſi Calcedona, præſētibus Iouinianorum, Herculianorumque Principibus & Tribunis cauſas vehementius æquo, bonoque ſpectauerunt, præter paucas, in quibus veritas reos nocentiſſimos offerebat: & Palladium primum ex Magiſtro officiorum in Britannos exterminarunt, ſuſpicione tenus inſimulatum quædam in Gallum compoſuiſſe apud Conſtantium, dum ſub eodem Cæſare officiorum eſſet Magiſter. Deinde Taurum ex Præfecto Prætorio in exilium egere Vercellū: cuius factum apud Iudices iuſtorum & iniuſtorum diſtinctiores videri potuit vini plenum: quid enim deliquit, ſi ortum turbinem veritus ad tutelam Principis ſui confugit? Et acta ſuper eo geſta non ſine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordiū: Conſulatu Tauri & Florentij, inducto ſub præconibus Tauro.* Et paulò pòſt: *Iniquitate ſimili Florentius tunc Magiſter officiorum Nigriani filius contruſus eſt in Inſulam Dalmatiam Boas, alter enim Florentius ex Præfecto Prætorio Conſul etiam tum rerum mutatione territus ſubita, cum coniuge periculis exemptus diu delituit, nec redire ante mortem potuit: cuius crimine tamen damnatus eſt abſens. Pari ſorte Euagrius Comes rei priuatæ, & Saturninus ex cura Palatij, & Cyrinus ex Notario portati ſunt in exilium.* Quibus enarratis ſermonem de iuſtis in infames apud Principem gratię nundinatores animaduerſionibus proſequēs, ac de Tauro pręſertim,

Ammianus lib. 22.

Taurus quā cornua in Chriſtū erexerat, à Iuliano impetitur.

qui

qui in Chriſti Eccleſiá cornua erexerat, atroces aliis ſuppliciorum pœnas illatas meminit; & ſiquidem de morte dãnatis nempe Vrſolo Comite largitionum Apodemio agente in rebus, & Paulo cognomento Catena, viuis combuſtis ſubinde ſermonem faciẽs: demum de Arrianorum patrono Euſebio cubiculi Vicepręfecto, prę cunctis ambitioſiſſimo, & apud Conſtantium gratiâ præpollente hæc habet.

Vrſolus & alij ambitionis æſtu ſibi flammas ſuccendunt.

Ammianus vbi ſupr.

15 *Euſebium ſuper his, cui erat Conſtantiani thalami cura commiſſa, altè ſpirantem addixere, & dirum pœnæ lethali: quem ab ima ſorte, ad vſque iubendum Imperatori penè elatum; ideoque intolerabilem humanarum rerum ſpectatrix Adraſtia aurem (quod dicitur) vellens, monenſque, ut caſtigatius viueret, reluctantem, præcipitem tanquam è rupe quadam egit excelſa.* Quibus demum coronidis inſtar homini apud Imperatorem gratia, fauoribuſque præcipuo, malis ad ſummam fortunę aleam artibus prouecto Baronius inſerit: *Hunc tandem finem ſortitus eſt impius erga Deum, & aduerſus ſanctos Epiſcopos contumelioſus, cuius in Catholicos, Catholicamque fidem patrata ſcelera tertius Annalium tomus continet.* Hæc ille. Porrò cum in præcipuos quoſque Pręſides Iuliani gladius deſæuiret, aulicis, palatiniſque hominibus, qui intimi apud Conſtantium, eiuſque impietatis tum conſcii, tum adminiſtri fuerant, haud pepercit, vt Ammianus his verbis teſtatur: *Conuerſus eſt poſt hæc Princeps ad Palatinos homines omnino, qui ſunt, quiue eſſe poſſunt, non vt philoſophus veritati indagandæ profeſſor: laudari enim poterat, ſi ſaltem moderatos quoſdam licet paucos retinuiſſet, morumque probitate compertos. Namque fatendum eſt plerumque eorum partem vitiorum omnino ſemina-rium effutius aluiſſe; itaut rempublicam inficerent cupiditatibus prauis, pluſque exemplis, quàm peccandi licentia læderent multos. Paſti enim ex his quidam templorum ſpolijs, & lucra ex omni odorantes occaſione &c.* In hæc planè ſcelerum probra domeſtici Conſtantii Imperatoris obſequio addicti, vtpote ambitioſi apud eum primas nacti turpiſſimè proſilierant, in quos Iulianus arcano Dei nutu vindex alioqui iuſtiſſimè decretus exarſit; de quibus hęc Baronius. *Hoc* (inquit) *anno, quo aulici omnes Conſtantij ab eodem, vel capite malè mulctari iuſſi, vel eiecti fuerunt: in quos audiuimus, & retulimus ſuperiori tomo querelas Sanctorum Epiſcoporum, potiſſimum verò Athanaſij in eunuchos, maximè Palatinos, quibus ne quis ſuffragator accederet, ſancita lege eundem Iulianum vetuiſſe idem Author affirmat.* Porrò tam rigidum, conſtãtemque Iulianus in Conſtantium, & in vindicandis aulicorum ſceleribus ſeipſum exhibuit, ut de Euſebii nece, pulſiſq; ab aula, qui tũc apud eũ gratia pręcellebãt, eunuchis hęc Socrates tradat: *Lege ſanciuit, vt illis quibus ab Eunuchis facta fuiſſet iniuria, facultates iniquè abreptæ redderentur, & eæ potiſſimum quæ ijdem ex Deorum fanis expilatis ſibi vendicaſſent.* Iuſto igitur Numinis conſilio ambitioſi, qui iniquis, ſubdoliſque apud Imperatorem artibus pridem inualuerãt, & tunc in publica adminiſtranda re pręcipui in omnium oculis habebantur, eorumdem ſceleribus retectis, ac palam factis (haud enim quod publicum erat, cunctaſque prouincias occuparat, dedecus latere potuit) mulctas, exilia, deportationes, acerbiſſimaſque demum in anteactorum ſcelerum pœnam, vaſtitates, ac inſuper clades retulere.

Multiplex ambitioſorum Aulicorum clades.

Baron. vbi ſup.

Omnes è medio ſublati.

Amm. l. 22.

Ambitio vitiorum nutrix, malorum fons & origo.

Baron. an. 361. n. x.

Ambitioſi diuitias malè partas regerunt.

Socrat. l. 3. c. 1.

Nunquam ſera Dei vltio.

16. Inter

16. Inter quos etiam inſanè ambitioſos Ecebolius magni nominis Rethor iure merito adnumerandus eſt, qui ſub eodem Iuliano, ne ab eius, cui gratus erat, beneuolentia excideret, à Chriſti turpiter fide deſciuit, & ex Chriſtiano ethnicus euaſit. Haud enim inter ea animi conſtantia, qua Cæſarius malè ſuadenti Imperatori in faciem reſtitit, ſed vanâ honorum ſpe titillatus, ne gradu caderet, à Deo mortalium infeliciſſimus defecit; de quo iſthæc Baronius: *Verùm non eadem animi conſtantia infractus permanſit aduerſus aurea tela, ipſa, inquam, mellita Iuliani verba Ecebolius Rethor magni nominis, idemque Chriſtianus: qui turpiter manus dedit apoſtaſiæ, factuſque eſt Chriſtianæ religionis deſertor. Erat hic inſeruiens tempori, & pro Principum religione fidem ipſe quoque mutabat.* Euſdem quoque Socrates diſertis verbis meminit, dum etſi eum poſtmodum facti pœnituiſſe, ac Iuliano extincto ad priſtinam remeaſſe religionem his planè verbis affirmet: *Ex his unus erat Ecebolius Sophiſta Conſtantinopolitanus, qui quidem ſe ad Imperatorum ingenia, ac naturam conformans, dum Conſtantius regnabat, ſe ardenter fidem Chriſtianam amplecti ſimulauit: dum Iulianus potiebatur Imperio, gentilitatem magnopere colere præ ſe tulit: Iulianoque mortuo, religionem Chriſtianam denuò profiteri in animum induxit; nam ante portam Eccleſiæ ſe pronum abijciens, ſic vociferatus eſt: Me quaſi ſalem infatuatum pedibus non calcate.* Hæc Socrates. Quod verò ait, hominem Chriſtianam fidem ſub Conſtantio profeſſum, eamdemque iterum fuiſſe amplexum, haud de orthodoxa, ſed de ea, quam Arrianorum ſecta profitebatur, intelligendum videtur, ut Baronius his verbis tradit: *Verùm cùm hic in gratiam Conſtantij Chriſtianiſmum profeſſus dicatur, procul dubio eiuſdem perfidiæ Arrianæ, qua Imperator imbutus erat, fuiſſe ſectator, affirmare penè videtur. At quod ab hæreſi ad ethniciſmum prolapſus eſſet, fuit Iuliano percarus: quilibet enim transfuga ex hoſtium caſtris deficiens, ab adverſarijs vultu hilari, ac grato excipitur animo.* His Baronius inſtabilem Ecebolii animum, ambitioſamq; pro retinenda, conſervandaque Imperatoris amicitia, etſi cum manifeſto ſuæ religionis propudio inſaniam perſtringit, at verſipellis, ambitioſuſque iſte in religionis negotio Protheus triſtem ambitioſę Arrianorum perfidię demum finem, ut cęteri, ſortitus eſt.

Cæſarius magis Dei, quàm Principis gratiã curat.

Baron. an. 362. n. 13.

Socr. l. 3. c. 11.

Ecebolius ambitioſus tempori, ac fidei morem gerit.

Baron. ubi ſupr.

Ab hæreſi in ethniciſmum prolapſus, ad hęreſim reuerſus eſt.

17. Et unus quidem præ cæteris (ut rem proſequamur) Theodoricus Gothorum Rex ſuis homines Principibus malè adblandientes, eorumdemque animos prauis, impiiſque geſtis, ac aliis dedecorum notis gratos benevoloſque ſibi reddere ſatagentes adeò inuiſos, exoſoſque habuit, ut nedum eos inter ſuos domeſticos deuotoſque, ſed inter apprimè ſibi infenſos, apertoſque hoſtes computârit, quibus deinde pro beneficiis contumelias, necemque pro gratia, quam ardentiſſimè exambiebant, inferret. Quamobrem cùm quiſpiam illi acceptiſſimus, quo magis Regium ſibi animum demereretur, Catholicam fidem, quæ conſubſtantialem Patri Filium inprimis profitetur, ad Arrianiſmum ultrò tranſvolans eiuraſſet, id ubi Theodoricus reſciuit, Dei iniuriam, ſuam reputans, dubiamque ſibi tam immani ſcelere oppignoratam alterius fidem ratus, in eum protinus non ſecus ac in manifeſtum non tam Chriſti, quàm ſuæ proditorem gratiæ animadvertit, ambitioſamque

Theodoricus ambitioſum aulicum obtruncat.

Baro. an. 494. n. 18.

ſamque perditi hominis ad ſuam promerendam gratiã perſtricto gladii mucrone cupiditatem pręſcidit: ut Nicephorus his verbis teſtatur. *De Theodorico quidem huiuſmodi hiſtoriæ tradunt. Miniſtrũ is quendã, ſaniorem fidem ſectantem vehementer inſano amore proſequebatur, & ad voluptatem eo abutebatur. Et ille, ut quæ grata, placitaque ei eſſent, faceret, à conſubſtantialis fide deſciuit ad Arrianiſmum. Quod ubi Theodoricus comperit, caput illi, quem tanto tempore amauerat, reſecuit, inquiens: ſi Deo fidem ſinceram non ſeruaſti, quomodo mihi, quia homo ſum, conſcientiam bonam præſtabis?* Hæc Nicephorus, eademque Zonaras, & Cedrenus in ſuis paginis numerant, id ipſum Theodorus lector in poſteriori collectaneorum libro diſertis verbis affirmat.

Niceph. lib. 16. c. 45.

Haud ulla fides Chriſti perſecutoribus habẽda.

18. Et multa quidem Theodoricus ipſo ſui regni exordio, quæ laude ſunt digna quidẽ pręſtitit, dum ut beneuolos ſibi ſubditos redderet, reis vincula laxauit, captiuoſque munifica manu redemit, & Catholicis nedum pertinaciùs (ut hęreticis mos eſt) moleſtiã non exhibuit, ſed omnibus eos officiis proſequens, in ambitioſos quoſque, qui ſibi adblandiri cupientes, orthodoxæ religionis nuncium remitterent, palam ſæuire non deſtitit; ſed præſtat hic ipſum audire Baronium: *Adiecit autem Theodoricus, quod licet Arrianus eſſet, Catholicis bene uſus eſt, non tamen nihil negotij illis more hæreticorum faceſſens, ſed & indulgens, & gratijs ornans, & omni officiorum genere proſequens, deque illis bene mereri in omnibus ſtudens, adeo ut ſe ægro animo, indignoque ferre monſtrarit, ſi quis in eius gratiam à Catholica fide ad Arrianam ſectam, cuius ipſe cultor erat, transiret: quod & aliquando eiuſmodi facto egregio declarauit à Nicephoro & alijs deſcripto.* Hęc Baronius, enarratis adſtipulator accedens, quo quidem Theodoricus rex egregiè præſtito ingratam prorſus, infidamque ambitioſis virorum Principum gratiam, ad quam cum Dei iniuria, diuiniſque violatis legibus contenderent, fore procul dubio declarauit.

Hoſtes Chriſti principi aduerſantur.

Baron. ubi ſupr.

Theodoricus Catholicis bene uſus, ſuę adhærentes fidei execratur.

19. At demum Beliſarius ab horum numero ſegregãdus non eſt, qui ambitione illectus totis animi neruis Iuſtiniani Imperatoris gratiam aucupari ſtuduerat, dum malis ſubinde artibus Theodoræ Auguſtæ (uti aulicorum mos eſt) gratiam quærit, deperitque, redactus miſer in ordinem, è ſummo rerum humanarum apico in miſerandæ foueam ſeruitutis, calamitatemque inexpectatam, bonis, oculiſque priuatus cecidit. Verum enim vero is unus quantum cæteris in principis aula præcelleret, ac quanti eum Romani orbis dominus faceret ex eo compertum fit, quod ac ſi ipſe ſecundus à Principe eſſet, percuſo Iuſtinianus numiſmate in vna parte ſui imaginem, in altera Beliſarium armatum, haud dubio conſtantis patentiſq; in eum amoris argumento effinxerit, ut Cedrenus his verbis tradit: *Adeo autem acceptus fuit Iuſtiniano, ut is percuſo nummo, in altera parte ſe, in altera parte Beliſarium armatum effinxerit, cum inſcriptione hac: Beliſarius Romanorum decus. Verum enimvero inuidia, ut ſolet rebus proſperrime ſuccedentibus inſidiari, Beliſariũ quoque adorta eſt, ut is per calumniam delatus, & Magiſtratu, & honore ſit exutus.* Hæc Cedrenus. Sed & Conſtantinus Manaſſes cum in ſuis id ipſum Annalibus affirmet vehementi iſtiuſmodi inuectiua probroſum (ut Baronius ait) Imperatoris inſectatus eſt facinus, ubi res à Beliſario præ-

Beliſarius ambitione cœcus, à fortuna deiectus excæcatur.

Baron. ann. 561. n. 6.

Cedrenus Conſt. Manaſſes in Annal.

Quantum gratia apud Iuſtinianũ valeret.

Baron. ubi ſupr.

Conſtantin. Manaſſes apud Baron.

præclarè geſtas fuſius enarrat.

20. *Sed hæc* (inquit) *inuidiæ ſceleratiſſimæ placebant, qua propter honeſtiſſimam Diuis famam partum æquis oculis intuebatur, & toto impetu gloriam eius oppugnabat: Nam vulgo quod dicitur, quid ſit utile, ignorat inuidia:*

Ob inuidiã ambitioſus homo miſer effectus.

Quamobrem vir fortunatus, magnus copiarum ductor, qui formidabilem Coſrhoem Perſarum principem exterruerat, qui reges ſeruitutis iugo ſubiecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique Mauortius, & in prælijs animo leonino præditus, immanis belluæ, nimirum inuidiæ dolis circumuentus, abſque milite propugnatoribus pharetratorum turba ruinam indignam, & lacrymis deplorandam ruit. Factus eſt (heu miſer) pupillo nudior, calicem calamitatum largiter hauſit: ceu fugitiuum quoddam mancipium rebus ſuis uniuerſis ſpoliatus eſt: eoque denique loci redactus eſt, ut (heu ſortem acerbam) carnificem expectaret, quando ceruicem ei gladio ſecturus eſſet. Huc uſque

Incerta fortunæ alea.

Conſtantinus de calamitatibus iſti inflictis, qui gratiæ Imperatorum adeo cupidus extitit, ut primas apud Iuſtinianum Imperatorem ſit aſſequutus: Quę quidem funeſta eius probra in inuidiam, veluti cunctorum cauſam malorum pręmemoratus auctor ſtylo pugnans, & alii pariter, Baronio teſte, in eodem argumento verſantes, fortunam proditoris incuſant.

21. Verũ ut ab altiori principio calamitatum eius cauſa repetatur, ethnicorũ iſthæc quidem lamenta ſunt, non Chriſtianorum, qui cum cuncta è prouido diuinę bonitatis fonte manare profiteantur, altius in rem pręſẽtẽ philoſophando haud caſũ, fortunãque incuſent, ſed pręterita hominis impiaque geſta recolentes, diuinam procul dubio vindictam in cauſa eſſe intelligunt, quam imprudens quiſpiã

Imperatricis gratia Beliſarius deliquit.

inuidẽtię dũtaxat tribuit atque fortunę. Quia autẽ ex ſentẽtia Sapiẽtis, *Altiſſimus eſt patiens redditor*, cũ interdũ peccata patrũ in filios, nepotes, ac pronepotes reiicit, haud quis ſerũ, lentãque Baronio teſte vindictam iudicabit, qua ipſum viderit peccati proſequutum eſſe auctorem: Beliſarius quippe dum Imperatrici Theodoræ temeritati potius, quam voluntati obſequitur, eiuſque ſibi gratiam iniquis conciliare modis ſatagit, ſacrilegus in Deum, ac Chriſti Sacerdotes factus violentas in eoſdem manus injicere non dubitauit, ſed iuſtiſſimo perculſus calculo nedum Imperatoris gratia, ſed & omni item honorum gradu excidit, & miſere vitã finiuit, ut Baronius his verbis proſequitur: Baron. ubi ſupr.

Vt igitur æqua libra expenſam in Beliſarium cælitus Deum iaculatum eſſe vindictam: hic ob oculos pone, quæ in ſanctiſſimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem Siluerium in gratiam Theodoræ Auguſtæ Romanæ Beliſarius aliquando perpetrauit, quorum etſi pœnituiſſe poſtea viſus ſit, tamen quod honor regis iudicium diligit, licet culpa peccantem abſoluat, ob quam perpetua gehenna dignus erat, haud ſemper pœnam in præſenti vita luendam omnino remittit: ut inter alia exempla, quibus affluit diuina Scriptura, de Dauid patet, expreſſum cui licet peccatum à Deo dimiſſum Nathan annunciauerit, pœnam tamen in præſenti vita ipſi à Deo infligendam demonſtrauit. Quam autem immane ſcelus, atque pauendum etiam dæmonibus ſacrilegium iniicere manus in Chriſtum Domini, unctumque in Sanctum Sanctorum, ex illa ſatis ſit ponderare ſententia Domini, quà ait: Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei, vel cum minatur: Qui ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut mola aſinaria appendatur

Impias manus in Chriſti Vicariũ protendit.

Qui alios mendicos fecerat, ipſe mendicare compulſus.

datur

Digitized by Google

datur in collo eius, & deiiciatur in mare. Sed quis præterea ſi ſceleris immenſitatem conſideret, incuſare poterit, & non admirari potius diuinum iudicium iuſtè latum in Beliſarium cum experiri ipſe coactus ſit, quod (ut ex Procopio dictum eſt) pati caoctus eſt Ioannes Conſul, atque Præfectus Prætorio inſignis Patricius, qui reuera ob inopiam compulſus eſt mendicare. Hęc Baronius, nos verò interim inuerſę fortunę, ac Beliſarij calamitatum cauſam fuiſſe credimus, quod nimirum præter Dei leges, & conſcientię pręſcriptum mulieri regię adblandiri ſtuduerit, ob quod in immania quęque facinora prolapſus ab ipſiuſmet Imperatoris, Deique amicitia, ac fauore exciderit, ſed de eo nos alibi.

22. Hi igitur qui virorum Principum perperam, ac ſubdolè gratiam aucupantur, infelici tandem exitu non aliud, quam principis odium pro gratia, & pro honoribus clades referunt. Quod certe Volſeo contigit, qui cum apud Enricum VIII. Anglię regem gratia pręcipuus, diuortij inter ipſum & Caterinam cauſa fuiſſet, è gratia principis excidit, cunctaque triſtia incurrit, illud dictitare ſolitus; *Ego quia non Dei, ſed regis fauorem quęſiui, hinc Dei gratiam amiſi, & regis non acquiſiui.* Quod & pleriſque qui principum fauoribus adnitebantur, contigiſſe comprobatur, ut S. Bernardus ambitioſos principum, ac ſęculi ſectatores perſtringens in hunc modum proſequitur: *O ſeculum nequam, quod ſolos tuos ſic ſoles beare amicos, ut Dei facias inimicos. Inuenit Aman gratiam apud regem Aſſuerum, hæc illi gratia crucem peperit. Inuenit gratiam apud Abſalonem Achitophel, hæc illi ſuſpendium attulit.* Et hęc pauca ex multis de ambitioſe virorum principum per malas artes gratiam affectantibus enarraſſe voluimus, dū interim ad alios ſtylum conuertimus.

In lib. 10. rerum Angliæ.

Volſeus diſcordiarum inter principes auctor à principis gratia excidit.

Bern. epiſt. 107.

CAP. V.

Qui humanos honores ambiunt.

1. NVllus mortalibus ambiendi finis, nullus eſt modus; inde fit, ut vix quiſque honoris, quē concupierat, gradum adeptus auidas ad ulteriora manus extendat, & non contentus obtentis, ad ſummos rerum apices aſpiret, totiſque viribus enitatur. *Ambitio quippe* (ut moralis aiebat Philoſophus) *tumida res eſt, nec ullum habet terminum; nemo enim eorum qui in republica verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur aſpicit, & nulli tam iucundum eſt, multos poſt ſe videre, quàm graue aliquem ſupra ſe.* Hic affectus olim Romę inter duos potentiſſimos ciues pertinacem illam contentionem, & reipublicę pernicioſam iniecit, de qua eleganter Lucanus.

Nec fert Pompeiuſque parem, Cæſarque priorem.

Inſanam igitur hominis, obſtinatamque pręcellendi cupiditatem deteſtatus Philoſophus: *Vnum* (inquit) *ante ſe ferre non potuit, cum reſpublica ſupra ſe duos ferret.* Et eo uſque malignitatis leuior hic ſui initio, ac remiſſior morbus excreuit, cum ciuiles, & infra leges poſiti honores à modeſtioribus ambiebantur: pręturę, inquam, & Conſulatus, quos tamen ſapienter reprehendens idem Philoſophus: *Vt unus* (inquit) *ab eis numeretur annus, omnes ſuos annos conterent.* Atqui honores, quorum vel primo aſpectu tam ſpecioſa arridet facies, triſtes plerumque exitus conſequūtur, iamque

Ambitio humana modū non habet.

Seneca epiſt. 95.

Lucan. in carmin.

Duo ciues inter antiquos Romanos pertinaciſſime ambitioſi.

Conſulatus olim maxime exambitus;

Sen. ubi ſup.

Digitized by Google

matura votorum ſpe,conatuque, immatura à tergo mors obrepere conſueuit, ut hic ipſe Scriptor his verbis proſequitur: *Quoſdam cum in ſummum ambitionis inter prima luctantes ætas reliquit. Quoſdam cum in conſummationem dignitatis per mille indignitates irrepſiſſent, miſera ſubit cogitatio, ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri.* Funeſtus igitur, qui ambitioſorum votis obuenit finis, vanas, futileſque hominum cupiditates prodit, arguitque.

Senec. de breuit. vit. c. 19.

Ambitioſorum infelices exitus, commiſerãdique.

2. Enim vero cœca mortalium tot inter calamitates ad aucupandos honores contendentium cupiditas, non mediocris humanæ commiſerationis materia eſt; egregiè Tertullianus quoque; *Illos* (inquit) *qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget, incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumelijs eniti in cauſa votorum ſuorum.* Et paulò infrà: *Idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* Hæc Tertullianus. Ex quibus profectò unumquemque in affectandis captandiſque honoribus præter certum animæ diſpendium, haud mediocres, vel ipſius cui intendit, inhiatque honoris, ac corporis iacturas incurrere haud dubium eſt. Porrò illud magis, magiſque in ambitioſis hominibus mirandum eſt, quod cum apud eos, quibus plus nimio honores in honore ſunt; ingenita animi nobilitas maxime vilis ſit, quiſquis inani titillatus faſtu ad ſui excellentiam properat, ſeruilem nedum conditionem induit, ſed & humanos exuens mores, ad ſua ſtabilienda vota in crudelitatem facilè impingit. Namque Abimelech Gedeonis filius (ut ſacræ hiſtoriæ perhibent) à cæde, & ſanguine principatum auſpicatus, ut totius Iſraelis imperium aucuparet, *occidit fratres ſuos ſeptuaginta viros ſuper lapidẽ unum.* Quo quid crudelius perdita iſtius ambitio excogitare potuit? Vt qui unus erat ex matre concubina, atque ancilla genitus, proindeque viliſſimus, *indigniſſimuſque* (ut Lyranus obſeruat) *imperio*, is præ cæteris impotentiſſimè imperium affectarit. Haud abſimili Abſalon quoque à ſe ipſo crudelitate degener, ut Iudaicum occuparet ſceptrum, neque ab impia quidem parentis cæde immanem cogitationem abſtinuit, quin & naturæ ac ſui immemor, regnandi deſiderio illectus, cum aduerſus patrem inſurgeret, veritus non eſt parricidium intentare. *Abſalon quippe* (ut Chryſoſtomi utamur verbis) *erat adeò crudelis, & immitis, & bellua potius, quam homo, ut ipſis naturæ inſultaret legibus; nam etſi nolebat Dauidem revereri ut patrem, ſaltem revereri oportebat ut ſenem: quod ſi canos negligebat, certè ut benefactorem: quod ſi nec ſic quidem: ut eum certè, qui nullam fecerat iniuriam. Sed amor principatus hanc omnem vicit reuerentiam, & ut homo fera eſſet, effecit.* Hæc ille.

Tertul. de pæn. c. 11.

Quibus honores in cultu ac deſiderio ſunt, nobilitas animi viliſcit.

Iudic. 9. 5.

2. Reg. 15. 10

Ambitioſi facile in crudelitatem deſinunt.

Chryſoſt. in pſal. 7.

Abſalon, dũ ambitioni intendit, parricidium intẽtare non dubitat.

Ambitioſi igitur feri plerumque in homines, atque in Deum impii, inhumaniſque moribus præditi euadunt, qui ut Regni faſtigium conſcendant, vel ditionis poteſtatem iniuſtè retineant, ferro adniti, ac malis contendere artibus non verentur, præſcriptaſque inſuper cum diuinarum, tum humanarum ſanctiones, ac ipſius naturæ iura, ut regnent, ut imperent violare, ac proculcare haud timent. Ex quo fit, ut Politici omnes, dum rem ſtabilire ſuam conãtur, certam ſibi ruinam moliantur; ſolemne quippe illud in ore ipſorum eſt: *Si ius violandum eſt, regnandi gratia violandum eſt.* Atqui ferrum exitiale incurrunt, qui prauis, fœdiſque conatibus

Politici euerſa pietatis baſi res ſuas malè conſtabiliunt.

Digitized by Google

bus naturæ iura violant, per ſua enim vulnera alienum quem ſuderunt ſanguinem incunctanter regerunt, iiſque modis, quibus ſceptra, coronam, ac purpuram aſſequuti ſunt, deſerunt, adeo ut infelici plerumque exitu, felicitatem, quam auidiùs præoptare videbantur, concludant, hi qui nutantia ferro ſceptra ſtabilire, qui non iure, ſed vi principatum tueri meditantur; ne ab extraneis autem, opportuna rei affirmandæ teſtimonia perquirenti deſint, impius Herodes Aſcalonita regnandi ambitioſiſſimus, ac Tyrannorum peſſimus, qui innocentium ſanguine per ſummam crudelitatem reſperſus, miſerrimè vitam abrupit, tantoque condignam ſceleri pœnam, Deo ulciſcente, accepit teſtis, teſtis inquam accedat; hic enim poſt immane infanticidium, perturbatis Regni Iudaici rebus infeliciſſimè deceſſit, cæteris iam tum futurus exemplo, ſuoque aduerſus inſanos ambitioſos iuſtam Regij per vim occupat; ac retenti principatus ſententiam ſanguine proſcripturus.

Herodes Aſcalonita. *Baron. t. 1. an. 3. n. 50.*

Naſcentem Chriſtum extimuit, ne regnum ſibi eriperet. *Matth. c. 2.*

3. Herodes igitur noui regis Chriſti ortu ſibi à Magis ſollicitè perquirentibus denunciato: *Vbi eſt* (inquiunt) *qui natus eſt Rex Iudæorum?* protinus ad calliditatem, ad fraudes, ad inſidias confugit, ut adinuentum perimens, ſibi, ac fatiſcenti, ut putabat, regno conſuleret: quapropter re à ſapientibus diligenter perquiſita, & quod eiuſdē apud Bethleemiticā urbem ortus ſacris in tabulis deſcriberetur, edoctus: *Et congregans* (inquit Matthæus) *omnes Scribas populi ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur; at illi dixerunt, in Bethleem Iudæ.* Re igitur adamuſſim, è diuinorum oraculorum fonte comperta, Magos in Bethleem exploratores prēmittit: *& mittens illos in Bethleem dixit ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut ego veniens adorē eū.* Adorare ſe impius rex infantulum editum velle ſimulabat, quem ſui ipſiuſmet reſperſum ſanguine, inter paruulorum cunas extinguere meditabatur: *O calliditas ficta* (hic Fulgentius exclamat) *O crudelitas impia, O nequitia fraudulenta? ſanguis innocentium, quem crudeliter effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti.* Sceptra quippe Iſraelitici populi, quę ſibi iniquus homo malis artibus vindicarat, innocentium ſtrage contutari, ac ſtabilire pertentat; *Quanto conſultius igitur Reges* (ut Auguſtinus ait) *non ſicut Herodes interficere quærant, ſed ſicut Magi potius adorare delectentur.* Sed vide quid facit; expectato diu Magorum reditu, ſuiſque fruſtratus votis, ſubaudito poſt dies quadraginta iterum Regis aduentu, atque ex his, quæ apud Ieroſolymitanum templum contigerant, ſignis haud obſcuris innoteſcente, ſe inter ipſaſmet, quas moliebatur fraudum machinas, deluſum videns, in furorem regni ambitum vertens, numeroſiſſimos Bethleemiticorum infantium greges à matribus, repromiſſi ſpe prēmii oblatos, ac diligenti uſquequaque ſtudio perquiſitos, trucidat; *Videns autem Herodes* (ait Matthæus) *quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit pueros omnes, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis.* Bethleemiticos igitur paruulos adhuc lactentes mactauit, ſuometque infanti filio, ubi ſubortis amittēdi ſceptri ſuſpicionibus de hoc ſtabiliendo agebatur, parcendum neutiquam ratus, eodem, quo cæteros, fato inuoluit, deſtinauitque. Cu-

Credidit oraculis, & falli poſſe putauit. *Matt. c. 2.*

In cunis Seruatorē cruci dare voluit. *Fulg. ſer. 5. de epiph. ſuo init.*

Aug. ſer. 3. de temp.

Mat. c. 2. Puerorum carnificina Chriſtum natum euulgauit.

ius poſtmodum rei, cum ad Auguſti aures fama perueniſſet, inauditæ crudelitatis (ut par erat) facinus ille deteſtatus, minori quidem pietate, ac deteriori conditione in Herodiana domo filios, quam porcos haberi admirabundus edixit; ut ethnicus inter ſcriptores Macrobius fidĕ his verbis adſtruit. *Cum audiſſet* (inquit) *inter eos, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium.* Quo ſanè barbari, efferatique hominis impietas ſumme cunctis deteſtanda objicitur, qui regnum, quod obtinebat, non alienis, extraneiſque dumtaxat, ſed ipſiſmet ex ſe progenitis, quos paterna tum viſcera, tum vota reſpicere conſueuerunt, hęreditario tranſmittendum iure; regnum, inquam, ſuis velut hoſtibus inuidit; *Eò nimirum inſaniæ* (inquit Baronius) *atque furoris proceſſit cæca dominandi cupido, ut cum omnes homines ſic regnare cupiant, ut poſſint regnum ipſum in filios propagare, ipſamet modo armet parentes in filios, veluti aduerſus immaniſſimos hoſtes, ne regnent: ita factum vidimus ab Herode, non unius, ſed plurium filiorum ſæuiſſimo interfectore. Non enim unum tantum, quem Macrobius tradidit, occidit Herodes filium, ſed plures.* Cruentis igitur ad filiorum uſque internecionem notis paterna huius crudelitas ſeipſa ſatis ſuperque adumbrari, ac perſtringi videtur; quippe, ut Baronins ſubinſert: *In quo quidem patrato ſcelere eo apparuit Herodes iniquior, quo qui occiſus eſt innocentior: reliquos enim ſic iuſſit occidi filios, ne occideretur ab illis, qui dicebantur necem paraſſe patri: at in filio innocente quid timuit? ne ipſe eſſet, quem Magi prædixiſſent, natum Regem Iudæorum? Sed ex hoc ipſi magis gratulandum fuiſſet, quod ſciret certum habiturum filium regni ſucceſſorem. At quid rationem quæris in homine truculento omnis rationis, & humanitatis experte? Inuidet Tyrannus Numini, minuique ab eo putat facultate regnandi, ſi non ipſe, ſed Deus de ſucceſſore decernat; ſic quidem innatum eſt ſuperbo, contra propria commoda bellum gerere aduerſus Deum.*

Macrob. 1. ſaturnalium 2. c. 4. Auguſti in Herodem ſcomma aculeatum.

Baron. ann. tom. 1. an. 1. n. 50.

Filios plures obtruncauit. Chriſtoque Martyres dedit.

Baron. ubi ſupr.

Baron. ubi ſuprà. Inuidit numini, ſi de ſucceſſore decerneret:

4. Immanis itaque, ac cæca dominandi cupido ubi ſemel animo pedem fixit, in apertum furorem, ſæuitiamque deriuat; humanitatem etenim, ac ſenſum omnem pietatis abjiciens, ferinoſquè ſub hominis larua exhibendo mores, in paruulorum etiam innocentium, qui nec fando quidquam deliquiſſe potuerant, carnificinam deſinit. Quod planè Herodiana, ut vides, ambitio portentum orbi teſtatiſſimum fecit, dum regem impium in imbelles, vagienteſque ipſa inter matrum ubera ferro armat, lupumque in balantes agnos ſic concitat, ut ſuo eleganter elogio Aloyſius Iuglaris in Herodem, his plane verbis inuehitur:

Ambitio in crudelitatĕ vertitur.

Ne quid haberet cum Deo commune
impius rex,
Humanitatem exuit,
Statim ac illam induit Deus.
Ita vecors, ut illius ſeruiret gloriæ,
Cuius inhiaret ruinæ.
Ne ab ullo taceretur, quem ignorari voluerat,
Tot laxauit infantibus ora, quot vulnera,
Decolorauit purpuram ſuam,
Qui eam tinxit in ſanguine;
Et in nouo mari rubro,
Pharao alter eluſus,
Dum unum perdere regem voluit,
Multos fecit.
Perfide? ſi à ſolio te Deus amoueat,
Quo migrabis?
Regni conſortes non pateris. Cælo
inſeren-

Aloyſ. Iugl. elogio 10. Matth. c. 2.

Perdita Herodis ambitio crudelitati adiungitur, ut deteſtabilior ſit.

Digitized by Google

inſerendus non es,
Vbi nemo de populo, omnes reges.
Infantes odiſti: Abrahæ ſinũ ne ſpera;
In regione ſua ſunt,
Eos inde non fuges.
Te recuſaret & Erebus, ſi carnificè non egeret
Nuſquam eſſe debueras,
Qui Deum, qui vbique eſt, non vis tecum.

Ambitioſis nunquam tuta innocẽtia.

Condigne autem quot notis, tot gladiis perſtricta eſt, proſcriptaque, ex orbe in Orcum perpetuo vnius ambitioſa regis crudelitas, quę beatiſſimis paruulis, Chriſti dumtaxat offenſus aduentu parentauit. Verum Herodianę impietati immane piaculum haud impune ceſſit, condignas Deo pęnas exigẽte; protinus enim ſibimet impius acerbã calamitatũ ſeriẽ innoxii poculo ſanguinis propinaſſe viſus eſt; poſt necem enim paruulorum, vt Euſebius aqud Baronium ediſſerit, innumeris calamitatibus impetitus eſt: ſed Baronii verba hic excipiamus: *Narrat Euſebius Herodem poſt necem infantium perpetratam, in multas calamitates incidiſſe, morboque protinus vexatum eſſe, ſicque ad extremum vſque ſpiritum perſeueraſſe.* Licet id aliquot, Baronio teſte, interiectis annis, ſeptimoq; iam reuertente anno in perpetratę innocentium cladis ultionem acciderit, *In eas quippe*, ut ex Euſebio Baronius, *calamitates virum alioquin feliciſſimum diuina vltione, ob perſecutionem in Chriſtum excitatam, & immanem eius ſæuitiam, quam in infantes Bethleemiticos exercuit, incidiſſe omnium Eccleſiaſticorum eſt ſententia, id in primis Euſebio teſtante, qui ſic ait: Verum deinceps poſt necatos infantes, quæ merces crudelis Herodis, facinus contra Chriſtum, & pueros eius æquales admiſſum ſubſequuta ſit; & quo pacto ſtatim poſt, nulla ne minima quidem dilatione interpoſita, diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quaſi præmia rerum ei poſt diſceſſum è vita obuenturarum euidenter oſtenderit, operæ pretium eſt intelligere. Qua autem ratione proſperum, ac florentem regni ſui ſtatum, quo ſe tum frui putabat, domeſticis calamitatibus, quarum aliæ ex alijs ortæ ſunt, ipſe obſcurauit, dum vxorem, & liberos, dumque reliquos quibuſcumque propter propinquitatem generis, & amoris coniuctionẽ, maxima ei interceſſit neceſſitudo, nefaria cæde afficeret, in præſentia commodè explicare non poſſumus: præſertim cum iſtarum rerum argumentum, omnem illam crudelitatem, quæ à Poetis in tragædijs deſcribi ſolet, longè ſuperet. Quod quidem ſi quis ſcire deſiderat, legat Ioſephi hiſtoriam, qui id vberrimè proſequitur.* Hæc Euſebius, qui Herodis interitum ex eodem Ioſepho mutuatus compendioſè deſcribit. Sed nos Ioſephum hic ſupremam Herodis calamitatem deſcribentem audiamus: *Deſperata* (inquit) *deinde ſalute, quod iam ad ſeptuageſimum ætatis annum accederet, mirum in modum efferatus eſt, iræ impatiens, & amarulentus in rebus omnibus: in cauſa erat opinio contemptus, quodque exiſtimaret gentem lætari ſuis infortunijs: quam opinionem confirmauit quorundam apud populum gratioſorum ſeditio mota ex tali cauſa.* Hæc Ioſephus, qui poſt multa ab Herode, dum lecto decumberet, ingentique animi liuore tabeſceret, crudeliter præſtita, iſthęc in rem præſentem, diuinæ vltionis animaduerſionem oculis contemplandam exhibens ſubiicit.

Baron. loco citat. n. 51.

Baron. ubi ſupr.

Diuina ultione percellitur.

Euſeb hiſt. Eccleſ. l. 1 c. 8

Sæuit in cõiunctiſſimos.

Ioſeph. antiq. l. 17. c. 8. Impatientia furit Rex barbarus.

5. *Regi vero morbus factus eſt grauior, pœnam impietatis exigente numine, lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quàm intus depopularet viſcera, aderat*

Ioſeph. loc. cit.

&

Digitized by Google

Canino appetitu vexatur.

& vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuò cibos ſuggerere: ſimulque vexabatur inteſtinorum exulceratione; & colicis paſſionibus: pedes ſumabant flegmate humido, & pellucido, ſimiliterque inguina: ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœda, nec minus moleſta tentigine, non ſine fœtore graviſſimo: ſuper hæc autem omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem conſtans erat inter viros diuinos, & fatidicos opinio, regem tot modis leſæ pietatis Deo pœnas expendere; qui tametſi graviùs affligeretur, quàm ut videretur poſſe morbo perferendo ſufficere, tamen evaſurum ſe ſperabat, accerſendis Medicis intentus, & medicamentis conquirendis undique.

Genitalia vermibus ſcatentia fœtorem exhalant.

Supra humanæ tolerantiæ vir afflictus ſpem locat in medicis.

6. Vides hominem lento, diroque mortis ſupplicio viventem adhuc, & morti ſuccumbere neſcium, diuinitus exagitatum, quibus ad malorum cumulum iſthæc Ioſephus adiungit: *Mox repetitus graui dolore, cibi tamen auidus malum ſimul, ac cultellum poſcit: ſolebat enim & antea ipſe paulatim incidendo comedere, tunc verò circumſpiciebat, ferire ſeipſum cupiens, perpetraſſetque facinus, ni Achiobus nepos ictum præveniens clamore ſublato cohibuiſſet eius dexteram: moxque denuo luctus cum trepidatione occupauit palatium, quaſi rege iam agente animam.* Hęc autem omnia iuſto Dei iudicio contingebant, ut qui truculentus aliis extiterat, tortor ſibimet in perpetratorum pœnam criminum, & carnifex non deeſſet. Demum ſuam ante necem Antipatrum filium, quem carceri mancipauerat ob affectatam regni adminiſtrationem, transmiſſo illuc ſatellite, necari præcepit, quo præſtito barbarus, cum ſuorum, tum alienorum iam ſanguine ebrius, ſed furore, ac inteſtina tot inter dolorum ærumnas excandeſcens rabie, ut multiplicibus amicos demereretur legatis muneribus, haud lugendus ſubinde mortuus, qui viuens amplam ſingulis lugendi cauſam præſtiterat, paulò pòſt inglorius, nonniſi ob ſæuitiam, apud homines nomen ſortitus è vita exceſſit; ſed Ioſephum audiamus: *His ita ordinatis* (inquit) *quinta die poſtquam Antipatrum filium occidit, vita functus eſt.* Hic ambitioſi Regis, ac crudelis item, nigro obſignandus lapillo exitus fuit, qui ob id unum fortuna lenocinante ad rerum apicem euectus fuiſſe viſus eſt, ut oſtenderet *quid ſumma vitia cum ſumma fortuna* in mortali homine, regnandi pluſquam par eſt cupido valeant. Congruè igitur qui manifeſtam Deo inter mortales nato perniciem intentauit, ferrumque in imbelles victimas diſtrinxit, in ſuummet caput rompheam conuertit, tumulumque ſibi, alieno reſperſum, funeſtumque ſanguine, viſus eſt excitaſſe, ut ſuo aptè, concinnèque Iuglaris ſtylo, prophani hominis deſcribens interitum, ſepulchralemque affigens merenti titulum his verbis proſequitur:

Se cultro transfigere deſtinat. *Ioſeph. ubi ſupr.*

Ictus à nepote auertitur.

Antipatrum filium necari iubet.

Ioſeph. antiq. l. 17. c. 10.

Quinto pòſt die rabie exceſcens perit.

In eo oſtenſum quid ſumma vitia cum ſumma fortuna poſſent.

Ambitio ſuis ſemper exitium affert.

Perduellis tumulum caveto viator.
Sitit adhuc ſanguinem bibax cinis.
Geminauit Iudæis lętitiam vnum Paſcha.
Vna cum Agnis
Immolatus etiam lupus eſt.
Vt quid egerit, ſcias,
Quod quiſque ſit paſſus interroga:
Nunquam Herodes innocens,
Niſi cùm talem
Ab innocentia deleta nomines;
Domui ſuæ non mitior, quam alienæ,
Suo facto ſe capitalem confeſſus,
Similitudinem ſui puniuit in filijs.
Hæc tota illius iuſtitia eſt, quod ſe oderit;
Hæc tota bellica gloria,

Iuglar. elog. elog. 14. Matth. 2.

Sepulchralis titulus Herodis regis ob infantię diram execrandi.

Quod

Digitized by Google

Quod arcem pietatis inter vbera expugnarit;
Pueri animam quærens,
Qui ſuam perdidiſſet.
Quam tandem exhalaverit neſcias,
Cùm neutram habuerit.
Nunquam minùs felix,
Quàm cùm aſſecutus votorum apicẽ,
Ita ſolus regnauit,
Vt regnauerit etiam ſine Deo.
Quem tandem collegam noluiſſet,
Iudicem paſſus,
Mundum magno monſtro,
Aulam magno propudio liberauit.
Arcano ab igne doloſos ſolutus in cineres,
Suppoſitas Erebi prunas fovet.
Theſauros iræ qui quæris.
Hoc ſepulchrum effodito.
Nuſquã luculẽtius habet illa depoſi-
Innocentiæ hoſte deleto, (tum.
Refloruit in Nazareos innocentia.
Ingenti lucro amittit Iudæa Regem,
Pro quo recuperat Deum.

Ambitio ſola ſine Deo regnat.

Ambitio Deũ prodit, ut ſtatum teneat.

Ambitio igitur, cùm ſibi, tum ſuis iure merito ſemper exitio fuit, dum corporis atque animi infert interitum, his qui unà cum Herode ſceptrum tenere cupiunt, ac diuini calicem furoris propinat.

Magicarum artium funeſti fructus.

7. Verum enimverò ut ſtudioſo lectori innoteſcat, quę ad ſtabiliendam regiam ditionem, ac principatus retinendi gratia, ſi quando ſceptra nutare viderentur, calcatis iuribus mortales inter ambiendum præſtiterint, aliud hic Herodianæ crudelitati haud abſimile, at humanæ infelicitatis, quæ inter apices exitium parat, contemplandum ſuggerimus exemplum, quo potiſſimum ſiculi cuiuſdam caſus, apud rerum hiſtoricarum Scriptores ſat decantatus exponitur. Cum enim ſub Valentis principatu, Magi dæmonum præſtigiis, ac ſuperſtitionibus ſuffulti, de futuro Imperatore, quem Theodori nomine nuncupandum prænouerant, curioſius inquirerent; Valens Imperator re eiuſcemodi cognita, omnes, quorum ab iſtis nomen elementis deriuabat, tollendos, mactandoſque præcepit; quapropter multi nomen à natalibus inditum conſulto immutabant, ne morti obnoxii apud Imperatorem, etſi non ob crimen, ob nomen dumtaxat fierent. *Itaque omnes* (inquit Socrates) *qui Theodori, vel Theodoſii, vel Theoduli nomine, vel aliјs conſimilibus nominibus appellati ſunt, Valens interfecit. In quorum numero fuit Theodoſiolus, vir nobilis ex genere Patricio, qui ab Hiſpania ad Valentem adductus morte mulctatus eſt; multi igitur præ metu ipſorum animis iniecto, ſua commutauerunt nomina, & quæ parentes illis in lucem editis impoſuerant, tamquam plena periculi denegarunt.* Hęc Socrates; verum Sozomenus de Valente Imperatore, qui ſufficiendum ſibi in Imperio perueſtigans, crudeliter in viros innoxios debacchatus eſt; hęc ſcribit. *Nam* (inquit) *cum hac iuſtitia Valens impulſus animum induxiſſet, eum interficere, qui eſſet in Imperio ſibi ſucceſſurus, neque vitæ illorum, qui divinatione ea de re uſi fuiſſent, neque eius, de quo divinaſſent, pepercit. Quin etiam, vt ferunt, neque eorum quidem, qui tum eodem nomine, ſi modo illuſtres eſſent, appellabantur, vel ſaltem ſimile nomen habebant, cuius primæ litteræ à Th, vſque ad D, eædem eſſent. Porrò Philoſophorum huc proceſſit amentia, uti crederent, in ſua ſitum poteſtate, ut tum Imperatorem è medio tollerent, tum denuò excitarent.* Hęc de Valente Sozomenus, ob regnandi ambitum, tum ob amittendi Principatus metum in quoſque furente enarrat.

Baron. tom. 3. an. 370. nu. 96. 67.

Valentis furor in præſumptos ſucceſſores imperii.

Soc. l. 4. c. 15.

Sozom. l. 6. c. 35.

Magorum amentia tollere poſſe imperatorẽ, & excitare credentium.

8. Sed tragicam hic alterius Theodoſii ſiculi hiſtoriam à Chryſoſtomo his

his

Digitized by Google

his verbis traditam excipiamus: *Reuocabo autem tibi in memoriam* (inquit) *Theodoſium illum ſiculum (fortaſſe audiſti; erat enim in primis notus, & celebris) hic ea pulchritudine, & magnitudine corporis, & auctoritate apud Imperatorem omnibus præſtans, qui ea poterat, quæ interiorum familiarium nemo, proſperam illam fortunam non moderatè tulit: ſed inſidiatus Imperatori, ac deprehenſus, ipſe quidem valde miſerabiliter obtruncatus eſt: ipſius autem uxor neque educatione, neque genere, neque ulla alia re nobilitati ſuæ concedens, omnibus repente rebus ſuis ſpoliata, ac libertate amiſſa, cubicularijs ancillis adnumerata, ac nulla non ancilla miſeriorem, ac magis lacrymabilem vitam agere coacta eſt, hoc uno cæteris antecellens, quod propter incomparabilem calamitatis magnitudinem lacrymas eorum omnium, qui ipſam aſpicerent, eliciebat. Fertur etiam Artemiſſa viro valde claro nupta, quoniam & ille tyrannidem affectauit, in eamdem incidiſſe paupertatem, & præterea oculis eſſe captam; nam magnitudo ægritudinis, & lacrymarum multitudo lumina extinxit. At tunc quidem hominibus eget, qui deducant, & ad alienas portas adducant, ut hoc modo neceſſarium ſibi victum comparare queat.* Hi quidem tragici virorum clariſſimorum caſus à Chryſoſtomo, qui tunc adoleſcens Antiochiæ agebat, ſtylo aptè, ut ſint ambientium documento deſcribuntur. Quam planè ob cauſam (ut quid obiter ingeramus) apud Mauritium Imperantem Philippicus, qui ipſius ſororem principis iunctam ſibi matrimonio habebat, in apertum aliquando vitæ diſcrimen incidit; enimuerò cùm æquo diuini iudicii calculo, Mauritius gladio addictus, occidendum ſe ab eo fore longè antea didiciſſet, cuius videlicet à duobus hiſce elementis (P H) ſua nomen initia

Chryſoſt. ep. ad viduam iuniorem

Theodoſius ſiculus affectans tyrannidem.

Miſerè obtruncatus.

Eius uxor in ancillarum viliſſimarum numerum relata.

Artemiſſa flendo oculos amiſit.

Philippicus apud Mauritium nominis inuidiâ paſſus.

Niceph. in Maurit.

deſumeret, Philippicus iam velut cædis inferendę auctor apud Principem in ſuſpicionem deuenerat, euocatuſque ab ipſo proximam ſibi principis iuſſu inſtare necem arbitratus eſt, ſed ſubinde per viſum diuinitus reuelato interfectoris nomine, Philippicus, cuius iam pridem nomen malè apud principem olebat, omni metu ſolutus eſt, ut rem geſtam Cedrenus his verbis ediſſerit.

9. *Mauritius autem, cùm pro ipſo ubique viri pij Deum precarentur, quadam nocte in ſomnis eiuſmodi viſum vidit, nempe adſtare ſe ante Salvatoris Imaginem in palatij porta ærea collocatam, ac unà ſimul multam turbam captivorum, ipſum apud Dominum accuſantium. Tum ipſum Iudicem iubere Mauritium cauſam dicturum ſiſti, ſicq; à ſatellitibus correptum, & in Porphyretico umbilico ibi poſito conſtitutum, à Chriſto interrogatũ fuiſſe, ubi nam ſibi pœnas rependi mallet, in hac ſcilicet, vel futura vita: ipſum autem Mauritium ita reſpondiſſe: Domine benigniſſime IESV, iuſte Iudex, hic malo potiùs, quàm in altera vita. Nec mora ſtatim iuſſum eſſe, ut cum uxore ſua, & liberis, totaque familia Phocæ militi trucidandus daretur. Expergefactus ſtatim accubitorem ſuum miſit, qui Philippicum ad ſe perduceret. Cùm autem vocari ſe nocte Philippicus cognoviſſet, cùm iam antea ſe ſciſſet in ſuſpicionem apud Imperatorem adductum, de ſe actum putauit: quamobrem antequam ad ipſum Imperatorem accederet, Sacram Euchariſtiæ Communionem accepit, & abijt, uxorem Gordiam nomine relinquens eiulantem, ſacco, cinereque conſperſam, dolorem immenſum, quo angebatur, præſe ferentem. Ut autem ad Imperatorem Philippicus venit, ſeſe ad eius pedes ſtratus advolvit. Sed Imperator, accubitore foras exire iuſſo,*

Periculo liberatus ex cœleſti oſtenſo.

Baron. tom. 8. an. 602. nu. 15. 19.
Cedrenus in Mauritio.

Mauritius immanentis diuinæ in eum ultionis præmonitus.

Optat potius in hac vita, quam in altera plecti.

ipſe

Digitized by Google

A Philippico veniam petit.

Ipſe Phoca interrogat. Niceph. in Mauritio.

Ex timidita te futurum crudelem arguit.

ipſe ad Philippici pedes accidit, dicens: Ignoſce mihi frater, quas tibi innocenti calumnias tribui. Suſpicabar te quidem meæ vitæ inſidias moliri, ſed iam te innocentem cognovi. Hortor autem, ut dicas mihi, ſi quem Phocam militem in exercitu noſti: novi, ait ille, quemdam, qui pridem ab exercitu miſſus cum tua Maieſtate iurgauit. Quærenti autem Mauritio, quo ille præditus eſſet ingenio: reſpondit, hominem eſſe timidum, & crudelem. Tum Imperator: ſi timidus eſt, inquit, homicida eſt, narrauitque Philippico inſomnium. Hęc Cedrenus, dum totam rem luculenter ediſſerit,& Philippicum non niſi poſt patefactum diuinitus oraculum inter pericula metu liberum euaſiſſe enuntiat, cùm tamen Nicephorus primò quidē ipſum ſicarij nomen ſatis dūtaxat ambiguè Mauritio innotuiſſe affirmet; adeò enim inſanus regnandi ambitus, homines in ſui obſequium occupat, ut vel diuino prælectos calculo iniquis unuſquiſque oculis aſpiciat, ac infenſo,pluſquam animo, ad culmen contendentes proſe quatur.

Chryſoſt. l. de curial. lib. nugis & veſtig. philoſ.

Ab. Nilus.

Et ſanè quoniā de ābitioſis opportunus adhuc ſermo recurrit,qui perditos inter blāda ſęculi gaudia homines,inani honorū ambitu illuſos,delirantesq; vident, iiſdem profectò, ſi corde ſapiunt, nullatenus inuideant; ambientibus enim, quibus fortuna rerum apicem, vel contulit, aut certe procul viſa eſt præmonſtraſſe, à tergo poſtmodum, vel dum magis in faciem adblanditur decipiendo exitium parat; *Quippe proſperitas* (ut Chryſoſtomus ait) *ſic applaudit, ut noceat, & infelici ſucceſſu ſic fortunatis obſequitur, vt in fine perniciem operetur.* Cui optimè Nilus quoque conſentit: *Luge* (inquit) *peccatorem fortunatum, intentatur enim ei iudicij gladius.* Quis autem Seiano ditior, quis illo clarior, quis uno hoc homine in toto Romano orbe glotioſior, qui ipſiſmet Imperatoribus quodammodo imperare videbatur, & tamen, fortunę alea repente inuerſa, deluſuſque, è throno ad carcerem, ad patibulum, ad cladem prolapſus eſt, adeò ut, qùi cunctis inuidiam peperiſſe iampridem viſus fuit, cunctis ſubinde ſui commiſerationem exemplo, breui dumtaxat temporis interuallo ſuggereret: ſed fortunatiſſimi quondam hominis ſat lugubre, funeſtumque exitium,hic ex Annalibus Eccleſiaſticis Lectori delibandum proponimus.

Felicitas mundana inſtar fulguris in terrorem miſeriæ abit.

Baron. tom. 1. an. 33. n. 47. Seianus inſtabilitatis exemplum.

Imperatorē agebat.

Et Deum.

Baron. ubi ſupr. Vehebatur curru aureo in theatrum.

10. *Quod ad res humanas attinet* (inquit Baronius) *hoc eodem anno perijt Seianus, qui cum Tiberio inijt Conſulatum: fuit ille toto orbe celeberrimus, qui non ſolùm, ut cæteri, ampliſſimas occupavit, & aſſecutus eſt dignitates, & adminiſtrationes, ſed diutius abſenti Tiberio, & apud Capream Inſulam multo tempore ociante, ſeipſum pro Imperatore, Tiberium verò pro Inſulæ rectore habuit, eoque exiſtimationis provectus eſt, ut ipſi tanquam Deorum alicui, res ſacra fieri ſoleret, eſſetque hoc anno delatus conſulatus cum prorogatione quinquennij.* Hæc ex Baronio.

11. Ex quibus humanæ felicitatis nullatenus æquiparandæ incrementa, ac mortalem hominem ipſiſmet Dijs inſano mentis faſtu, atque honoris ambitu paria præſumentem, videre eſt, ſed ſuperbi nūc in dies pōpaticis ſęculi honoribus magis magiſque intumeſcentem animum videamus: *Cùm inſuper* (ſubdit Baronius) *& in litteris publicis à Senatu ſicut & Tiberij, ita & Seiani nomen inſcriberetur, & ſicut Imperator aureo curru in Theatrum adveheretur, iurarentque omnes per fortunam eius; Hic inquam (rerum humanarum inconſtantiæ admirandum exemplum) conuocato Senatu,*

Digitized by Google

ut recitarentur litteræ Imperatoris, quibus collata ſibi poteſtas Tribunitia credebatur: mox inverſa alea, quas ipſe lætus, atque iucundus ſperabat, contrarias omnino, ac pernicioſas, omnibus audientibus contra opinionem, & expectationem percepit. Vnde ſtatim infelix ipſe depoſitus iuſſu reguli Conſulis ſuffecti, conſentiente Senatu in vincula ducitur, atque ibidem capite mulctatus, deinde in Gemonias unco trahitur: ſicque demum per triduum à populo maximo ludibrio habitus, in Tyberim tandem immittitur, liberi quoque ex Senatus Conſilio necati ſunt, antè vero filia, quam pater pactus fuerat Claudij filio, prius (O inauditam rem) à carnifice conſtuprata; hæc pluribus Dio Caſſius, quæ nobis exemplo ſanè egregio rerum humanarum inconſtantiæ, & mobilitatis eſſe debent, ne quis ſibi arridenti, & blandienti felicitati admodum credat, ſed in rebus proſperis modeſtè, & non ſuperbè ſeſe gerat. Hæc in rem pręſentem Baronius, dum Seiani felicitatem plane infeliciſſimam ſuggillat; ambitioſus enim præ cunctis homo, arridente ſibi fortuna, inſoleſcens, diuinoſque ſibi honores tribui paſſus, haud hominem, haud mortalem ſe meminerat, ſed cęteros per vim deprimere, & à cæteris ſubinde iuſto Dei proculcandus iudicio, proculcare non dubitauit, eos nimirum, qui eius ſe votis, religionis obtentu aduerſos, infenſoſque exhiberent, ac ſibi ſupremos gentilitio ex more inanium deorum deferre honores detrectarent, inter quos potiſſimi fuere Iudæi, quos acerrimè inſectatus, hanc unam ille ob cauſam tollēdos è medio totis (ſi Baronio credimus): totis inquā viribus contendebat; ſed eius hic verba Philoni conſona excipiamus: *Conſtat tamē auctore Philone, Seianum fuiſſe animo infenſiſſimo in Iudæos, quippe qui, vt illam gentem è medio tolleret, confixerit quædam crimina adverſus eos, qui tunc Romæ agerent, Iudæos, cogneſcens quidem eam ſolam præcipuè gentem, repugnaturam conatibus ſuis; ſed per mortem eius detectas fuiſſe calumnias dicit. Putamus cauſam odij Seiani adverſus Iudæos ea occaſione conflatam eſſe, quòd non ſicut cæteri, ipſi ſtatuas (prohibentibus hoc eorum legibus) erexiſſent, nec erectas venerati eſſent: nam, & ad id ſpectare videtur, quod ait Suetonius ſolas Syriacas Legiones nullam Seiani imaginem inter ſigna coluiſſe: Hebræi enim ægrè ferebant Romanos militaria inſignia imaginibus picta per eorumdem ditionem circumferre, ut Ioſephus teſtatur, cùm de Vitellio agit.* Hactenus Baronii de ambitioſo Seiani faſtu verba, eius autem immaniſſimę cladis haud illa extitit cauſa, quam Oroſius in exacta temporum computatione halluci natus falsò adſcribit, dum ait rogatum eſſe à Tiberio Senatum, ut Chriſtus, qui tot pręclara edidiſſet miracula, ac redivivus orbi poſt mortem affulſiſſet, iam apud omnes uti Deus haberetur; verùm quo minus id fieret Seianum ſuę auctoritatis ſuffragio interceſſiſſe, pertinaciuſque obſtitiſſe: id enim, ut gratis aſſeratur, vel ex eo ſatis euincitur, quia Seianus ante Chriſti mortem (ut Baronius aſſerit) vitam cum morte commutauit: eiuſdem verò obitus anno Tiberii xvij. contigit, in quo recenſendo Euſebius item in ſuo chronico longè à veritatis ſemita aberraſſe deprehenditur, dum adhuc poſt tres annos Seianum vixiſſe affirmat. Sed Scriptores, quos recenſuimus, inde potiſſimum errandi anſam à Ioſepho mutuati videntur, quod ipſe de Seiani interitu ſub extrema Tiberii Imperatoris tempora mentionem ingerat, hi autem tunc necatum fuiſſe arbitrati ſunt, cùm de eodem mentio incurrit: verùm ut diſerte

Tiberii litteris deiicitur.

Liberi enecati. *Dio Caſſius hiſtor. Roman. l. 50. Suet in vit. Tib c. 55.*

Ob diuinos honores hęc paſſus.

Philo de leg. ad Caium.

Iudæos ob veri Dei agniti nē erat inſectatus. *Philo de leg. ad Caium.*

Ioſeph. antiq. l. 18 c. 7.

Oroſ l. 7. c. 4. Oroſius refellitur.

Baron. loc. cit

Ioſeph. ant. l. 18. c. 8.

Ioſeph. anti l. l. 18 c. 8.

Digitized by Google

ſerte Baronius docet, aſſeritque Seiani cędem Ioſephus ibidem, haud temporis rationem ſectatus, ſed quod complures à Tiberio diuerſis temporibus res geſtas conſcribit, una, eademque narratione perſtrinxerit, ut à Dione, ac Tacito ſatis ſuperque euincitur.

Dio & Tacitus ſuo loco.

12. Inopino autem Seiani caſu, & præclaro hominis immane ambitioſi documento, humanarum inſtabilitas rerum mortalibus oſtendi, ac luce clarius repręſentari videtur, quo diuinum illud Pſalmiſtę de repentino peccatoris occaſu oraculum cunctorum auribus inſonet: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat.* Quorum verborum ſententiam eleganti carmine Abbas Stephanus Gradius Raguſinus expreſſiſſe viſus eſt, cuius ingenio, eruditioni, ac prudentiæ nobis intimè, ac familiariter notæ plurimũ nos deferẽtes, quæ ipſe olim cecinit noſtro huic operi illuſtrando iure merito inſerere voluimus; eſt autem huiuſmodi.

Impiorum breuis felicitas *Pſ. 36. 35.*

Stephani Gradii carmẽ in Dauidis pſalmũ.

Vidi ego, qui lætis rerum ſucceſſibus uſus,
Tollebat tumidum ſtultus in aſtra caput.
Qualis opes Libani pandit de vertice Cedrus,
Tellurem ac viridi deſpicit alta coma.
O leuas hominum mentes, O pectora cæca;
Quam nil eſt magni, quidquid hic orbis habet.
Hunc ipſum dum prætereo (quis credere poſſit?)
Cum faſtu vidi iam periiſſe ſuo.

Vana ac futilis ſuperbi hominis pompa.

Ita planè Seianum impium honoribus clarum, breuis horæ, ut ita dicam, momentum è throno, & ex ſummo rerum apice in baratrum deiecit. Quapropter optimè in rem præſentem Ambroſius mortales ad præcauendum ſibi à felicitatis aſpectu, nec alienæ plus quam par eſt, fortunæ innitendum ſalubriter præmonitos vult, dum citò cuncta mortalium ſub oculis pręteruolant, & magna plerumque fortuna magnas inferre calamitates, ac demũ certã afferre ruinam conſueuit: *Vides*, inquit, *ſubitò impium perire in hoc ſæculo potentem, dum tu tranſis, iam ille non eſt. Quanta eſt enim umbra in terra? tranſpone veſtigium, & umbra preterijt.* Seianus igitur ab altiori pręceps culmine prolapſus, ſuomet infortunio impiorũ hominum ſortẽ temporis momento deſinere, ſubitoque humanam omnem felicitatem intercipi caſu ſatis luculenter edocuit.

Et umbrã fugacior.

Ambr. in pſ. 36.

13. Ablauius interim Seiano ſubtexendus eſt, qui ob inſanam honoris, qua tenebatur, cupidinem, ex feliciſſimo infelix repente euaſit; hic cum in Magni Conſtantini aula primas obtineret, & iã ad ſummos Magiſtratus omnium plauſu euectus; erat enim vir Conſularis, Præfectura Prętorii, aliiſque publicis muneribus inſignitus, ſupremos inter honores abortum fecit; nam diuitiis coaceruandis intentus, fortunę ludo, ac ludibrio expoſitus, illudi tandem meruit; *Et iuſta quidem Dei diſpenſatione* (ait Baronius) *accidiſſe videtur, ut hic, & alij viri clariſſimi, qui facilitate animi abuti, nec eius monitis ad meliorem frugem traducti eſſent, neque ab immani illa diuitiarum auiditate ſeipſos aliquãdo temperaſſent, ſed ex nimia Principis indulgentia, magis, magiſque delinquendi licentiam arripuiſſent, iidem ipſo defuncto pœnas iuſtiſſimè darent.* Nam quod ad Ablauium ſpectat, eò quidem amplitudinis pertigiſſe viſus eſt, infimæ alioqui ſortis homo, ſi eius originis proſapiam reſpicis, ut Imperatoris ſocer

Ablauius fortunæ ludibrium.

Baron. tom. 3. an. 337. n. 40.

Opibus nimium inhiarat.

Digitized by Google

Cæſaris primum Armeniæ regis Socer.

cer euaſerit, Olympiadem enim filiam Conſtanti Auguſto, dein Conſtantii fratri deſpondit, quam ſubinde Conſtante occiſo, Conſtantius Arſaci Armeniæ Regi nuptui tradidit, ut Ammianus aſſerit, ubi de Arſace his verbis mentionem ingerit; *Olympiadem Ablauij filiam Præfecti quondam Prætorio, ei copulauerat coniugem, ſponſam fratris ſui Conſtantis.* Et hęc quidem Ablauii incrementa fuere, cum ipſe humili loco natus, & planè ex infimo ad tantam ſubinde faſtigium prouectus ſit, ut meritò fortunæ pila, Baronio teſte, nuncupari meruerit; in ſublime quippe elatus, ad ima poſtmodum magno, pręcipitique caſu deiectus fuit: de eo quippe hęc Zoſimus: *Tunc & Ablauius Præfectus Prætorio necatus eſt, ipſa vindicta merita hominem pœna mulctante, qui per inſidias Sopatro Philoſopho mortem machinatus fuiſſet, dum ei Conſtantini familiaritatem inuideret.* Ambitio quippe ab infimo ad ſummum, & à ſummo ad infimum æquo progredi pede conſueuit.

Ammi. l. 20.

Pila fortunę nuncupatur.

Zoſim. l. 2.

Mulctatus morte, qui ex inuidia mortem Sopatri ſtruxerat.

14. Verum, ut pari funeſtum Ablauii exitum, eiuſque in vitam introitum admiratione proſequamur, ortum quidem ubi miſerandum hominis caſum Eunapius hunc in modum deſcribit: *Ablauio Sopatri cædis architecto, & machinatori genus fuit obſcuriſſimum, & quoad paternam originem infra mediocritatem abiectum, & humile.* Et poſt multa proſperos ad apicem curſus ſtylo ediſſerens, ubi AEgyptium quemdam apud cauponam ſiti, ac fame propè enectum, Conſtantinopolitanam diuertiſſe in Vrbem ſcribit, hęc poſtmodum de infante in lucem edito cauponaria ſuggerente enarrat. *Bonus ille AEgyptius, hoc audito* (ait) *claraque voce: Abi, inquit, mulier, & puerperæ dicito, quod tantum Imperatorem enixa eſt. Hæc elocutus pleno poculo ſe proluit, nomenque ſuum mulieri cognoſcendum dedit. Nato infanti fuit nomen Ablauius, qui uſque adeo pila, & luſus extitit fortunæ, noua ſemper molientis, ut Imperatore plus potuerit; quare & Sopatrum tollendum curauit, cauſam necis futilem, & Socratica vaniorem populo indomito, tunc Imperium quoddam obtinenti afferens; itaque Conſtantinus ob euectum ad amplos honores Ablauium noxam incurrit, vecordiæque pœnas dedit: de cuius obitu in hiſtoria ipſius proditum eſt.* Iſthæc homo Ethnicus in Conſtantinum, virum alioqui pietate conſpicuum inſenſiſſimus inuido ore effutiit: at poſtquam de Ablauii ortu, ac fortuna enarrauit, hęc de lugubri eiuſdem nece ſubinfert.

Eunap. in vit. Philo

Quæ fuerint eius natalitia

Commentitia de illius fortuna præſagia.

Eun. ubi ſup.

15. *Reliquit is filium Conſtantium Ablauio, qui cùm Imperium æquo iure regeret, poſtquam paternum ſucceſſionis Imperium cum Conſtante, & Conſtantino fratribus ſuſcepiſſet, de quibus in Iuliano exactius dictum eſt; Proinde Conſtantius Imperium adeptus ad ſortem ſuam cuique fratrum partitus, obtinuit quidquid ab Illyrico ad Niſibin extenditur; mox Ablauium Imperio exuit, aliosque adminiſtratores ſubrogat, ille apud exſtructum ſibi olim in Bithynia locum, regali otio, & ſeceſſui dicatum omnibus rebus affluens ſubſtitit, cunctis admirantibus, quod imperare nollet: Paulo ex Vrbe patris nomen præferente, percuſſores non paucos ſubmiſit, iuſſis primis litteras dare: qui in genua recumbentes (qui mos inoleuit apud Romanos in ſalutando Imperatore) honorarias illi in manum dederre litteras. Ille magno faſtu receptis tabulis, metu ſolutus omni, purpuram advenas propoſcit iam ſeueriore ſupercilio, & aſpectantibus formidoloſus. At illi nihil ſe amplius in mandatis habere profeſſi: præ foribus ſtare,*

Imperiũ inter Conſtãtini filios diuiſum.

Salutandi Cæſaris mos

Digitized by Google

ſtare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt, quos ille inſolenti, atque elato animo confeſtim accerſiri iuſſit; at hi, iniecta manu virum adorti, pro ſtola purpurea, necem illi purpuream obtulerunt, fruſtatim diſſecto in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur. Hic Ablauianæ fortunæ finis, imò miſeranda prorſus humanæ ſupremos inter faſces felicitatis conditio, ac demum nouiſſima ſuperbientis viri, ac vitæ itidem periodus, dum ad honores, ac purpuram elato ſupercilio, intentius aſpirat, tumidaque mente Imperiales ſibi, deferente Auguſto, cum purpura inſulas gratulabundus expectat, funeſtas pro regiis honoribus machęras è proximo, quod non ſperabat, ſcelerum ultrices incurrit, validaque carnificum manu trucidatus pro purpura, quam exambierat, ſuo ſe reſperſum purpuratumque ſanguine vidit.

Delatæ purpuræ ſpecie mors illata.

16. Atqui hominum animos regnandi ſemel ambitione captiuos, non tam inter ambiendum obfirmari in proſperis, quam infirmos imbelleſque experimento fieri comprobatur, & ut exemplo rem conficiamus, Firmus tyrannus, qui principatus obtinendi deſiderio illectus Africam Valentiniano, & Valentè Imperatoribus occupauerat, infirma dumtaxat imperandi ſpe ſuffultus, nec ſun ex nomine ſtabilem ſolidamque votorum cataſtrophem nactus, miſerè tandem trucidatus interiit, ad cuius retundendendam contumaciam, Theodoſius ſenior, Theodoſii Imperatoris pater in Africam à Valentiniano miſſus, poſt varia præliorum certamina eum deuicit, atque Africam prouinciam diutius afflictam clade releuauit, ut prolixè Ammianus rem geſtam proſequitur. Firmus autem cum primum haud ſuis edoctus malis, & indulgentia principis inſoleſcens veniam impetraſſet, iterum tyrannidem affectans miſerè periit: ſed hic Ammianum audire præſtat: *Feſſus ærumnis gemini prælij Firmus, imoque æſtuans corde, ne quid ultimæ rationis omitteret, Chriſtiani ritus antiſtites oraturos pacem cum obſedibus miſit; qui quoniam ſuſcepti lenius, pollicitique victui congrua militibus (ut præceptum eſt) læta retulere reſponſa: præmiſſis muneribus, Maurus ipſe fidentius, ad Romanum perrexerat Ducem, equo inſidens apto ad ancipites caſus, cumque propè veniſſet, fulgore ſignorum, & terribili vultu Theodoſii perſtrictus iumento deſilijt, curuataque ceruice humi penè affixus, temeritatem ſuam flebiliter incuſabat, pacem obſecrando cum venia, ſuſceptuſque cum oſculo (quoniam id Reipublicæ conducebat) bonæ tam ſpei plenus, ſufficientia præbuit alimenta, & quibuſdam propinquis ſuis ad obſidum vicem relictis, abſceſſit, captiuos, ut ſpoponderat, redditurus, quos primis turbarum copijs rapuit. Biduoque poſt Icoſium oppidum, cuius ſuprà docuimus, conditores militaria ſigna, & coronam Sacerdotalem cum ceteris, quæ interceperat, nihil cunctatus reſtituit, ut præceptum eſt.* Hæc in rem præſentem Ammianus, quod autem ad Sacerdotalem coronam attinet (cuius hic mentio eſt) hæc quidem mitra pretioſior fuiſſe creditur, ſic uſurpato dicta vocabulo (ut Baronius ait) quod ipſa Epiſcopi in ſolemnioribus uti functionibus conſueuerant. Firmo autem (ut idem Baronius ait) finis ille obtigit, ut iterum in tyrannidem, vallatus armis, proſiliens, rurſumque à Theodoſio unà cum ſuis bello profligatus in deſperationem adactus ſit, ex qua funeſta quæque ſibi proſpiciens, ſpontaneam collo reſtem, inſtar proditoris, innectens, pro ſceptro laqueum ſortitus miſerè vitam finiuit; at quid

Firmus Africæ tyrannus.

Baron. tom. 3. an. 373. nu. 35.

Amm. l. 26. & 29.

Firmus anguſtiis preſſus.

Pacem à Theodoſio exambit.

Corona Sacerdotalis.

Baron. ubi ſupr. an. 375. nu. 35.

Firmus iterum rebellat iterumq; debellatur.

Sceptrum laqueo commutat.

Digitized by Google

nos opibus armauit inimicum. Dum ſcilicet Barbaris dari à Romanis ſtipendium curauit.

Stipendia ſoluere barbaris ab iis euertendi.

Subinde verò ſcriptor oculatiſſimus, poſt deploratam lugubrem Romani imperii faciem, amarulentis eundem Stilichonem verbis perſtringens: *Et hæc ipſa*, inquit, *quæ dixi, periculoſa ſunt, tam loquentibus, quam audientibus, ut ne gemitus quidem liber ſit, volentibus: immo nec audentibus nobis flere, quæ patimur.*

Hieronymus vbi ſupr.

Amiſere ipſam flendi libertatem.

Hæc ille, quibus planè tacito innuit, ob Stilichonis dumtaxat Romani habenas Imperii moderantis metum, Romanis ſub iugo fatiſcentibus hominibus, publicas lugere calamitates haud integrum fuiſſe; & magnas quidem temporum, ac rerum publicarum anguſtias, deplorandi ubique terrarum ſuppetiiſſe materiam, ipſemet Hieronymus Gallicanam Barbarorum cladem deſcribens his verbis luculenter enarrat. *Præſertim miſeriarum pauca percurram. Quod rari huc uſque reſidemus, non noſtri meriti, ſed Domini miſericordiæ eſt. Innumerabiles, & ferociſſimæ nationes uniuerſas Gallias occuparunt; quidquid inter Alpes, & Pyreneum eſt, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Tripedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & (O lugenda Reſpublica) hoſtes Pannonij vaſtarunt. Etenim Aſſur venit cum illis. Moguntiacum nobilis quondam ciuitas capta, atque ſubuerſa eſt, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti: Rhemorum Vrbs præpotens, Ambiani, Attrebate, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus tranſlati in Germaniam. Aquitania, nouemque populorum, Lugdunenſis, & Narbonenſis Prouinciæ præter paucas urbes populata ſunt cuncta: quas, & ipſas foris gladius, & intus vaſtat fames: non poſſum abſque lachymis Toloſæ facere mentionem, quæ ut huc uſque non rueret, S. Exuperij merita præſtiterunt. Ipſe Hiſpaniæ iam iamque perituræ quotidie contremiſcunt, recordantes irruptionis Cymbricæ, & quidquid alij ſemel paſſi ſunt, illæ ſemper timore patiuntur, cætera taceo, ne videar de Domini deſperare clementia.*

Hieronym. ep. 11. ad Ageruchiã

Galliæ Barbarorum prædæ obiectæ.

Pſ. 82.

Inſignium vrbium excidia.

S. Exuperius Toloſæ Patronus.

Hæc Hieronymus funeſtam publicæ rei faciem, humanarumque calamitatum procellam legentium ob oculos proponens ediſſerit.

18. Porrò cuncta iſthęc Stilichonis arte, qui nullum exambiendi modum, nec ſuis menſuram votis faciens, unà cum Barbaris in cunctorum perniciem conſpirauerat, obtigiſſe, tum Hieronymus, tum cæteri ſcriptores inculcant, adeò ut de eodem lugubre illud Rutilius carmen cecinerit.

Stilichonis proditio quot mala inuexerit Imperio.

Rut. in itin. l. 2.

Quo magis eſt facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit Imperij.
Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
Crudelis ſūmis miſcuit ima furor
Dumque timet, quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
Immiſit Latiæ barbara tela neci.
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem,
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius, quam caperetur, erat.

Captiuam prius reddidit Romam quam caperetur.

Hęc & alia Rutilius, quę nulla verborũ tergiuerſatione Stilichonẽ pręſentium auctorem cladium renunciant. Verùm quoad Galliarum deſcriptam hactenus cladem Hieronymo Saluianus conſonat his quidẽ verbis; *Non enim hoc agitur iam in Mogũtiacenſium civitate, quæ iam exciſa, & delcta*

Salu. de vero iudicio l. 1.

deleta eſt: non enim Agrippinæ, ſed quia hoſtibus plena: non agitur Treuirorum Vrbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici euerſione eſt proſtrata. Treuiri quater exciſi.

Toloſa expilata. Toloſam inſuper à barbaris intercepꝑtam, eorumque armis miſerè vaſtatam Rutilius deplorat, ubi de ſuo Victorino Toloſano his agit carminibus. *Rutilius in Itiner.*

Victorinus enim noſtræ pars maxima mentis,
Congreſſu expleuit mutua vota ſuo:
Errantem fuſcis conſidere compulit agris,
Excolere externos capta Toloſa lares.

Hęc Rutilius, qui & inſuper barbaricis iiſdem cladibus, è patrio Galliarum ſolo profugus migrare coactus, ubi tandem mare adnauigans poſtliminio reuerteretur, ſuum illud itinerarium metro cecinit.

19. Porrò inſana Stilichonis ambitio dexteritate, potentia, armiſque ſuffulta hominem alioqui ob res pręclarè geſtas inclytum, poſthac inglorium, infauſtum, inuiſumque terrarum orbi exhibuit; quis autem pręclaras viri laudes, poetarum certatim ore decantatas ignorat? Siquidem Stilicho luculenter à Claudiano inter poetas celeberrimo extollitur, dum omnes victoriarum palmas eidem uni aſcribit, & ſuis iugiter carminibus, eius tum prudentiam, tum fortitudinem, animique robur, atque conſtantiam celebrat. Nam ut quid homine dignum repetamus, Gildonis tyranni cędes, qui Romanum numeroſo milite Imperium infeſtabat, & quam Maſcelzil, eius frater tyranno intulit, Stilichoni velut publicas res tūc temporis ſub Arcadio, atque Honorio Principibus adminiſtranti iure optimo adſcripta eſt. In ſtatuę enim, quę Stilichoni dicata fuit, baſi hæc nobilis inſtar tituli verba inſculpta leguntur, *Claudianus aſſentator Stilichonis.* *Gildo tyrannus cęſus*

FL. K. STILICHONI. V. C.

FL. STILICHONI INluſtriſſimo Viro, Magiſtro Equitum, Peditumque Comiti, Domeſticorum Tribuno, Pretoriano, & ab ineunte ætate, per gradus clariſſimæ militiæ AD columen gloriæ ſempiternæ, & Regiæ adfinitatis euecto, Progeneri Diui Theodoſii, Comiti Diui Theodoſi Auguſti, in omnibus bellis, atque victorijs, & ab eo in adfinitatem Regiam coaptato. Itemque ſocero Diui H. Honori Auguſti; Africa conſilijs eius & prouiſione liberata, Ex S. C. *Apud Smetiū pag. 63. n. 3* Monimentū Stilichoni poſitum ab Afris.

Et hæc præcipuarum ſunt monimenta laudum, quę Stilichoni, Senatus nomine inſcripta, ac publicis titulorum elogiis, dum publicæ rei habenas ſapientiſſimè adminiſtraret, inſculpta, dicataque fuere. Itaque Stilicho, ut ex multis pauca, quæ laudem merentur, ſuggeramus, ea modeſtia præfulſit, ut licet ipſiuſmet ſocer Imperatoris, ac de uniuerſo Romanorum Imperio optimè meritus, à conſulari tamen munere, quod viri plerique illuſtres ambitioſo votorum ſuffragio requirerent, ac ſe eiuſcemodi honore cumulari totis contenderent viribus, in hoc ipſe prę cunctis admirandus, diu ſibi abſtinendum duxerit, adeò ut non niſi ſerò nomen eiuſdem Conſularibus faſtis adſcriptum ſit, ut Claudianus carminibus hiſce teſtatur. *Baron. tom. 5 an. 400. n. 1.* Commendata à Claudiano eius modeſtia.

Quis mihi Germanos ſolus, Francoſque ſubegit, Germani & Franci ab eo ſubacti.
Cur nondum legitur faſtis? cur pagina tantum *Claudian. de laudib. Stilichonis l. 1.*

Neſcit

Neſcit adhuc nomen, quod iam numerare decebat.

Qui, ut modeſti hominis laudes rebus pręclarè geſtis adaugeat, Gildonis victoriam, eius dumtaxat ſapientia, ac dexteritate partam recenſet; dum iſthæc de eius laudata ſatis nunquam modeſtia concinit:

Claudianus ubi ſupr.

Sperabam nullas trabeis Gildone perempto,
Naſci poſſe moras, etiam nunc ille repugnat.

Occidentis tumultus componere ante conſulatũ voluit.

Vir quippe ęqui, bonique, ut videbatur, amantiſſimus, cum longas conſularibus faſcibus aſſumendis moras pretexeret, pacandum prius ab omni bellorum tumultu, Occidentale Imperium, quam ſupremę dignitatis apicem attingeret, nec publicam priuatis tum commodis, tum honoribus quietem pręferēdam dicebat. Bellis igitur, quę undequaque ingruebant, feliciter confectis, redactiſque ſub iugo barbaris, omnimodaque pacis tranquillitate Romanorum Imperio parta, ſe tandem, quod hactenus detrectaſſe videbatur, renunciari conſulem paſſus eſt; quamobrem ad laudum eius cumulum, qui ob publicum dumtaxat bonum, ſupremorum à ſe Magiſtratuum abdicaſſe procul ambitum pręſe tulit, iſthæc Claudianus cecinit:

Claudian. de laudib. Stilich lib. 2. *Africa & Germania ab eo pacatę.*

Nullus Boreæ metus, omnis & (Auſtri,
Ira ſilet: cecidit Maurus, Germania ceſſit:
Et Ianum pax alta ligat te Conſule.

Baron. loc. cit nu. 1.

Ex quibus in eiuſdem laudem decantatis feliciſſimus planè Stilicho (ut Baronius ait) in hãc diem, cum ob fortitudinẽ animi in rebus bellicis, tum ob eius moderationem in tanta rerum proſperitate ſeruatam, ſed infeliciſſimus omnium redditus, cùm quærit adhuc altiora faſtigia. Quæ Baronius aptè in rem præſentem ſuggeſſit.

Dum altiora quęrit, ex felicitatis gradu decidit.

20. Verum enim verò quàm immane homo hic à ſeipſo degenerarit, & ex frugi, ac modeſto, honorum auidiſſimè cupidus euaſerit, haud facile dictu eſt; quippe ac ſi hominem, quem antea gerebat, ac animum, præclaraſque inſuper, quibus pręfulgebat, laudes exuiſſet, in deteriora prouolutus eſt; regnandi enim cupiditate illectus, deceptuſq;, ſibi totus diſſimilis, proditor inſuper effectus, fortunæque illuſus alea, in omnem infelicitatem, ex feliciſſimo, qui erat, miſerrimè impegit, adeo ut proditionis eũ iure merito incuſare auctorem, atque ambitioſo homini vel muta elementa teſtimonium afferre, ac in omnium auribus aduerſus ipſum viſa ſint proclamaſſe. Vt enim Marcellinus in Chronico ait: *Romæ in foro pacis per dies ſeptem terra mugitum dedit.* Et ut eius in exambiendo machinę, totaque rerum geſtarum ſeries Lectori plenius innoteſcat, ipſius Oroſii verba concinnè his noſtris paginis inſerenda videntur: *Interea (inquit) Comes Stilicho, Vuandalorum imbellis, auaræ, perfidæ, & doloſæ gentis genere editus, paruipendens, quod ſub Imperatore imperabat, Eucherium filium ſuum, ſicut à pleriſque traditur, iam inde Chriſtianorum perſecutionem à puero, priuatoque meditantem, in Imperio quoquomodo ſubſtituere nitebatur. Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem, pro pace optima, & quibuſcumque ſedibus ſuppliciter, ac ſimpliciter orantem oculto fœdere fouens, publicè autem & belli, & pacis copia negata ad terendam, terrendamque Rempublicam reſeruauit. Preterea gentes aliàs copijs, viribuſque intolerabiles, quibus nunc Galliarum, Hiſpaniarumque Prouinciæ premuntur, hoc eſt Alanorum, Sueuorum, VVandalorum, ipſoſque ſimul motu impulſorum Burgundionum ultro in arma ſollicitãs, deterſo ſemel Romani nominis metu, ſuſcitauit, eas interim*

Proditionem adornat

Marcellin. in Chronico.

Oroſ. l. 7. c. 38.

Eucherium filiũ ad Imperium euehere meditatur.

Barbaras gentes in Romanas prouincias euocat.

rim ripas Rheni quatere, & pulſare Gallias voluit, ſperans miſer ſub hac neceſſitatis circumſtantia, qua & extorquere Imperium à genero poſſet in filium, & gentes barbaræ tam facilè comprimi, quàm commoueri valerent. Ex quibus Stilichonis ambitum immane excreſcentem videre eſt, dum barbarorum ſuffultus armis Imperium ſibi totis adſciſcere viribus contendit, ſed tragicam viri, poſt infauſtos belli obuentus, hiſtoriam ex Oroſio proſequamur.

Tam facile comprimi, quam commoueri poſſe falſo arbitratur.

Oroſ. l. 7 c. 36.

Patefacta eius fraus.

21. *Itaque ubi Imperatori Honorio, exercituique Romano hæc tantorum ſcelerum ſcæna patefacta eſt, commoto iuſtiſſimè exercitu occiſus eſt Stilicho, qui ut unum puerum purpura indueret, totius humani generis ſanguinem dedit. Occiſus eſt, & Eucherius, qui ad conciliandum ſibi fauorem Paganorum, reſtitutione templorum, & euerſione Eccleſiarum imbuturum ſe regni primordia minabatur, paucique cum iiſdem ſatellites tantarum molitionum puniti ſunt: ita minimo negotio, paucorum pœna, Eccleſiæ Chriſti cum Imperatore religioſo, & liberatæ ſunt, & vindicatæ.* Huc uſque Oroſius rem tum publicam, tum priuatam malè, ſubdoleque Stilichonis opera geſtam breui potius compendio perſtringit, quam Hiſtoricorum more deſcribat.

Eucherius eius filius occiſus.

Is gentilitiā ſuperſtitionē reſtituere meditabatur.

Baronius tom. 5. an. 408. nu. 70.

22. At Zoſimus Stilichoni adblandiens, doli haud palam eum redarguit, ſed à proditionis nota vindicare conatur; nam Legatos ad eum ab Alarico deſtinatos fuiſſe ait, quibus debita ſuis perſolui ſtipendia militibus expoſceret, ob protractas in Epiro moras, tunc potiſſimum temporis cum euocatus ſe in Orientem mitti expectabat; Quapropter Stilicho Honorium ea ſuper re conſulturus Romam conceſſit; Honorius verò (ut Baronius tradit) conuocato in palatium ſenatu, conſcriptorum ſententias patrum rogat, pecunia videlicet exoluenda ne ſit petenti, an armis aduerſus Alaricum in eiuſcemodi rerum ambiguitate decernendum: Porrò ad obtinendum id cuius gratia in Vrbem aduenerat, ſtrenuè ſe pro Alarico apud ſenatum Stilicho geſſit, ex cuius ſententia ad redimendam publicæ tranquillitatem rei, quatuor millia librarum auri barbaro homini decreta ſunt: conſtanter tamen Lampadius Vrbis Conſul Stilichoni rem peroranti obſtitit, qui & patria illud libertate, ingenuo dignum homine, libero ore pro Alarico totis viribus contendenti in faciem obieciſſe dicitur: *Non eſt* (inquit) *iſta pax, ſed pactio ſervitutis.* Qui ſimul ac iſthæc protulit, ſenatuque dimiſſo in ſua quiſque abiit, eius potentiam veritus, ſibique ab homine timens in proximam Chriſtianorum Eccleſiam profugit: nec multò pòſt nonnullis inter hæc agitatis Olympius in Stilichonem, ceu Romani proditorē Imperii Dei nutu ipſiuſmet Honorii Imperatoris animum valde ſuccendit, eiuſque opera Magiſtratus Collegæ, qui Stilichoni fauebant, acriter commoti, facto impetu in medium proſilidntes, eorum ſingulos confoderunt; Verum Stilicho, cuius prę ſertim capiti mucro intentabatur, Rauennam ſe unà cum barbaris, qui eum ſtipabant, militibus conferens Saro Barbarorum duce rebellante; ac Stilichonis ſubinde ſatellitibus eiuſdem opera occiſis, ipſe imminentem ſibi cladem timens, intempeſta nocte ad Eccleſiam conuolauit; verum Eccleſię, in quam velut in aſylum profugerat, is ab hoſtibus honoris cultus delatus eſt, ut eius nequaquam iura violata ſint; nullum enim tot inter homines adeo irreligioſum adinueniri contigit, qui præter loci religionem à ſacris eundem penetralibus per vim abſtrahere auſus ſit; diuino autem nutu accidit, ut qui ſub

Poſcebat Stilicho decerni Alarico ſtipendia.

Baron. tom. 5. an. 408. n. 10.

Decreta quatuor millia librarū auri

Obiectū illi eſt non pacē eſſe, ſed pactionem ſeruitutis.

Honorius ut Olympio in eum inflāmatus.

Rauennam cū ſuis prouolat.

In Eccleſiā perfugit.

ipſa

ipſa Ambroſii tempora ius Eccleſiæ temerario auſu infringere veritus non fuerat, ipſe alter veluti Eutropius, neceſſitate, ac metu adactus ad Eccleſiam confugerit, & ius pariter, ut Baronius adnotat, *Eccleſiæ implorauerit. Ita enim Deus ſuperbos in res ſacras cornua erigentes deprimere conſueuit.*

Implorat illius opem cuius iura violarat.
Baron loc. cit.

Attende in eo diuinam ultionem.

23. Sed qui ſacrum Eccleſiæ aſylum non ſecus ac tum publicę, tum ſacræ hoſtis rei ac proditor violauerat, nec ullam iam demereri pietatem videbatur, & ſi per vim à ſacro templi ambitu auulſus non eſt, dolis tamen circumuentus, ut qui dolos ſtruxerat, merebatur ſe è loco ſponte pœnas ſcelerum daturus abduci permiſit. Sed rem quęſo à Zoſimo eleganter digeſtam hauriamus. *Vbi*, inquit, *illuxiſſet dies, ingreſſi ſunt milites in Eccleſiam, & Epiſcopo præſente Sacramentis ei fide facta non imperatum eſſe ſibi à Principe, ut eum necarent, ſed tantum, ut cuſtodirent: quamprimum egreſſus ex Eccleſia ſub cuſtodia militum eſſe cæpiſſet, alteræ ex Honorio Imperatore reddebantur ab eo, qui priores attulerat, litteræ, qui in litteris Stilichonis in rempublicam delictis pœna capitis irrogabatur.* Sic Ambroſius, Romanique proditor Imperii Stilicho, à Romanorum militibus, Deo ulciſcente proditus anno Chriſti octauo ſupra quadringenteſimum Baſſo ac Philippo Conſulibus, decimo Kalendas ſeptembris ab Heracliano miſere obtruncatus eſt, & ut ad paternę cumulum infelicitatis, totam proditoris proſapiam mucro demeteret, poſt eum filium mater, atque alii crudeliter interfecti ſunt; tragicam verò hominis perditè ambitioſi ſtrophem Marcellinus Comes in ſuo Chronico proſequitur, dum funeſto eiuſcemodi elogio Stilichoni parentat: *Stilicho Comes, cuius duæ filiæ Maria, & Thermantia, ſingulæ uxores Honorij Principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, ſpreto Honorij regno regnum inhians, Alanorum, Sueuorum, VVandalorumque gentes, donis, pecuniiſque illectas contra Honorij Imperium excitauit. Eucherium filium ſuum paganum, & aduerſus Chriſtianos inſidias molientem, cupiens Cæſarem ordinare, cum eodem Eucherio dolo ſuo detecto occiſus eſt.* Hæc ipſe, & reliqui poſt Oroſium ſcriptores aſſerunt. Optimè igitur cæde multorum ſaluti remedia parata ſunt, & Chriſti Eccleſiæ Stilichonis ſanguine, ut Baronius tradit, opportune conſultum eſt, cuius potiſſimum dolis, ac ſtudio (proditoris enim partes egregiè, cum contra Romanum Imperium, tum etiam aduerſus Eccleſiam egregiè obibat) dolis inquam, ac ſtudio in ethnicum hominem, iam iam fidelium ceruicibus intentantem perſecutionis gladium, cui ſumma rerum una cum Imperialibus inſulis deferenda eſſet, ut merebatur, actum eſt. Quod ne illi ex voto contingeret Olympius dux præcipuus inter Chriſtianos, qui mirò pietatis zelo æſtuabat, opportune gladium exerendo propitiante Numine conatus eſt anteuertere.

Zoſimus lib. 5.

Proditor proditione periit.

Illius genus exciſum.

Marcellinus in Chronic.

Baronius ſuprà citatus.

Parabat ſ... licet exci... dium Eccleſiæ.

24. Ad abolendam autem Stilichone extincto omnem ſuperbi hominis, proditoriſque memoriam, complures Honorius Imperator contra eundem, ac proſcriptos Romanorum Imperii perduelles, ſanctiones edidit; quarum unam, atque alteram, perpetuo futuras ipſius dedecorum monimento, ac proditoris probro, ſemperque victuras, Lectori inſpiciendas offerimus.

Deleta memoriæ Stilichonis veſtigia.

25. *Qui ſuas opes prædoni publico, ... filio, cæteriſque ſatellitibus de... vel iure, vel ... quibus ille uſus eſt ad omnem ditandum ... barbariem: his omnem ...*

G. l. 22. de bonis proſcript. Cod. Theodoſ.
Honorii edictum aduerſus Stilichonis fautores.

 ...am

viam iubemus eſſe præcluſam. Datum x. Kalend. Decemb. Rauen. Baſſo & Philippo Coſſ. Hęc ad Theodorum Pręfectum Prætorio Honorius; quibus, & alteram ſubinde ſanctionem his conceptam verbis addidit.

Lege vit. & iteam cuſtodia Cod. Theod. Datum illi flagitio cōmercii cum Orientalibus libertatem prætaliſſe.

26. *Hoſtis publicus Stilicho nouum, atque inſolitum repererat, ut littora, & portus crebris vallaret excubijs, ne cuiquam ex oriente ad hanc Imperij partem pateret acceſſus. Huius iniquitate rei moti, & ne rarior ſit diuerſarum mercium commeatus, præcipimus hac ſanctione ut littorum deſiſtat, ac portuum pernicioſa cuſtodia, & eundi, & redeundi libera ſit facultas. Dat. 4. Idus Decembris, Rauennæ, Baſſo & Philippo Coſſ.* En tibi patentibus inſculpta notis execranda Stilichonis ad imperium prǽferuide contendentis ambitio, cuius obſequio, ut ſcelera ſibi inuicem famularentur, comitem ſe iunxerat auaritia; ſed ut diuina, Stilichone ſublato, ultio reliquos ſcelerum conſortes, ac viri domeſticos impeteret, Alaricus Gothorum rex, Stilichoni, utpote addictiſſimus, cuius item tam occultis, quam manifeſtis officiorum ſtudiis fouebatur, inſequenti ad ulciſcendam eius, ac Magiſtratuum, qui ipſi fauebant necem, cum in Imperatorem acriter commotus fuiſſet, ſigna in Vrbem mouit; interim verò Eucherius Stilichonis filius, qui captivus ab Arſacio, & Terentio Eunuchis, mancipatuſque vinculis detinebatur, Honorii iuſſu interficitur; equo autem Dei iudicio Eucherius hic pari ſcelerum, ac impietatis ambitio illuſtris, qui Idololatriam è proximo, ubi ad Imperium fuiſſet euectus, inſtaurandam decreuerat, interemptus eſt; ut Oroſius his verbis teſtatur: *Occiſus eſt, & Eucherius, qui ad conciliandum ſibi fauorem Paganorum reſtitutione templorum, & euerſione Eccleſiarum, imbuturum ſe regni primordia minabatur.* Sed illud ad omnimodam gentilium Stilichonis, ac propinquorum eius internecionem, non abſque præcipuo Dei nutu, ut Baronius refert, acceſſit, quod Serena eius coniux, & Theodoſii Imperatoris quondam ſoror, adnitente in primis Placida, Honorii Auguſti germana, cum in ſuſpicionem veniſſet, quod ipſa euocante barbari, ut illius nimirum votis morem gererent, ſe ad obſidendam urbem contuliſſent, ex Senatus conſulto iuſſa eſt interfici; Romani enim barbaros ab Vrbis obſidione quantocyus receſſuros ſperabant, ſi ſpem omnem quam de Vrbe ſibi dedenda conceperant, eiuſque, quæ dolos inſtruxerat, necę interciſam vidiſſent; Serena igitur proditoris in morem fictis laqueo ceruicibus perempta condignas ſcelerum pœnas dedit, quod pari, ut Stilicho, ambitione inſaniens, ac filii in Imperatorem renunciandi cupiditate, feruens tabeſcenſque, eaſdem una cum illo, ipſiuſque met fratris Imperio, exitiales, prout omnes affirmant, inſidiarum machinas strueret.

AlaricusRex Gothorum parat ulciſcendam Stilichonis.

Oroſ. l. 7. c. 8. De Idololatria inſtauranda conuenerat eius filius.

Serena Stilichonis uxor barbaros ad Vrbis obſidionē vocat.

Præfocatur laqueo

27. Porrò de ſecunda hac Vrbis obſidione, quæ ab Alarico intentata eſt, Hieronymus ad Principiam his verbis ſcribit: *Terribilis ab Occidente rumor affertur, obſideri Romam, & auro ſalutem ciuium redimi, ſpoliatoſque rurſus circumdari, ut poſt ſubſtantiam, vitam quoque perderent.* Hęc Hieronymus, eademque Zoſimus, atque Sozomenus; Atqui iuſto Dei iudicio ad vindicandos gentilitiæ ſuperſtitionis, qui Romæ inoleuerant, mores, & ad plectendos homines, qui à Magicarum artibus & pręſtigiis reſilire noluerant: Alaricus ad Vrbem obſidendam [illegible] eſt; cum enim barbarus Rex Vrbem iam obſideret, & à Mo-

Secunda Romæ obſidio. *Hieronym. epiſt. 16. ad Principiam.*

Permiſſa diuinitus ad magicæ artis ſtudioſos excindendos.

nache

Lib. 9. c. 6. Profitetur Alaricus ſe à Deo cogi ad urbis excidiū

nacho quodam interpellatus, grauiterque ſubinde increpatus fuiſſet, ut animum ab infeſtanda Vrbe abduceret, ſe Numine prorſus impellente, inuitum, atque nolentem ad inferendum Vrbi Romæ excidium ferri teſtatus eſt; ſed Sozomenum iſthæc narrantem audire pręſtat. *Fertur itaque probus aliquis Monachus ex his qui, in Italia erant, Romam cum feſtinatione profectus Alarico conſuluiſſe, ut Vrbi parceret, nec ſe tantorum malorum auctorem conſtitueret: cui & Alaricus reſpondiſſe dicitur, ſe non volentem hoc tentare, ſed eſſe quemdam, qui ſe obtundendo urgeat, ac præcipiat, ut Romam evertat.* Hæc Sozomenus, eademque

Socr. l. 7. c. 10. Baron. anno Chr. 409. n. 9.

Innocentius Pontifex ad eum legatus decernitur.

Socrates. Verùm cum verò tunc potiſſimum temporis, cum de amouendo ab urbis obſidione Alarico ageretur, Innocentius Romanus Pontifex una cum nonnullis aliis ad agendum cum barbaro homine Legatus mittitur, quod diuino quidem conſilio pręſtitum eſt, ut Innocentius ab impendente Vrbi vaſtitate, alter veluti Loth, publicæ Chriſtianorum rei bono ſubtraheretur, de quo Oroſius iſthæc.

Oroſ. l. 7. c. 39

Accidit quoque, quo magis illa Vrbis irruptio indignatione Dei acta, quam hoſtis fortitudine probaretur, ut Beatus Innocentius Romanæ Vrbis Epiſcopus, tanquam iuſtus Loth ſubtractus è Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Ravennam tunc poſitus, peccatoris populi non videret excidium. Hæc quidem Oroſius.

Diuino conſilio ab excidio eripitur.

28. Porrò cum iam ſecundò Alaricus muros armis valide circumuallaſſet, ingenti urbs fame uexari cœpit, ut Hieronymus teſtatur: *Fame perit, antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur inuenti ſunt, ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies & ſua innicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infanti, & ſuo recipit utero quem paulo ante effuderat.* Hęc Hieronymus.

Hieron. epiſt. 16 ad Principiam. Fame horrida urbs preſſa.

Matres filiis non parcunt.

Tunc inſuper (ut Zoſimus addit) in Circenſium ludorum ſpectaculis ad conſalutandum Imperatorem à populo, quippe qui fame contabeſcebat, illud funeſtiſſime conclamatum eſt: *Pretium pone carni humanæ*: humanis enim carnibus Romani homines, nedum barbari ad famem tunc explendam ferinum in morem veſcebantur; quas quidem calamitates in Romanum orbem, imo in ipſammet Romanorum Vrbem ad unius explendam hominis ambitionem inuectas fuiſſe, ex enarratis hactenus ſatis liquet. Qui igitur imperandi cupiditate pręuentus Imperatori fraudem molitus fuerat, doloſque in Romanum Imperium, principatus dumtaxat cupiditate illectus concinnauerat, ſuiſque tandem dolis interceptus, ingentique necatus inuidia, infelici proditoris inſtar diem exitu clauſit, cuius infelicitati, ad malorum cumulum, gladio addictos filium ſubinde ac coniugem ſociari contigit. Enimvero qui praua in alterum calliditate dolos ſtruit, ac laqueos parat, in ipſos vel nolens iuſtè impingit, juxta illud Pſalmiſtæ oraculum, *Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.* Et iuxta id quod alibi de impijs hominibus decantatum legitur. *In laqueo quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.* Quod orbi terrarum vel uno Stilichonis exemplo manifeſtiſſime comprobatum eſt.

Zoſim. l. 5. Petitum [illegible] Circenſi[illegible] ludis ut [illegible] tum car[illegible] humanę [illegible] neretur.

[illegible] lio.

Pſal.

29. Huic Maximus inter Romanos Senatorii ordinis vir, ex Maximi illius ſtirpe quem Theodoſius ſenior ſuſtulerat, & noſtris hiſce paginis inſerendus eſt, qui non ſecus ac ex ipſomet, quod præferebat, nomine, ad maiora in dies, imo ad maxima quæque petulantius ambienda incitaretur, regnandi deſiderio illectus, priuatæ conditionem vitæ pertæſus; ad ſu-

Maximus ambitione perit. Baron. tom. [illegible] ann. Chr. 4[illegible] n. 5.

premum

premum Imperii culmen, arridente fortuna, aditum ſibi patefacere conatus eſt; Verùm, qui priuatim degens, ſuaque contentus ſorte lares intra domeſticos cum Ioue potuit de felicitate contendere, ubi occupato per vim Imperio, rerum ſumma potitus eſt, infelicißimus extemplo extitit, ac gladio demum confoſſus ſuomet ambitionem ſanguine purpurauit, ac felicitatis humanæ miſeram nedum aleam, ſed deplorandam acerbißimæ inſtar ſeruitutis calamitatem edocuit: Porrò antequam funeſtam hominis cladem exequamur, eumdem totis ad Romanū inuadendum Imperium viribus contendentem videre præſtat: Valentiniano igitur vi ſublato, maximus nouarum auctor rerum, & tumultuantium in publica re ſtudiorum architectus, nullo penitus ſibi obluctante Imperii clauum inuadit, ſibiq; eius adminiſtrandi prouinciam adſciſcit, de quo iſthæc Procopius: *Interea Romæ, Maximus Imperatore, nullo negotio interfecto, tyrannidem capit, Eudoxia potitur, eamque ſibi coniugem iungit, cum fortè antea prima vxor deceßiſſet.* Sidonius verò, ubi de Maximo ſermonem inſerit, ab ipſo protinus Auitum, virum quidem domi, foriſque clarum, & ſemel atque iterum præfecturis adauctum, Magiſtrum militum renunciatum fuiſſe affirmat; Porrò Maximus, viro militibus præfecto Romanum in priſtinum gloriæ ſplendorem vindicare Imperium ſeriò ſecum ipſe meditabatur, de eo quippe, dum adhuc in Galliis ageret, iſthæc Sidonius:

Facto Imperio è culmine felicitatis deiicitur

Procop. l. 6. 1. de bello Vandal.

Peremto Valentiniano ſibi Eudoxiam coniunxerat.

Reſtituere priſtino ſplendori Imperium meditabatus.

Sidon. in panegyric.

Auitum delegit Magiſtrum equitum.

Sed perdita cernens,
Terrarum ſpatia Princeps iam Maximus, unum
Quod fuit in rebus peditumque equitumque Magiſtrum,
Te ſibi Auite legit.

Hæc de Auito, quem Maximus ſub principatus initio militibus præfecerat, militari quidem peritia Ætio imparem, at probitate longè præcellentem. Ætius quippe in Gallii Prætorii Præfectum agebat, quam ille Prouinciam pluribus annis ſumma cum laude obierat, quo tempore Maximus eundem tum ad barbarorum reges legatum, ut pacis fœdus cum illis iniret, deſtinauit, ut ex his, quæ pro concione poſtmodum ille, cum delato ſibi muneri manum admouiſſet, fertur apud Sidonium peroraſſe.

Sed dum me noſtri Princeps modo Maximus orbis
Legatum, abſentem, procerum, poſt mille repulſas,
Ad lituos, poſt iura vocat, voluitque teneri,
Præconem mutare tubis: promtiſſimus iſtud
Arripui officium, vos quo Legatus adirem
Fœdera priſca precer.

Sidon. in panegyr.

Decreuit Legatum ad barbaros reges.

Hæc Auitus de iniuncto ſibi ab Imperatore publicæ legationis munere: At Maximus, qui foris vir prudens videbatur, intus in cute, rebus agendis ſocordiam præferebat, dum plus, quam par eſt, Eudoxiæ dictis adhibet, intimoſque animi ſenſus patefacit, ſeipſum, ac Romanum inſuper Imperium, quod adeo impenſè exambierat, alieni per dolos Imperii inuaſor, Deo ulciſcente peſſundedit: Maximus igitur nouæ uxoris ſibi adblandientis lenocinio deceptus, dum ſe eius viro manus per dolum intuliſſe, blanditiis delinitus fatetur, non tam uxoris ſibi deuinxiſſe animum, ac gratiam conciliaſſe, quam bilem ultrò accendiſſe, inflammaſſe odia, armorumque in ſemetipſum tumultus excitaſſe viſus eſt; ut Procopius edocet his planè verbis: *Eius tandem amore dum unà dormirent,*

Maximi politici inſania

Detegit vxori ſe illius amore primum viri interfeciſſe.

Procopius de bello Gothico.

[illegible] l. 1.

dormirent, faſſus eſt, ſe virum interfeciſſe, quare illa exacerbata prius animo de ultione viri cogitans, multò magis ob eius verba, & animum impudicum detectum, ad vindicandum facinus eſt incenſa. Vbi igitur illuxit, Carthaginem mittit rogatum Genſericum, ut viri necem ab impio Tyranno ulciſci velit, ipſam verò

Genſericus ab Eudoxia in Maximũ concitatus.

indigna ab eodem pati, Imperium occupatũ, omnia perditum iri. Addit quoque pro officio illud facturum, ſi afflictis auxiliũ ferat, cum in amicitia, ſocietateque Valentiniani eſſet; è Conſtantinopoli nullam eſſe ſpem, Theodoſio iam extincto, & Marciano imperante. Genſericus igitur auaritia inprimis permotus, ſpeque opum maxime conſequendarum, ingenti claſſe in Italiam adnauigans, Romam nullo aduerſante, facile ingreditur. Maximum e veſtigio, Romani fugientem inſectati, lapidibus obruunt, membratimq; diſcerpunt.

Illius expeditio.

Et in urbem ingreſſus.

Maximus membratim diſcerptus.

Hic miſerandus planè, ac omni infelicitate dignus Maximi ad ſumma rerum iam prouecti finis extitiſſe deſcribitur, cũ breui tempore, quo Imperii adminiſtrationem obtinuit, haud parum miſer, qui Maximi nomen circumferebat, in maxima quæque diſcrimina, fortunæ impulſu iactatus, proiectuſque, duos dumtaxat menſes, pręter dies paucos imperauerit. Porrò ut tragicam nunc Maximi ſtrophem exponamus: poſt cruentum eius, atque ignobilem, quem Procopio enarrãte deſcripſimus, interitum, infeliciſſimam planè eius inter honorũ, ad quos aſpirabat conatus, rerumque humanarum apices, ac felicem olim priuata inter ſtudia conditionẽ, ex ipſa Sidonii egregiè philoſophãtis epiſtola, ad Serranum eius laudatorem reddita, quæ ſepulchralis inſtar tituli Maximo futura ſit, his quidẽ notis Lector ediſce:

Sidonius l. 2. epiſt. 13.

Epiſtolam tuam nobis Marcellinus rogatus exhibuit, homo peritus, virque amicorum: quæ primoribus verbis ſalutatione libata, reliquo ſui tractatu, qui quidem grandis eſt, Patroni tui Petronij Maximi Imperatoris laudes habebat: quem tamen tu pertinaciùs, aut amabiliùs, quàm rectiùs, veriùſque feliciſſimum appellas: Propter hoc quippe cùm ad ampliſſimos faſcium titulos fuerit euectus, uſque ad Imperium. Sed ſententiæ tali nunquam ego aſſentior, ut fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus inſiſtunt.

Dictus fuerat feliciſſimus.

Nam dici nequit, quantùm per horas fert in hac vita miſeriarum, vita felicium illorum, ſi tamen ſic ſunt pronunciandi, qui ſibi nomen, ut Sylla præſumunt) nimirum qui ſupergreſſi ius, faſque commune, ſummam beatitudinem exiſtimant, ſummam poteſtatem hoc ipſo ſatis miſeriores, quod parum intelligant inquietiſſimo ſe ſubiacere famulatui; nam ſicut hominibus reges, ita regibus dominandi deſideria dominantur.

Multum miſeriarum per horas fert in hac vita, vita feliciũ.

Hominibus Reges, Regibus dominandi deſideria dominantur.

Non ſuſtinet Dominus eſſe, qui non ſuſtinuit eſſe ſub Domino.

Hic ſi omittamus antecedentium Principum caſus, vel ſecutorum, ſolus iſte peculiaris tuus Maximus maximo nobis documento potuit eſſe: qui quanquam in artem præfectoriam, Patriciam, Conſularemque, intrepidus aſcenderet, eoſque, quos geſſerat Magiſtratus ceu recurrentibus orbitis, inexpletus intrauerat: cùm tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam poteſtatis immenſæ vertiginem ſub corona patiebatur, nec ſuſtinebat Dominus eſſe, qui non ſuſtinuerat eſſe ſub Domino. Denique require in ſupradicto (Maximo ſcilicet) vitæ prioris gratiam, potentiam, diuturnitatemque, neque diuerſo principatus paulò amplius, quam bimeſtris originem, turbinem, finem: profectò inuenies hominem beatiorem prius fuiſſe, quam beatiſſimus exiſtimaretur. Hæc Sidonius in ambitioſos. quot verba, tot iacula intorquet, qui Maximi eiuſdem immutatam omnino ſub Imperii culmine, una cum facie ſortem cõtemplatur, &

Maxi-

Maximum, dum priuatim ageret, ipſimet Maximo, dum rerum potiretur, conferens, perpetua iſthęc humanæ infelicitatis monimenta, vel potius acuto orationis ſtylo poſteris elogia immortalitatis inſculpſit: ait enim:

Sidonius l. 2. epiſt. 13.

30. *Igitur ille, cuius anterius Epiſtolæ, mores, pecuniæ, faſces, pompæ, litteræ, patrimonia, & patrocinia florebant; cuius ipſa ſic denique ſpatia vitæ cuſtodiebantur, ut per horarum diſpoſitas elepſydras explicarentur: is nuncupatus Auguſtus, ac ſub hac ſpecie Palatinis limitibus incluſus ante creſpuſculum ingemuit, quod ad vota peruenerat: Cumque mole curarum priſtinæ quietis tenere dimenſum prohiberetur, veteris actutum regulæ legibus renunciauit, atque proſpexit pariter ire non poſſe negotium Principis, & otium Senatoris. Nec fefellerunt futura mærentem; nam cum cæteros aulicos honores tranquilliſſime percurriſſet, ipſam aulam turbulentiſſimè rexit inter tumultus militum popularium fœderatorum: quod & exitus prodidit, nouus, celer, acerbus, quem cruentauit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut ſcorpius ultima parte percuſſit.*

Ingemuit Maximus quod ad vota perueniſſet.

Fortuna illum ut ſcorpius ultima ſui parte percuſſit.

Hęc de Maximo ad ſummos honorum apices, quos ambierat, euecto egregiè in rem pręſentem Sidonius, maxima quæque, ac ut Philoſopho par eſt, de Maximi caſu philoſophatus tradit. Cuius utinam exemplum, qui honores appetituri ſunt, conſulerent, cuius item diſertiſſimi ſcriptoris verba, utinam hi, qui humanis in ſublime votis, mortales ſe eſſe obliti feruntur, menti altius inſculperent, profectò vota mutarēt, faſtumque alieno edocti periculo comprimerēt. Verum enimverò, quot, & quanta unius hominis malè inter honores ſibi conſulentis ambitio, in Romanum orbem detrimenta inuexerit, ſi quis curioſius recolat, poſt Maximi cædem, Vrbi pariter funeſtiſſimam ab Vvandalis ad eius vindicandum interitum ab Eudoxia euocatis, illatam fuiſſe cladem intelliget; cuius idem Sidonius meminit, dum Auiti Imperatoris laudes concinit, ſuique temporis res geſtas, plectro relegens, Romam his planè verbis alloquitur:

Roma à Vvandalis euaſtata.

Sidonius in panegyr. Auiti Imperat.

Interea incautam furtivis Vvandalus armis
Te capit: infidoque tibi Burgundio ductu,
Extorquet trepidas mactandi Principis iras.
Heu facinus? in bella iterum: quantoſque labores
Perfida Eliſſeæ crudeſcunt claſſica Byrſæ.
Nutritis, quod fata malum? conſcenderat arces
Evandri Marſyla, Phalanx, Monteſque Quirini
Marmarici preſſere pedes. Rurſumque reuexit
Quæ captiua dedit quondam ſtipendia Barche
Exilium patrum. ———

Sidonius luget illius excidium.

Hæc ſunt, quibus Maximo ad ſummos rerum gradus ſuperbo mentis ſupercilio contendenti, & infidæ ſummos inter honores fortunæ, quæ illi exitium lugubri tandem exitu peperit, epicinium canendo parentare, cæteriſque futuris poſthac principibus magnum ſub uno Maximo, rerum humanarum inconſtantiæ argumentum delibaſſe voluimus.

31. Huic, ut ab Imperiali interim ad regiam digrediamur aulam, Petrus è Brocia infimę ſortis homo adnumerandus eſt, qui è plebeio præter votorum expectationem ad florentiſſimum ſtatum, Philippi Galliarum regis fauente gratia, fortunaque arridente, euectus, cum inter feſtiuos aulę plauſus, non ut par eſt, ſobriè, ſecun-

Petrus è Brocia ambitionis pœnas luit.

darum

darum prouentu rerum uteretur, infelici poſtmodum exitu, nec vulgari fluxarum rerum ac hominum nimis ſe extollentium documento periit, ut Nangius viri cladem tragico in rem præſentem ſtylo apud Rainaldum in Eccleſiaſticis annalibus his verbis deſcribit:

Compingitur in vincula. *Nangius in Philippo Rege Franc. apud Odpwic. Rainald. in annal. Eccl. tom. 14. ann. 1278. n. 33.*

32. *Petrus de Brocia captus primò Pariſijs incarceratus, & poſt apud Ianuillam in Belſia ductus, fuit ibidem in turri fortiſſima collocatus: quo audito, & intellecto Epiſcopus Baiocenſis Petrus, conſanguineus vxoris dicti Petri de Brocia incarcerati, ſtatim de Regno Franciæ recedens, ad curiam Romanam ſe tranſtulit: ubi tanquam exulem ſub protectione ſummi Pontificis, & Eccleſiæ ipſum oportuit longo tempore permanere. Non de longe poſtea Petrus de Brocia Pariſiis reductus, & in carcere poſitus, fuit ibidem præſentibus Ducibus Burgundiæ, & Brabantiæ, ac Roberto Atrebatenſi Comite communi latronum patibulo ſuſpenſus. Cuius mortis cauſa, apud vulgus incognita, magnam cunctis, qui audierunt, admirationem, & murmurationis materiam adminiſtrauit. Hæc Auctor.*

Vt latro laqueo præfocatus.

33. Verum huic præcipitem è ſummo honorum faſtigio, quo pertigerat, lapſum, ruinamque haud aliũde, quam ex nimio quo inſaniebat, faſtu proueniſſe conſtat, dũ rebus adblandientis fortunę lenocinio nimium fideret, & regia auctoritate præpotens, rerumq; ſecundarum aſpectu demẽtatus, nouas in regno res moliretur, quod ex interceptis eiuſdem epiſtolis præmemoratus auctor innotuiſſe ſcribit; ſed audi quid ad aſſertionis propoſitum obfirmandum enarret.

Nang. loco ſupr. cit. Aulici florentes gratia huius exemplum ſibi proponant.

34. *In hoc etiam* (inquit) *facto poſſumus patenter aduertere, quam ſtultiſſimus eſt homo pauper de humili plebe natus, regis alicuius, aut Principis in ſeruitio poſitus, cùm ipſum ad altum ſtatum fortuna prouexerit, ſi par nobilibus, aut Magnatibus voluerit effici, aut videri. Nec enim unquam tam alto fortuna prouexerit aliquem, ut non tantumdem ſibi, quantum promiſerat, minaretur. Petrus autem de Brocia, ſicut cedrus Libani in Regno Franciæ fortunaliter exaltatus, & in altiori loco volubilis fortunæ poſitus, dum ibidem permanere credidit, reuolutione unica rotæ fortunæ plus decidit, quam fuerat in duplo centies eleuatus. Et non ſolùm ipſe cecidit, ſed & omnes, qui eius ope promoti fuerant, ſeruitia perdiderunt.* Huc ſuis eleganter alluſiſſe carminibus viſus eſt Iuuenalis ſatyra 10.

Omnes illius amici deiecti.

Iuuen. ſat. 10.

—Nam qui nimios quærebat honores
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Hæc apte Poeta cecinit.

35. Porrò quænam reginæ Mariæ tunc temporis fuerit iniuſta calumniæ nota, ob quam per ſummam iniuriam Auguſtiſſimæ fœminæ bonam apud populos exiſtimationem enormiter lędi, ac labefactari contigit: Nangius tradit, quia videlicet extincto, & quidem veneni poculo, ut apud nonnullos percrebruit, Ludouico Philippi maiori natu filio, Petrus Brocia dolis, ac arte inſtructus, ut tumultus cieret, animoſque auerteret, Reginam quoque patrati ſceleris ſuſpicione inuoluens, pari eiuſdem ſubinde conſilio, & conſimili arte cæteros priuignos è medio tollendos affirmauerit. Quæ quidem barbaræ in ſuos crudelitatis nota, ac infidæ in coniunctiſſimos, quoſque mentis ſuſpicio, quę popularibus tum auribus obrepſerat, regiæ fœminæ cauſa extitit, ut in Baiocen-

Nang. de geſt. Phil. Francor. Regis anno 1276. Ludouicus Rex veneno ſublatus.

Perſtricta ſuſpicione Regina.

Digitized by Google

ſem Epiſcopum vehementius excandeſceret, quippe qui uxori eiuſdem Petri de Brocia, ſanguinis propinquitate iungebatur; quapropter Regina iniuriarum impatiens apud Nicolaum III. Romanum Pontificem expoſtulare vehementer cœpit, inſtititque, ut ab Epiſcopatus honore decideret, ac ſua è ſede velut indignus exturbaretur, cui regiæ petitioni, redditis Pontifex Apoſtolicis litteris, valida animi contentione, totiſque viribus obſtitit, ac Reginę animum blandis primum delinire verbis, eius iracundiam compeſcere, effrœnemque ulciſcendi, quam præferebat, ſitim ſedare conatus eſt. Iſthæc enim in Pontificiis ad eam conſcriptis epiſtolis ſuggerit. *Non miramur* (inquit) *chariſſima in Chriſto filia, non miramur, ſi horrendam infamiam tibi falſo impoſiti criminis (quam licet plenius miſſæ nobis litteræ tuæ ſerenitatis expreſſerint); nos tamen velut omni veriſimilitudine deſtitutam, indignam repetitione cenſuimus, tuæ conſcientiæ puritas horruit, & ad primum ipſius auditum riguit caro, mens hebuit, tantique ſceleris impoſturam fragilitas fœminei ſexus expauit: ſi contra eos, quos æſtimas eiuſdem ſceleris impoſtores, animus irritatus incanduit, & ipſum ad vindictam fervor ſubditi doloris accendit &c.* Pontifex igitur paſtorali explendo muneri probe inuigilans, maxima, ut par erat, ne qua vulnus Reginæ exacerbaret, verborum lenitate uſus; oleũ infundens, vinumque deſuper immiſcens, furentis animi motus componere, mitiuſque agendo placare ſtuduit, adeò, ut Baiocenſem ſubinde Epiſcopum, in quem mulier pertinaciter videbatur infenſa, illi reconciliandum voluerit; quibus præſtitis unus Petrus Brocia, qui eiuſcemodi calumniam Reginæ impegerat, re è litteris comperta, gladio addictus pœnas exoluit.

Tom. 7. epiſt. lib. 2. ep. 164.

Pontificiæ ad demulcendũ eius dolorem litteræ.

Qui igitur regali illectus faſtu capitalem Reginæ calumniam, ac dolos à regia Majeſtate alienos verſipellis inſtar nebulonis obiecerat, ſuis iuſtiſſimè intentatum ceruicibus mucronem ſenſit, quo cunctę exambiendi artes, fraudumque detectę machinę, reſectęque in domeſticorum malorum auctorem impingerent, corriuarentque, necnon impoſtorem peſſimum ſolido aliorum exemplo, lucis beneficio indignum, ingentique Galliarum bono demeterent; ſed qui rem probe noſſe cupit, Rainaldum iſthęc in ſuis Eccleſiaſticis Annalibus exequentem conſulat.

36. At quoniam de ambitioſis adhuc ſermo recurrit, haud hic ſilentio obuoluendus eſt Leoninus ille, Vallenſium Princeps, qui veſanis populorum adulantium, imo perperam arridentium, quippe qui illi regni apicem inaugurabantur, vocibus aptè ad fouendam ambitionem compoſitis, & ad decipiendum inſtructis illectus, bellicos in Anglia tumultus excitauit; At fauſta quidem initia, triſtes animorum, bellorumque motus, ac lugubres tandem exitus ſubſequuti ſunt; nam qui rei tumultuariæ claſsicum primus cecinerat, ſibique ad regium thronum ferro, ac vi aditum parauerat, non ſecus, ac publicæ rei hoſtis, ac regni proditor, armis tandem præuentus, attritiſque viribus, in hoſtium poteſtatem deueniens, faſtum malè ſani capitis, capite diuinitus perſoluit. Intempeſta igitur nocte homo æque ambitioſus, ac ferus, nec minus obtinendi ſceptri auidus, quam ſanguinis hauriendi cupidus, unà cum fratre Dauide nonnulla Anglorum oppida, ac præcipuas regni arces aggreſſus, eò crudelitatis, inſana extimulatus ambitione deuenit, ut nulla ætatis, nulla ſexus, nulla inſontium habita inter ſæuiendum ratione,

Leolinus Vvallię Princeps tyrannidem affectauit. Odoric. Rainal. tom. 14. annal. anno. 1282. n. 33.

Crudelitatē in Anglos exercuit.

Digitized by Google

ratione, homines inopino, repentinoque impetu inuadens, & ex his dormientium quamplures, qui ſomno altius preſſi, neutiquam armatis viris obſiſterent, adortus miſerrime trucidauerit.

37. Verum Dei nutu factum eſt, ut irriti eiuſdem conatus redderentur, nam cum nonnulli ex Eduardi militibus primò aduerſus eum in arenam proſilirent, atque hi, ſubinde ex inſula (cui Angleſeie nomen erat) metu abſterriti profugerent, hos inter fugiendum miſerando abreptos caſu fluctibus obrui contigit: ex quo inſequentium aduerſariorum infortunio, ac pereuntium clade, Vualdenſium animi eum in modum erecti ſunt, ut ſubdolis, inanibuſque Merlini vaticiniis freti, Leolino fauſta cuncta precantes, augurantesque, regiis illum inſulis breui potiturum edixerint. Hac verò perperam ſibi adblandientium voce infelix Princeps elatus, validis, numeroſiſque conflatis armatorum cuneis, inito certamine, infelicem ſortitus exitũ, una cum ſuis ad internecionem deletus eſt; Verum ut iuſta ſubinde ambitioſo homini contumelia, pro honore, quem exambierat, à cunctis deſerretur, amputatum à ceruicibus caput, quod regiam coronam aſfectauerat, Londinum cunctis ſpectandum, futurumque propudio delatum eſt, ubi palo ſuffixum appenſumque, turri, ex qua Griffinus ipſius pater corruens ceruicem fregerat; pro regia quam viuens deperibat, laurea, hæderę redimitum ſertis, miſerandum de ſe cunctis ſpectaculum exhibuit. Illud profectò inſpectantibus iam obtruncatus, taciti ſque reſecto gutture vocibus documentum ingerens, haud videlicet mortali homini, nimium inter mortalium vota exambiendum, nec petulantium ſuſurronum dictis, ac ſi

Merlini vaticiniis ſe deludi eſt paſſus. *Vaſtem. Flor. beſt. Vaſcell. bibin. ſign. lit. C n. 25. 79.*

Extrema internecione deletus.

Truncũ eius caput hederacea corona ludibrii ergo redimitum.

diuina forent oracula, fidem adhibendam, ſed in abſolutiſſimam Numinis prouidentiam cuncta hominum conſilia, rerumque humanarum ſpem deniquc omnem reſundendam; homines quippe iiſdem plane rebus, ut experimento comprobatur, quibus ad ſubliniora viam ſibi parant, certum, expeditumque ad ruinam plerumque aditum pateſaciunt; præcelſi enim honorum apices, quibus homines certatim inhiant, periculis undique obnoxii dũ affulgent, dum alliciunt, dum adblandiuntur, funeſtum exitium exambientibus afferunt; rem autem hanc ſatis luculenter in ſuis annalibus Rainaldus exponit, ad quem lectorem conſultò amandamus.

38. Et quidem nimia excellendi cupiditas, præter altam mentis caliginem, qua perfundit, triſtem inſuper pro felici, quem plerique ſomniabant, exitum attuliſſe comprobatur; homines enim dominandi faſtu abreptos in baratrum infelicitatis haud ſemel impingere, ſuiſque fruſtratos votis (quippe qui haud probe vires ſuas dimetientes, non ſibimet ſeipſos comparãt) inglorios, miſeroſque tandem è vita ſublatos ex hiſtoriarum tabulis innoteſcit, ut Spondanus de paupere homine, ſpe dumtaxat apud ſe honorum, quibus inhiabat, conſequendorum præ cunctis diuite his verbis enarrat:

Henr. Spond. in Annal. Eccleſ. tom. 1. anno 1310. pag 401. n. 8.

39. *In Anglia nebulo quidam pauper iuuenis, cui nomen Ioãnes Poidaſius, Coriarii cuiuſdã Exonienſis filius, Eduardi defuncti Regis ſe filium iactans, Eduardum verò nunc regnantem ſuppoſititium natumque quodam auriga; cum nulla ſuaſione ab illa aſſertione abduci pateretur, captus, tractuſque & ſuſpenſus eſt. Quo demum tempore ingenuè faſſus eſt, ſe domi ſuæ habuiſſe dæmonem ſub felis figura, à quo tam inſigniter fuiſſet*

Ioannes Poidaſius ſe regem ementitur.

Damnatus ſuſpendio.

 illuſus,

Digitized by Google

Fatetur ſe illuſum à dæmone, cui ſe addixerat,

illuſus, ut ex eius promiſſione certò expectaret Angliæ Regnum, atque ob eam cauſam ſe ante triennium, omne corporis, animæque ſuæ obſequium dæmoni deuouiſſe. Vides miſerandam plane ambitioſi nebulonis inſaniam, qui regiam ſe ultrò coronàm conſecuturum, ac Regem fore quantocyus Regno abdicandum, ut ultroneum ſibi ſceptrum deferretur; pro certo credidit, aſſeruitque, adeo ut præconcepta umbratici regni ſpe, certum animæ diabolo ſuadente diſpendium ſubierit.

40. Sed interim videamus quomodo homini regium thronum auidius affectanti pro honore dedecus, pro infulis contumeliæ, demum pro ſolio ſupplicium deſuper immiſſum ſit; Is erat Pipinus, qui cum in Regem Neapolitanorũ Ludouicum, inuidendi principatus gratia conſpiraſſet, miſerabili demum nece affectus eſt, ut Rainaldus in ſuis Annalibus his planè verbis tradit.

Ioannes Pipinus latrocinantiũ turmarumope inhians tyrannidi.

41. *Repreſſit demum hoſtes Ludouicus Rex, ac Ioannem Pipinum, turmarum ſociarum ducem, qui Apuleiæ Regis nomen affectabat, captum merito affecit ſupplicio: quod Nicolai Laurentij vitæ auctor accuratè deſcribit, circumductum nimirum, autequam traderetur neci, corona papyracea redimitum, in qua geſtorum ab illo honorum tituli erant exarati: deinde laqueo è patibulo ſuſpenſum, ac præfocatum. Neque illum triſtes preces, ut minore ignominia vita orbaretur, iuuere: qui ſi Apoſtolica monita demiſiſſet in animum, ex impendenti exitio euaſiſſet.* Vtinam, qui malis artibus ad honores contendunt, non tam blandam rerum faciem, quam triſtes, funeſtoſque eorumdem exitus contemplentur, & latentem plèrumque, exertamque fatalem ſub ſceptro machæram, impendentemque capiti reformident.

Regem ſe Apuleiæ iactabat.
Odoricus Rainal. tom. 16. an. 1355. nu 23. ſub fin.

Pro aurea corona papyraceâ, pro ſolio patibulum nactus.

42. Enarratis hactenus optimè conſonant, quæ in ſuis item annalibus Bzouius; his, qui Scotorum in Regem regni aucupandi gratia, ambitione abducti conſpirauerant, ſublatoq; Rege, votis tamen haud potiti ſunt: ſpecioſis quidẽ arridentibus rerũ initiis contigiſſe his verbis narrat: *Non intermiſit Pontifex Eugenius officium ſuum, ſed ad componendam pacem inter Anglos, & Scotos AEneam Sylvium eruditione, ac prudentia inſignem, qui & ipſe Pontifex Maximus ob virtutes ſuas poſtea creatus eſt, Nuncium deſtinavit. Hic dum maximè negotium iniunctum apud Regem Scotiæ Iacobum ageret, interuenit rebus humanis invida fortuna, quæ Regem ipſum è medio, execrando cum ſcelere ſuſtulit. Vualterius Atholiæ comes, Regis patruus, Robertum nepotem ſuum, & Robertum Grahamum, ſumma audacia homines, ad Regi necem inferendam incitauerant. Hi Perthum venientes, vbi Rex apud Prædicatores Sancti Dominici aſſeclas fere agebat, aulam Regis corrupto cuſtode, ingreſſi, atque ad interiora penetrantes, ad fores vſque thalami Regis peruenerunt, ibique Ioannem quemdam Aulicum regium, ac familiarem, coniurationiſque ſocium expectare, uti conuenerant, ſtatuerunt, per quem apertis foribus irrumperent. Is cum non compareret, & illi fores cubiculi regij audaciſſime pulſarent, eoſque Vualtherus Stratonus cum aperto oſtio gladijs accinctos vidiſſet, proditores exclamans, ab ipſis gladio tranſuerberatur, Catharina Donglaſia primæ nobilitatis adoleſcentula, cum aſpexiſſet ſicarios, immanitate naturæ efferatos, gladium in Stratoni uterum abdidiſſe, ac habitu, oculis, ore, toto denique corporis habitu furorem ſpirare, magno animo, fideque mulieris ſingulari, regijs anguſtijs proſpectura, oſtio peſſulum è veſtigio abdit, aditumque percuſſoribus intercludit. Cum autem hi fruſtra ſudarent, vt repreſſo peſſulo, furoris ſui*

Bzouius tom. 16. annal. anno 1436. n. 56.

IacobusRex Scotiæ à proditoribus oppreſſus.

Catharinę Dõglaſſiæ aduerſus ſicarios fortitudo.

Digitized by Google

ſitim, ſeu rabiem potius, Regis ſanguine explerent, adſuit ille Ioannes in tanti ſceleris ſocietatem antea vocatus, & peſſulum, Catharina in contrariam partem viribus, arte, clamore nitente remouit. Illa anguſtijs preſſa, cum nihil in promptu videret, quo aditum ijs, clauſo oſtio obſtrueret, animo præſenti, ac pluſquam virili, brachium tenellum foramini iniecit, quantumque fuit in delicatulo nobilis fœminæ corpore neruorum, perditorum furori coercendo obiecit. Sed quid vis? Cum immanitas irruentium viribus Catharinam vinceret, miſella brachio, quod foramini iniectum loco peſſuli eſſe voluerat, comminuto ceſſit; ita tamen, vt quorum furorem viribus non poterat reprimere, clamore ſublato conabatur retardare. Verum illi ira, furoreque ardentes irruerunt, omnibuſque qui aditum prohibebant, interfectis, aut repreſſis, Regem trucidarunt, hoc anno 1436. die 21. Februarij. Hæc Bzouius. Magna profecto ambitioſorum hominum audacia, quæ immanes in Regem ſicarios excitat, impauidoſq; in maxima queq; pericula impingit, ſed promeritam perpetrati ſceleris, ac pertentatę in Regem cōſpirationis mercedē ſortiti ſūt, & prę cęteris Atholiæ Comes aliorum anteſignanus, & turbarum auctor, qui cunctos ad opus acriter inflammauerat; hæc igitur Scriptor ſubtexit:

Fruſtra reluctata brachiū inicit.

Eo diſrupto clamoribus auxiliū vocat.

Rex Scotus trucidatus à proditoribus.

43. *Sed quoniam ſcelerati homines tanquam noctuæ, tantæ virtutis (ſcilicet Regis Scotiæ Iacobi) ſplendorem non potuerunt ſuſtinere; iuſtiſſimo Dei iudicio pœnam Reipublicæ, horribili mortis genere meritò dependerunt, nam cum regni proceres, mortem Regis intellexiſſent, eiuſque percuſſores diligenter perquiſitos comprehendiſſent, diuerſos diuerſis ſupplicijs affecerunt. Comitem Atholiæ, quod necis Regi inferendæ auctor in primis erat, vehiculo ita illigatum, vt erectus omnium oculis exponeretur, ad maiorem ignominiam nudum, niſi qua parte quodam naturæ inſtinctu verecūdiæ conſuli debet, per vrbem circumuexerunt, ac non multo poſt capite in terram depreſſo coronam ex ferro candentem impoſuerunt; idque eo conſilio, vt illius ſtultitiam vindicarent, qui ſagæ prædicenti fore, vt corona publice inſigniretur, credidit ſe Regem creatum iri, atque omnes ſuas cogitationes contulerat, vt ſublato Rege, Reipublicæ clauum ipſe tractaret; non animaduerterat miſer, ſathanam ſtruere ſemper homini inſidias, vt dum ſagarum verbis, tanquam oraculis credunt, in extremam perniciem præcipites abripiantur. Id quod & dico, vt qui hodie harum mulierum, quas dæmon ſpiritu ſuo inflammauit, aut verbis, aut conſilijs nituntur, perſpiciant, quid lateat in ſplendidis, quas ſæpe fundunt, vocibus, inſidiarum, ac fraudis: quod non ſolum hoc exemplo, ſed alijs multis ex recenti, veterique memoria depromptis poteſt facile confirmari. Is ipſe Vualtherus, ſequenti die, equi caudæ alligatus, vna cum ſocijs rhedæ impoſitis, contumelioſiſſime per vrbem tractus eſt, tertio die per tabulam longe, lateque, quantum membrorum compago patiebatur, extento, venter, & viuenti, & videnti diſſectus eſt medius, inteſtina, ac cor eruta in rogum coniecta, caput amputatum, ac corpus in quatuor partes ſectum; quarum ſingulæ ad ſingulas Regni partes, vt tanti Principis exquiſita pœna, aliorum immanitas facilius coerceretur, miſſæ præacuto, oblongoque palo (vt mos apud Scotos obtinuit) publice præfixæ ſunt. Comitis nepoti, qui non tam malitia, quam auunculi ſui conſilio illud ſcelus admiſiſſe creditus eſt, corpus in quatuor partes, poſt gulam laqueo fractam, diſcerptum eſt. Grahamo manus, qua Regem crudeliter percuſſerat, tam arcte patibulo adſtricta fuit, vt ſanguis inde exprimeretur, reliquæ corporis partes, quæ leſæ mortem præſentem non*

Monſtrel. vol. 2 pag. 141. Boet. l. 17. Buchan. l. 10 cap. 1. Rainal. anno 1436. nu. 32.

In hos populus proceresque conſurgunt.

Atholiæ Comes auctor ſceleris comprehenſus.

Circumducitur nudus & ignita corona inuſtus

Prædictum à ſaga fuerat publice illi coronam impoſitum iri.

O fallacia dæmonum oracula.

Exercitus in miſerum lōgus ſuppliciorū ordo.

Manus quæ Regem trāſfoderat confixa patibulo.

Digitized by Google

non afferebant, forcipibus ignitis eo artificio à tortoribus carpebantur, vt quoties ſupplicium admouerent, toties grauiſſimo dolore inuſto, carnis partem diuellerent; tandem corpore in quatuor partes diſſecto, mors lenta ſpiritum præcluſit miſero. Huc vſque Bzouius. De quo item funeſto caſu Martinus quintus Pontifex non abſque lacrymis meminit, qui Antonio Epiſcopo Vrbinati nonnulla iniungens his plane verbis necem Regis proſequitur. *Verum poſtea (quæ non abſque horrore referimus) audiuimus infauſtum caſum claræ memoriæ Regis, & admodum miſerandum, in quo plurimum conturbati ſumus, & ſumme doluimus hunc deplorandum caſum, tam propter ſalutem animarum, & Regis, & eorum, qui tam nefandum ſcelus commiſerunt, &c.* Hęc de Rege è viuis ſublato, perditorumque ſicariorum ſcelere amarulentis Pontifex verbis ingerit.

Martinus V. lib. breuium pag. 156.

Verſæ in cōtr aria ſpes ambitioſę.

44. Funeſtus plane ambitioſi hominis, qui vna cum cęteris ſuum in Regem conſpirauerat, exitus fuiſſe deſcribitur; pro regni enim clauo, ad quod faſtu elatus pertinaciſſime contenderat, patibulum, pro corona aurea, quæ ſolemne Regum inſigne eſt, ferream, candentemq; inſuper, non ornamento, neque decori ſuo futuram capiti, ſed tormento; ſed ludibrio, quinimo perenni ignominiæ, nec ad popularem auram, ſuique tutamentum, vt expetierat, expectabatque, ac ſibi prænunciatum fuerat, demum accepit regium male auſpicatus à defectione titulum, ſuarumque rerum à turpi proditionis ſcelere incrementa. Et hęc interim de ambientibus humanos honores dixiſſe ſufficiat.

CAP. VI.

Qui aliorum regimen perperam ambiunt, exercentque.

1. MORTALIVM ambitio, quamuis honorum titulis abūde dives, ſpecioſa oculis arrideat, vilis tamen ſeipſa eſt, ſuamq; vel inter fumos, ac fucos vilitatē exoſa nil adeo refugit, quam videri, & quod intus in cute eſt, extrinſecus apparere. *Ambitio quippe* (vt Bernardus ait) *latebras amat, & tenebras, lucis impatiens eſt, in imo iacet: videt tamen omne ſublime, ſed videri ipſa refugit.* Enimverò vt idem ſubdit, *quid tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi.* Immodici igitur excellentię proprię amatores, ſua abſcondere, ac palliare vota percupiunt, ne vileſcant, & nonniſi honorum contemptum palam verbis iactant, obtenduntque tunc potiſſimum, cum honores maxime quærunt.

Ambitioſi homines, vti viles, apparere coram detrectant.

Bernard. epiſtol. 126. ad Epiſc. Aquit.

Inglorium eſt, eſſe quē quam gloriæ cupidū.

2. Verum præterquā quod qui terrenæ inhiant gloriæ, hanc raro, & per labores, contumeliaſque, nedum per pericula vix aſſequuntur, infelicem denique ſuis prauis in ipſo conatu cupiditatibus finem imponunt, vt Innocentius edocet: *Ambitioſus enim* (inquit ille) *eſto quod ſublimetur in altum, ſed miſerabilem vitam miſerabili fine concludit.* Ambiendi quippe negotium periculoſæ aleæ plena res eſt, & nonniſi in ſyrtes, qui totis ad honores remis, veliſque contendunt, impingere conſueuerunt. Quod adeo verum eſt, vt qui cathedram, præfecturamque aliquando pertinaciſſime aucupantur, vel ipſam, vt ſuis potiantur votis, mortem

Innocent. l. 2. de contemptu ſaeculi, l. 2.

Digitized by Google

mortem non reformident; certo enim plerumque ſe, vt famæ indulgeant, fato deuouent, ſicque *per pericula* (Auguſtino teſte) *ad periculum peruenitur*.

Auguſt. in conf. lib. 8. c. 6

3. Miſerandum itaque ſupplicii genus inflatos inter honorum apices diſtendi, & in Tantali morem auram affectando, ſuiſque fruſtratos votis honorum cupidos perire; vt amarulentis Nazianzenus verbis ambitioſos perſtringens proſequitur: *Deficit anima mea* (inquit) *propter eos, qui trucidantur, quos quidem non gladius, aut fames, ſed famæ, & gloriæ, dominandique libido ſauciant. Ex quo efficitur, vt non miſeratione magis, quam odio ſui, hominum animos permoueant.* Innumeros enim tam viros quam fęminas inſana antiquitas, celebrare non deſtitit; qui pro humana, vt ſperabant, aucupanda gloria intrepidi in ignes, feras, gladioſque inſilire non dubitarunt. *Si tantùm* (Tertullianus inquit) *terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant, ſub præmio laudis humanæ.* Siquidem pertinaciter ad honores currere, & ad rerum faſtigia contendere nil aliud eſt, quam à Deo excidere, ſeque manifeſto deuouere exitio, vt diabolus mundanam iam tum Chriſto regnorum gloriam adumbrans: *Hæc omnia* (inquit) *tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Namque (vt rem apte Bernardus ediſſerit) *Ambitionis via, adoratio diaboli eſt, qua videlicet ad honores, & gloriam mundi perueniendum ſuis ipſe adoratoribus pollicetur.* Suos igitur ambitio ſectatores nedum in mala fere innumera, ſed in extremum denique malorum barathrum, idololatriam videlicet miſere prouoluit, agitque ſyrenarum more, ſuauiter potius alliciendo, quàm violenter impellendo præcipites; vt idem Bernardus in hominibus præſertim Eccleſiaſtici ordinis vberrime deplorat. Innumeræ autem ſunt ambitioſorum hominum inter adblãdientium voces, infelicesq; ſęculi felicitates; infortuniorum ſyrtes irreparabiles prorſus inter culminum pręrupta lapſus, ac prompta demum à tergo his, qui ad honores, ad regimen, poteſtatemque, ac ipſos rerum apices contendunt, perditio inſtat, quod vt dicendi initium faciamus, vel vno Alberici Marſorum Epiſcopi exitu in pręſens comprobatum eſt, qui cum Pontificium thronum exambiiſſet, & obtinuiſſet, non tam Epiſcopum, quam tyrannum, ſub Epiſcopi nomine, ac pallio, dominandi, pręcellendique cupidus, quin potius prædonem, quam pręſulem, paſtoremq; ouicularum Chriſti agebat. Is igitur vnus dum nimio faſtu tumidus, menteque inter ſuas honorum inſulas obcęcatus, ad oculos impie Abbati eruendos, conducto ſicarios pretio deſtinaſſe, eodem plane temporis momento, quo alter ſicariorum manu oculos, iſte Dei nutu vitam infeliciſſime amiſit; rem autem ex Caſſinenſi Chronico delibandam volumus.

Altera ambitioſorũ conditio gloriolę aurã affectare.

Gr. g. Naz. in orat. 3. de pace 14. in ordine.

Ambitio ſuis ſectatoribus cladẽ infert.

Tertull. lib. 6 ad mart.

Matth. c. 4. 9.

Excidunt à Deo, qui humanam ambiunt gloriã

Ber. ſer. 6. in pſ qui hab. iac

Ambitio hominem in idololatriã pręcipitem dedit.

Albericus Marſorum Epiſcopus vltione percuſſus.

4. *Præter multa igitur illius ſtrenue, & (ut expreſſius de tanti loci Patre loquar) ſæculariter geſta, cum ſibi equites plurimos, & plures ſerico indutos famulos paraſſet, & vltramontani Imperatoris Curiam haud ſegniter frequentaret, ob memoratæ maxime arcis conſtructionem: ingentem odii fomitem in toto principatu contra ſe accendit: adeo ut non multo poſt à Capuanis captus, cæcatuſque ſit; quod non modo Abbatiam, verum, & principatum omnem ſibi vindicare velle videretur. Inflammauit eam inuidiam, Alberici nequitia Marſorum Epiſcopi: qui dum filio ſuo ex meretrice procreato Epiſcopatum tradidiſſet, ad cuius Monaſterij adipiſcendum dominatum, ſi quo poſſet, animum pacto exacuebat.*

Ex Chronico Caſſinenſi lib. 2 cap. 16. pag. 517

Huius pater ob conſtructam arcem obcęcatus fuerat.

Epiſcopatus ab Alberico tranſfuſus in ſpurium

Digitized by Google

bat. Comperto igitur Abbatem memoratum Capuanis infenſum in primis eſſe, alloquitur primo quoſdam nequiſſimos Monachos, ac poſtmodum aliquos Deum ignorantes Capuanos, pecuniam ſe daturum ſpondens, ſi cæcato prius Abbate, Monaſterium Caſſinenſe contraderent: quod deinceps tali functus auxilio, abſque vllius contradictionis obſtaculo poſſideret. Ita videlicet, vt pecuniæ dimidium ad præſens illis per ſuos neceſſarios mitteret: dimidium reliquum tunc eis traderet, cum Abbatis oculos teneret in manibus. Quod cum ita inter eos firmatum eſſet, vtrique pollicitationem ſuam implere ſatagebant. Congeſta igitur pſeudo Epiſcopus ille vndecumque pecunia, miſit, quod pollicitus fuerat. Ea nequam illi ſuſcepta, eos quidem, qui detulerant, in abditis quibuſdam abſcondunt: Abbatem verò adeuntes, in dolo orant, vt Capuam proficiſcatur: vbi ſi quam aduerſus aliquem haberet querelam, poſſit exponere, & legitimam inde iuſtitiam ſumere. Abbas quoniam illorum inuidiam iamdudum compertam habebat, negat ſe illuc vlla ratione venturum. Cum illi Dei timore contempto, minimeque vitato periurio, mox adhibitis Euangelijs iurant, faluum ſe illum, & incolumem Capuam ducturos; atque inde nihilominus incolumem ad Sanctum Benedictum reducturos; hoc in mente ſtatuentes, vt Capuam deductum, ad Sancti Benedicti Monaſterium, quod intra Capuam eſt conditum, ducerent. Seductus huiuſmodi promiſſionibus Abbas egreditur, & bona cum illis fide Capuam vſque contendit. Illi qui iam dudum dolorem conceperant, iniquitatem peperere; mox enim, vt illum in Monaſterium Capuanum induxerunt, vincientes oculos illi eruerunt: inuolutoſque linteolo clam Epiſcopo deferendos his, qui pecuniam tulerant, nuncijs tradunt.

Códucit ſicarios, ad eruendos Abbati oculos.

Periurium fallacia æquiuocę vocis fucatum

Effoſſi Abbati oculi, linteoloque inuoluti, vt Epiſcopo deferrentur.

5. His illi ſuſceptis, hilares effecti, ad Dominum ſuum, à quo miſſi fuerant, protinus remeant. Sed (ò diuinæ iuſtitiæ nunquam dormiens oculus, ſemperque pauenda ſententia.) Iam illi prope Marſiam in Campo Nezio peruenerant, ibique ſecuri ſubſidentes, labore itineris fatigati cibos ſumebant: cum ecce ſubito peregrinus quidam ſuperueniens requiſitus ab eis (vt viantibus moris eſt), an quidpiam haberet noui: Epiſcopus (ait) ciuitatis defunctus eſt. Hac illi voce vehementer attoniti fallacem eum, & impoſtorem mordaci cum irriſione dicentes, credere omnino renuebant. Sed cum ille maiori id conſtantia aſſeueraret, diemque illius obitus & horam eis diligenter exponeret: illi continuo ibidem defoſſis oculis, quos iam fruſtra ferebant, ad domum Epiſcopi, quæ non longius aberat, conſcenſis equis perniciter aduolant; & eadem hora vita priuatum Epiſcopum diſcunt, qua prædictus Abbas fuerat orbatus lumine oculorũ, die videlicet octauo Kalend. Decemb. Ex his autem nuncijs, quos ad tantum ſcelus iam dictus Epiſcopus deſtinauerat, vnum ego Andream nomine presbyterum, adhuc puerulus vidi vix ſe in lecto mouere valentem: qui centenariam ſupergreſſus ætatem, hæc omnia auunculo meo, ſanctæ memoriæ Ioanni Sorano Epiſcopo, quoties rogatus eſſet, cum lacrymis referre ſolebat. Vides profecto inſanam hominis dominandi libidinem, interque honorum infulas cæcutientis, qui dum alterius, haud ſibi ad nutum, ut volebat, obſequentis oculos pretio conducit, repentina diuinitus, dum temere in innoxium alterius ſanguinem, ac cædem ut par ſceleri reſponderet pœna, orbatus luce oculorum ac vita pariter infeliciſſime abſceſſit. Deus enim, qui totus oculus eſt, ad videndum quæ iugiter homines vel in tenebris perpetrant mala, haud impune facinus abire permiſit, ſed impia erutos manu, Abbati oculos, & in linteolo clam ſepoſitos,

Diuina vltione eodẽ momento illę ſublatus.

Vnus ex ſicariis ſcelus poſtea cum lacrymis faſſus.

Digitized by Google

ſepoſitos, latenteſque intuitus, in ſacrilegi protinus vltionem ſententię fulmen intorſit, vt oculos, quos viuenti cœca principandi cupido clauſerat, vel iam tunc ad gehennā properanti mors adaperiret.

Ambitionis damna.

6. Sed quo tandem inſana honorum cupiditas, & cœca præcellendi, obtinendique regiminis ambitio ſuperbos homines prouehat, auidoſque ſectatores impingat ſuo ſatis exemplo edocuit Ioannes Baleus Vvicleffiſta in Anglia Presbyter, & ad fallendum ſimplicem populum, conflandaſque captandæ popularis aurę gratia turbas, ſub ementita religionis larua peritiſſimus, qui cū antea in carcerē ob ſua ſcelera detruſus inde liber euaſiſſet, populari oborta ſeditione, temporis opportunitatem nactus, nouas ad augendum incendium, peruertendoſque regni ordines, callidus faces ſubiecit, & ſuis demum malis artibus ſic populum ſibi deuinxit, vt plebs illum Archiepiſcopatus Cantuarienſis dignitate, Regijque ſigilli præfectura exornandum proclamaret; qua nefarius impoſtor ſpe incitatus, plebemque ad flagitium perurgens, dum æqualitatem cunctis commendaret, principatum inter ſuos maxime ambiebat. Ipſe autem una cum perduellibus Richardum Regem pellicere conatus eſt, quo in ſuam poteſtatem redacto, vnanimes Principum & Magiſtratuum decutere capita, ac demum Regem, Epiſcopos, Monachos, Canonicos, & Parochos neci dare decreuerant. Primum igitur in Simonem Archiepiſcopum perditus inſiliens, dirū in modum vna cum ſuis contrucidauit, ſed percuſſor parricidii tandem ob pontificiā exambitam dignitatē reatum capitali ſupplicio luit, cum antea in furias actus, ac cæcitate percuſſus, parricidii è cælo pœnam accepiſſet; ſed nequiſſimi hominis, qui malis artibus

Ambiciosus Vuicleffiſta popularem ſibi gratiam ad errores proſeminandos cōciliat.

Rainal. anno 1381. n. 39.

Pontificias infulas adeo expetebat, prę cæteris Thomas Vvalſinghamus, mores, ac dogmata his verbis proſequitur.

Hæreticus primum in Eccleſiaſticos inſurgit.

7. *Hic per viginti annos & amplius ſemper prædicans in diuerſis locis ea, quæ ſciuit vulgo placentia, detrahens tam perſonis Eccleſiaſticis, quam dominis ſæcularibus, beneuolentiam magis communis populi, quàm meritum penes Deum captabat; docuit nempe plebem decimas non eſſe dandas curato, niſi is qui daturus eſſet, foret ditior, quam Vicarius qui acciperet, ſiue Rector: docuit etiam decimas & oblationes ſubtrahendas curatis; ſi conſtaret ſubiectum aut parochianum melioris vitæ fore, quam Curatum ſuum; docuit neminem aptum regno Dei, qui non in matrimonio natus fuiſſet; docuit & peruerſa dogmata perditi Ioannis Vuicleffi, & opiniones quas tenuit, & inſanias falſas, & plura quæ longū foret recitare.* Ex quibus ambitioſus homo ad conciliandam ſibi populi gratiam, pōtificiumq; thronum vſurpandum artibus, tecniſque contendit, ſed vt magis popularium titillando aures, corda quoque dementaret, odioſum ſeruitutis nomen, ac iugum ab eorum ceruicibus excutere ſtuduit, hęc enim ille ad populi voluntatem, placitumque ſe aptans, vt Auctor tradit, in eorum gratiā aliquando perorauit: *Ad ſe* (inquit) *Blanchet vbi ducenta millia hominum communium fuere ſimul congregata huiuſcemodi ſermonem eſt exorſus: Cùm Adam terram foderet, & Eua fuſum teneret, ecquis precor, id temporis nobilium fuit?* (*erat illud in Anglia vetus adagium*) *continuanſque ſermonem inceptum nitebatur per verba prouerbij, quod pro themate ſumpſerat, introducere & probare ab initio omnes pares creatos à natura, ſeruitutem per iniuſtam oppreſſionem hominum introductam contra Dei voluntatem, quia ſi Deo placuiſſet ſeruos creaſſe, vtique in principio mūdi conſtituiſſet, quis ſeruus,*

Longo temporis ſpatio populū docere aggreſſus eſt, Eccleſiaſticis ſemper aduerſatus.

Vualſing. ubi ſupr.

Populis adblanditur, ut turbas ciere commodius poſſit.

Digitized by Google

ſeruus, quive dominus futurus fuiſſet? Conſiderarent igitur iam tempus à Deo datum eis, in quo (depoſito ſeruitutis iugo) diutius poſſent, ſi vellent, libertate diu concupita gaudere: quapropter monuit, vt eſſent viri cordati, & more boni patrisfamilias excolentis agrum ſuum, & extirpantis, ac reſecantis noxia gramina, quæ fruges ſolent opprimere, & ipſi in præſenti feſtinarent, primo maiores regni occidendo, deinde iuridicos iuſtitiarios & curatores patriæ perimendo, poſtremo quoſcumque ſcirent inpoſterum communitati nocituros tollerent de terra ſua, ſic demum & pacem ſibimet ponerent, & ſecuritatem in futurum, ſi ſublatis maioribus eſſet inter inter eos æqua libertas, eadem nobilitas, par dignitas, ſimiliſque poteſtas. Hæc perfidus homo ac veterator venena populis propinando, eos in manifeſtam ruinam, ad cędes, cladeſque, propellere conabatur, & tantum dictis inualuit, profecitque, vt dum populorum rem vtiliter agere videretur, ſuis vero dumtaxat cupiditatibus, votiſque prouehendis ſtuderet, populares in Simonem è Suberia Aulicorum manus concitauerit, qui cum ſubdolos hominum, iugum callide detrectātium tecnas animaduerteret, Regi, ne eorum perfidiæ aures præbens ſe committeret, ſuadere aggreſſus eſt, & dum poſt ſacra peracta myſteria eos ad officium pia oratione reducere nititur, ab iis crudeliſſime interemptus, ſe condignas ob pręſtitam in Vvicleffo tolerato ſegnitiem pœnas luere teſtatus eſt, vt idem qui ſupra auctor hunc in modum tradit: *Poſt plura piæ exhortationis documenta, poſt prædicta verba ſalutaria, vt erat vir eloquentiſſimus, & incomparabiliter vltra omnes regni ſapientes ſapiens, nouiſſime poſt remiſſam ſpiculatori, qui eum decollaturus erat (quantum in ipſo fuit) offenſam necis ſuæ, vt plane videretur Saluatorem moriendo ſequi, patrem pro perſecutoribus exorauit:*

Cōcitat populum in regni adminiſtratores.

Deinde in Eccleſiaſticos deſæuit.

Vualſing. in Ricar. II.

flexis genibus collum ferienti ſuppoſuit; percuſſus vero in collo ſecuri, ſed non lethaliter, appoſita manu vulneri ita dixit: Ah, ah, manus Domini eſt. Nondum manum de loco doloris auerterat, & ſecundo percuſſus, ſummitatibus digitorū amputatis & arteriarum parte cecidit: ſed nondū occubuit, donec iterato ictu miſerabiliter mutilatus, in collo, & in corpore dignum, vt credimus, martyrium compleuiſſet. Atqui Deus miraculis Archipræſulem illuſtrauit, percuſſoremque impium diuinitus mulctauit, vt auctor his verbis tradit: *Percuſſor eius diuinam ſenſit vltionem in furiam actus, & cæcitate percuſſus.*

Epiſcopus à perfidis circumuentus intrepide ſe neci offert.

Vualſing. ubi ſupr.

8. Sed de eodem percuſſore Nicolaus Harpsfeldius hęc tradit: *Auctor meus, de quo hæc narratio petita eſt, narrat quædam miracula poſtea patrata, ſanitatumq; beneficia ad ſepulchrum Simonis præſtita, dictorumque carnificem Ioannem Starlinum hominem Eſſexicanum mox à dæmone afflictatum, cumque domum rediiſſet nudo gladio ante pectus pendens, & pugionem à tergo ita per vicos & plateas obambulaſſe paſſim vociferantem, ſe illis telis Simonem obtruncaſſe, ſeque Londini mercedem facti ſui accepturum: & ille quidem fuit verus vates, licet à dæmone ludificatus, aliorſum accepiſſet, quam res erat: nam cum poſt aliquot dies Londinum rediiſſet, comperta mox ſeditione meritas ſceleris pœnas luit, capitalique ſupplicio affectus eſt.* Hęc percuſſori prædicto in flagitii pręmiū pęna illata eſt; quibus & illhæc addit: *Manifeſtæ diuinæ vltionis indicia oſtenſa ſunt in eos, qui mortis eius auctores fuere, vel qui in eius necem volūtariæ conſenſere.* Quibus coronidis inſtar Rainaldi verba his paginis inſerenda ſunt. *Ioannes Buleus Vuicleffiſticæ hæreſis præco patibulum pro ſolio Archiepiſcopali exambito ſortitus eſt, & quadrifariam ſectus, & Vualtherus Tyler concitatæ multitudinis doctor, dum in col-*

Perditus parricida & ambitioſus quā ta paſſus ſit.

Rainald. ubi ſupr.

loquio

Digitized by Google

colloquio cum Richardo Rege omnes iuriſperitos contrucidandos ſibi dari poſtulat, atque Angliæ leges pro libidine ſua dare meditatur, ob inſolentiam gladijs conciſus eſt: tum Iacobus Stratonus eius ſocius, & Arianorum omnium Vuicleffitarum princeps capitali afficiendus ſupplicio aperuit, quam acerbi & amari fratres ex Vuicleffi doctrina geminaſſent, &c. Hæc Rainaldus, ex quibus funeſtiſſimas ſemper ambitioſos conſequi clades, & publicę rei certam ab eis prouenire vaſtitatem innoteſcit.

Ambitio in ipſa religioſa clauſtra peruadit.

9. At religioſos quoque animos rerum faſtigio iniuſte potiundi cupido, quę mortalium neminem prꝗterit, aliquando eum in modum impetit, expugnatque, vt primas ſibi cathedras aucupari, aliorumque regimen, haud meritorum adniſi ſuffragio vindicare non dubitauerint; atqui faſtus ſubinde hominibus perperam ad culmen prouectis, ex ipſo, quem ex voto conſcenderant apice, perditionis barathrum cóciliaſſe dignoſcitur. *Monſtruoſa quippe res eſt* (vt ait Bernardus) *gradus ſummus, & animus infimus, ſtatus ſupremus, & greſſus minimus, ſedes prima, & vita ima, lingua magniloqua, & manus otioſa, ſermo multus, & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis, ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas.* Ita planè: ſeueriſſimo igitur hi, qui præfecturam malis artibus exambitam obtinent, iudicio expetiti, ambitioſæ prę ſumptionis reatum, perditorumq; morum, ac proculcatæ tandem religioſæ obſeruantiæ pœnas proculdubio dedere, vt præcipue, recolendoque ex chronicis Prędicatorum Ordinis diuinitus præoſtenſo, legentibus compertum redditur his verbis.

Monſtri ſimile eſt gradus ſummus, & animus infimus in Prę lato, *Bernard. l. de conſiderat. ad Eugenium.*

Antonin. Senenſ. in chronic. Ord. Præd. an. 1370. pag. 199.

Horrendum viſum Prędicatorum.

10. *Rem ſatis notatu dignam, hic lubet referre, quia quo loco conuenientius illius fieri debeat memoria, non noui. Accidit Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici (ſunt enim ibi præter hunc, ſex vel ſeptem conuentus alij noſtri Ordinis) vt poſt completorium, refectionis locum ingrederetur is, cui erat illius cura commiſſa, qui mox in ingreſſu videt illum fratribus circumquaque refertum; & illi cappas trahebant indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & illam expectarent; & ſedebant omnes. Accurrit ille ſine mora ad Priorem, & iſtud illi aperit. Prior fratrem delirum putat, vel ſomnia narrantem; attamen dum vrgetur, vadit, videt, & credit, & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum Monaſterij grauioribus patribus, & prudentioribus, de quorum conſilio ſacras veſtes aſſumit, & Sacrum Chriſti corpus deferendo, toto conuentu comitante, ſe illuc confert, & ad illum ſermone directo, qui honoratiori loco ſedebat, eos adiurat, vt aperiant quinam ſint, & ad quid venerint, & quid velint, & vt ad hæc reſpondeant, præcipit illis in nomine Domini, quem geſtabat in manibus. Vt autem quando Prior coram illis comparuit, cum Venerabili Sacramento omnes aſſurrexerunt quidem, & capita inclinarunt, caputia tamen taliter demittentes, vt eum minime viderent, & hoc facto iterum ſederunt, ita iuſſi à Priore, vt reſponderent ad propoſita, inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus, reſpondens dixit, quod ipſi omnes fuerant eiuſdem Ordinis Religioſi, & pro maiori parte Magiſtri, Priores, Superiores, Bacchalaurei, Lectores, & alijs officijs donati, & quod omnes damnationis ſententiam acceperāt, quoniam ambitio multa, ſuperbia, inuidia, & alia huius generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quod diuina permittente clementia iuſſi fuerant illuc venire, vt eos, & vniuerſos Ordinis cultores commonefacerent, vt ſuæ vocationi facerent ſatis; nam illi, quia minime id præſtiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis, in cuius ſignum cuncti in eos aſpicerent; & hoc dicto omnes*

catorú damnatorum.

Inſtructo agmine religioſo, & prælata Euchariſtia adiurantur.

Inclinant capita Euchariſtiæ.

Aiunt fuiſſe in Ordine viros conſpicuos, & præcipuis functos muneribus.

Ob ſuperbiā inuidiam, & alia vitia æternis addictos incendiis.

Digitized by Google

illi cappas aperuerunt, & ſinguli eorum flammis circumcincti, & incenſi viſi fuere; & tunc idem præcipuus manu in menſa ſignum dedit, & ſic illa viſio euanuit, & totus conuentus manſit timore conſternatus. Iſtius rei adhuc perſeuerat memoria in illo conuentu noſtro, quæ per traditionem recepta eſt ab antiquis. Nec dubium quin maximus eo tempore ibi, & alibi fuerit ex viſione illa fructus ſubſecutus, & multa regularis vitæ inſtauratio. Nec talis viſio arbitrãda eſt propter illum conuentũ tantũmodo ibi accidiſſe, ſed propter uniuerſi Ordinis alumnos. Sicuti & quæ Boniæ audita eſt vox in ſacello Sancti Dominici Patris noſtri concinentibus fratribus. Vox illa inſonuit, inquiens, Nec ego Pater, nec vos filij, propter vniuerſos noſtri Ordinis Fratres accidiſſe credenda eſt. Quemadmodum enim in Politico regimine aliquot locis ſolemnioribus fieri ſolent, earum rerum proclamationes, quæ populo intimandæ veniunt; ſic & in iſtis. Singularis etiam quidam amor diuinus erga illos oſtenditur, & protectio, apud quos contingunt ſimilia. Et ſicut Sancti Dominici Patris noſtri curæ, quam Bononienſis noſtri conuentus habet, aſcribi debet, quod vox illa ibi inſonuerit; Nec ego Pater, nec vos filij; ſic quoque noſtri Doctoris Angelici, Diui Thomæ Aquinatis ſingulari protectioni, quam illius regij conuentus Neapolitani gerit, quod in illo talis viſio contigerit, ad noſtrorum omnium inſtructionem, & emendationem. Hæc ibi in rem præſentem auctor de portentoſo religionis Dominicanæ familiæ hominibus viſu diuinitus exhibito. Ex quibus manifeſtum fit, quo vltionis iudicio religioſi perditis, irreligioſiſque præditi moribus, & veſte dumtaxat, non opere ſacrorum inſtitutorum formam præferentes exagitarì meruerint; malo quippe, quod de ſe exhibuerant exemplo, tot viris obfuiſſe comprobantur, quotis ille in pio, recolendoque clauſtri regimine præerant, quibus lubrico laxioris vitę actu offendiculum, perditionemque parauerant: *Omnis enim,* (vt cum Gregorio loquar) *qui male viuit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, omnes occidit.* Improbi quippe homines non tam iniuriis, quam moribus nocent, nec tam vulneribus, quam exemplis certam, manifeſtamq;, vel dum deperditè viuunt, ſubditorum animabus, ſi non corporibus cladem, vaſtitatemque intentant

In Neapolitano conuentu reſtituta inde diſciplina.

Bononiæ in ſacello S. Dominici audita eſt vox: Nec ego Pater, nec vos filii.

Licet prodigia in vno loco contingant, tamen inſtar vocis præconis vniuerſos percellunt.

Gre. in epiſt Prælatus qui male viuit, ſubditos occidit.

11. Verum enimvero quid non faciunt nequam homines, morbidiſque moribus ſordide quantumuis ambitioſi inter ipſas vitiorum ſordes, honoriſque aucupandi gratia? Profecto etſi vt cæteri conditione homines, humanitatem tamen exuunt, & quantumuis pii, pietatem à ſe penitus abdicant, quinimo impii cum morte fœdus ineunt, vt indigne præcelſorum graduum, dignitatumque culmen conſcendant; *Sæpe enim* (inquit Ambroſius) *quos vitia nulla delectãt, ſola facit ãbitio criminoſos.* Crimini itaq; huic obnoxii piaculũ animę, dignitati vim, violentas inſuper cęteris manus audacter inferũt, quin & in præceps ad deteriora quęque ambitioſi miſere pertrahuntur, quod viri religioſi exemplo venenum alteri ob adipiſcendam primatus cathedram propinãtis conſtat.

Ambroſ. expoſ. 12 Luc Quos nulla delectant vitia, ambitio efficit reos.

12. *Fuit quidam frater Ordinis S. Benedicti, qui aſpirabat ad Abbatiæ dignitatem; ſciens autem, quod hanc non poterat adipiſci Abbate viuente, ordinauit per quemdam puerum, quem Abbas paterne corrigere ſolebat, quoſdam pulueres venenoſos, dicens puero; ſi hos pulueres ſparſeris ſuper pultes Abbatis in menſa, ſemper te diliget, & nunquam impoſterum te ita auſtere corriget. Innocens puer acceptis pulueribus cogitauit inter ſe: tu ſparges dimidietatem ſuper pultes, ſi impoſterum*

Gotſcalc. ſer. 24. poſt pent. Benedictinus Abbatis honorem ambiens.

Veneficio tollit Abbatem.

poſterum inſurget ira Abbatis, facies ſimiliter. Proiectis pulueribus in cibum Abbatis, guſtato cibo Abbas mortuus eſt. Tunc ille nefarius homicida in eius locum electus eſt, qui eundem puerum, ſicut primus correxit. Cogitauit puer: bonum eſt quod tibi partem reſeruaſti pulueris, facies illi Abbati ſicut primo, vt eius amicitiam mercari valeas. Puer malitiæ ignarus acceptis pulueribus, fecit illi, ſicut primo, qui etiam obijt ſicut primus; quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. O infelicem plane hominem ad culmen inſane contendentem, qui dum alienis manibus venenum alteri exporrigit, iiſdem prorſus technis, eiuſdemque miniſtri manu, qua lethalem alteri eſcam porrexerat, ſibi quoque interitum procurauit.

Veneficio tollitur.

13. Sed iam, Lector, ne à propoſito digredi videamur, Dei potiſſimum mancipatos obſequio, & ſub Chriſti vexillo militantes, qui ob inanem aliis præcellendi dumtaxat phreneſim, ſpontaneę ſubeunt tyrannidis, nedum acerbæ ſeruitutis inter regimina intus in animo pœnam, haud terreni tandem principatus, ſed superni beatorum regni, nullo quidem compenſandā pretio, animæque ſuæ iacturam fecere, lugubri nunc ſi libet ſtylo proſequamur; qui enim religioſo amicti pallio, arctiorisque vitæ formam conſectantes, ſub ipſo rudi cilicio, ac pauperum tugurio, & cinere, honorum apices aucupantur, dum procul ab Euangelicę perfectionis culmine, ac virtutum ſemita ſub ipſo Chriſtianæ humilitatis domicilio aberrant, non tam veſtes, quam religioſæ ſub veſtibus obſeruantiæ mores exuiſſe, ſanctoque mentis reiecto propoſito, etſi haud pede à clauſtro, mente tamen iam ſuperbiendo longius à Deo mortalium infeliciſſimi apoſtataſſe comprobantur; Atqui manifeſtis Sapiens aliquando verbis faſtuoſos in exambiendo ęque, ac ſuperbos homines perſtringit: *Initium* (inquit) *ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.* Pari igitur tumidi iſti inter religioſos primatum tenere cupientes, ac miſere humiles inter cineres, deſpectæque vitæ, ac paupertatis inter exuuias euaneſcētes, non ſecus, ac ſancti, arreptique deſertores propoſiti, impiique à Deo transfugæ plectuntur; Verum vt potiſſimo rem aſſeramus exemplo, audi quid de Franciſcani inſtituti Religioſo homine, arctiori Capucinorum obſeruantiæ addicto, qui abſque vlla ſalutis ſpe diem clauſit, Bouerius in ſuis annalibus referat his plane verbis.

Profeſſos aſperrimum ſanctioris vitæ genus ambitio corrūpit.

Ad deſerendū ordinem impellit. Eccleſ. c. 10.

14. *At horrendum plane eſt, quod cuidam ex noſtris Guardiano hoc anno apud Allobroges accidit: quod hic ad eorum potiſſimum diſciplinam conſcribendum duxi, qui particulares in menſa cibos edunt, & ad dignitates interdum equis, veliſque concurrunt. Franciſcus quidam Burgundus Sacerdos, & Concionator, vir erat nulla, vt videbatur, grauioris culpæ labe aſperſus, aut turpi vitio labefactatus, eo excepto, quod plus æquo in Religione, quæ nouiſſimum potius, quam ſupremum inter homines locum affectare docet, ad dignitates, & honorum gradus anhelaret; hucque (vt reipſa deinde manifeſtum fuit) omnia ſua conſilia, induſtriam, atque animi cogitationes conferret. Hic igitur Mauriane in Sabaudia Guardianus, cum ex publica vrbis ſupplicatione aliquando ad Monaſterium rediret, angina correptus grauiter ægrotare cæpit; quo tempore mortis metu, maxime cruciari videbatur. Verùm à prudente Confeſſario Franciſco Tiburtio ab Aneſio, pijs ad animum cum Dei beneplacito componendum verbis excitatus, mentem Sacramento expiat, cumque ob faucium obſtructionem Sacro Viatico refici non poſſet, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſibi deferri poſtulat, illudq; humi procumbens*

Fr. Zacharias Bouer. in annal. Capucin. tom. 2. anno 1606. pag. 776 n. 53.

Exemplum lugubre in Franciſcano Burgundo.

Angina correptus pietatis plurima ſigna dedit.

ſupplicitèr

ſuppliciter adorat; emiſſa ſemel Religionis vota iterum renouat; diuinam ſibi miſericordiam pijs publicari verbis; (Deus propitius eſto mihi peccatori.) exorat; extremæ vnctionis Sacramento ſe inungi poſcit, flammigeraſque ad Deum aſpirationes iaculatur. His, & alijs eximiæ pietatis ſignis, cùm familiæ Fratres mirum in modum ædificaſſet, alto paulisper ſilentio vacat: tum imum è pectore ſuſpirium trahens, vultu longe à priori diuerſo, ac voce immutata, in hæc tandem verba prorumpit: O Fratres, non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, ipſe intrabit in Regnum Cælorum. O, O Fratres! ſpes impij, tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. Iam nulla mihi eſt in Regno Cælorum pars: omnia ambitio, & gulæ auiditas ſecum tulit. Idcirco iuſto Dei iudicio ad Inferos condemnor. Noua prorſus, & horrēda hæc Fratribus vox viſa, quæ, vt à nemine expectata, ita non propria, ſed à Dæmonis tentatione excitata illi credebatur. Quare Confeſſarius, ut hanc diaboli tentationem eſſe illi perſuadeat, anteactæ vitæ bona, frequentes confeſſiones, ac peccatorum abſolutiones eidem collatas commemorat. Cui ille; quid ea commemoras, quæ meam damnationem augent? Hæc contra me teſtes inſtaurant, & ante Dei tribunal accuſant; O vtinam diuturno illorum abuſu maiorem mihi damnationem non comparaſſem! Inſtat Confeſſarius: At numquid Dei miſericordia ita inexhauſta eſt, vt miſericordiam petenti miſereri nequeat? ne deſperes: ab eo miſericordiam poſce, qui non vult mortem peccatoris; ſed magis, vt conuertatur, & viuat; quique impio, quacumque hora ob patrata delicta ingemuerit, è Cælo clementiam pollicetur. His Franciſcus. At, inquit, pœnitentiæ tempus elapſum: quid fruſtra Dei mihi miſericordiam commendas? Spes omnis mihi diuinæ miſericordiæ ſublata: iam de mea ſalute actum eſt. Heu, aiebat, heu dulces palati, atque honorum epulæ! quam duram, & difficilem nunc animo veſtram concoctionem redditis! Pergebat Confeſſarius, oblata illi Crucifixi Imagine, Chriſti Sanguinem pro eo effuſum, vulnera ad peccatorum refugium patentia, charitatem quoſcumque ad ſe peccatores allicientem, ac Dei miſericordiam, nulla vnquam, tametſi grauiſſima ſcelerum mole obruendam, illi verbis inculcare; at ille. Quid hæc me iuuant? mihi areſcunt omnia, iam Dei iudicio damnato; non eſt cur in his mihi ſperandum perſuadeas. Alter ego Iudas fui, qui oſculo Chriſtum prodidi, ac ſub ementito religioſæ vocationis titulo, non Chriſti, ſed hominum gloriam venatus ſum. Quid vrges? nulla mihi vnquam diuini amoris ſcintilla; ſed meiipſius tantum amor, & gulæ, ac temporalis gloriæ cupiditas, hypocriſi velata, à me etiam ipſa bona opera extorſit. Hęc ille in ſuis chronicis de ambitioſo pſeudomonacho, qui ad extremam vitæ periodum perductus, & iam cum morte colluctans, ob exambitos in clauſtro honores, nec tam Dei gloriam, quam futilem expetitam, requiſitamque ab hominibus impenſius gloriolam, humanaſque emendicatas laudes, certum ſub Chriſti iugo abortum, irreparandumque in ipſomet religioſę, auſterioriſque vitæ portu naufragium feciſſe ſuomet ore, ingenti aliorum documento teſtatus eſt; ſed quæ reliqua ſunt, proſequamur.

15. *Vrgebat Confeſſarius: ſaltem benedictum IESV, ac Beatæ Virgini Nomen inuoca, quo te Chriſtianum eſſe profitcare. At ille, vt ſe iam in damnatorum ſortem computatum oſtenderet, exclamans ait; Hæc ſi vellem Nomina inuocare, non poſſem: ac nec poſſum, nec volo. Quamobrem ſtatim poſt hæc, regulæ*

codicem,

Dein exclamat ſe damnatum.

Matth.c.7.

Spem impij eſſe tanquã lanuginem, quæ à vento tollitur.

Sacramentorum abuſu augeri damnationem.

Delicias, ambitionemq; execratur.

Egiſſe pia opera nefario conſilio fatetur.

Deſperat de Deo.

codicem, Sacrum Agnum cereum, & corollam è manica exprompta proiicit, ac ſæpius oblata nunquam deinceps recipere voluit. Nihil aliud per ſingulos fere anhelitus ore repetens, præterquam: In æternum damnatus ſum. Interim Fratres pro eo oraturi Eccleſiam petunt, ſe ante Sacræ Euchariſtiæ Altare proſternunt, Dei miſericordiam fuſis lacrymis pro eo poſtulant. At fruſtrà: ſemper enim eadem verba repetens, aiebat: In æternum damnatus ſum: nouus Iudas fui. Confeſſarius denique, ut extremam aleam iaciat, Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum, multis luminibus ſtipatum, ad eum deferendum curat, ut illud ſaltem adoret. At is, ubi Sacramentum adeſſe percipit, mox in alteram partem caput inflectit: admonet Confeſſarius, Deum eſſe præſentem, quem Angeli adorant; atque ut illi adorationem impendat, hortatur, imperat, præceptum inculcat: reluctari ille Sacramenti cuſtodiam ut manibus apprehendat, ac ſic ſaltem illud venerari teſtetur, propius applicat: at is manu reiicere, aç ne Sacram Pixidem comprehendat, magis palmam dilatare, eadem ſemper verba repetens: In æternum damnatus ſum. Nouus Iudas fui. Neque ullum unquam poſt tot exhortationes, perſuaſiones, conſilia, præcepta, quibus vel ad Dei miſericordiam implorandam, vel ad eum adorandum prouocabatur, Chriſtiani, nedum religioſi hominis ſignum extorqueri potuit. Quamobrem cum Fratres nullum aliud ſalutis illius curandæ remedium ſibi ſupereſſe cernerent, facto perterriti, tragædiæ huius finem pauidi præſtolabantur: quo tampore miſer ea verba ſæpius repetens: In æternum damnatus ſum: in æternum; altius tandem exclamans; O in æternum! paulò pòſt animam exhalat. Poſt mortem verò tam tetra, tam nigra, ac horrenda illius facies apparuit, ut intuentibus metum incuteret: neque lumina, neque labia, quacumque vi, aut arte adhibita, unquam illi ita comprimi potuere, quin aperta, & patentia horrendam ſpectantibus formam exhiberent. Horribilis porro ac deplorandus miſeri huius Guardiani finis plurimis diſciplina eſſe debet; ne dum ad particulares epulas, ac dignitates inhiant, & integras interdum prouincias ſua ambitione peſſundant, & ad ſupremum exitium pertrahunt, in idem damnationis barathrum ruant. Hoc quidem Deus Optimus Maximus palam exemplum omnibus manifeſtum fieri voluit, ut multos unius caſu deterreret. At his, qui miſerrimi huius via gradiuntur, quin id clam, ac priuatim in morte contingat, nemo iure in dubitationem reuocare poteſt. Hæc in ſuis Annalibus Bouerius.

Se nouum fuiſſe Iudã ait.

Negat ſe adoraturum Euchariſtiã.

Exclamãs ſe damnatũ in æternũ emoritur.

Cadauer horrorem incutit.

16. Proditor igitur, religioſæ, non ęmulator obſeruantię, iure merito ambitioſus iſte prounciandus eſt, qui, cum ampliorum in ſęculo honorũ Euangelicę perfectionis cupiditate illectus ſpē à ſe abdicaſſet, ſub cinere, & cilicio latitans, ad præfecturas in paupere Chriſti domo, ac perexiguo mendicantium regno, toto animi ſtudio contendebat, ex quo miſer certam ſibi lucratus eſt animę perniciem, & non ſecus ac immane in Deum ſacrilegus, contumelioſuſque certiſſimam retulit damnationem: qui vtinam ad periculum ſerio pręcauendum, illa Bernardi ambitioſos aptis in tabula coloribus adumbrantis verba meminiſſet: *Radix* (inquit) *iniquitatis ambitio, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.* Cuncta igitur iſthæc vitiorum, malorumque germina, quę hominem perdidere, ex tumido pręcellendi faſtu in profani

O infelix ludibrium ſub cilicio latita, tem affectâte imperium in pauperes.

Bern. ſerm. in pſ. Qui habit.

Ambitio virtutũ ęrugo, tirea ſanctitatis.

Digitized by Google

ſani huius religioſos inter homines degentis præcordia corriuarunt, quo certum denique luctum, deſperatamque miſero ſalutis aleam ſub extrema vitæ momenta denunciando, ac ſaluberrima cunctis poſthac documenta ſuppeditarunt.

17. Vna ergo eſt dũtaxat ãbitionis teſſera, quę lectos Chriſti milites pretioſis quibuſuis onuſtos virtutum ſpoliis deprædatos in via, triumphatoſque in acie poſt innumeros ex hoſte triumphos oſtentat, indicatque eos, qui ſub Chriſti magiſterio, in religioſorum hominum ad Chriſtianam perfectionem contendentium ſchola, bonis apprimè operibus diteſcebant, ſub finem denique depauperatos, & ex ditiſſimis extemplo inopes, cunctorumque diſpendio meritorum miſerrime orbatos, deperditoſque toti Chriſtiano orbi contemplandos demonſtrat.

Ambitio exitium affert.

18. Demum, vt pauca enarratis hactenus, ambitioſorumque hominum capiti, coronidis inſtar adiiciamus; inanis mortalium adeo ſe extollentium faſtus, atque vmbratilis iſtius gloriæ ſplendor, quem cœca mortalium mens ſic deperit, exigui ad inſtar pulueris eſſe dignoſcitur. Hunc enim leui ventorum impetus flatu in altum attollens, huc illuc exſufflando diſpergit, atque in minutiores quaſque particulas ſolutum diſſipat, vt ſuis olim carminibus Rex Pſalmographus ſapienter expreſſit, adumbrauitque, dum iſthæc de impiis proloquutus cecinit: *Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Momento quippe minutiſſimus, qui terræ adhęrebat, puluis, ventorum miniſterio in cęlũ ſublatus ſic diſpergitur, vt cœca aerem caligine obducens, Solem terris, lumenque oculis penitus auferat, & quod paulò antè alienis viribus in ſublime ferebatur, nil penitus fuiſſe mortales vno, eodemque momento in luto luculenter edoceat. Ad quod Philomatus ille inter ſuas iuueniles muſas Poeta decantatiſſimus, noſtriſque maior laudibus dum luderet, puluereum apte effingens, contemplandumque proponens horologium, alluſiſſe viſus eſt, his plane carminibus, quæ honoris gratia hic excribimus:

Humana gloria pulueri comparata in ſcripturis

In ſublime elatus homo mox ad ima deprimitur.

Exiguus vitro refluit, qui carcere puluis,
Dum rapido monſtrat quo fugit aura pede,
Quam bene mortalis metitur munera vitæ,
Noſtraque ſub fragili tempora mole refert.
Captiui rapimur fatis: quod viuimus, hoc eſt
Vſque mori, & tenuis quem capit vrna cinis.

Philomatus elegãter hominum vitã exiguo puluere metitur *Philom. muſa Iuuenil. c. 35*

In modicum igitur, ac momentaneum puluerem humanæ proſapiæ decus, ac gloria dicto citius euaneſcendo ſoluitur, adeo ut præteriiſſe prius, quam oculis affulſiſſe intelligas. Tanta eſt autem exigui pulueris in aerem diſperſi virtus, ut cum apes ſuis inſtructę aculeis in turmas, & cuneos diſtributæ, obſtrepenteſque in arenam ad certamina properant, leuiſſimi pulueris obiectu omnis extemplo earum concertatio dirimatur, conſertaque inter aculeos pugna tranquilletur, ut Virgilius eleganter in ſuis carminibus expreſſit.

Apes puluẽris obiectu dum obſtrepũt compeſcuntur.

Hi motus animorum, atque hæc certamina cuncta
Pulueris exigui iactũ compreſſa quieſcunt.

Virgil. lib. 4. Georgicor.

Sic extremi pulueris altius mẽti repetita conditio prauos ambitioſorum hominum motus ſedat, moreſque ad virtutem componit, ut probe Petrus Damianus ſuo experimento teſtatur, qui fati memor ſe à purpura & Epiſcopatu Oſtienſi abdicans ad ſuã Camaldulenſem

cremum

eremũm ſolitudinis deſiderio recipiens, hęc ſuo carmina inſcripſit tumlo.

Apud Cornel. à lapide obȳt an. 1070

Quod nunc es, fuimus: & quod ſumus, ipſe futurus
His ſit nulla fides, quæ peritura vides.
Friuola ſinceris, præcurrunt ſomnia veris,
Succedũt breuibus ſæcula tẽporibus.
Viue memor mortis, quo ſemper viuere poſſis,
Quidquid adeſt tranſit, quod manet ecce venit.
Quam bene prouidit, qui te male munde reliquit.
Mente prius carni, quam tibi carne mori.
Cælica terrenis præfer, manſura caducis
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat: quo prodit fonte recurrat:
Sub ſe deſpiciat quidquid in ima grauat.
Sis memor ore mei, cineres pius aſpice Petri,
Cum prece cum gemitu dic ſibi parce Deus.

Pětrus Damianus purpuræ gloriã pulueris cõtemplatione refugit, ac ſolitudinem petit.

Sed his obiter enarratis iam ad noſtra, ubi de pſeudomartyribus ſermo eſt, redeamus.

CAP. VII.

Qui per inanem gloriam martyrium ambiunt.

1. QVI in obeundo Martyrij agone famam potius humanam ſequuntur, quàm veram, ſolidamque fidei virtutem, nec illi in uberrima ſibi meſſe propoſita paleas pro frumento, & caducas foliorum quiſquilias pro ſperatis fructibus referunt. Vbi enim futilis vanaque gloria quæritur, neceſſe eſt, vt vera, ęternaque perdatur; quippe diuerſæ ſunt ad utramque harum ferentes viæ, & quo ad alteram ſtudioſius tendimus, eo longius ab altera ſubmouemur. *Non efficiamur* (inquit Apoſtolus) *inanis gloriæ cupidi*; ne à virtutis mercede, quę apud Deum in Cœlis propoſita nobis eſt, excidamus: *Si ab hominibus* (ait Hieronymus) *quæro gloriam, vitium eſt, ſi à Deo virtus, qui & ad veram gloriam cohortatur dicens: Eos autem qui me glorificant, glorificabo.* Ac de Martyrio loquens ſubdit: *Quod dudum* (inquit) *timeo dicere, ſed dicendum eſt, Martyrium ipſum ſi ideo fiat, ut admirationi, & laudi habeamur à fratribus, fruſtra ſanguis effuſus eſt.* Idque multo ante prædixerat Apoſtolus, cum dixit: *Etſi tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Charitas igitur, quæ ſola virtuti præmium, condignamque Martyrio coronam promeretur, ab humanis laudibus ieiuna ſolum Deum teſtem reſpicit, remuneratoremque: *Charitas* (inquit Apoſtolus) *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt.* Atqui praua mortalium ambitio, nebulones, perditoſque hæreticos, viliſſima popularis auræ mancipia ad martyria non ſemel exſtimulaſſe legitur, dum eos ad certamina ſub ipſa perſecutionũ procella è latebris emergentes quandoq; in medium proſilire, ac ſeipſos morti non requiſitos offerre impulit, quos certe nec Chriſti amor, nec vera fides ad teſtimonium Chriſto ferendum permouebat; *Sub præmio dumtaxat* (ut alibi Tertullianus ait) *laudis humanæ.* Quod magno aliorum documento, eodem Tertulliano teſte,

Martyres ſolam Dei gloriam reſpiciunt.

Ad Galat. c. 5. 26.

Hominũ glorie vitiũ eſt. Hieron. in epiſt. ad Sal.

Hieron. ubi ſup.

1. Cor. 3. 3.

Martyrium charitas coronat.

Ad Cor. 13. 14.

Tert. l. 4. ad Mart.

O contigit.

Digitized by Google

contigit. *Hæc* (inquit) *non ſine cauſa Dominus in ſæculum admiſit, ſed ad nos, & nunc exhortandos, & in illo die confundendos ſi reformidauerimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.* Et ut recenſendis ambitioſorum perduellium, perfidorumque hominum exemplis inſiſtamus, Martyria quoque inſana hominum cupido in orbem haud ſemel inuexit, dedicauitque ſuperborum anteſignanus ille, qui aliorum iugiter ſanguine paſcitur, alienaque damna ſuum computans lucrum, de perditione hominum apprime delectatur. *Diabolus* igitur, *qui ſuos habet & Martyres,* Martyria quoque ſuis deeſſe paſſus non eſt, & ut ab hiſtoriarum paginis ſermo deriuetur; Donatiſtæ prauis dogmatum erroribus addicti, & in media cœcutientes luce, cum à Chriſti fide, ac Dei charitate longius aberrarent, pro Chriſto tamen mori geſtiebant; mortis, ac Martyrij deſiderio, ſua inter ſcelera præ cæteris ambitioſiſſimi, adeo ut, cum non adeſſet, qui pœnam infligeret, promeritamque nebulonibus necem inferret, ipſimet violentas ſibi manus inferentes, haud expectato carnifice, ad aucupandam Martyrii palmam ultro ſemetipſos perderent, ac pręcipitio darent; illud obliti, quod tamen patentibus Apoſtolus notis inculcat; *Etſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Tertul. ubi ſupra.

Cyprian. in ſer.

Donatiſtę illius ſpecie vana carnificinam exercuere.

1. Cor 13. Non pœna, ſed coniuncta charitas efficit Martyrem.

2. At iure merito, cum hi à Deo alieni, & Chriſto, eiuſq; Eccleſię infenſi vitam prodigerent, ac ſanguinem temere ſponteque, ac nullo in fidei teſtimonium exigente profunderent, haud alio certe, quam Traditorum titulo, ob ſcelus, & contumeliæ notam appellari, atque ab Auguſtino digniſſime proſcribi meruere: Iudam enim Iſcariotem, qui Magiſtrum oſculo impie prodidit, ac fatali ſubinde laqueo vitam abrumpens, ſeipſum infeliciter perdidit, conſectati ſunt, de quibus iſthæc Auguſtinus, dum pertinaces in malo, perditoſque hominum mores aculeato, ut par eſt, ſtylo proſequitur.

Iudæ proditoris æmuli fuere.

3. *Quoniam Donatiſtæ ſeipſos occidere ſemper amauerunt, & ipſi ab initio traditores fuerunt, quid mirum, ſi traditoris mortem, etiam ſuos poſteros amare docuerunt? Sed vitandæ huius ſimilitudinis cauſa, vel nunquam, vel difficillime ſe laqueo necauerunt, ſimillimam omnino; nam ille Iudam traditorem id facere compulit, qui & illum puerum, quem ſanauit Dominus, in aquam, & ignem ſæpe deiecit, & gregem porcorum in mare præcipitauit, & ipſi Domino præcipitium de pinnaculo templi audaci præſumptione ſuggeſſit. Quamuis itaque diuerſis modis voluntariam vos præcipitetis in mortem, tamen eiuſdem Diaboli inſtinctu vos necando imitamini traditorem.* En tibi quam compte, concinneque traditoribus iſtis, alterius proditoris, proditorum anteſignani deducta ex impietatis conſortio affinitas conſonet, vt quos par culpa inuoluit, par quoque eoſdem pœna, ac ſupplicii contumelia perſtringat. Verum ambitioſam, præcipitemque perditorum hominum cupiditatem in aſciſcenda ſponte, quam cęteri refugiunt, morte, obſtinatumque validos inter ictus moriendi animum his verbis idem Auguſtinus edocet.

Aug. l. 1. contra Gaudent. c. 37.

voluntariam necem ſibi ultro conſciuere.

Dæmon flagitii auctor oſtenditur.

Pari cum Iuda culpa irretiti pari pœna perculſi.

4. *Caminis clauſis, vos in crudeles anguſtias coarctatis, ut, & qui voluerit ſubuenire, non poſſit iuuare, & qui voluerit euadere, non poſſit exire. Abſit, abſit, ut ſtent cum magna conſtantia, cum ſtabunt cum tam mala conſcientia. Niſi forte arbitramini vobis, Deum tunc poſſe parcere, pro ſceleribus veſtris, quia ipſi*

Aug. l. 2. cont. Gaudēt. c. 26. Horrēda eorum deſperatio.

Conſtantia malæ conſcientiæ coniuncta eſſe nequit.

vobis

Digitized by Google

Stupratę ſanctimoniales diſcurrebāt ad præcipitia.

vobis modò non parcitis. Vnde ſe etiam quædam ſanctimoniales veſtræ per ſaxa dimiſerunt, & diſſilientibus uteris homicidiorum ſcelere, ſtuprorum ſcelera prodiderunt, exiſtimantes, ſi hoc modo in ſe vindicaſſent, nullo iam modo Deum vindicaturum, ſicut & vos putatis, quæ ſacrilegio ſchiſmatis, & hæreſis, vel deprædando, detruncando, excæcando, occidendo, poſſent etiam rebaptizando Catholicos; quælibet alia poſuerunt à vobis nefanda committi iſto modo poſſe, quo vos occiditis, expiari. Sed erratis; hoc putauit, & Iudas. An hoc etiam vultis addere documentum, quo certius nouerimus maiores veſtros potius fuiſſe traditores, quia mortem imitamini traditoris. Neque iſthęc aduerſus impios, ſacrilegoſque homines Sanctus Doctor ſtylo intorſiſſe contentus ait: *Spontaneas enim mortes ab uno antiquo Magiſtro didicerunt; ille laqueum, ille præcipitium, &c.* Ex quo videre eſt cuinam, qui ſponte ſe neci dant, & ſemetipſos in cladem ultroneam produnt, conferendi ſint: Proditori ſcilicet ipſius Chriſti, ac Sanguinis ipſius effuſori, ait enim ille: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Iſti igitur haud ęquiore iudicii calculo iuſtam pręoptatæ mortis pœnam, quam laqueo condigne luunt, expiantque ſuam impii in ſe, vno pariter, eodemque corporis, atque animæ interitu, nequitiam, impietatemque haud vix unquam pœnis quibuſuis expiandam.

Aug. l. 2. contr. lit. Petiliã. c. 49.

Spontanea mors à quo magiſtro edocta.

5. Perperam verò hęretici iſti Euangelica Redemptoris apud Ioannem verba interpretati fuiſſe videntur. *Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* His enim calcarium inſtar, ac ſi ad ſubeundum pro Chriſto Martyrium, ad quod non requiſitus in medium quiſque proſilire deberet, incitarentur, nec expectato carnificis miniſterio, ad inferendam ſibimet carnificinam ipſomet Chriſti ore inuitarentur, claſſicum præſidenter canentes, non tam ad Martyriũ currebant, quam ſpontanteam in ſe Martyrii aſſequendi gratia crudelitatem exercebant; ut idem Auguſtinus, eadem Chriſti verba exponens, ait: *Sed vide* (inquit) *ne tibi ſubrepat, ut teipſum velis interimere, ſic intelligendo, quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque peruerſi homines, & in ſemetipſos crudeliores, ut ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit, immò & diabolo, præcipitium ſuggerenti, reſpondit: Vade ſatana: ſcriptum eſt enim; Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum: Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas: cum autem ſenueris, alter cinget te, & ducet, quo tu non vis. Vbi ſatis expreſſit non à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti.* Ambitione igitur, non charitate, nec tam Chriſti amore, quam inanis gloriolæ ſtudio ſuccenſi immaniſſimi homines, ullo abſque prouentu vitam, nullaque donati mercede, nec tam Chriſti, quam Antichriſti Martyres renunciandi ſanguinem profundebant, ut illud Cypriani oraculum his iure merito ſicut iam diximus, occineret: *Habet & diabolus Martyres ſuos;* diabolo igitur, non Deo Martyrium à fidei deſertoribus inter praua dogmata, ac morũ ſcelera, ambitionéque perlatum decedentes, ſuoquemet reſperſos ſanguine dedicauit, certamque pro mercede pœnam hominibus, quauis

Ioan. c. 12. Deſperationem Euangelico oraculo male intellecto ſuaſerunt.

Aug. tr. 51. in Ioã. ſub med.

Non decuiſſe eã Chriſtũ, ſed ſathanã demonſtrat Auguſtinus.

Nõ Chriſti, ſed dęmonis Martyres illi fuere.

Cypriã. in ſer

pœna digniſſimis, iuſtiſſime intulit.

6. Donatiſtæ igitur una dumtaxat Martyriorum cupiditate illecti, ſpontaneam ultro mortem appetebant, atque humanæ exuti pietatis viſcera, feris crudeliores in ſemetipſos deſæuiendo ad prœoccupandas pœnas, morteſque accerſendas inſanire prorſus videbantur, ac ſi pertinax in malo voluntas, elataque Donati, ac Donatiſtarum improbitas hac nullam æquiorem à Deo pœnam repoſceret, ut Baronius his verbis rei mentionem faciens teſtatur: *Sub tali igitur*, (inquit) *tantoque Doctore, adeo ſuperbo, tumido, atque inſano Donato creuit, Donatiſtis pariter cum furore ſtultitia: nam eò dementiæ peruenerunt, ut quaſi Martyrum gloriæ cupidi, nouum excogitarint genus Martyrij, ſeipſos ſcilicet necantes præcipitio, aqua, vel igne, vel alios ad inferendam ſibi necem cogentes: quos ita vita functos inſana Donatiſtarum turba colligere, & loco digno Martyres condere, atque honore Martyribus congruo venerari ſolerent; hæc quidem de eorumdem amentia Optatus meminit, & Auguſtinus innumeris pene locis. &c. Ante quidem primum Carthaginenſe Concilium, quod celebratum eſt Macarianæ legationis temporibus in hæc tam immania, atque ſtulta facinora Donatiſtas ſchiſmaticos progreſſos eſſe, eiuſdem Concilij canon contra eiuſmodi pſeudomartyres editus fidem facit.* Quibus conſulto in rem præſentem expoſitis Baronius, immanem horum præ inſano, ambitioſoque delirantium æſtu impietatem perſtringens addit: *Vides*, inquit, *Lector, quos ſemel vel hæreſis, vel ſchiſma à Catholica Eccleſia, ubi diuina, veraque ſunt dona ſpiritus, ſeparat, per quæ abrupta loca, & gentilibus quoque, qui Deum ignorant, inuia, & inacceſſa, à malo dæmone impellantur. Vix apud ethnicos, ut fabulas taceamus, unum Empedoclem, vel alterum inuenias Peregrinum ſeſe flammis ſponte dedentes, qui, & ab ipſis, tanquam monſtra habentur oſtentui: apud Donatiſtas verò horum examina reperias ab eiſdem Donatiſtis, ut ſanctiſſimos Martyres immenſis honoribus cumulatos; hoc enim plane hæreticis omnibus, atque ſchiſmaticis ſolet eſſe commune, ut ipſi in ſeipſos exiſtant ſuæ prauitatis ultores; & illud in primis cum ſponte, à qua eſſent abiiciendi, ſe ab Eccleſia ſegregent, cuius precibus valuiſſent, multipliciter adiuuari.* Hæc Baronius in homines haud inſpirante, ac Deo, ut par eſt, intus mouente, ſed impellente potius diabolo perperam ad Martyrii palmam currentes, contendenteſque intorquet, dum ipſorummet Donatiſtarum originem altius repetendo, quibus potiſſimum artibus Martyrii palmam nebulones obtenderent, conceptis verbis inculcat.

Baron. tom. 3. an. 332. n. 11.

Culti Martyrum honoribus deterrimi carnifices, Optat. Mileu. l. 3.

Carthaginẽſis Concilii in hos decretum. Concil. Carth. c. 2.

Diſciſſi ab Eccleſia, gentilibus peiores euadunt Baron. l. cit. n. 12.

Vnus apud veteres Empedocles per flammas conſecrari voluit.

Apud Donatiſtas innumera huius furoris exẽpla.

7. Verum haud hæc, quæ hactenus recenſita ſunt, in iſtorũ contumeliam Baronius ſuggeſſiſſe contentus, inſanam, effrænemque perditorum in ambiendo Martyrio cupiditatem ſemel, atque iterum, opportunam dicendi occaſionem nactus, in ſuis annalibus, velut immane in dies excreſcentem ſuggillat. Vbi rem non abſque peculiari Dei conſilio dirigi, peragique affirmat, ut nimirum ſupplicio, quod multiplici quidem, nec uno titulo merebantur, ſua ſemetipſos ſponte devoverent: quippe qui ſacrorum, ac forenſium iurium, & tum Dei, tum hominum ſuis perditiſſimis moribus iam contemptores euaſerant. Quæ igitur iterum in eos Baronius eiaculet, dum eorumdem ſub Theodoſio Imperatore geſta exacte in ſuis annalibus relegit, audiamus.

Baron. tom. 4. an. 304. n. 53

8. *Sed quenam* (inquit) *pœna contemptores legum, poteſtatum, ac Numinis à*

Baron tom. 4. an. 394. n. 53

Digitized by Google

Non patitur Deus impios omnino graſſari ſine ſupplicio.

nis à Deo puniri ſolent? (haud enim Diuinitas patitur ſontes omnino hic graſſari ſine ſupplicio) ea nimirum, at quos carcer coercere minimæ valet, nec compedes, & catenæ conſtringunt, nec ſecuris ferit, vel ignis incendit, ijdem ſibiipſis carnifices fiunt. Ob idque accidit, ut è Cælo in eorum præcordia immiſſa vindicta, ijdem Donatiſtæ mente turbati, furore perciti, à prauo dæmone agitati, quouis prætextu, vel deſperatione adacti, vel falſa ſpe meliorum illecti, ipſi ſibi ſpontanei carnifices fierent, iniicerent collo laqueos, gladios in ſua conuerterent pectora, venena ſitirent, præcipitia, vel flumina, vel ignes ad necem quærerent, & ad quoſcumque oblatos ſibi interitus modos obuijs accurrerent manibus, ſicque infeliciſſimi homines appeterent mortem, & oppeterent auidius, quam alij vitam. Tali quidem ulciſcente Numine, quos iudex, legum vindex non plexit, mulctati ſunt ſupplicio Donatiſtæ; ut amentiæ quadam offuſi caligine, prætextu Martyrij, ipſi violentas manus inferrent, vel ad infligendum ultimum ſibi ſupplicium alios cogerent, ut ſæpius demonſtratum eſt. Hæc apte in rem noſtram Baronius.

Quot mortium generibus in ſe ſæuierint Donatiſtæ.

Rea cõſcientia non pepercit iis, quos Iudex abſoluit.

9. Id autem pſeudomartyrum iſtorum exemplo in Marculo, & Donato ſua ſponte pariter necatis ex Optato palam euincitur, qui ſub Conſtantio Imperatore, haud legum præſcripto, haud perſecutorum manu, ſed ſeipſis ſuimet homicidis, interfectoribuſque è medio ſublati, at Donatiſtarum, qui mendaciis præſidebant, voce à noſtris occiſi perperam aſſerebantur, quos unus præ cæteris Auguſtinus illis aperte verbis, uti ſubdolos, mendaceſque redarguit: *Ecce*, inquit, *Marculus de petra præcipitatus eſt; ecce Donatus Bagiaicenſis in puteum miſſus eſt; quando poteſtates Romanæ talia ſupplicia decreuerunt, ut præcipitarentur homines.* Exoleuerat enim diu ante, (ut Baronius aſſerit) ſupplicium illud, quo de rupe Tarpeia rei immanium criminum proiiciebatur. *Quid autem* (ait Auguſtinus) *reſpondent veſtri? quid ſit geſtum neſcio. Tamen quid tradunt noſtri? quia ipſi ſe præcipitauerunt, & poteſtates infamauerunt.* Hæc in perfidos homines Auguſtinus, qui infamiam hanc vna cum perfidia in cæteros ſubinde ſectarios, maiorum ſuorum exemplo propagatam, dum ſpontanea, ultroneaque ſupplicia adirent, necemque ſibi inferrent, Auguſtinus contra Gaudentium ſat luculenter edocet, cuius hic verba in ſtudioſi Lectoris gratiam repetenda videntur; ut peſſimas quaſque peccatorum mortes Martyrii ambitione initiatas, intentataſque iuſtiſſimas perditorum hominum ceruicibus pœnas vnuſquiſq; iſthæc ex Auguſtino relegendo intelligat.

Marculus & Donatus pſeudomartyres.

Aug. in Ioã. trac. 11.

Sublata à Chriſtianis præcipitiorum ſupplicia.

Baron. ubi ſupra.

Aug. ubi ſupr.

Renouata à Donatiſtis.

10. *Sed nunc plane* (inquit) *cum parcente vobis manſuetudine Chriſtiana, ita in vos ſæuit veſtra dementia, ut quemadmodum dicitis caminorum reperto compendio, veſtras animas rapiatis; omnimode vos à vobiſipſis pati perſequutionem, nimia eſt impudentia, ſi negatis; quando vos utrumque completis, & unde iuſti pereatis, & quod peritis.* Sed vide iam innumeram hominum multitudinem nouo, execrandoque mortis genere, ac inaudito hactenus è vita exitu decedentem, ut Auguſtinus hunc in modum proſequitur. *Sic autem dicis* (inquit) *tot hominum millia eſſe, qui hoc faciant, quaſi etiam iſta ſit non parua cauſa, cur ab huiuſmodi magiſterio veſtro Africa liberetur. Eorum eſt enim hominum genus, cui hoc malum perſuadere potuiſtis, qui ſolent hæc, & antea facere, maxime cum idololatriæ licentia, uſquequaque ferueret, quando iſti paganorum armis, feſta ſua frequentantibus irruebant.*

Aug. contra Gaudent. l. 1. c. 28.

A ſemetipſis perſecutionem paſſi.

Aug. ubi ſupr.

Digitized by Google

bant. Vouebant autem Pagani iuuenes Idolis ſuis, quis quot occideret. At iſti gregatim hinc, atque inde confluentes, tanquam in amphitheatro à venatoribus more immanium beſtiarum venabulis ſe oppoſitis ingerebant, furentes moriebantur, putreſcentes ſepeliebantur, decipientes colebantur. Præter hæc ſunt ſaxa immania, & montium horrida prærupta voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata veſtrorum: aquis, & ignibus rarius id agebant, præcipitijs greges conſumebantur ingentes. Ætatis noſtræ hominibus res notiſſimas loquor. Vides ut pertęſi vitę homines alacres ad mortem currerent, & quam immane Martyrii lauream, honoreſque appetentium, ac ſponte carnificinã obeuntiũ in dies numerus protenderetur, ſed quid inde Auguſtinus inferat, videamus.

Obiiciebant ſe cateruatim in amphitheatro tanquam feras ut configerentur.

Prærupta montium præcipitiis miſerorum nobilitata.

Augu. contra Gaudent. l. 1. c. 28 29. 30. Lib. 2. Macab c. 4. Aug. de unit. Eccl. c. 19 & cont. Gaud. l. 1. c. 10. & aliis locis.

11. *Quis neſcit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otioſum, crudeliſſimum in mortibus alienis, viliſſimum cum ſuis maxime in agris territans, ab agris vacans, & victus ſui cauſa cellas circumiens ruſticanas, unde, & Circumcellionum nomen accepit, uniuerſo mundo pene famoſiſſimum Africani horroris opprobriũ? Ex hoc igitur genere quis ignorat, quam multi antea per diuerſas regiones ibant, & peribant, at nunc illorum comparatione, quã pauci ſuis ignibus ardeant?* Cum ſcilicet (ut ſubdit Baronius) Imperatorum legibus iterum Donatiſtæ ab his facinoribus compreſſi ſint; verum enim vero, cum improbi homines Raziæ exemplo è Machabæorum libris mutuato, tam impium, & crudele facinus excuſare conſueuiſſent, ac præ cunctis teterrimum ſpecioſo Martyrii titulo cohoneſtare piaculum, Auguſtinus ſemel, atque iterum amarulento orationis ſtylo perſtringere, eoſdemque confutare coactus, inanis proculdubio gloriæ ſtimulis percitos, hunc in modum ciuſcemodi deliraſſe homines affirmat. Nam Donatiſtarum aſſeclæ hac quidem ratione pſeudomartyres, irrationabiliter prorſus mactatos, ſuaque ſponte occiſos ſepulturæ mandabant, colebantque impenſius uti Martyres, ad eorum ſepulchra conſidendo, &(ut idem refert Baronius) gaudentes, illudque ampullanti ore iactabant, ſe ad eorumdem memoriam orantes ultro e Cœlo exauditos, ſed fallaces delirantium nugas, adinuentoſque dolos, ad animas dumtaxat decipiendas ipſe, qui ſuprà ſapientiſſimis verbis Auguſtinus retegit, refellitque. Ambitio igitur, quę animis ſemel inſederat, intolerandam, ac ſi lex diuina præciperet, ambitioſis hominibus carnificinam nullo legum humanarum coercendam fræno indixit; inſanus enim eorumdem conatus, qui ſub Conſtantio Imperatore initium acceperat, maiora in dies incrementa ſortitus comprimi poſthac nequiuit: ſed propagatis ſectæ erroribus radicem altius fixiſſe viſus eſt. Nec vero increbreſcentibus malis, & tot crebris hominum mortibus, intentata quandoque ipſorum Principum iuſſu profuere remedia, nec ullis improbi pœnis à pœna, quam auidiſſime præoptabant, requirebantque impenſius, compeſci valuere; tamdiu enim ſceleratorum in ſe conſpirantium error inualuit, quouſque perfidæ in orbe ſectæ dogmata viguere, adeo ut tranſmarinis etiam regionibus praua cum ſuis erroribus ſecta, ac carnificina pariter innotuerit; nam de his Philaſtrius his verbis meminit.

Circumcelliones qui fuerint.

Baron. ubi ſupra.

Raziæ & Machabæorum exempla perperam intellecta. Mach. l. 2. c. 4.

Nugax hæreticorum iactantia de precibus auditis apud ſepulchra pſeudomartyrum. Baron. loc. cit.

12. *In Africa* (inquit) *ſunt qui circuitores dicuntur: hi circumeunt terras: & quos inueniunt in via cogunt eos, ut interficiantur ab illis, dicentes ſe deſiderare pati Martyrium: & ſub cauſa hac multi*

Philaſt. de hæreſ. c. 86. Exercita latrocinia pſeudomartyrii ſpe. Theod. hæret. fabul. l. 4.

Digitized by Google

Biothanati: qui fuerint.

multi latrocinantur interdum. Quidam autem ex his velut Biothanati moriuntur, ſeſe dantes in præcipitium, diuerſumque ſubeunt calamitatis interitum. Adeo autem peſſimorum hominum in exambienda morte pertinacia, facinoſorumque eiuſcemodi fama percrebuit, ut ſua ubique venena diffundens, & tam longinquis quam proximis vaſtitatem regionibus indicens, Orientalium itidem auribus inuiſæ tum ſectæ, tum crudelitatis ſeſe portentum infuderit. De his enim Theodoretus iſthæc: *Nouum*, inquit, *inſaniæ genus excogitarunt; violentam enim mortem Martyrium nominant: & qui hanc quidem appellationem aſſequi volunt, id longo ante tempore ijs, qui idem ſecum ſentiunt, ſignificant. Illi autem eos omni genere officij obſeruant, eiſque inſeruiunt; & omne ciborum genus afferunt, veluti quadam ſacrificio deſtinata animalia præpaſcentes, & pinguefacientes. Cum diuturno autem tempore in his delitijs laute, & opipare vixerint, cogunt eos, quos in vijs inuenerint, lethalia eis vulnera enſe afferre; & nonnulli quidem inſtitutum aſſequuntur, alij vero ab eo excidunt. Quis enim ſanæ mentis in ſe cædis manifeſtæ crimen ſuſceperit? Inſtar Coribantum itaque furentes, ac debacchantes, ſe ex alto præcipitio deorſum præcipitant. Ego autem interim, dum de Arrianis loquor, volo aliquid lepidum, quod in his euenit, enarrare. Cum enim permulti ex ijs inſtar phaſianorum adſtipati, in generoſum quemdam iuuenem incidiſſent, deinde nudum enſem ei porrexiſſent, iuſſerunt, ut eis afferret vulnera: & ſe eum interfecturos minati ſunt, niſi imperatum faceret. Is autem dixit ſe vereri, ne aliquibus occiſis, qui ſupereſſent, pænitentia ducti, pænam cædis ab eo exigerent: oportere itaque prius unicuique eorum vinculum imponere, deinde ſic enſem adigere. Cum illi autem acquieuiſſent, & vincula accepiſſent: cum virgis omnes cecidiſſet, eos vinctos relinquens abijt. Eis verò hanc phrænesim immiſit malus dæmon.* Hæc Theodoretus de Donatiſtis, qui ob unam Martyrii lauream phræneſi tam perdite laborabant, contendebantq; vehementius, ut ſpõte morti occurrerent, quos, indomitas veluti belluas catenis potius, quam dictis, argumentiſque ad coarguendum, euincendumque appoſitis, & non ſecus ac furioſos homines, ac regi neſcios arctioribus mancipandos vinculis, fuſtibuſque, ut ſanam recipiant mentem, valida manu plectendos, nemo ſanæ mentis non videt; His autem coronidis inſtar Baronii verba, condignamque mori exambientium capiti coronam ſubteximus:

Theod. hæret. fab. lib. 4.

Significato voluntariæ mortis conſilio colebātur muneribus.

Vacabāt delitiis dein in mortem ruituri.

Intentata mors iuueni, ni ipſos occideret.

Paſciſcitur ille, ut prius conſtringantur funibus. Sponte conſtrictos egregie virgis cædit.

13. *Vidiſti igitur* (inquit) *& conſideraſti nullum unquam non dico Chriſtianum Imperatorem, ſed nec Scytham, & immaniſſimum quemuis Tyrannum de Donatiſtarum ſceleribus valuiſſe adeo crudeles pænas ſumere, quas ipſi, ſibi ſponte ferali animo intulere.* Hęc nobis interim opportune de Donatiſtis impontenter adeo Martyrii palmam, ſuorum propudio ſcelerum affectantibus enarraſſe & peſſimas tot perditorum hominum mortes, qui inſano ad præoccupanda Martyria deſiderio ferebantur recenſuiſſe ſatis ſit.

Baron tom. 4. an. 394. n. 56

14. Verum enim vero, ut enarratis hactenus non nulla ſubtexamus: Vna eſt, quæ cunctas hæreſes genuit earumdem mater ſuperbia, tumidęque mentis elatio, & ſola, ſola, inquam, ambitio, & pertinacia eſt, quę adulterina hæreticorum dicta, dogmataque proſcribit: *Malunt quippe hæretici* (Auguſtino teſte) *ſententiam etſi peruerſam ſemel aſſertam defendere, quam ſemel mutare defenſam.* Hinc cum olim ſub Clemente huius nominis V. Templarii hę-

Ambitio ac ſuperbia hæreſum omnium mater

Aug. de Doct. Chriſt.

Rainald. an. 1313. n. 39.

reſis

Digitized by Google

reſis incuſati, confeſſi inſuper, & iam conuicti fuiſſent, verũtamen poſt iudicii,examiniſq; diligentiſſimi trutinam, cum, ut quod pridem confeſſi fuerant, dictis ratum haberent abſolutionis impertiendæ gratia, requirerentur, obſtinaciſſime eorum magiſter una cum ſocio ultricibus velut impœnitens addictus flammis nunquam prius confeſſa rata habere voluit,ſed obſtinatiore animo pertinax incendio, ut par erat, miſerrime abſumptus eſt,ambitione videlicet permotus ſibi apud adſtãtes nominis comparandi, ut Bernardus in Regũ Francorum chronico his verbis: *Anno* (inquit) *Domini M. CCC. XIII. in vigilia B. Gregorij Papæ in die Lunæ Pariſijs fuit combuſtus magiſter Ordinis quondam Templi, cum quodam alio magiſtro eiuſdem quondam Ordinis præceptore, qui tamen fuerunt prius cum peritorum & Prælatorum conſilio ad agendum aliam pœnitentiam iudicati. Sed audiens Rex Philippus & Curiales Conſilij, quod dicti Templarij confeſſiones ſuas reuocabant dicentes ſe falſa fuiſſe confeſſos,eoſdem Templarios indilate perdicti fecerunt ad locum ſupplicij, & comburi iudicio alio miroue expectato. Erant autem Pariſiis præſentes duo S.R.E.Cardinales.* Hæc ille, etſi perperam nonnulli recentiores, & præ cæteris Paulus AEmilius Scriptor, Templarios oppreſſos, pluraque inſignis conſtantiæ, ac innocentiæ ſub vitæ finem argumenta dediſſe affirmet,oblitus nimirum qua,& in abolendo Templariorum Ordine Clemens Pontifex ob eorumdem ſcelera, hæreſimque, qua notabantur,iudicii maturitate proceſſerit.Hæc autem ſunt auctoris verba. *Sunt auctores non obſcuri Iacobum Burgundionem Ordinis Principem,cum productus ad ſupplicium, circumfuſa ingenti multitudine, dum pyra extruitur, ſtaret,propoſita vitæ ſpe, ac*

Bern.in chron Reg.Franc.

Perditi homines ambitioſe Martyrium ſubeũt

impunitate,ſi quæ in cuſtodia faſſus de ſe, ſuiſque eſſet, nunc quoque confeſſus veniam publice peteret, huiuſmodi verba feciſſe: Ego nunc ſupremis rebus meis, cum locum mendacio dare nefas ſit, ex animo veraque fateor, me ingens in me, meoſque ſcelus conſciſſe, ultimaque ſupplicia cum ſummo cruciatu promeritum, qui in gratia, quorum minime decuit, dulcedineque vitæ flagitia impia, ſceleraque ad tormenta ementitus ſum in Ordinem meum, de Religione mea optime meritum: nec mihi nunc vita opus eſt precaria, & nouo ſupra vetus mendacio retenta. Et in rogo impoſitum, ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad exprimendam ſcelerum confeſſionem, ne tunc quidem cum reliquo corpore depreſſo vitalia fœdo nitore torrerẽtur, ab huius orationis conſtantia deſciuiſſe, aut mutatæ mentis ullam ſignificationem præbuiſſe, neque ipſum, neque duos cum ipſo ſupplicio affectos nobiliſſimos eius Ordinis viros, quorum alter erat Delphini Allobrogis frater. Hæc ille. Mattonus autem addit horum cineres temere, velut Martyrum à nonnullis collectos, ſed valde horum uterque hallucinatur, cum illi iam de praua hæreſi conuicti, faſſique maturo Sedis Apoſtolicæ iudicio, ut Rainaldus tradit, ignibus addicti fuerint, eorumdemque Ordo iuſtiſsime ſit ob immania ſcelera abolitus. Verum quod perditi homines adeo conſtanter ignis ſuplicium ſubierint, tolerauerintque, pertinaciſsime in ipſorum erroribus menti, & diabolicis artibus tribuendum eſt; hæretici enim inanis aucupandę apud populos laudis;& ob conſtanter toleratos ignes glorię,vel innocentiæ præmonſtrandæ, iactandæque obtentu, id facere conſueuerunt; imo ut veritatis,non falſitatis aſſerendæ cauſa tam libenter deceſſiſſe ab omnibus crederentur. Quod & Donatiſtę

Viuus mauult ardere, quam hæreſim eiurare.

Vt Martyres perditi nebulones à ſuis habiti, eorumque cineribus honor delatus

Donatiſtæ iam pridem, ut vidimus, præſtiterant, ipſos quoque id ipſum ambitionis cauſa, præſtitiſſe comprobatur.

15. Haud enim perfidi quamplures hæreſum ſectatores, æque in tuendis ſemel arreptis, aſſertiſque dogmatibus, ac in ſubeundo ſupplicio ambitioſi deſuere, qui diabolo errorum magiſtro, dolorumque architecto afflati, ad mortem læti, hilareſque, non ſecus ac ad Martyrium, coronamque prodirent, ut Hocſemius de muliere præſertim his verbis narrat; *Multi eò tempore in Auſtria fuerunt in diuerſis locis combuſti, qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſime uſque ad mortem cum magna hilaritate permanſerunt: inter quos puella una ſpecioſa, nomine Giſla dum iam eſſet cremanda, interrogatur à Iudice ſi adhuc eſſet virgo. Quæ coram omnibus reſpondit: Super terram adhuc virgo ſum, ſub terra vero minime: credebant enim fatui, virgines ſub terra non poſſe deflorari, etiamſi à mille viris cognoſcerentur, neque tale ſtuprum eſſe peccatum.* Infelix autem adoleſcentula tam feſtina, ac hilaris ad rogum proceſſit, & conſtanti adeo, obſtinatoque animo paratum ſibi ignem ſubiit, ut prunæ flores, & epulæ ſibi tormenta viderentur, nec iam à dæmone ad rogum; ſed ad nuptialem læta thalamum properaret, nec tam ad pœnam, quam ad Martyrii coronam, diabolo eius in malo pertinaciam inuſitato gaudio, atque alacritate, iuxta id quod extrinſecus apparebat, eludente contenderet.

Illu ſi à diabolo hęretici ob laudes exambitas.
Trithe. chro. Hirsaug.
Hocſem. l. 6. c. 31.
Rainald. an. 1318. n. 44.

Puella hæreſi viciata conſtanter reſpondet Iudici, & pęnā non refugit.

16. Porro ſicut hæretici omnes, uti in ſuis prauis aſſerendis dogmatibus faſtu elati, pertinaces ſunt, ita in pœnis quoque eorum nonnulli, ac in mortis ſupplicio ſibi iuſte inflicto ſubeundis ambitioſiſſimi, obſtinatique fuere. Quod certe nonniſi diabolo, qui malorum inſtigator eſt, auctore contigit, ut nimirum tanta in tormentis conſpecta taliter pereuntium alacritate, falſis apud rudiores homines dogmatibus, quę ſuorum conſtāti morte obfirmabantur, omnimoda fides adhiberetur. Et certe nebulones perditos nonniſi auræ popularis aucupandæ gratia id præſtitiſſe conſtat, ut Krantzius de hęreticis in Vvandalia igni addictis his apud Rainaldum verbis refert: *Iam* (inquit) *per Vuandalicas urbes diffuſa erant venena ſacrilegarum hæreſum, quæ ſe paulatim oſtendere, atque prodere cœperunt ad multorum perniciem, iam hoſte maligno vindicante, quod dudum pulſus his regionibus fidei Catholicæ cedere cogeretur. Sūdis repertus eſt preſbyter, qui pertinaciter errores noxios tueretur, ab Inquiſitore conuictus, monituſque ut reſipiſceret, in errore perdurauit; quocirca curiæ traditus ſæculari pœnas dedit per ignem, anteà ad iuris normulam degradatus.* Portentoſum ſubinde hæreticę mulieris in ſuis tum erroribus, tum pœnis pertinaciſſimę etiam incendio traditæ è vita deceſſum his verbis ſubtexit; *Roſtochij inde comperta eſt mulier ſimili pertinacia in erroribus indurata, & cum nequaquam reſipiſceret, igni concremanda damnatur. Iam ſtabat ſupplicio proxima ad ignem, cum filius eius, Frater Ordinis Ciſtercienſis cum lacrymis, & ſingultibus matrem moneret, rogaret, & obſecraretur, ne ſe temporali, & æterno traderet incendio, reſipiſcens dum tempus ſit, indignabunda in eum mulier reſpiciens toruis oculis: Abi, inquit, deterrime mortalium: nunquam tu hoc utero portatus, his & lactatus mammillis: pro certo ſuppoſitus es adulterinus. Sic etiam ſuos diabolus Martyres ad ſupplicia fortes facit. Abijt ille triſtis, & lacrymis infuſus. illa igni iniecta concrematur. Et ne vicinia Viſmaria felicius ageret, comperit*

Diaboli ars in hæreticis alacriter mortem ſubeuntibus.

Rainald. an. 1403 n. 13.

Presbyter hæreſi vitiatus conſtanter pœnam ſubiit.

Krantz. Vandal. 10. c. 8.

Idē qui ſupr.

Mulier igne admoto alacriter pœnā ſubit, filioq; monenti inſultat.

Digitized by Google

Diabolico plane impulſu conſtãtes fiunt in pœnis hęretici.

tranſiens idem Inquiſitor Bernardum quemdam ſocium Lubizani Vuilelmi eadem vanitate pertinaciſſime delirantem, ut quondam ille monitum, conuictum, damnatum, nihil emendatum iuſſit Curiæ prouenire ſæculari, quæ illum digno conſumpſit exitio concrematum. Superbia enim, quæ homines in præceps ad praua conſtanter aſſerenda, pertinaciuſque tuēda dogmata impellit, ipſas etiā inter pœnas Martyrii conſequendi ambitioſos, immobiles in ipſiſmet ſuccēſis ignibus, conſtanteſq; facit, adeo ut impii, non pro impietate, ſed pro veritate aſſerenda ab inſipiētibus inflictas ſibi pœnas pati credantur, ipſorumque pertinacia, virtus credita, tum ipſos, tum ſpectatores conſtantiſſime per viſum decipiat. Quod pręcipue in his Vualdenſium, ſeu Catharorum hæreſeos ſectatoribus, ut ſupra narrauimus, contigit, de quibus ultimo iam ſupplicio addictis, & tam obſtinate morientibus Rainaldus tradit: *Inualeſcentem (ut videbatur) hoc anno in Vuandalia hæreſim, Cenſorum fidei diligentia flammis deletam: quamuis dæmon ita ſuos faſcinaret, ut Martyrum conſtantiam externa ſpecie æmularentur.* Diabolus quippe uti in malo, quod ſemel elegit, inflexibilis perſeuerat, ita eos, quos ſuis ſemel dolis afflauit, ne ad bonum aliquando ſeſe vertant, inflectantque, totis neruis adnititur, anxiuſque contendit.

Vualdenſibus hęreticorum perfidia, ac in pœnis cõſtantia cum Martyribus contendere viſa eſt. *Rainald. an.* 1403. *n.* 22.

17. Demum ut funeſtum viri præ omnibus ambitioſiſſimi ad paratum ſibi rogum, pœnamque promeritam, non ſecus ac ad Martyrii palmam feſtinantis Lectori exitum proponamus; Ioannes Hus Vuicleffi hæreſibus viciatus Pragæ, adulterinum veluti germen ab Archiepiſcopo è ſinu Eccleſiæ proiectus, multipliceſque maledictorum ſibilos in Pontifices congerēs, populoſq; ſuis dicteriis nō tā demulcere, quam dementare aggreſſus eſt. At homo callidus Hieronymum Pragenſem ſociū ſibi ad errores ſeminādos aſciuit, & qui pridē Vuicleffi hęreſes damnauerat, Pragenſibus Vuicleffi errores damnātibus palam obſiſtere auſus non eſt. Verum turbido Germanis Doctoribus aſtu Praga depulſis, nefariis cōcionibus ſubdolus cauillator plebem deſtruere potius cæpit, quam inſtruere, magiſq; docendo corrumpere, quā erudire. Nec vero Pontificum Romanorū vigilantia ab inſectando homine deſtitit, qui ſuis potiſſimum ſectariis id pro dogmate ſuggerebat, ut iugibus, Pontificem videlicet, & Indulgentias maledictis proſcinderent, adeoque ipſe una cum ſuis perfidæ conſtanter ſectæ doctrinam defendit, ut pro ſua hæreſi interemptos non ſecus ac Eccleſię Martyres ſuis ambitioſe colendos proponeret; quapropter trium ex his, condigno affectorum ſupplicio cadauera, pompatice, uti ſacras Martyrum reliquias circumduxit, & qui Chriſti Martyres contemnebat, hæc Huſſitis delirus nebulo veneranda proponere non dubitauit. Infelix vero, ac ſuos inter errores cæcutiens nouas ad peruertendum populum quæſtiones in medium proferens, Pontificem in publicum odium adducēdum curauit, ſanctorum item Doctorum ſententias truncando, prædictos omnes, qui hic plectuntur, ſaluari ex illo permotus oraculo docuit: *Non iudicabit Deus in idipſum*; & in Romanam præſertim perditiſſimus homo Eccleſiam, ob damnatas Vvicleffi hæreſes oblatrare non deſiit: nec vero praua eius dogmata à Pragēſibus Theologis ſine iuſto proſcriptionis calculo præteriēre, ſtatutis inſuper in eius ſectatores pœnis; interim vero ipſe una cum illis ſpecioſo Euangelii nomine erroribus impoſito, publiciſque

Ioannes Hus Vuicleffi imbutus hæreſi Pragenſes peruertere conatur. *Rainald. an.* 1408. *n.* 70. *& ſeqq.*

Pro hęreſi interemptos velut martyres colendos, eorúque reliquias honorandas voluit.

Rainald. an. 1416. *n.* 18.

Hæretici turbas pro ſuis erroribus tuendis excitant.

eiſque interdictus concionibus in ſua, magis pertinacia perſtitit; verum edictis Ioannis xxiij. promulgatis, pulſuſque Praga à Venceslao, Bohemicum populum ad ſeditionem concitauit, cœptaque poſtmodum in Conſtantienſi Concilio cauſa hominis diſcuti, ipſe ad judicium euocatus, eo audaciæ prolapſus eſt, ut ſuis ipſe iudicium accuſatoribus apud Concilium indicere ſit neutiquam veritus. Qui ſubinde ad dicendam in Concilio cauſam comparens, Catholicę veritatis fulgorem æquis haud oculis ferens, ſtraminibus ſe, nedum fraudibus contectum alio diuertere cupiens, fugam arripuit; perfidiſſimus item Conſtantiæ diuina profanare auſus, atque Epiſcopi imperia contemnens, datam ultro ſibi à Sigiſmundo fidei ſyngrapham violauit, comprehenſuſque in fuga, & fugam iterum tentans, cuſtodiæ traditus, Huſſitis pro eo tumultuantibus, ibidem ſe iudicio ſiſtere compulſus eſt: Dei autem prouidentia factum eſt, ut nebulo iudicium non euaderet, ſed eius in Cōcilio cauſa diſcuteretur; qui tandem ſe Concilii decretis ſubmittens, ex ſua, & Hieronymi conuerſione publicam cunctis lætitiam præſtitit, conſultumque eſt, ut ambo in Sueuiæ Monaſterio honorifice, damnatis ante erroribus, retinerentur; at interim cum id impii facere detrectarent, Huſſus ad vomitum reuerſus, ſe Vvicleffi errores, articuloſque prædicaſſe affirmare non timuit, ſcriptiſque ſuis conuictus doloſus hypocrita, etſi impudens ſe pariturum pręferret, iterum in impietatē relapſus eſt, & licet omnes ad illum ab impietate reuocandū artes adhiberētur, impius in eam mentis perfidiam venit, ut quæ ſemel ſcripſit, nunquam ſe improbaturum, ſcriptiſque ſuis potius, quam Concilio inhærere velle, & exuri malle, quam ſe ab errore reducere palam, conſtanterque affirmaret. Multa vero, immaniaque impietatis dogmata ſolemnia apud illum fuere, quorum ut pręcipua afferantur, non aliam Eccleſiam, quam prædeſtinatorum agnouit, Petri primatum abnegauit, confuſamque Eccleſiaſticā hierarchiam aſſeruit, cenſuras Eccleſiæ contempſit, ſuoſque errores ob id potiſſimum damnare abnuit, ne ſectatores ad Eccleſiam, in quam infenſiſſimo erat animo, reuerterentur. Tandem deſerto fidei ſolemni ritu, Sacerdotii exutus inſigniis, Cæſari puniendus traditur, qui papyracea mithra, hęreſiarchæ inſcripto nomine redimitus, ubi ad locum ſupplicii ventum eſt, antequam rogus accenderetur, perditus homo, ut ſibi proſpiciens, eiurata hęreſi vitæ parcat, admonitus, neutiquam his vocibus aures adhibuit: quippe qui iam ſuam Diabolo animam, mentemque deuouerat, & qui ambitioſe ad rogum, tanquam ad thalamum, à diabolo deceptus, alacriter conuolaſſet; rem igitur ſibi optatiſſimam cum gaudio aggreſſus, incredibili non tam conſtantia, quam mentis perfidia, haud abſimili magorum, quos dęmon perurget, confirmatque alacritate, paratum ſibi rogum intrauit, adeo ut, quod illi iam ante prędictum fuerat: *Prius exuſtum iri, quam reſipiſceret*, in homine ſuis tunc in erroribus immobiliter perſiſtente adimpleri contigerit, cuius ſubinde cineres in Rhenum proiecti, animaq; tartareis ignibus addicta, perpetuam hæretico homini infamiæ notam inuſſere.

Vir perditus veritatis lucem peroſus ſe abſcondit

Proteſtatur perfidus ſe quod ſcripſit, nunquam retractaturū

Antequā rogus accēderetur, monitus fixus, immobiliſque in erroribus perſtat.

Hæretici hominis cineres in Rhenū proiecti.

18. Atqui miſer iam in Concilio Conſtantienſi productus, rogatuſque ut Ioannis Vvicleffi, quos tenuerat, eiuraret errores; *Ipſe ut erroneam* (inquit Coclæus) *hæreſim Ioannis Vuicleffi probabilem, credibilemque faceret, in talia*

Coclæus hiſt. Huſſit. l. 2.

 verba

Ioannis Vvicleffi hæretici ãteſignani errores approbat, laudatque ſectatores eius: Rainald. an. 1405. n. 40.

verba prorupit coram populo dicens publice: O utinam anima mea eſſet ibi ubi eſt anima Ioannis Vuicleff, & paulo poſt reſponſum à Ioanne Hus datum his verbis proſequitur: Et quod aliter non ſciat, niſi quod prædictus Ioannes Vuicleff fuerit bonæ vitæ: ſed neſcio, inquit, ubi ſit anima eius; ſpero eum eſſe ſecurum, & non timeo, quod ſit forſan damnatus, velim tamen in ipſa ſpe, ut anima mea eſſet ibi, ubi eſt anima Ioannis Vuicleffi. Cumque hoc in Concilio dixiſſet Ioannes Hus, cæperunt omnes eum quam maxime deridere, mouentes capita ſua. Hæc ille, quibus homo, mendaciis utpote refertus, ac ſuis in dictis parum ſibi conſtans, imo manifeſtiſſime pugnans deprehenditur. Atqui dum ſubinde profugus, & Conſtantiæ detentus ſe retractaturum errores, & contraria his docturũ promiſiſſet, necnõ à Patribus vinculis ſolutus, veritatis haud lucem ferens, ſtraminibus undique tectus, & in ruſticano curru latitans aufugeret, Conſtantienſis Conſul forenſi ſatellitio ſtipatus eum fugientem inſequutus, latitantem cõprehendit, cumque ad Epiſcopale palatiũ perduceretur, illi à Latzemboch, vt apud Cocleum traditur, reſponſum eſt: *Ita decretum eſt, vt cauſam tuam iuſtifices, ne ſit hæretica, aut moriaris, ni reuoces.* Sed cũ ille ex equo diſſiliens fugam iterum tentaret, à forenſibus apparitoribus tentus in Prędicatorum ædibus cuſtodiæ traditus eſt: nec vero abſque diuino nutu eius fugam prępediri contigit, ut Coclęus his verbis narrat: *Quod ſingulari Dei nutu, & prouidentia factum eſſe arbitrer, ne Hus in Bohemiam rediens maiora perpetraſſet, aduerſus Clerum, & Eccleſiam mala, quam unquam perpetrauerat antea.* Impius quippe tam immani in Eccleſiam odio ęſtuabat, vt eam funditus perdere conaretur. Sed cum damnato in Concilio Vvicleffo ſe quoque ſuos retractaturum errores dixiſſet, res plena lætitiæ Patribus viſa eſt, adeo ut iuxta id, quod apud Coclæum legitur: *Velle ſe, inquit, & hæreſes reuocare, & contrarium prædicare; ob id itaque compulſatum fuiſſe ter omnibus in urbe campanis in ſignum lætitiæ loco cantici: Te Deum laudamus.* Atqui poſtea dictis, callidus, & promiſſis non ſtetit.

Apud Cocl. l. 2. Propoſita illi pæna, ut hæreſim abiuret.

Promittit ſe hæreſim execraturũ, ſed fefellit.

Apud Coclæum l. 2.

19. Homo igitur in erroribus pertinax iuſtiſſime à Concilio damnatus, flammiſque addictus, ut in ſuis tum erroribus, tum pœnis ambitioſus videretur, & ne ſcandalum (ut dicebat) ſectatoribus faceret, retractare, quod ſemel docuerat, ſe non poſſe affirmauit. Hæc enim in Conſtantienſis Concilii actis habentur: *Reperto Ioannem manere in peruerſitate ſua, & dicentem, quod propter homines, quos docuit de oppoſito non vellet abiurare, ſed millesies comburi, quia ob eius abiurationem generaretur ſcandalum illis quos docuit de oppoſito. Quibus & ſententia his verbis concepta à Concilij Patribus ſubtexitur: Præfatum Ioannem Huſſum hæreticum fuiſſe, & eſſe hæc ſancta Synodus pronunciat, & tanquam hæreticum iudicandum, condemnandum iudicat, & condemnat.* Demum condigna perculſus ſententia, ſolemni ritu Sacerdotii inſigniis exutus, exauctoratuſque Sacerdotio Cæſari ab Epiſcopis, ut iuſtitiæ in eo ſtatueret exemplum, traditus eſt, ut Cocleus his verbis tradit: *Rex ait ad Ducem Bauariæ Ludouicum Electorem, qui pomum aureum tenebat: vade recipe eum; qui recipiens illum, tradidit eum lictoribus capite tonſum, & alto pileo papyraceo coronatum, cui inſcriptum erat: Hic eſt Hæreſiarcha:* nonnulliſque interiectis de ſignis à ſceleſto hypocrita pietatis adulterinæ editis, & iactatis ab eo falſis in teſtes querelis, ſupplicii eidem illati

Extant in actis ſeſſ. 15.

Coclaus hiſt. Huſſit. li. 2.

Hęretico homini iam exurendo titulus ſe dignus inſcribitur.

Palo alligatur.

illati meminit: *Suis*, inquit, *à lictore exutus veſtibus, ligatis poſt tergum manibus, affixo in terram palo alligatus eſt in medio rogi: priuſquam vero rogus incenderetur, adequitarũt Dux Bauariæ Ludouicus, & Dominus de Papenheim, admonentes eum, ut adhuc reuocaret, ac ſuæ parceret vitæ.* Cum igitur fruſtra Patres, ac Principes vna ad perfidum hæreſiarcham à ſuis abducendum erroribus operam nauarent, nolletque hæreſim abiurare ad ſectarios in erroribus confirmandos, viuus exuſtus eſt, cineresque à lictoribus in Rhenum proiecti. Sed perditiſſimus hæreſiarcha, pertinaxq; tum ſuis in adhærendo dogmatibus, tum in pœnis conſtanter ſubeundis, diabolo inſufflante, popularem aucupaſſe auram, ſuamque non minuendo exiſtimationem totum ambitionis cauſa viſus eſt præſtitiſſe, ut Niemius, qui præſens erat, his verbis teſtatur. *Nuper, ſcilicet vi. die menſis Iulij prædicti fuit per prædictum Concilium condemnatus, degradatus, & tandem Curiæ ſæculari traditus, & demum igne combuſtus eſt quidam pertinaciſſimus hæreſiarcha, natione Bohemus vocatus Ioannes Huſs Magiſter in artibus, & in Sacra Theologia, nonobſtante quod ſub ſaluo conductu dicti Domini Regis Romanorum de Bohemia huc veniſſet, ipſo Domino Rege tum & præſente; quia dictum Concilium, quod ſic Ioannes Huſs condemnandus foret, conuictus, nec errores ſuos volens reuocare, per longum proceſſum præhabitum determinauit, & concluſit. Alter vero pertinax hæreticus, etiam natione Bohemus, nomine Hieronymus hic captus detinetur, & quod idem iudicium de ipſo fiat, ſicut factum fuit de altero, ut præfertur, præſtolatur; ut quorum communis fuiſſet exceſſus contra Deum, & fidem Catholicam, etiam communis ſit interitus: citius enim mori, etiam morte ſæuiſſima elegerunt, quam vellent à ſuis erroribus reſilire, illoſque iuxta ſanctiones canonicas abiurare, & ſic ipſa Conſtantia facta eſt hoc tempore quoddam purgatorium peruerſorum.*

Niem. in vit. Io: xxiii.

Formula ſententiæ in perfidum latæ.

Perfidia hæreticorum in tuendis erroribus, & in orte ſubeunda.

20. Porro perditus, ambitioſuſque humanarum laudum hypocrita pluraementitæ in medio ſupplicio, ut Huſſitæ referunt, pietatis ſigna, quæ nihil illi profuere, oſtendit, ut idem Cocleus tradit: *Ante ipſum* (inquit) *erat in regno Bohemiæ unus in Chriſto populus, id ipſum dicebant omnes, idem de fide, & religione ſapiebant omnes in eodem ſenſu de Chriſto, & Sanctis eius conſentiebant omnes, idem erat per omnes Eccleſias ubique ritus, una fides, eædem cæremoniæ, eadem Sacramenta. Huſs vero pulcherrimam illam unitatem ſcidit, ac diſperſit, ut in hodiernum uſque diem miſeranda permaneat in Bohemica gente diuiſio. Erat autem diuiſio illa tam grande ſcelus, & immanis culpa, ut vel mille rogi, aut mortes hanc maculam eluere, aut expurgare nequeant. Si ergo Huſs opera illa non ficte, in hypocriſi, propter vanam gloriam, ſed vere, & ex animo, & cordis deuotione fecit, miſerabilis profecto eſt ſua infelicitate, quod tam multum, & gratia pertulit fruſtra, dum miſer à Vuiclefſo deceptus putaret ſe bene agere in tanto diuiſionis ſcelere: ſin vero ficte, & in hypocriſi ſic fecit, ſiue ut laudem, & vanam gloriam captaret, ut ab hominibus videretur conſtans vir, aut ſanctus, ac martyr Chriſti, iuſtam recepit fictionis mercedem,: ſiue ut per hæc ſectam ſuam in ſua doctrina, & in odio contra Clerum confortaret, dignum nequitiæ exitum inuenit. Quocumque autem fecit, & pulſus eſt animo, culpa æternæ mortis ei ſemper adhæret, nam ſiue vere* (*nimirum falſa opinione deceptus*) *ſiue ficte ſic fecit, pertinax in ſuo ſenſu, & in diuiſionis ſcelere in mortem uſque permanſit, peccans per hoc in Spiritum Sanctum finali impœnitentia.*

Cocl. ubi ſup.

Ars & práua hęreticorũ ambitio in ſubeundo ſupplicio.

Obdurati cordis hæretici in malitia uſque ad finem perſtant.

tentia. Nullam igitur ſpem ſalutis ſibi reliquit. Ex quibus haud dubiis commentitia, fraudulentaque hominis tam pertinaciter morientis conſtantia argumentis eluſa eſt, dum haud virtutis amore, ſed ambitionis gratia, eum mortem ſubiiſſe conſtat. Et iure merito in hoc Donatiſtis pſeudomartyribus aggregandus videtur.

Obdurati cordis hæretici in malitia uſque ad finẽ perſtant

21. Verum ipſe, qui Chriſti Martyribus cultum negabat, ſuis condigno affectis ſupplicio Martyrum honores libentiſſime detulit, cum nempe tres ſordidi artifices à Ioanne Huſs ſubornati, veluti ſeditionis auctores fuiſſent, à Magiſtratu comprehenſi, qui Huſſitica prauitate vitiati, Papam Antichriſtum appellare non dubitarant, cumq; Pontificem Blaſphemi hominem, ac Indulgentias maledictis proſcindere non ceſſarent, capitali ſupplicio impietatis pœnas luerunt. *Tum vero Ioannes Huſs* (ut Rainaldus ait) *qui mala doctrina in extremam calamitatem imperitos hoſce homines traxerat, ut popularium animos religionis ſpecie commoueret, nouam exorſus eſt tragœdiam; ſuis enim ſectatoribus, quos faſcinarat, ſtipatus, interemptorum blaſphemorum corpora rapuit, aureoque panno circumuoluta veluti Martyrum, qui pro Chriſto, non pro dæmonis, & Ioannis Huſs cauſa ſanguinem fudiſſent, & per urbis plateas, & Eccleſias circumtulit, concinentibus impijs nefandæ ſectæ Sacerdotibus: Iſti ſunt ſancti, qui pro teſtamento Dei corpora tradiderunt; deinde Ioannes in ſacrario ædis, cui Bethleem nomen erat, aromatibus condijt, ratus ſeditioſorum ſanguine nouam illam ſuam Eccleſiam conſecraſſe, deque miſerorum infelici ſorte triumphauit, conſcripto Libro, in quo Danielis de martyribus oraculum ijs ſcelere cæſis accommodauit.* Quibus præſtitis ſuos, ut pro tuenda eius doctrina, ac dogmatibus vitam ultro, libenterque praua martyrii ambitione illecti profunderent, his verbis hortatus eſt:

Rainald. an. 1411. n. 5.

Nebulonum corpora pro ſceleribus mactatorum honorifice ab hæreticis habita.

22. *Contradicentes* (ait) *Antichriſti diſcipulis mẽdacibus in gladio corruerũt, alij autem exponentes ceruices ſuas pro veritate martyrizati ſunt, captiuati, carcerati, & trucidati, & tamen veritatem Chriſti non negauerunt tam Sacerdotes, quam laici, & mulieres: Benedictus ſit ergo Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui abſcondit viam veritatis à ſapientibus, & reuelauit ea laicis ſimplicibus, & paruulis ſacerdotibus, qui eligunt magis Deo, quam hominibus obedire, &c.* Hæc ille peſſimus hypocrita, qui dum pietatis laruam præſeferens, vilem plebeculam in exitium adblandiendo impelleret, tam immane delirans, ut nouam ſuperſtitionem condens, blaſphemiarum reos ob ſcelus iure necatos, uti Martyres coleret; conſecraretque, tetraque nebulonum cadauera, ſacras veluti reliquias populis veneranda proponeret; veterum autem Sanctorum, quos pro Chriſto Martyrio affectos, inſignitoſque uniuerſa colit Eccleſia, uti viliſsima putentium cadauerum oſſa, execraretur, proiiceret, conculcaretque; ut apud Coclæum his verbis in eum proclamando traditur: *Iacentium* (inquit) *rebellium corpora ſub mediaſtino tranſtuliſſe, & cum ea, quæ ſibi videbatur, ſumma reuerentia ad cathedram ſuæ ſuperbiæ capellam dictam Bethleem detuliſſe ſuiipſius, & ſcholarium ſuæ ſocietatis ſanctæ obedientiæ contrarijs, clamoroſis, & altiſſimis vocibus uſque ad inferni nouiſſima concrepantibus: Iſti ſunt ſancti, quibus ſic inductis per te in capellam illã, tantum feciſti popularis tui fauoris concurſum, ut non ſolum illorum ſic iuſte decollatorum ſanguinem linteis, maxime Beguinæ tuæ, & quidam alij extergerent, ſed quaſi præ illorum ſanctitate, & potius*

Cocl. ubi ſup.

Hæreticorũ uti Martyrũ reliquię à perfidis habitæ.

Rainald. an. 1410. n. 16.

Steph. Pal. apud Cocl hiſt. Huſſit. l. 1.

Quibus blaſphemiis eorum corpora ſint excepta.

tius pertuſa ſaccitate lamberent, ita ut te largiente, & te donante locus ille tuæ cathedræ ſummus non tam Bethleem, ſed ad tres ſanctos per te, ac per tuos complices vocaretur. Quouſque Deus, improperabit inimicus? irritat hic aduerſarius nomen tuum in finem; ecce qualis, & quam manifeſtæ ſanctitatis illorum rebellium indicia ſancta inuenit mater Eccleſia, ut Huſca magiſter ille audeat tam miſerabili præſumptione ſācta & occulta tua indicia diſcernere, & homines, utique temporali, (& ſi æterna; tu noſti, Domine,) pœna dignos ſuæ vertiginis auerſione in populis ſanctificare; reuertere, Huſca magiſter, qui ſic in aliis volitas, ut incueamur te. Ecce tua, & tuorum prædicatio venerationem ſanctorum oſſium iuxta ritum Eccleſiæ ſanctæ cum tuis reprobat dicens, quod ſanctus Venceſlaus modico, id eſt, fratricidio regnum promeruit Martyrij, & hic cum ſanctis alijs, quos Sacerdotes & Monachi prædicant, habent unius ſancti multa capita, multa brachia, & diuerſa oſſa, quæ ubique non ſanctorum, ſed vilium cadauerum eſſe potius reputantur, &c. Et poſt plura in rem pręſentem allata, & hominum, qui impie martyrum reliquiis inſultare ſunt auſi, prolatū exemplum, hęc ſubdit: *Iā vide quomodo contra ſanctæ Eccleſiæ ritum latrones recenter iuſtificas, & ritum ſanctæ matris Eccleſiæ honorabiliter, ac rite à priſcis temporibus ſeruatum hactenus vilificas, quæ in toto terrarum orbe ſanctorum reliquiæ hinc inde perlatæ, & traditæ, ſalua fide Catholica iam honorabiliter venerantur.* Impius igitur condignum Beatorum Martyrum reliquiis cultum denegans, ac nebulonum ſuorum cadaueribus impenſe illum impertiendo, pro ſuis tuendis dogmatibus haud fugiendum; ſed exambiendum ultro Martyrium, non tam verbis, quàm factis ſuadere adnitebatur. Quamobrē

Execranda impiorū in ſuorum reliquiis colendis audacia.

Denegabant cultum Martyribus, & nebulonum cadaueribus tribuebant.

Idē qui ſupr.

& ipſe dum condictū ſibi, tanquam hæreticorum anteſignano, tam auide, conſtanterq; rogum ſubiit, ambitione dumtaxat illectus ad pęnam cucurriſſe viſus eſt, ut illud iure merito adimpleretur, quod à Patribus decantatum eſt: *quia habet & diabolus Martyres ſuos.*

Diabolus habet & ſuos martyres.

23. Atqui Hieronymus Pragenſis perditæ Ioannis Hus doctrinæ ſectator, eiuſque in proſeminandis hęreſum dogmatibus fidiſſimus ſocius, qui & impias Ioannis Vvicleffi hęreſes promulgans, eius ſectā, iuſtā, ſanctā, catholicamque aſſerendo iactabat. Ea tandem pręditus arrogantia, ſupplicio pro ſceleribus addictus, tam alacris ad tormenta proceſſit, ut non ad rogum, ſed iam ad epulum; nec tam ad pœnam, quàm ad triumphū pręgaudio feſtinare videretur; hæc enim de eius ſupplicio Theodoricus Niemius in ſuis hiſtoriarum paginis tradit: *Tandem ipſe Hieronymus dignis digna recipiens, hic finaliter condemnatus de hereſi, & etiam curiæ ſæculari traditus, eo ipſo die, qui fuit Sabbathi, xxx. menſis Maij, hora decima ſpiritum, igne combuſtus, miſer efflauit: & dum ligatus duceretur ad mortem, cantauit publice ſymbolum, videlicet Credo in unum Deum, &c. licet tarde, & concinne loquebatur, quouſque deceſſit, ſeu os ad loquendum potuit aperire; obſtinatiſſimus in prædictis ſuis erroribus in vita, & in morte, præſumptione diabolica, & damnabili perſeuerans.* Pertinacia vero ingens, qua miſer mortem ſubiit, pro conſtantia ab hęreticis falſo habita eſt: quæ vero, & qualis fuerit, Poggius Florentinus meminit, dum exceptis errorum inſaniis, eius dotes hunc in modum recenſet: *Non laudo (inquit) ſi quid aduerſus Eccleſiæ inſtituta ſentiebat: doctrinam admiror, rerum plurimarum ſcientiam, eloquentiam, di-*

Rainald. an. 1416. n. 21.

Niem. in vit. Io: xxiii.

Hieronymus cum ad rogū duceretur, ſymbolum ambitioſe decantabat.

Pog. Florent. epiſt. ad Leonard. Aretin. pag. 116.

Digitized by Google

cendi ſuauitatem, & argutiam reſpondendi: ſed vereor, ne hæc omnia in peſtem ſuam ſibi fuerint à natura conceſſa. Datum deinde ſpatium pœnitendi biduo, multi ad eum acceſſere viri eruditiſſimi, ut ipſum à ſententia dimouerent, inter quos Cardinalis Florentinus eum adijt, ut eum flecteret ad rectam viam: ſed cum pertinacius in erroribus perſeueraret, per Concilium hæreſis damnatus eſt, & igni combuſtus eſt. Ex quibus obfirmata hominis in ſemel arreptis hæreſum erroribus, obſtinatiſſimaque mens, dum audacter è carcere ad pœnam, ac ſi ad Martyrium proſiliret, innotuit: & non tam in pænis conſtantiam, quã in malo pertinaciam perditi prorſus, deſperatique animi (cunctis id quod hęreticis ſolemne eſt) indicium fuiſſe conſtat. Qui etenim ſuo dumtaxat iudicio ſuffultus, contemptaque Eccleſiæ auctoritate, ſibi de vitæ innocentia, ac dogmatum veritate gratulabundus adblandiebatur, abſoluendum ſe potius, quam damnandum, plectendumque, totius Concilii calculo ratus, non tam pœnam timere, quam coronam exambiſſe videbatur: quamobrem in illa tunc audaciſſimus verba, temeritatis faſtu prorupit: *Ego pro innocentia mea paratus ſum aperte, & publice coram toto Concilio, ut ſcripſi, reſpondere, & puritatem fidei meæ orthodoxæ oſtendere: & ſi compertus fuero in aliquo errore, aut hæreſi, ex tunc non recuſo pœnam pati, prout erroneum, ſeu hæreticum decet.* Miſer igitur, hæreticorum more, plus ſuo, quam alieno iudicio tribuens, eo ad rogum tripudio, ementitaque animi conſtantia, vultuſque hilaritate cucurrit, ut velut innocens, veluti Catholicus, ac ſibi de fidei, quam profitebatur, dogmatibus bene, ut ſomniabat, conſcius, paratumq; ignis paruipendẽs ſuppliciũ, immutata prorſus facie decantaret publice fidei Symbolũ, & ac ſi res alioqui optatiſſima ſibi contigiſſet, omni metu procul abiecto, ad cæteros in errore obfirmandos, comparandamque ſibi popularem, vel inter moriendum auram, in aperta lætitiæ ſigna proſiliret; quod quidem diaboli potiſſimũ arte à perditis plerumq; hominibus præſtitũ eſt, ut quos hi docendo ſupplãtauerant, eoſdem & moriendo magis magiſq; deciperẽt: ęque enim hęreticorum, quam tum viuentes, tum morientes præſeferunt, doctrina mendax, ac lætitia fallax, & conſtantia inconſtans ſemper extitiſſe comprobatur. Et hæc de ambitioſis deſertoribus ad martyrium, dæmone prorſus inſtigante, immo rectius ad promeritum ſupplicium, perditionemque currentibus dixiſſe voluimus.

Nihil ex mora, & dilatione ſupplicii miſer proficit

Ext. in act. die 27. April. an. 1416.

Perfide ambitioſus pie ſuorum dogmatum tenore, ſingularemque ementitus animi conſtantiã emoritur.

Fallax hæreticorũ cõſtantia.

CAP. VIII.

Ambitionis cauſa bonis operibus incumbentes.

1\. QVICVMQVE eius curæ, ac induſtriæ, fructum, quẽ colendæ innocentiæ, probitatique, & cæteris bonis artibus inſumerent, in caducis potius honoribus, inanique apud homines gloria, quam in puræ, caſtæque mentis conſcientia, diuinæque gratiæ ſuauitate reponunt: ii vero adeo multum operæ, ac laboris pretium faciunt, ut iacturæ bonorum, quibus exercentur, operum ruinam plerumque ipſi ſuam adiicient, aduerſus quos aculeatis verbis Chryſoſtomus: *Hi multoties* (inquit) *capti à vana gloria omnia perdiderunt*; non ſecus ac pretioſis onuſtæ mercibus naues, poſt ſuperatas haud ſemel procellas, certum in ipſo, quo tandem appulerant, portu naufragium faciunt. Ita

Chryſoſt. hom.

Poſt ingẽtes labores aliqui à vana gloria capti omnia perdunt.

Digitized by Google

Ita profectò infelices iſti de bonis, quibus Dei beneficio pręcellunt, ſtolidè intumeſcentes, ſub ipſo virtutum commercio, earumdem pretio non tam releuātur, quam pondere oppreſſi calamitoſæ ſo. tis diſpendia incurrunt: ſed quem denique humanæ gloriæ cupidi poſt exantlatos labores, ac triumphos exitum ſortiantur, videamus; de uno enim conſpicuæ probitatis viro hæc Cæſarius refert.

Cæſarius miracul. l. 12. cap. 19.

2. *Non multi anni ſunt elapſi, quod quidam ditiſſimus Miniſterialis Ducis Bauariæ defunctus eſt. Nocte autem quadam caſtrum, in quo uxor eius dormiebat, ſic concuſſum eſt, ut terræ motus fuiſſe videretur. Et ecce oſtio cameræ, in qua illa iacebat, aperto, quodam gigante nigerrimo eum capillis impellente, maritus ingreſſus eſt. Quem cum vidiſſet, & nouiſſet, ad ſe illum vocans, ſuper ſedile lecti ſui eum reſidere fecit. Nihil vero territa, eo quod frigus eſſet, & ille ſola camiſia indutus eſſet, partem operimenti ſui ſcapulis eius ſuperpoſuit. Quem cum de ſtatu ſuo interrogaſſet, multum triſtis reſpondit. Pœnis vere æternis deputatus ſum. Ad quod verbum illa valde multum territa reſpondit. Quid enim eſt, quod dicitis? Nonne eleemoſynas magnas feciſtis? Oſtium veſtrum peregrinis omnibus patuit. Non proſunt vobis beneficia iſta? Reſpondit: nihil mihi proſunt ad vitam æternam, eo quod ex vana gloria, non vero in charitate illa facta ſunt. Quem cum de alijs interrogare vellet, iterum reſpondit. Conceſſum eſt mihi tibi apparere, ſed nō licet morari. Ecce ductor meus diabolus foris ſtat, expectans me. Si enim omnia folia arborum verterentur in linguas, tormenta mea exprimere non poſſent. Poſt hoc euocatus, & impulſus, in eius abſceſſu totum caſtrum, ut prius, concutitur, voces, eiulatus eius diutius audiuntur.* Omnis igitur egregiorum operum fructus mortalium iſte infeliciſſimus, gloriolæ dūtaxat aucupandæ ſtudio, necnon arrogantię vitio iacturam peſſimem fecit: adeo ut unde ſolidam ſibi apud ſuperos in Dei regno mercedem parare potuiſſet, perpetuam inde gehennam, pœnamque nullo circumſcriptam fine receperit.

In Bauaria hominis dānati oſtenſū.

Pia opera ex vana gloria facta negat ſibi profuiſſe.

Si omnia nemorū folia vertantur in linguas, negat omnia ſua tormenta poſſe exprimi.

3. Nec mirum: ambitioſi quippe homines, qui fauores, ac hominum laudes totis iugiter velis conſectantur, quantumuis inſipientium oculis pretioſas virtutum merces congregare videantur, eas tamen, ac ſeipſos una cum illis inutili tandem labore perdunt, proiiciuntq;: nam ut appoſite ait Propheta: *Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Quid enim homini prodeſt ad paſcēdos aliorū oculos virtutem foris præ ſe tuliſſe, ſi de cętero quiſpiam mendax, vitiorumque intus in cute ſectator, ac ſeruus, virtutem, eiuſque pretium prorſus odiſſe comprobetur. Quamobrem Monachus, qui praua, inſanaque bonis exercendis operibus ambitione inſtabat, dum improbus pudicitiæ candorem in cute dumtaxat, ſpurciſſimam vero intus animam gereret, poſt mortem denique Deo reuelante de facie agnitus, quidquid ad mortalium eludendos, fallendoſque oculos præſtiterat, nil ſibi niſi ad pœnam ſub vitæ finem profuiſſe monſtrauit, de quo iſthæc apud Nicephorum: *Leone magno imperante, Euthymius vir moderatus, & moribus perquam ſimplex floruit. De quo hiſtoriæ illud memorant: cum Monachus quidam moreretur, qui egregiam virtutis, & caſtitatis famam obtineret, impudicus autem prorſus eſſet, ſanctum hunc virum, angelum horrenda ſpecie, tridente graui animam illius crudelem in modum è corpore extrahentem vidiſſe: & vocem ſimul cælitus occulta turpitudinis facinora aperte reuelantem audiſſe.* Ex quibus mortalium neminem in vita, neminem, in-

Agg. c. 1.

Ambitio virtutis meritū, ac bonorum operū mercedē furatur.

Niceph. l. 14. hiſt. Eccl. c. 32.

Monachus ambitione vitiatus, vitia viuens abſcondit, cælauitque.

Qui laudandus, poſt mortem laudandus eſt.

quam, adhuc in ſtadio currentem, contendentemque in agone, ſed poſt mortem, ſupremamque vitę periodum ſe, ubi ad metam pertigerit, coronamque à Deo receperit, laudandum eſſe innoteſcit: *Tunc* enim (ut ait Apoſtolus) *laus erit unicuique à Deo*: Cui & oraculum illud egregie concinit: *Lauda poſt mortem, lauda poſt victoriam.*

1. Corinth. 4.

4. Huic iure merito Monachus alter aggregandus eſt, qui etſi ieiunaret frequentius, inanis tamen gloriæ cupiditate paſci, ac ſaginari videbatur, cibis autem occulte vētrem opipare farciebat, & ut ſanctus vulgò haberetur doloſus abſtinens, clandeſtinuſque epulo in aliū ſe plane hominē transformabat; at infelix ſubinde è vita exitus epulonem perditum, nebulonemque prodidit: ut Gregorius his verbis tradit. *Iconij quidam Monachus magnæ exiſtimationis habebatur: bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni actione ſua compoſitus: ſed ſicut ex fine res patuit, longe aliter, quam apparebat, fuit; nam cum ieiunare ſe cum Fratribus demonſtraret, occulte manducare conſueuerat, quod eius vitium Fratres omnino neſciebant. Sed corporis ſuperueniente moleſtia, ad vitæ extrema perductus eſt. Qui cum eſſet in fine, Fratres omnes, qui in Monaſterio aderant, ad ſe congregari fecit. At illi, ut putabant, tali viro moriente, magnum quid, & delectabile ſe ab eo audire crediderunt. Quibus ipſe afflictus, & tremens compulſus eſt prodere, uti hoſti traditus cogebatur exire. Nam dixit: quando me vobiſcum credebatis ieiunare, occulte comedebam, & nunc ad deuorandum draconi traditus ſum, qui cauda ſua mea genua, pedeſque colligauit: caput vero ſuum intra os meum mittens, ſpiritum meum ebibēs trahit: quibus dictis ſtatim defunctus eſt, atque ut pœnitendo ſe liberare potuiſſet à dracone, quem viderat, expectatus non eſt.* Qui igitur bonis intentus operibus ad comparandam ſanctimoniæ famam, conciliandoſque ſibi Monachorum animos, oculoſque ieiunabat, ementitę callidus abſtinentię ad fallendum uſus aucupio, tartareo demum draconi miſerandum in modum, ſuo nil releuatus ieiunio, in eſcam ceſſit.

Monachus clam epulo, palam ieiunus ambitioſe videri voluit. Greg. l. 4. dialog. c. 18.

Sub vitæ finem ambitionem ſuam Monachis detegit.

Diabolus, qui ambitio ſum feduxit, morientem excipit.

5. Haud abſimile item eſt, quod alteri ex familia Eremitarum D. Auguſtini contigit, qui popularem crebris, iteratiſque ieiuniis gratiam ambitioſiſſime aucupari ſatagens, ieiunus tandem à mercede, vacuuſque omnino præmiorum ſpe abſceſſit; ut in geſtis Alphonſi Arragonum Regis his verbis traditur: *Cum Alphonſus Rex Aragoniæ, & Neapolis eſſet apud AEnariam, in quam cum victoria Aphricanum malum intulerat, & inaudito genere peſtis laboraret exercitus, renunciatur ei inter cæteros Antonium Picentem Ordinis Eremitarum nobilitatum poſt mortem hypocritam per ſummos cruciatus animam exhalaſſe, iactando plurima in Chriſtum Dominum, & Virginem eius Matrem conuicia, atque blaſphemias. Hic eſt ille Antonius, qui quadraginta dies & noctes perpetuo ieiunare ferebatur, qui Italiam, Siciliam, atque Hiſpanias compleuerat nomine ſanctitatis, & abſtinentiæ; plurimis locis cella præcluſus, & à cuſtodibus obſeruatus nihil edens, aut bibens, quoniam in præuiſa, & prætenta cella, in qua nihil quod vel obſeruare liceret, ineſſe videretur. Cæterum angelos ei quotidie miniſtrare, ac confabulari ſolitos opinabatur. Verum ipſi intus in cella erant candelæ craſſiores, exterius quidem, & ſuperfuſoriæ ceratæ: ſed in quibuſdam fiſtulæ cannarum concludebantur farina inpaſtæ, quia ex contritis phaſianorum, ac caponum carnibus, ſaccaro, ac aromatibus immixtis condiebantur. Aiunt & cingulum geſtaſſe fiſtulatum plenum nectare, quod Hippocraticum vocant. His epulis clanculùm*

Alter Monachus præ honoris, & famę æſtu ieiunabat.

Anr. Panorm. l. 2. de do geſt. Alphonſ. c. 2.

Ambitioſus hypocrita ieiunare videbatur à cibis, non ieiunus autem à laudū cupiditate.

culum veſcebatur, vir habitus, æque ſanctus, & mortalium omnium, qui unquam fuerunt, aut eſſent, vulgi opinione abſtinentiſſimus. *Is igitur cum renunciaretur Regi, vermiculis, & acerbiſſimo genere mortis abſumptus, dixiſſe fertur: propterea Deum in hypocritas tantopere ſæuire, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipſum tanquam ſceleris mediatorem: ideoque utplurimum viuentes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine feſelliſſent, ut intelligant mortales à tali monſtro ſibi maxime cauendum eſſe, quod Deum ipſum, nedum poſt mortẽ, ſed etiam in vita ipſa haberent indubitatum ultorem.* Peſſimo igitur fine verſipellis iſte, impiuſque ieiuniorum cultor vitam abrupit, qui ob fictę auſteram abſtinentiæ regulam, ementitęque ſanctitatis pręrogatiuam dignus Angelorum conſortio habitus, attamen præter omnium ſpem, expectationemq; grata dęmoni victima, ac dignum illi pabulum ceſſit; dolis quippe, quos ſua pietate ambitioſus circúferebat, detectis, laruaq; tandem ſublata, totam nequitiæ ſuę fraudem aliorum oculis perditus patefecit, quam ſuis, ut par erat, lacrymis minime abſterſit.

Perditi tecnæ in ſimulanda abſtinẽtia, & laude affectãda.

A vermibus ambitioſus monachus abſumitur, & diabolo cibus euadit,

6. Enim vero, cum iuxta diuinum illud Chriſti depromptum ore verbum: *Nihil ſit opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non ſcietur*; qui bonis operibus perfunctorie dumtaxat intendunt, ſanctitatiſque umbram, ac ſolum religionis nomen, non rem, virtutemque ex animo, & bonam potius apud homines famam, quam bonam apud Deum conſcientiam quærunt, retecto tandem improbitatis pallio. Pręter bonorum operum iacturam, certam denique pro mercede pœnam, & pro lucris diſpendia conſequuntur. Quod mulieri contigit, quæ cum nonniſi vano ambitionis illecta fuco bonis iugiter operibus inſudaret, magnamque ſibi apud omnes exiſtimationem, ingenſque inſuper auri pondus elucrata, exitiales demum adumbratæ pietatis cauſa, & ex congeſto hactenus auro flammas, certumque animæ diſpẽdium comparauit, ut apud Turonenſem his verbis deſcribitur: *Mulier quædam* (inquit) *ſub ſpecie religionis vacabat ieiunijs, orationibus inſiſtebat, vigilabat pertinaciter, ac loca ſancta deuotione ſimulata circuibat aſſidue. Cumque in hoc colore iuſtæ vitæ duraret, immenſas opes à multis ſuſcipiebat, congregabat aurum quotidie, & quod deuotio Chriſtiana pro redimendis porrigebat captiuis, loculis addebat ocultis, & quæ dabantur inopum neceſſitatibus profutura, iniquis marſupijs condebantur: nam effoſſa mulier humo in medio cellulæ ollam immenſam impoſuit: ibique cum aliquid datum fuiſſet, recondebat diligenter, ac lapide ſuperpoſito claudens, ut nulli pateret occultum. O terque quaterque, & obiter execranda cupiditas, quæ luce fraudans homines demergis in tenebras! Quid plura (cum olla impleta fuiſſet nummis, huic mulieri tempus reſolutionis aduenit, mortua vero Deo migrans ſepulta eſt in Inferno, poſt cuius exequias Sacerdotes qui aderant, puellam eius familiarem interrogant, quid de tanta feciſſet pecunia, aut ſi ea erogãda tẽporis ſui permiſit ſpatiũ. At illa reſpondit, nunquam ſe vidiſſe, quod ulli inopum manus miſericordia porrexiſſet: aut quid pecunia data deueniſſet, ignorare ſe confitetur: unum tantum ſcio, ait, quod in cellula deportatum, repertum foris ultra non vidi. Hæc audientes clerici ſtupent, & quid ex hoc factum fuiſſet, diligenter inquirunt, totumque crebris ictibus pauimentum tundentibus, locus in quo occulta iacebat pecunia tinnitum dedit impulſus, cauoque reſonans, prodit quæ latebant; & ſtatim remoto lapide inuenitur auri congeries: & clerici ſtupentes*

Matth. 10. 26.

Ambitioſorum tecnæ, & fraudes deteguntur.

Greg. Turon. l. de glor. mar tyr. c. 106. Mulier deuotionem ſimulans, ambitionem autem excolens multa ſupra ſexum præſtitit.

Ingentes pecunias ob ſimulatã ſanctitatem cõgregat.

Poſt mortẽ ambitio perdita, & auaritia pariter reuelatur.

pentes tantæ ſubtilitatis peruerſitatem, Epiſcopo quid actum fuerat, indicant. Ille vero commotus iuſſit reſerato ſepulchro pecuniam ſuper corpus exanime proiici dicens: Sint tua tibi, quæ congregaſti: pauperibus vero Chriſti non deerit unde ſuſtententur: Nec mora, cum prima quies nocturno tempore data fuiſſet, audiebantur voces è tumulo, fletus, & ululatus immenſi, inter quas voces hoc maxime reſonabat, ſe miſeram, ſe infelicem, quæ auri conſumebatur incendio. Denique cum per triduum hæ voces adueniente nocte reſonarent populis non durantibus ad Sacerdotem venitur. At ille accedens iubet tumuli opertorium amoueri, ſubmotoque videt aurum in fornace reſolutum in os mulieris ingredi cum flamma ſulphurea. Tunc Sacerdos orauit ad Dominum, ut, quia malitia eius populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam iuberet ceſſare à corpore, & operto tumulo diſceſſit, voceſque mulieris amplius non ſunt auditæ. Hæc Turonenſis. Melius itaque ſuis mulier rebus conſuluiſſet, ſi opes, quas vel nolens, inuitaque amittere potuerat, magno deſpiciens animo, Chriſtianæque humilitati addicta ſolidas ſibi in cœlo virtutum diuitias comparaſſet, iuxta illud Chriſti oraculum: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, & furantur.* Sed miſera multis in ſæculo congeſtis, tandē nil ſibi ſeruauit, niſi pœnā.

Pecunia ſuper defunctę corpus futura ei in perditionem abiicitur.

Matt.6.20.

7. Etenim Chriſtiani nedum religioſi, qui non charitatis, ſed ambitioſi dūtaxat faſtus gratia, miſericordiæ opera, exercent, fructu tandem ſuo, ac mercede fruſtrati, inopes ex hac vita decedunt, ac perennem pro futili, quam concupierant, laude confuſionem, calamitatemque referunt, iuxta id quod Sapientis ore decantatum eſt: *Opera eorum inutilia, labores eorum ſine fructu.* Et congrue: qui enim non Deo immortali, ut par eſt, placendi ſtudio, ſed popularis aurę, fauoriſque aucupandi gratia, eximia Chriſtianæ charitatis, ac miſericordię opera exercent, inde procul dubio pœnam lucrantur, unde magnam ſibi apud Deum mercedem promereri potuerant; *Tanta quippe eſt charitatis virtus* (Auguſtino teſte) *ut etiam Prophetia, & Martyrium ſine illa, nihil eſſe credantur.* Oleum igitur, & operam ambitioſe miſericordes iſti, at erga ſe dumtaxat immiſericordes, una cum ſuis cunctis operibus perdunt, adeo ut qui ſub pietatis, ac religionis pallio iſthæc pręſtant, duplici quidem apud Deum obnoxii piaculo habentur; & quod inique præſtiterint quæ iuſta ſunt, & quod blando honorū aucupio illecti virtutes abiiciēdo prodegerint. Pietatis igitur apud Chiſtianos opera eſſe interdū abſq; charitate poſſunt, at habentibus, ad meritum, ad vitam, ad coronam prodeſſe minime poſſunt; ambitioſi quippe cum cæteris tandem hypocritis à regno Dei, inutiles veluti palmites, atque infructuoſi in ignem proiiciuntur. Ad quod valide comprobandum, portentoſum ex Capucinorum annalibus ambitioſi Monachi exemplum, Bouerio recenſente, obiicitur, qui dum ambitioſe pius, & erga languentes in Cœnobio fratres miſericors præ cunctis exiſteret, pro ſuſcepti, exhibitique miniſterii labore, quem parum gratus, acceptuſque Numini, & iniquo tum animo, tum manu impendere conſueuerat, gehennam denique ſua pro mercede recepit. Sed eius hic verba excipiamus.

Defugienda in eleemoſynis maxime vana gloria.

Sap.3.11.

Auguſt. l. de utilit. credēd.

Tanta eſt charitatis virtus, ut ſine illa Prophetia, & martyrium nihil ſint.

Exemplum in Capucino ægrorum curatore.

8. *Accidit hoc quoque tempore, ut fratri grauiſſima profecto à Deo pœna inflicta fuerit; qui cum ex officio ægrotos curandos ſuſcepiſſet, eorum charitati, quæ tantopere à B.P.N. Frāciſco in regula commendatur, haud mediocriter deerat: in Peruſino namque conuentu quidam Noſochomij Præfectus,*

Bouer. annal. Capuc. tom. 1. an. 1579. pag. 349. n. 26.

Præfectus, contempta charitatis lege, quæ apud Capucinos ſancita eſt, ut æque infirmis omnibus miniſteria, ac obſequia præſtentur: ſi qui interdum Superiores, aut Guardiani, aut Definitores, aut amici ægrotarent, & ad Noſochomium accederent, ijs omni cura diu, noctuque inuigilabat, ne quid eorum miniſterio, aut curationi deeſſet: cæteros vero gregarios fratres ægrotantes, ex quibus nihil commodi, aut honoris expectare poterat, tam iniqua charitatis lege excipiebat, ut nec illis neceſſaria adminiſtraret: quo fit, ut undique ab ægrotis in eum querimoniæ erumperent: quibus tamen eo minus Superiores credebant, quo illum in ſuiipſorum obſequijs ſollicitiorem videntes, eo plane modo & aliorum curæ inſiſtere exiſtimabant. Cum vero diuinum tempus aduenit, quo exurgeret in iudiciũ Deus, ægrotauit & ipſe Noſochomij Præfectus, ac morbo ingraueſcente iam ad extremum vitæ finem accedebat, cum Guardianus Præfectum hortatur, ut peccata ſua confeſſione eluat: ſpe ille futuræ confeſſionis, Guardianum alebat, induciaſque quotidie quærens, confeſſionem in dies procraſtinabat. At cum Guardianus, certo vitæ periculo, illum ad Pœnitentiæ Sacramentũ compelleret, tãdẽ reſpondet Præfectus. En ut tota anteactæ obſeruantioris vitæ diſciplina in ambitioſo, fictoque homine fabula ſuomet ore conuincitur extitiſſe, ait enim: *Quid me, Pater, ad peccatorum confeſſionem prouocas, quæ nihil mihi prodeſſe valeat? iam pœnitendi tempus elapſum, ſera nimis pœnitentia eſt; iam de mea ſalute actum. Hæc primum Guardianus mentis delirio adſcripſit: at cum ex animo verba illum proferre animaduerteret, Præfectum multis verbis hortatur, ut in diuinæ clementiæ ſpem, animum erigat; nullumque tam graue animi malum eſſe perſuadet, quod pœnitentia non curetur. His Præfectus: noli, inquit, in caſſum eniti, iam Dei iudicio condemnatus ſum, eo quod erga ægrotos, æqua charitatis officia non præſtiterim. Cum enim maioribus, ac Superioribus omni diligentia, ac ſtudio eo tantummodo conſilio inſeruirem, ut ab ijs propria commoda, ac fauores quærerem. Contra in minores tam ſæuus, ac crudelis fui, ut ijs nequidem neceſſaria miniſtrarem; quapropter in tartara mergor. His dictis crudelem afflauit animam, tantuſque protinus ex eo fœtor effundi cœpit, ut plane cunctis intolerabilis eſſet, vixque poſt octauum diem ab eo conuentus liberari potuerit.* Exclamare autem hic libet: O vere miſeros, & maxime commiſerandos eiuſcemodi homines, qui ſeipſos altiſſimo religioſę obſeruantię oceano lacero, ſatiſcentique nauigio committunt, *Qui mercedes ſuas,* ut apud Prophetam decantatum eſt, *congregant, & mittunt eas in ſacculum pertuſum;* quique utpote *viri diuitiarum, dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Nil igitur tandem infelix iſte, poſt exantlatos diutinos in clauſtro ſub multiplici iugo labores, niſi confuſionem, ac certam pro mercede pœnam reuexit.

Spectatis in Ordine viris famulabatur ſtrenue, gregarios deſtituebat.

Morbô implicitus ſacra exomologeſi expiari recuſat.

Negat eam ſibi profuturam.

Diuino ſe iudicio damnatum contendit.

Crudelitatem in ſodales fatetur.

Deſperatus perit, fœtoremque intolerandum efflat.

Agg. c. 1. 7.

Pſal. 75. 6.

9. Demum improbis, ſubdoliſq; interdũ hominibus ſuperinducta pietatis larua, ementituſque virtutum, ac laudabilium operum fulgor nedum ſibi, ſed & cæteris plurimum obfuiſſe comprobatur; detectis quippe dolis, atque impietate demũ reuelata, certã ipſis perniciẽ intulit auctoribus; & ut res excerpta ex hiſtoriarum tabulis exemplo palam fiat: Albati (quorum in Bonifacii Papæ ix. geſtis mẽtio recurrit) inſtructo religioſo agmine, boniſque operibus conſpicui, è Scotiæ partibus Romam venientes, ab eodem Pontifice benigne, humaniterque dum pietatem ultro præ ſeferunt, excepti ſunt: ſed piis impii, ſimplicibus impoſtores, proditores inſontibus, coniuratique in Pontificem ſe immiſcentes, & Vrbem ſuper-

Albati pietatem ſimulantes populos decipiũt.

ſtitioſis,

Raynald. an. 14. 0. n. 52.

ſtitioſis, fraudulentiſque adinuentis ſeducere, ac peruertere conati ſunt. Imaginem enim Crucifixi, quæ horum agminibus præferebatur, ſanguineum fudiſſe ſudorẽ ab ipſis vulgo decantabatur, ut Vualſinghamus in Anglica hiſtoria de Albatis tradit; at Niemius ſubtili impoſtorum arte ſanguineum expreſſum humorem his verbis affirmat: *Anno* (inquit) *decimo eiuſdem Bonifacij aliqui truffatores de Scotiæ partibus ad Italiam venientes cruces lateritias ſubtiliter per infuſum ſanguinem in conſpectu populi exprimentes, dictas cruces etiam olei liquore intus madefactas æſtiuo tempore ſudare fecerunt; & fingentes unum ipſorum eſſe Heliam Prophetam, & de paradiſo rediſſe, mundumque in breui terræ motu perire debere, & totam pene Italiam, Romam quoque, & Campaniam Romanam peruagantes omnem populum miſerabiliter deceperunt; ita quod etiam Preſbyteri, & Clerici, & laici utriuſque ſexus, & pene totus populus in Romana, & vicinis regionibus, necnon etiam quidam Cardinales decepti per huiuſmodi truffatores ſe induerunt ſaccis, ſeu albis camiſijs, necnon cantantes noua carmina per modum lætitiæ proceſſionaliter iuerunt per ciuitates, & loca vicina per tredecim dies continuos antequam ad domos proprias redirent, nocturno tempore cubantes in Eccleſiis, & Monaſterijs, & eorum cæmeterijs, & alijs officinis, illa turpiter deſœdando, necnon penes ipſa repertos fructus in arboribus totaliter deuorando, in quibus quidem proceſſionibus, & ſtationibus maxime nocturno tempore multa fiebant anomala, quia ſenes, & virgines, necnon & mulieres pariter, & virgines abſque praua ſuſpicione ſimul de nocte in eodem loco cubabant, & mane ſurgentes ibant ulterius cantando tota die ſicut die præcedenti fecerant; ſed demũ unus comprehenſus pſeudopropheta in Aquapendenti, necnon ad quæſtiones poſitus ipſe flagitium detexit, pœna docente, quem flamma combuſſit, quod cum acciperent aliqui ex eius complicibus, ne ipſi etiam in locum venirent tormentorum, ab illis partibus clanculo abierunt.* Hæc Theodoricus, qui pietati infenſus, omnes qui religioſas peregrinationes obibant, deceptos, deceptoreſque proſcindit, etſi enim aliqui ſubinde pſeudoprophetę prauis impulſi conſiliis pietatem ſimularent, in quos tamen iuſte Pontifex animaduertit, piacularis tamen ille feruor, Sancto Antonino teſte, primum quidem cordi accenſus à Spiritu S. creditus eſt, etſi haud ſemel ſubinde tetros hypocritas ſub alba veſte, & sãctitatis larua latitare deprehenſi ſint.

Theod. Niem. l. 2. c. 26.

Tecnis improbi miracula confingunt.

Populárem auram aucupantes, turpiſſima queque ſubinde perpetrant.

Pſeudopropheta fraudem ſuorum fatetur, atque igni traditur.

10. Enimuero quamplura, & maxima quæque ſub pietatis typo in Eccleſiã mala in dies inueherentur, ſi cuique quantumuis pio homini propria auctoritate religioſos cœtus conflare fas eſſet, ut aduerſus flagellantes egregie Ioannes Gerſon his verbis demonſtrat: *Non eſt malum* (inquit) *quod ſubſiſtere poteſt, ſi non aliquam ſpeciem habet in ſe boni: propterea fallit hæc argumentatio: Proueniunt ex hac ſecta Flagellatorum multa bona, non igitur tollenda, vel reprobanda. Lex Chriſti nedum ordinat hominem ad Deum, ſed etiam ad proximum, & ad Principem, ſeu Prælatum ſuum. Propterea non debet qualiſcumque ritus introduci per populos, qui poſſit cauſare ſeditionem, vel partialitatem, vel ſuperſtitionem: ſed debent omnia regulariter fieri, & ordinate, de mandato, & ordinatione Superioris, ut nullatenus ordo hierarchicus confundatur: quod fieret, ſi quilibet ad arbitrium ſuum poſſet inſtituere, vel fouere nouum ritum ſine duce, ſine lege ſtabili, ſine ordine, ubi ſunt iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, ſimul in unum diues & pauper, & illorum turba magna, de quibus ait Eccleſiaſtes: Stultorum infinitus eſt numerus. Et*

Gerſon tom. 1. contr. flagell.

Nouæ exercitationes quantumuis piæ à populis inductæ examinandæ

infra:

Digitized by Google

infrà: ſub hoc velamine, & prætextu pænitentiæ fiunt innumera mala, ſicut experti teſtantur: inſurgunt hæreſes, vilipenduntur proprij Sacerdotes, contemnuntur confeſſiones, & pænitentiæ Sacramentales, extorquentur doloſis modis pecuniæ, otia quæ pigros occidunt, nutriuntur, ſilemus de furtis, de ſtupris, & adulterijs, de periculis, quæ ſunt in falſis fratribus, & fraudulentis ſollicitationibus ad omne facinus, atque flagitium, itaut bonis, & malis hinc inde ſtatera iuſta, vel æqua lance penſatis, mala multo plura, quam bona parturire cognoſcatur hæc noua ſecta Flagellãtium pridem, & pluries iam damnata.

Ingentia, mala bonis interdum, piiſque operibus admixta.

Hęc Gerſon de nouis iſtis hominum cœtibus, ſpecioſam adeo pietatis normam aſpectu præ ſe ferentibus, qui facile in multiplices ſubinde errores hæreſumque flagitia declinare conſueuere. Iure igitur Albatorum turmas Apoſtolica auctoritate reiectas, diſſolutaſq; fuiſſe conſtat, tum quia pudor fœminarum manifeſto ex tot hominum cœtu diſcrimini pateret, & ſeditioſis hominibus ad noua quęque tentanda aditus aperiretur, adeoque, ut nonnulli tradunt, cum tot Albatorum millia in unum coirent, iure merito, prudenterque Bonifacius Pontifex, occaſione ſchiſmatis pertimuiſſe tunc potuit, ne aliqua in eum coniuratio, Antipapæ ſtudio, doloque conflaretur; nec vero temere timor iſte eius animo obrepſiſſe viſus eſt, cum Nicolaus Colũna, qui religioſa Albatorum hominum inſtituta amplexus, profeſſuſque obſeruantiſſimũ ſe inſuper & amãtiſſimum ſectandæ pietatis fingens, per eos dies ad eum venerat, quibus Albatorum agmina Romam undique confluebant, corruptuſque à Petro è Luna, ingentique facta coniuratione Pontificem per dolos (ut Bonifacius in ſuis epiſtolis queritur) opprimere conatus ſit: præterquam quod cum non facile à piis hypocritæ diſcerni valeant, ſub Albatorum quoque pallio ſordidos, perditoſque hęreticos latitaſſe ex eo innoteſcit, quod & in Germania homo verſipellis plenus hypocriſi deprehenſus ſit, qui alba indutus veſte ſanctitatis ſibi apud populos opinionem concilians, fœminarum præſertim pudicitiæ inhiabat, ac hæretica reſperſus labe ultricibus iure merito flammis addictus eſt. Qui igitur inanis gloriæ cupidi bonis intendunt operibus, virtutemque ſpecie tenus obtendunt, non tam præmium, quam pœnam, nec tam lucem, quam tenebras ac tartari ignem miſeri tandem conſequentur.

Bonifacius Pontifex Albatorum turmas ſuſpectas habuit. *Rainald. an. 1400. n.6.*

Sub Albatorum pallio perfidi quoque hęretici deliteſcant.

Rainald. ubi ſuprà.

CAP. IX.

Antipapæ infeliciſſime pereunt.

1. SPONSA Chriſti Eccleſia, quæ ſingulari diuinæ Sapientiæ conſilio una eſt, unitatemque fidei toto licet terrarum orbe diffuſa retinet, illibatamque cuſtodit velut datam ſibi è Cœlo teſſeram, adulteros plane illos agnoſcit, ſuggillatque uti mœchos, qui ſchiſmata malis artibus excitant, fouentque impenſius, necnon cathedras aduerſus Petri Cathedram erigere, ac impio auſu ſtabilire contendunt. *Adulterari quippe* (ut Cyprianus ait) *Sponſa Chriſti non poteſt, incorrupta eſt, & pudica, unam domum nouit, unius cubilis ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios Regno, quos generauit, aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem, ſi potuit euadere, qui extra Arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris*

Vnitas prærogatiua Eccleſiæ.

Cyprian lib. de ſimpl. Prælat.

Qui ſegregatur ab Eccleſia, exterris eſt à Dei, & Chriſti regno.

Qui extra Petri nauiculam ſunt, naufragãtur.

foris eſt euadet. Qui igitur extra Eccleſiam ſiunt, ac diaboli fraude decepti ſchiſmata inſtaurando, pro Deo idolum, Antichriſtum pro Chriſto, monſtrumque pro vero capite colendum proponunt, certo iam extra Petri nauiculam, addicti naufragio perditionem incurrunt, triſteſque exitus ſortiuntur; quos iam manifeſto Chriſtus in Euangelicis tabulis iudicio deſignaſſe viſus eſt, dum ait: *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.* Inuaſores quippe Pontificii muneris, prędones potius, quam paſtores, ac magis infenſi gregis Dominici hoſtes, quam tutores, ductoreſque ouicularum Chriſti, eiuſque Vicarii pronunciandi ſunt. Qui enim ad animarum regimen prauis artibus aucupandum, occupandamque per vim, ac dolos Petri ſedem adnituntur, hi palam, & quaſi digito à Chriſto pręmonſtrari videntur: *Quotquot* (inquit) *venerunt, fures ſunt, & latrones. Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Hi profecto* (ut Auguſtini verbis utamur) *non intrabant per oſtium, perdere volebant, mactare, & occidere.* At condignum denique latronum inſtar præmium, mercedemque manifeſto abrepti exitio recepere; & ut acceptis ex rerum geſtarum memoria exemplis comprobetur:

Ioan. c.10.1.

Schiſmatici lupi ſunt, non paſtores

Ioan c.10.8.

Aug. tr.41 in Ioã.10.1.

Stephanus vi, ambitione Petri cathedram inuadit.

Baron. to. 10. an.900.n.6.

Sceleris pœnam laqueo luit.

2. Stephanus pſeudopontifex, qui ſeptimus dictus eſt, perditus, ſacrileguſque, nec inter homines quidem, nedum inter Pontifices adnumerandus, utpote ſub Ioanne nono in Romana Synodo damnatus, & bis gradu deiectus, nongenteſimo Chriſti anno Apoſtolicam ſedẽ per ſcelus inuaſit, ſed tandem ſede pulſus inuerſa rerum alea è throno in carcerem infeliciſſime truditur, ubi Dei nutu ſuis condigno ſceleribus ſupplicio affectus, ſtrangulatuſque viuendi finem fecit, quæ quidem ex inſcripto haud obſcure eius ſepulchri epithaphio legenti innoteſcunt, cum alioqui ſuborta temporum caligine, cuncta iſthæc per ſe ſatis obſcura vix apud aliquem è ſcriptoribus conſignata leguntur. Petrus autem Manlius, qui ſub Alexandro tertio floruit, per antiqua ſacræ Vaticanæ Baſilicæ monimenta in unum ſtudioſe libellum congeſſit, ſed rudi ſcriptorum Minerua mendis adeo vitiatum, corruptumque, ut diligenti plurimorum vix præhabita exemplarium collatione, à Baronio noſtro, oculatiſſimo Eccleſiaſticarum rerum Scriptore ſic tandem ſuę integritati redditus, ac expurgatus. Apud Manlium igitur ſepulchralis eiuſcemodi titulus à Sergio Chriſtophori ſucceſſore, ac ipſo item Apoſtolicæ ſedis inuaſore decem poſt annos his quidem notis deſcriptus, exaratuſque legitur.

Petrus Manlius monimenta Eccleſiæ vaticanæ in unũ congeſſit.

Manl. apud Baron.

Illius de Stephano carmen.

Titulus eiuſdem ſepulchralis.

Hoc Stephani Papæ clauduntur membra locello,
Sextus dictus erat, ordine quippe Patrum.
Hic primum retulit Formoſi ſpurca ſuperbi,
Culmina, qui inuaſit Sedis Apoſtolicæ.
Concilium inſtituit, præſedit Paſtor, & ipſe
Leges ſat feſſis iure dedit famulis.
Cumque Pater multum certaret dogmate ſancto,
Captus, & à Sede pulſus ad ima fuit.
Carceris interea vinclis conſtrictus, & uno
Strangulatus neruo exuit, & hominem.
Poſt decimumque regens Sedem, cum tranſtulit annum,
Sergius huc Papa funera ſacra colens.

Hęc ibi.

3. *Et*

Baron. ubi ſupr. n. 6

3. Et iſta quidem, ut ait Baronius, ſacrilegus homo pati meruit (quippe qui ut fur, & latro in ouile ouiũ ingreſſus,) infami tandem vitam exitu, laqueo ſcilicet, Deo ulciſcente abrupit. Porro de hoc idem Baronius: *Non auderem*, inquit, *hunc inter Romanos Pontifices numerare; niſi id & factum à maiori parte inueniſſem, utpote tanto indignum nomine, qui primus, & ſolus nefando, & inaudito ſacrilegio Petri ſedem adeo deturpauit*. Iſte ſiquidem (ut habent acta Concilii ſub Ioanne Papa nono ſuo loco inferius recitanda) vi ſumma, collecto Presbyterorum Cardinalium ſibi ſimilium conuenticulo, Sergio, Benedicto, atque Martino, Diaconis etiam Ioanne, Paſchali, alteroque Ioanne perditis hominibus, ac Pontificię ſepulturæ violatoribus, venerando Formoſi cadauere effoſſo, eumdem è ſepulchro exturbatum, & tanquam viuentem hominem ad tribunal perductum iudicio ſubiici, damnatumque tribus in pœnam digitis amputatis in Tyberim proiici mandauit. Intentatum hactenus apud homines facinus, quod non Chriſtianorum tantum aures exhorreant, ſed & ex auditu inhumanos inſuper, ac feros barbaros, à fide reuocet, & præ ſui immanitate apud cunctos creditu vix dignum habeatur. Neque id pręſtitiſſe perfidus homo contentus, illud inſuper contumelioſum adiecit; ut omnes, qui ab eodem Formoſo Pontifice ſacris fuerant ordinibus initiati exauctoraret. Immane vero portentum, quod in Chriſti Vicarium perpetratum eſt, ipſimet lapides execrati, edita propemodum voce, mutuaque colliſione proclamarunt, ac ſi totum, cui inſeruiebant, labefactari ædificium, ultroneamque pati ruinam mallent, quam Romanam eiuſcemodi ſcandalo quati, ac peſſundari Eccleſiam; tunc enim accidit, ut Sacroſancta Lateranenſis Baſilica, quę cunctarũ Eccleſiarum Princeps, ac prima Romanorum Pontificum ſedes computatur, impulſu dæmonis ab altari uſque ad valuas, ſoluta parietum compage corruerit, ac ſolo propemodum æquata ſit. *Quomodo autem poſſent* (Baronius inquit) *ſtare parietes, tanti facinoris terræmotu primaria concuſſa cardinis petra?* Facta ſunt autem hæc in Baſilica, in cuius patriarchio Stephanus præmemoratus habitabat: in Baſilica vero Apoſtolorum Principis, ubi veneranda Formoſi eiuſdem tumulata pignora condebantur, ſacræ parietibus inſculptæ, ut Luitprandus ait, imagines, Formoſum tunc temporis tam deformi contumelia affectum, manifeſtis utique ſignis venerate ſunt, ut plane ſecundum illud Sapientis acciderit: *Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios*. At nefandum, quod in Formoſi cadauer, Stephano iubente, facinus perpetrari contigit, Luitprandus his verbis commemorat:

Cur in Pontificum numero recenſeatur.

Act. Conc. ſub Ioan. Papa 9.

Horridum ab eo patratum facinus.

Formoſi Pōtificis refoſſum corpus in iudicium produci, reciſiſque tribus digitis proiici in Tyberim iuſſerat.

Initiatos a b eodem Pontifice exauctorauerat.

Euerſa tum Lateranenſis Baſilica terræ motu. *Baron. to. 10. an. 900. ubi ſupra.*

Sap. c. 4. 16.

Luitprand. l. 1. c. 8.

4. *Formoſo defuncto, atque Arnulpho in propria reuerſo, is, qui poſt mortem Formoſi Papæ conſtitutus eſt, expellitur, Sergiuſque Papa, poſt Adelbertum conſtituitur. Quo conſtituto, ut impius, doctrinarumque ſanctarum inſcius, Formoſum è ſepulchro extrahere, atque in ſedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit. Cui & ait: Cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam uniuerſalem ſedem uſurpaſti? His expletis, ſacratis mox exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſſis, quibus benedicere moris eſt, in Tyberim iactari præcepit, cunctoſque, quos ipſe ordinauerat, gradu proprio depoſitos iterum ordinauit.* Hæc ſacrilegus, ſatanicoque furore percitus magno ſcelerum propudio nil veritus præſtitit: etſi enim nullo prorſus humano iure iſthæc in demortuum aggredi, nedum in Chriſti Vicarium attentare

Iudicii forma in Formoſum extinctum temere præſumpta.

tentare fas eſſet, quinimo grande piaculum id pertentans admitteret; impius tamen dęmone afflatus, quod cœcus menti furor ſuaſit, id ultro impleuit: Atqui immanis in demortuum Pontificem, quam alter exhibuit ſæuitia, non tam erroris in his, quæ ad fidem ſpectant, lapſu, quam violentę tyrannidis impulſu proueniſſe creditur. Verum Scriptor pręlaudatus inuiſum, execrandumque reclamantibus cunctis piaculum ex intimis, ut par eſt, præcordiis deteſtatus, præclarum Formoſo, Pontifici ſanctiſſimo, vel dum impius homo fureret, contumeliaſque inferret, redditum è Cælo teſtimonium his verbis proſequitur:

Luitprand. ubi ſupr. Baron. to. 10. an. 897 n. 2, & 3.

5. *Quod* (inquit) *quam male egerit, Pater Sanctiſſime, in hoc etiam animaduertere poteris, quoniam & hi, qui à Iuda Domini noſtri IESV-CHRISTI proditore ante proditionem, ſalutem, ſeu benedictionem Apoſtolicam perceperant, ea poſt traditionem, proprijque corporis ſuſpenſionem minime ſunt priuati, niſi quos improba ſorte fœdauerant, flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ miniſtris impenditur, non per eum, qui videtur, ſed qui non videtur, Sacerdotem infunditur: neque enim qui rigat, eſt aliquid: neque qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque que fuerit religionis Papa Formoſus hinc colligere poſſumus; quoniam dum à Piſcatoribus poſtmodum eſſet, inuentus, atque ad B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam depertatus: Sanctorum quoque imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt: hoc namque à religioſiſſimis Romanæ Vrbis viris perſæpe audiui.* Huc uſque Luitprandus ſacrilegum Sergio facinus impingens, eo quod cunctis ipſe ad illud perpetrãdum anteſignanus, & auctor extiterit. Vbi autẽ Luitprandus, ut iam vidimus, Sergii Papę meminit, memoria lapſus Sergio Papę per ſummum nefas adſcribit, quod pridem à Stephano præſtitum fuerat, ut Baronius ſapientiſſimus hiſtoriarum arbiter ſatis erudite ſuo loco tradit.

Deus Sacerdotis miniſterio fauitatem impertitur. 1. Cor. 3.

Luitprandus ubi ſupr. Relatum in Eccleſiam Formoſi corpus ab imaginibus ſalutatum.

Obſerua adſcriptũ Sergio, quod à Stephano geſtum.

Baron. ubi ſupra.

6. Certe ex præoſtenſis, enarratiſque Formoſi Pontificis, dum vim patitur, magiſque tenebris obduci videtur, ſanctitas è cœlo amplius affulſit; enimuero cui impius probra, ac iniurias intulit, ſacrarum diuinitus exhibito imaginum portento, ſigniſq; patẽtibus editis Deus deſuper benigne annuit, ariſitque, ubi è contra Stephani ceruicicibus pro impietatis mercede non tam coronam, quam reſtem velut proditori ſacrilego intentatam fuiſſe innoteſcit.

Illuſtrata per contumelias impiorum Formoſi ſanctitas.

7. Huic Bonifacius nomine dumtaxat conſpicuus, ſed alteri par ſcelere, Apoſtolicę ſedis inuaſor iure merito ſubtexendus eſt, qui interempto Pontifice, & Vaticana expilata Baſilica, Conſtantinopolim profugiens, cum res ſubinde in Vrbe innouatas, ac Benedictum eius nominis ſeptimum, qui eum ſede expulerat, Ottonemque Imperatorem, cuius maxime patrocinio Ioannes Papa xv., qui Benedicto ſucceſſerat, fouebatur, vita functum audiſſet, Romanam (ut Baronius ait) Petri ſedem iterum inuaſurus ſuorum ſtudiis roboratus aduolauit, ut Apoſtolicam videlicet, quam reliquerat, & præferuide exambiebat, cathedram occuparet; venit igitur ſceleſtus, ſacrileguſque, ac ſuorum factione præpotens, quem pontificio conſidentem throno reperit, dolis uſus, ac armis inde violenter amouens, exturbanſque vinclis arctiſſime mancipatum in tutiſſimam Caſtri S. Angeli munitionem, à ſuis tunc temporis occupatam, non ſecus ac hominem acerbiſſimis obnoxium criminibus, ſupremique ſacerdotii munere õnino indignũ detruſit. Vbi quatuor menſes omni contumelia affectum, ærumniſque

Bonifacius pontificatus inuaſor.

Baron. to. 10. an. 985 n. 1.

Ioannem xv carceri mãcipat.

Digitized by Google

Quatuor menſium ſquallore maceratum fame enecat

ærumniſque contabeſcentem, fame tandem ad malorum cumulum truculentus necauit. At perditus nebulo ſceleri ſcelus addens, haud unum malis artibus Pontificem de medio ſuſtuliſſe contentus, in duos Romanos antiſtites odia,& carnificinã exercẽs,ſemel,atque iterum, ut ſuis potiretur votis, tyrannorum inſtar Petri cathedram ſibi per vim quatuor menſibus vendicauit. Etſi quidem tam impius, tam ſacrilegus,& à ſacerdotali,quod exambiebat,munere adeo alienus, ut Baronio teſte, ne pileum quidem Romani Pontificis, ſiue ingreſſum, ſiue progreſſum reſpicias, reſq; ab eo geſtas altius conſideres,hic unus habuiſſe videatur. Quocirca parum veritati, minuſque Chriſtianæ inſuper pietati, & S.R.E. cultui,ac ſplendori conſulunt,qui hunc Romanos inter Pontifices conſcribendo referunt: utpote famoſos inter latrones potius,ac ſceleſtiſſimos graſſatores, necnon publicæ rei, ac patriæ proditores, Syllas videlicet, & Catilinas, horumque ſimiles iure merito adnumerandum, quos omnes nequiſſimus iſte, turpi, ac ſacrilega duorum Pontificum cęde cruentus ſuperauit.

Baron. ubi ſupra.

Inter latrones,ob duos Pontifices mactatos, reponendus.

8. Ioãnes igitur Romanus Pontifex ob id unũ necatus proditur,ne quid ultra videlicet ſperarẽt, qui Romano Regi inhærentes, eius patrocinio præfidebant: extinctus vero cunctis præ foribus arcis inſpectandus proponitur. Funeſtum ſane ſpectaculum, miſerãdumque Romanis ciuibus exhibitum eſt, dum ipſa ſuperinducta cadaueris macie conclamante, fame enectum Ioannem Pontificem videre contigit. Hæc enim ex perantiquo Romanorum Pontificum codice excerpta, quibus omnes conſentiunt Scriptores,conſulto hic inſinuaſſe voluimus. Porro venerandum Ioannis Papę cãdauer in Vaticanam B. Petri Baſilicam illatum iuxta Ioannem eiuſdem nominis Octauum tumulo demandatum eſt, cuius ſepulchro ſequens titulus inſculptus eſt.

Exponi macilentũ Ioãnis cadauer præ foribus arcis Adrianę iuſſit. Ex antiq. codice Rõ.PP.

Præſulis eximij hic requieſcunt membra Ioannis,
Extiterat dictus, qui antea quippe Petrus.
Sedem Papiæ blando, moderamine rexit;
Imperatori Ottoni dulcis fuit, atque præclarus.
Commiſſum populum Romanum moribus ornans,
. . . .
Eloquio cunctis præſertim dulcis amicis,
Subiectis placidus, pauperibuſque pius.
Defunctus eſt Ioannes Papa menſe Auguſti die 20. Hactenus ibi.

Codex Romanor. PP. Epitaphium Ioannis impolito verſu.

9. At quid poſt hęc omni admiratione dignum acciderit, ex Baronii annalibus excipiamus; Impius quippe pſeudopontifex ac patricida,cum menſes vix quatuor Apoſtolicam, quam uſurpauerat, ſedem per vim, ac dolos detinuiſſet, eamdem inuitus ſubinde, ac nolens diuini Imperii nutu dimittere compulſus eſt: ſiquidem Deo Sacerdotis ſui iniurias ulciſcente, repentino contumelioſus, cruentuſque inuaſor fato è vita abreptus deceſſit. De quo iſthęc in peruetuſto Vaticano Pontificum codice leguntur: *Bonifacius poſt mortem Ioannis ſedit menſes quatuor, repentina morte interijt, & in tantum eum odio habuerunt ſui, ut poſt mortem cæderent eum, & lanceis vulnerarent, atque pedes traherent, nudato corpore uſque ad campum, qui eſt ante Caballum Conſtantini: ita tempore illo antiquitatum Romanarum rudes, equeſtrem ſtatuam æneam Marci Aurelij Antonini Imperatoris, Conſtantini vulgo eſſe dicebant.*) *Ibi proiecere eum,atque dimiſerunt. Tunc mane venientes clerici, & videntes eum ita*

Baron. tom. 10 an. 985. loc. cit.

Cod. Vatic. Rom. Pontif.

Stephani corpus poſt mortem affectus contumeliis.

Digitized by Google

A Cleromi ſetere illius ſepulchro mandatū eſt

ita turpiter, & cum dedecore iacentem cæſum, & lanceatum, collegerunt, & ſepelierunt. Quo tyranno ſublato de medio, licuit legitimum creare Pontificem, electuſq; eſt Ioannes, eius nomine xv, natione Romanus, ex patre Leone poſtea Presbytero, ex regione dicta ad Gallinas albas. Hic finis perditi hominis, ac pſeudopontificis execrandi, qui gladiis appetitus, & tum viuus, tum mortuus contumeliis affectus, diuinam manifeſto in ſe iudicio ultionem exarſiſſe comprobauit.

10. Cœterum ut nonnulla interim, apteque in rem præſentem his noſtris paginis inſeramus, tum ex his, qui pſeudopontifices dicti, pontificium culmen per ſummum nefas inuadentes, Antichriſti potius in Eccleſia, quam Chriſti locum tenuere, tum etiam ex iis, qui in Apoſtolicum Petri ſolium quoquo modo ambitione adducti ſeipſos intruſere, miram, prędicandamque Dei prouidentiam agnoſcere fas eſt, quæ ſub huiuſcemodi non tam hominibus, quam errorum, hominumque portentis, Romanæ Eccleſiæ, ut Chriſti fuerat repromiſſum oraculo, Apoſtolicam fidem, ſediſque ſupremæ dogmata, auctoritatemque iugiter illibatam ſeruauit; haud enim religioni Orthodoxę ex vitioſorū conſortio vitiorum quidquam irrepſit, vel certe integritati, ac ſplendori eiuſdem imminutum eſt: licet per ſe lugubrem, deplorandamque Romanæ Eccleſiæ faciem Gerbertus, ſiue Arnulphus Aurelianenſis, qui his temporibus vixit, orationis ſtylo adumbrans, & quos eadem Chriſti Sponſa tanto prorſus indignos faſtigio adulteros magis, quam ſponſos, & lupos potius, quam paſtores ſuſtinuit recenſens, minus apte aliquando locutus videatur, hęc enim ait. *Sed o lugenda Roma, quæ noſtris maioribus clara patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus monſtruoſas tenebras futuro ſeculo famoſas offudiſti. Olim accepimus claros Leones, Magnos Gregorios, quid dicam de Gelaſio, & Innocentio, qui omnem mundanam philoſophiam ſua ſapientia, & eloquentia ſuperant? Longa ſeries eorum eſt, qui ſua doctrina mundum repleuerunt; eorum itaque diſpoſitioni, qui vitæ merito, & ſcientia cunctos mortales anteirent, recte uniuerſalis Eccleſia credita eſt, quamuis & in hac ipſa felicitate hoc priuilegium ſibi ab Africanis Epiſcopis contradictum ſit; has credo, quas patimur miſerias magis, quam typum dominationis formidantibus, numquid ſub hæc tempora non vidimus?* Ex quibus iure merito Gerbertus redarguendus eſt, ut erudite Baronius ſuggerit, quippe qui in ipſis vitę moribus, & in potiſſima ſcientiarum prerogatiua totam Romani Pontificis ſeſe maieſtatem prodere ait, quibus ſi is, qui in Petri ſedet throno deſtituatur, ab omni pontificia pariter auctoritate excidet, ut ipſe haud obſcuris aſſerere, ac verbis inſinuare videtur. *Vbi autem eſt Dominicum illud* (ait Baronius) *oraculum: Facite quæ vobis dicunt, & non quæ faciunt, Quaſi poteſtas ab homine ſit, & non à Deo. Vbi autem eſt, & illud Apoſtoli: Non qui plantat, non qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Ita plane: etſi enim portentoſis corrupti moribus homines Petri aliquando ſedem occupauerint, inibique ad tempus conſederint, haud tamen diuina Orthodoxæ, atque Apoſtolicę fidei norma, quæ uni Deo innititur, in iſtis hominibus nutat, nec ſub deliris eorumdē vitiis Petri nauis naufragiū timet. Sed auctor, cuius ſupra meminimus, pſeudopontificum Ioannis præſertim, ac Bonifacii, quos hactenus recenſuimus, in hæc verba mentionem ingerit.

Quātū nonnulli à ſanctitate prędeceſſorum deſciuerint.

Orthodoxæ religionis incorrupta puritas ſeruata ſub nefariis Pontificibus.

Gerbert. de Conc. Remē. uiſtione 2. cap. 1928.

Baron. loc. ſupra cit.

Poteſtas pōtificia non humana, ſed diuina virtute ſtat.

Matt. c. 3

Ad Cor. c. 3.

11. *Vidimus Ioannem cognomento Octauianum, in volutabro libidinum etiam*

Ioannis Octauiani Papæ impura vita.

Digitized by Google

Gerbert. ubi ſupr. Baron. tom. 10 an. 992. nu. 19.20.21.22. Sæuitia in Romanos,

etiam contra eum Ottonem, quem Auguſtum creauerat, coniuraſſe. Quo fugato Leo Neophytus in Pontificem creatur; ſed Ottone Cæſare Roma diſcedente, Octauianus Romam redit, Leonem fugat, Ioannem Diaconum naſo, dextriſque digitis, ac lingua mutilat, multaque cæde primorum in Vrbe debacchatus in breui moritur. Cui Benedictum Diaconum cognomento Grammaticum Romani ſubſtituunt: eum quoque Leo Neophytus cum ſuo Cæſare non multo poſt aggreditur, obſidet, capit, deponit; perpetuoque exilio in Germaniam dirigit.

Benedictus illi ſuffectus

Is à Leone in exilium pulſus.

12. *Succedit Ottoni Cæſari Cæſar Otto, natura, ætate cunctos Principes armis, conſilio, & ſcientia ſuperans. Succedit Romæ in pontificatu horrendum monſtrum Maleſacius cunctos mortales nequitia ſuperans, etiam ſuperioris Pontificis ſanguine cruentus: ſed hic etiam fugatus, & in magna Synodo damnatus eſt. Poſt obitum dicti Ottonis Romam redit, inſignem virum Apoſtolicum Petrum Papienſis Eccleſiæ prius Antiſtitem, data Sacramentorum fide, ab arce Vrbis deiicit, deponit, ſquallore carceris affectum perimit. Num talibus monſtris hominũ ignominia plenis, ſcientia humanarum, & diuinarum rerum vacuis innumeros Sacerdotes, Dei per orbem terrarum ſcientiæ, & vitæ merito conſpicuos ſubiici decretum eſt?* Vtique, utique (uti inquit Baronius) homini in hoc altius delirãti reſpõdẽs: Vtique, inquam: nam ſi prauos dixeris, Apoſtolus hoc palam indixit dicens: *Obedite Præpoſitis veſtris, etiam diſcolis,* Addit Petrus; *Et quod omnis poteſtas à Domino Deo eſt.* Vt autem doctus indocto ſponte ſubiiciatur, ille, qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde;* ſuo palam exẽplo demonſtrauit, cum ipſamet æterni Patris Sapientia, ipſum Dei Verbum, ipſemet Dei Filius fabro, ac Virgini ſubditus erat, ſed Herebertus indignatione percitus, zeloque exæſtuans, funeſtiora coniungens tempora, miſerandamque Romanæ Eccleſiæ faciem uberrimis deplorat lacrymis, dum Apoſtrophem hanc Arnulphi ore depromptam enarratis ſubtexit.

Gerbert. ubi ſupr.

Bonifacii crudelitas.

Petrus Epiſcopus Papienſis ab arce præceps actus.

Hebr. c. 13.

1. Petri 2. Rom. c. 11.

Mat. 29. c. 11.

Gerb. ubi ſupra.

13. *Quid eſt hoc, Reuerendiſſimi Patres, vel quonam vitio fieri credendum eſt, ut caput Eccleſiarum Dei, quod in ſublime erectum, gloria, & honore coronatum eſt, in infima deiectum, ignominia, & dedecore deturpatum ſit?; noſtrum, noſtrum hoc eſt peccatum, noſtra impietas, qui quærimus quæ noſtra ſunt, & non quæ IESV-CHRISTI.* Cœpit utique, homo iſte, ſi quo modo ſapere, utpote memor, quod ſepe pro ſubditorum meritis, Præſules à Deo regendæ plebi præficiantur; *Qui propter ipſorum peccata regnare permittit hypocritas.* Et populo inſuper comminatur, dicens. *Dabo vobis Regem in furore meo.* Sed quid in eamdem ſubinde Romanam Eccleſiam aculeato ſcriptor ſtylo amarulentus intorqueat, audiamus.

Pro ſubditorum meritis Prælati ſæpe conſtituti. Iob. c. 34. Oſea c. 13.

14. *Si enim in quouis ad Epiſcopatum electo, morum grauitas, vitæ meritum, diuinarum, ac humanarum rerum ſcientia ſubtiliter inueſtigatur, quid in eo, qui omnium Epiſcoporum magiſter videri appetit, inueſtigandum non eſt? Cur ergo in ſumma ſede ſic infimus conſtituitur, ut etiam in Clero nullum habere locum dignus inueniatur?* At quid demum in miſeram, deſpectamq; inſultando effutire audet Eccleſiam?: *Perinde ac ſi ipſa* (ut Baronius ait) *velut quod inuita interdum patitur omni ex parte lugubris, & non potius ipſa reluctante ſit coacta ferre tyrannos, Principes ſeculi huius, qui eadem, quæ hic dicit monſtra in Romanam ipſam Eccleſiam intruſere; laude tamen Romana Eccleſia vel ex hac parte digniſſima comprobatur, quæ eiuſcemodi adiuncta monſtris, nil impium ex hæreticorum doctrinis ſuſcipiens, ſed uniuerſo*

Gerb. ubi ſupra.

Baron. ubi ſupra.

Romana Eccleſia ex monſtris, quæ illi præfuere, nil impium traxit.

ſecundum

Digitized by Google

1. Cor. 11.

ſecundum Apoſtolum, virgo caſtiſſima ſemper remanſerit incorrupta. Verum enimuero dum iſte monſtra odit, execraturque monſtruoſa plane ſunt, ac Chiſtiano prorſus homine indigna, quæ petulanti ore effutiens in Auguſtiſſimã Petri Cathedrã, & Catholicã, illibatamque fidei petram euomuit, utrũque enim haud ex diuinis dogmatibus, ſed ex morum ſignis, & non iam ex fide, ſed ex charitate argumentis dumtaxat futilibus inaniter delirando demonſtrare contendit. Hæc igitur ille.

Excidere illa à charitate, non à fide.

Hareb. apud Baron. loc. cit.

14. *Quid tunc Reuerendi patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea, & auro radiantem; quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur, & extollitur, Antichriſtus eſt in templo Dei ſedens, & ſe oſtendens, tanquam ſit Deus; ſi autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt, à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt*. Hæc ille.

Herebertus nimio zelo impingit in hęreſim.

15. Vides quam ingentem unus hic hominum impudentiſſimus, dum oblatrando ſapiens videri vult, blaſphemiam in medium proferat, ſed ex aduerſo Baronium attende, verbis hiſce ſupinam hominis præfidentiam apposite confutantem. *Quid facis iſta definiens, ut dicendus non ſit Epiſcopus, ſed Antichriſtus, ſi deſtituatur charitate, & non paſtor, ſed idolum, cum & ſcientia careat: plane iſta definiendo, tu definiris eſſe ſchiſmaticus, & hæreticus, teque ipſum in Donatiſtarum claſſem coniiciens, atque inter Pelagianorum ergaſtula claudens Orthodoxos omnes, tam Orientales, quam Occidentales Scriptores Eccleſiaſticos tibi conſtituis aduerſarios, concilia omnia, cunctaque decreta Pontificum, ipſam traditionem, viſum Eccleſiæ, ac denique (ut una ſententia perſtringam) omnia quæ ſunt, aut fuerunt unquam Eccleſiæ Catholicæ membra in te concitas*. Hæc Baronius aduerſus petulantem hominem, qui ſtabilẽ, perennẽque Chriſti cõprobatã oraculo, Eccleſiæ ſupra firmã petram fundatæ ſoliditatem ex alterna indignorum Præſulum, at pſeudopontificum varietate, & ex unius dumtaxat ſcientiæ, & charitatis teſſera, non ex accepta diuinitus poteſtate æſtimandam, definiendamque humanis ſuffultus rationibus aſſerebat.

Corripitur à Baronio.

Baron. an. 991. n. ſup. cit.

Paſtor charitate, & ſcientia orbatus paſtor eſſe non definit.

16. Illud igitur fixum cunctorum animis eſto, nil ex iſtorum pſeudopontificum, qui Petri ſedem occuparunt, vel ex malorum Pontificum, qui rite, ac recte eamdem conſcendentes, inibi aliquando conſederunt, moribus, Catholicæ fidei, ac Romanæ Eccleſiæ dẽptũ, ac eius, qua cũctis prẹeminet auctoritati derogatum fuiſſe (ut enim ait Leo Magnus) *Petri fides vel in indigno hærede non deficit*.

Petri fides vel in indigno hærede non deficit.

S. Leo Papa ſer. 2.

17. At quoniã de ſupremę põtificię ſedis inuaſoribus cõdigno expetitis ſupplicio adhuc ſermo recurrit; Ioannes ex Placentino Epiſcopo à Creſcentio, cuius alibi meminimus, ingenti collata pecuniæ vi, Romanę Eccleſiæ Antiſtes præfixus eſt; funeſto autem exorto inter Gregorium Quintum ſchiſmate, Ioannes hic Placẽtinus uti pſeudopapa, iuſta ab Imperatore Ottone ſupplicia perſoluere cõpulſus eſt, ut Petrus Damianus epiſtola ad Cadolaũ pſeudopapã ſcribens meminit, quippe qui, dum adhuc viueret, mẽbris turpiter obtruncatis, ignominioſe per Vrbem tractus, infelici exitu, & vitam, & pontificatum, quem flagitioſe ambierat, exuere coactus eſt; ſed quid Petrus Damianus ad Cadolaum pſeudopãpam ſcribens, his verbis referat, audiamus:

Ioannes à Creſcentio intruſus.

Baron. to. 11. an. 996. n. 13. 14.

Membris obtruncatus per urbem turpiter circumuehitur.

Petr. Dam. ep. ad Cadal.

18. *Sed ut noueris, quia molimen hoc nequaquam fauſtum concedat in exitum: de propria tibi, atque contigua regione probemus exemplum: Conuincanea autem*

tibi

Digitized by Google

Propoſitum à Damiano illius exemplum Cadaloo.

tibi regio Placentia eſt, cuius Epiſcopus non diu ante noſtram ætatem ſubdolæ calliditatis artifex extitit, & ad inſtar tui, ſubtilitatis, & gloriæ ſatis, ſuperque ambitione flagrauit. Adeo ut prius ante ſe geſtandam, ſicut, & nunc tu agere diceris, crucem argenteam imperaret. Quin etiã cũ Imperatrice, quæ tunc erat, obſcæni negotij dicebatur habere myſteriũ: deinde ſenſim ad maiora proſiliens, ut tandem Apoſtolicam ſedem familiaris ſibi pecuniæ patrocinio violenter inuaderet. Eiecto itaque Gregorio Imperatoris Ottonis utique conſanguineo, Romanæ Eccleſiæ cathedrã, non ut Sacerdos magnus, ſed ut fur, & tyrannus obtinuit. Sed paulo poſt reſipiſcente Quiritum populo, atque in zelum dignæ ultionis unanimiter exardeſcente, irruentes in eum manus iniiciunt, oculos eruunt, aures, nareſque præcidunt; Expertus eſt itaque quod & tunc ſibi, ſed & nunc tibi per Ezechielem Prophetam Deus comminatur dicens: Venient ſuper te inſtructi curru, & rota multitudo populorum, lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te undique, & dabo coram ijs iudicium, & iudicabunt te in iudicijs ſuis. Et ponam zelum meum in te, quem exercebunt tecum in furore: naſum tuum, & nares tuas tuas præcident, & quæ remanſerunt, gladio concident. Et ut attentione tua condignam uſque ad finem proſequamur hiſtoriam: Poſtquam Romani (ut dictum eſt) rependiſſent Pontifici: mox autem retro conuerſum in aſello glorioſum equitem poſuerunt, tenentemque ſui vectoris caudam in manibus per publicam totius Vrbis viam, hæc ut caneret, impulerunt: TALE SVPPLICIVM PATITVR, QVI ROMANVM PAPAM DE SVA SEDE PELLERE NITITVR. Hactenus de ambitioſo homine in Petri ſedem per vim intruſo Damianus.

Ezech. 23.

Quale ſupplicium paſſus qui Pontificem pepulerat.

19. Cæterum hic Lector præmonendus eſt, quod Papa iſte Ioannes decimus-ſextus nomine appellatus, natione Calaber, patria Roſtanenſis ante arreptum pontificatum, alio nomine Philaghatus vocabatur, ut in actis S. Nili Abbatis eiuſdem conciuis videre eſt, quę à probę fidei, eiuſque temporis auctore tabulis demandata fuere: in his enim à Beato viro perditũ iſtum admonitum, ut quam male occupauerat, ſedem dimitteret, his quidem verbis traditur: *Ita etiam fecit cum conciue ſuo Philaghato Archiepiſcopo, ſcribendo ſcilicet ad eum litteras, quando prædictus Philaghatus Romanam ſedem occupauit, inſatiabili quodam deſiderio non contentus mundi gloria, qua Deus ipſum mirabiliter exaltauit: in utroque enim imperio gloriam fuerat aſſequutus. Beatus vero Nilus futura prænoſcens ſcripſit illi, eum orans, ut valediceret mundi gloriæ, cum iam hac ad ſatietatem potitus fuiſſet, & inquiete ad Monaſticam vitam declinaret. Ille vero non deſtitit, ab inſtituto ſuo, quouſque egreſſus eſt Imperator cum priore præſule iam eiecto, & eorum indignationis opus factus eſt Philaghatus; orbatus enim ab ipſis membris ſuis maxime neceſſarijs, oculis, inquam, & lingua, & naſo in carcerem coniectus eſt, miſerabilis factus & omni ope deſtitutus. Hæc cum audiſſet Beatus Nilus, corde afflictus coactus fuit ſenio, & morbo confectus licet: (nonagenariam enim annorum, ut idem alibi Scriptor teſtatur, iam agebat ætatem) & non ſatis tempore congruo: Quadrageſima enim erat, Romam venire, & Imperatorem adire pro gratia impetranda.* Sed quo tantus vir in Vrbem adueniens honore exceptus ſit, ſupremi orbis monarchæ obuiam illi prodeuntes teſtati ſunt, ut idem proſequitur:

Ioannes xvi. ſedis Romanæ inuaſor.

Ex geſt. S. Nil. Abb.

Baron. to. 10 an. 996. n. 15 16. 17.

Inſano ſæculi amore arſerat.

Monitus à S. Nilo, ut abiectis omnibus in Monaſterium ſe conferret.

Oculis, lingua, & naſo orbus carceri mancipatur.

20. *Imperator igitur, & ſummus Pontifex cum eius aduentum intellexiſſent, iuerunt illi obuiam, magna ſiquidem erat eius, ubique ſpectata tam Orientalibus,*

Digitized by Google

bus, quam Occidentalibus fama, & cum illum medium collocaſſent, & ſalutaſſent, alter à dextris, alter à ſiniſtris eius manus deoſculabantur. Sed Beatus Nilus, licet hæc omnia obſequia ægre ferebat, & moleſte, tolerabat tamen omnia, ſi quo pacto obtinere poſſet, quod petebat. Sed iam vir Dei, ut ſuo faceret muneri ſatis, pro Philaghato ſupplex his verbis deprecari cœpit: *Veni tamen ad gloriam veſtram, non honorem cupiens, vel munera, vel prouentus magnos, ſed gratiam pro eo, qui vobis multum inſeruiuit, & male à vobis tractatus fuit: qui utrumque veſtrum ex fonte Baptiſmatis ſuſcepit, & à vobis oculi ſunt illi eruti. Precor pietatem veſtram, ut illum mihi dono detis, ut mecum impoſterum ſedens, ambo peccata noſtra deploremus.* Et paulo poſt iſthæc ſubdit. *Sed durus ille Papa non contentus malis, quæ aduerſus prædictum Philaghatũ patrauerat, cum illum adduxiſſet, & ſacerdotales veſtes ei dilaniaſſet, per totam Vrbem circumduxit, & alia omnia, quæ dicta ſunt ſuperius pati coegit. Quod cum ſanctus Senex audiſſet, & magnopere triſtatus eſſet, non amplius petijt ab Imperatore Archiepiſcopum Philaghatum. Quod cum aduertiſſet Imperator, miſit unum ex ſuis Epiſcopis valde loquacem, ut ſenem Nilum placaret, cui dixit B. Nilus. Vade, & dic Imperatori, & Papæ: Hæc dicit Senex ille. Donaſtis mihi cæcum iſtum, non mei timore, nec magna mei potentia, ſed tamen Dei amore. Nunc igitur quæcumque inſuper feciſtis, non illi, ſed mihi feciſtis, vel potius Deum ipſum contumelia affeciſtis. Scitote igitur, quod quemadmodum vos non peperciſtis illi, neque miſericordiam oſtendiſtis erga illum, qui à Deo manibus veſtris traditus eſt. Ita neque pater veſter cæleſtis parcet peccatis veſtris. Sed Archiepiſcopus ille loquax non deſinebat excuſare Imperatorem, & Papam. Tum B. Nilus, inclinato capite dormitare ſimulabat. Vti vero ille vidit B. Nilum ſuis verbis mentem non adhibere, ſurgens abijt. Beatus autem Nilus quamprimum cum fratribus, quos ſecum habebat conſcenſis equis tota illa nocte ad ſuum peruenit Monaſterium iuxta Caietam in loco arduo conſtructum, orationi, & ſibi incumbens, & Deum indeſinenter placans precibus. Non multos poſt dies Papa quaſi tyrannus quidam inde vi eiectus fuit, ut à quibuſdam audiui, qui hæc dicebant, & oculis orbatus ſpulturæ traditus eſt. Imperator vero pœnitentiam pollicitus pedes ab Vrbe ad Garganum montem iuit, ad Sanctum Michaelem Archangelum &c.* Porro quod ad Philaghati ſucceſſorem ſpectat, illud hic ex Baronio adnotandum eſt, pſeudopontificem paucos poſt dies vi expulſum, oculiſque orbatum infeliciter mortuum, ac ſepulturæ demandatum fuiſſe: cum iſta quidem, ut Baronius ait, Gregorio V. Romano Pontifici haud ullo modo congruere, aut de illo aſſeri queant: *Neceſſe eſt ut dicamus* (inquit Baronius) *vel duos ſucceſſiue iſta paſſos eſſe Pontifices, vel quòd haud adeo ſecure aliorum teſtificatione auditum, ut aſſerit, liberans fidem ſuam, minime verum fuerit; cum nullus alius auctor inueniatur, qui de alio aliquo iſta teſtetur.* Hęc quidem ex Baronio in rem præſentem Lectori proferre voluimus. Ex quibus Antipapam iſtum ob patratum ſcelus male periiſſe, ultionemque ex eo acerbiſſimam diuinitus expetitam innoteſcit.

In act. S. Nili Abb. ubi ſup.

popoſcit pſeudopontificem ſibi tradi.

Pontifex acerbitate uſus.

Prædicitur à S. diuina ultio.

Non multò poſt Papa obrutus fertur.

Quid Baronius ſuper duo ſatis ambigua aſſirmet.

21. At poſt Bonifacium, & Ioannem, cuius mentio hactenus fuit, Cadalus, ſiue Cadolus, vel Cadalous Permenſis Epiſcopus adnumerandus eſt, qui poſt Nicolai ij. Romani Pontificis obitum à ſchiſmaticis in Romanum pſeudopontificem aduerſus Alexandrum ſummum Pontificem, ſpecioſo ſibi indito Honorii ſecũdi nomine eligitur, & ſubdola quidem eiuſdem ele-

Baron. to. 11. an. 1061. Cadalous uſurpato Honorii ſecundi nomine pſeudopontifex.

ctio, poſt auditam, renunciatamque legitimam Romani Pontificis inaugurationem in Henrici Regis aula his verbis deſcribitur: *His* (inquit Baronius,) *auditis in aula regia, conclamata ab omnibus regis iniuria, quod ipſo neſciente Pontifex Romanus electus eſſet, Cancellarius Cunipertus Parmenſis eiuſmodi optata arrepta occaſione, nihil morandum ratus, mox eligendum ab ipſo Rege Papam affirmans, ſuæ ciuitatis infimum familiarem proponit Cadulum, alias Cadolaum, vel Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, qui à nulla Synodo, nec à pluribus, quàm à duobus Epiſcopis fuit electus Pontifex, nempe Vercellenſi, & Placentino, publico concubinatu turpiſſime infamatus, & ne deeſſet eius electioni omne, quod nefandiſſimum eſſet, Gerardus ille Comes Galerienſis excommunicatus Romæ in Synodo, ob deprædatos ab ipſo Anglos interfuit, ut obiicit defenſor Romanæ Eccleſiæ aduocato regio, addens ſicut promotores, ita & promotum fuiſſe iam excommunicatum.* Hæc quidem Baronius; ſed deteſtanda adulterini inſtar Pontificis ipſius Cadolai electio, patentibus à Petro Damiano in ſua ad ipſum conſcripta epiſtola notis iuſtiſſimè perſtringitur: hæc enim habet: *Cadolao dicto Epiſcopo Petrus peccator Monachus, quod dignum, & iuſtum eſt.* Et poſt nonnulla è ſacrarum promptuario ſcripturarum repetita verborum oracula hæc ait: *Cùm itaque Sacerdotium tuum tãta laboret infamia, quo pacto præſumpſiſti, vel ut mitiùs loquar, acquieſcere potuiſti, Romana ignorante Eccleſia, Romanum te Epiſcopum eligi? Taceamus interim de Senatu, de inferiore ordinis Clero, de populo.* Quibus enarratis iſthæc validè in eum intorquẽs, non tam verba, quàm iacula: *Cur per ambitionem* (inquit) *adipiſcendi culminis, inacceſſibiliſque faſtigij totum ferè mundum in condemnationis tuæ iurgium concitaſti? ut illud Ieremiæ Prophetæ quodammodo vociferantes exclament; Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: & tu è contra eiuſdem Prophetæ verbis aptè valeas reſpondere: Veh mihi, mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in uniuerſa terra: non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi. Reaſſume illud quoque propheticum: Maledicta dies, in qua natus ſum, dies, qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Vbi præſtò ſubiungit: Maledictus vir, qui annunciauit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus, quaſi gaudio lætificauit eum; ſit homo ille, ut ciuitates, quas ſubuertit Dominus, & non pœnituit eum. Audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano, qui me interfecit à vulua, ut fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulua eius conceptus æternus.* Ex quibus amarulentiore in eum animo à Petro Damiano prolatis, quanto verborum pondere, zeloque percitus in præſumptuoſum Apoſtolicæ ſedis inuaſorem, Petrus acerrimus Petri, eiuſque cathedræ propugnator inuehatur, compertũ legenti redditur; Verùm enim verò ubi pudenda hominis facinora retexuit, profuſam eius pro ſtabiliendo ſibi Eccleſiæ primatu liberalitatem his verbis inculcat:

22\. *Diſcute, obſecro, conſcientiam tuam, & prudenter examina, qua quiete, quo refugio potitus es, poſtquàm huic periculoſo negotio, tanquam Scyllæ voraginis fluctibus immerſiſti. Dilapidantur æra cupidinis, exhauriuntur folles diuerſi generis metallo turgentes, profligantur in cuneos militum erogandæ pauperibus facultates; cunctis ſubiectus obtemperas, ut cunctos in dignitate percellas, & ambitio dominationis iuri te mancipat ſeruitutis.* Huc nimirum perfidæ mentis fa-

Baronius an. 1061. nu. 7.

Cæſarea vl electus.

Petrus Damianus epiſt. ad Cadaloũ.

Ignaro clero & populo Romano.

Petrus Damianus ubi ſup.

Ieremiæ cap. 22. 29.

Ieremiæ cap. 15.

Pet. Damiani in eum imprecationes.

Ieremiæ cap. 20. 14.

Petrus Dam: epiſt. ad Cadaloum

Cunctis ſeruire vt cunctis imperet corripitur.

Digitized by Google

ſtus ambitioſum hominem impulit, vt inſana præcellendi, dominandique libido, alieni thori inuaſorem fecerit. Sed reliqua proſequamur.

Idem Petrus Damianus epiſt. ad Cadaloum. Non paſtorem eſſe ſed tyrannum.

23. *Præterea ſi ſacri canones hereticos notant, qui cum Romana Eccleſia non concordant: quatu iudicaberis dignus eſſe ſententia, qui tibi reſiſtenti, & obſtinatiſſimè reluctanti non paſtor, ſed tyrannus ingereris, eamque quam ſuprà petrā fidei Petrus prædicator erexit, tu cū Satellitibus Satanæ nouus præliator euertis? & vt immeritum paſtoris nomen obtineas, ipſam confundere, ac dilacerare paſcuam cum ſuis gregibus non formidas? Sed vide quid tibi, tuiſque ſimilibus Dominus per Prophetam dicat: Veh paſtoribus, qui diſpergunt, ac dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus &c. Hoc autem quod tu moliris, non eſt gregem Domini viſitare, ſed potiùs inſtar prædonis, ac furis perdere, & mactare. Sicut in Euangelio Dominus dicit: Fur non venit, niſi, vt furetur, & mactet, & perdat. Nunquid ad hoc natus es, vt mundum in bella concutias, Apoſtolorum labores & opera deſtruas, totamque Chriſti Eccleſiam tua, vnius videlicet hominis ambitione confundas? Et hæc tui fortaſſe turbatio, tui nominis eſt intentata præſagio. Cadolaus quippè vocaris. Et prima quidem pars huius nominis manifeſtè denunciat caſum, ſecunda populum. Laos ſiquidem græcè, latinè populum ſonat, & quid exprimitur nomine, niſi quod ſcriptura dicit: quia videlicet ruina populi ſunt ſacerdotes mali.* Infauſtum quippè homini omen ſub ipſo nomine portēdi viſum eſt, ſi tamē nomen ille ſuū ſeriò recoleret, ac quod ore gerebat, animo pertractaret. Sed Petrum adhùc aduerſus eumdem proclamantem audire præſtat.

Ezechielis cap. 34.

Ioannis c. 10.

Confundi illius ambitione Chriſti Eccleſiam.

Alluſio ad nomen Cadalai.

Infauſtum omē ſub nomine.

Petr. Dam. vbi ſupra.

24. *Itaque libet hic exclamare, ò cœlum, ò terra! cum quibus ſcilicèt omnia turbanda ſunt elementa. O tragædia omnibus ante nos ſeculis inaudita, vt alienus Epiſcopus propria ſede contempta, ignorante Deo, neſciente Romana Eccleſia, ſuper Romanā conſtituatur Eccleſiam; & quod non fert Eccleſia, cuiuslibet infimæ dignitatis, perferat illa, quæ mater eſt, & magiſtra totius Chriſtianæ Religionis! Caue frater, caue ne velut hoſtis inſurgas tam præcipitanter in Petrum, qui certè, & Ananiam cum coniuge, verbi ſui telo confodit, & Simonem arroganter aſtra petētem in gehennæ profunda demerſit. &c. Porrò autem non es contētus menſura hominis, ſed in humano genere mons videri appetis, & quaſi in promontorium ſuperbiæ in faſtus te cacumen attollis, nec vis eſſe de vallibus, de quibus dicitur: Valles abundabunt frumento. Sed audi, quid tibi Dominus per prophetam dicat: Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram, vt extēdam manum meam ſuper te, & euellam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis, & non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamentum, ſed perditus in æternum eris.* Hæc Petrus apoſtolico ore digna perſonat, qui zelo vehemētiore exardeſcens, poſt multa, hominis arrogantiam propheticis acutè verbis increpans hæc ait: *Tantum ne in te damnationis ardor inferbuit? huiuſce te ſuperbiæ faſtus, & celſitudinis ambitio prouocauit, vt Reginam Eccleſiarum, (ſiue vt ita fatear) regnorum omnium temerares imperium? ſed deſpexit te, ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt te caput mouit filia Hieruſalem, cui exprobraſti, & quam blaſphemaſti: ſuper quam exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum tuorum, ad ſanctum Iſrael: In multitudine, inquiens, quadrigarum mearum ego aſcendam multitudinem montium, iuga Libani, Romanam videlicet Eccleſiam in mundi totius dominium conſtitutam, & nitore virginalis pudicitiæ candidatam, ſed audi, quid tibi ſuper eumdem*

Diuina ira intentata.

Pſ. 64. nu. 14.

Ex prophetis oraculis Ier. c. 51. 25.

Petrus Damianus vbi ſupra.

Faſtus hominis in antipapatu exambiendo.

Ieremiæ c. 37.

Quanta fit Dei Eccleſiæ iniuriam ſupremū Petri thronum exambire.

Pro-

Digitized by Google

Prophetam diuina vox dicat: Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me, cum fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: moxque ſententiam in concluſione ſubnectit: Ponam ego circulam in nanibus tuis, & frænum in labijs tuis & reducam te in viam, per quam veniſti. Sed ecce nos multo adhuc plura dictante materia, necdum expleuimus votum, & iam excedimus epiſtolare compendium.

Hier c.37.

Fræna diuinitus faſtuoſo homini indicitur.

25. His igitur prolixiori ſermone, conſtantique animo enarratis Petrus ſat lugubrem ſedis Apoſtolicæ faciem ſub ea tempora cunctis contemplandam exhibet, quam infelix iſte, perditusque inuaſor pecuniæ vi captiuam ſibi reddere conatus fuerat; iſthæc igitur ſubdit: *In fine libet hæc plangere.*

Damiani plãctus in ſimoniacos pſeudopontifices

Heu ſedes Apoſtolica,
Orbis olim gloria,
Nunc, proh dolor! efficeris
Officina Simonis.
Terunt incudem mallei,
Nummi ſunt tartarei.
Iuſto Dei iudicio,
Fit iſta conditio.
Vt quiſquis Apoſtolicam
Sedem ſemel comparat,
Redimere non deſinat,
Donec male pereat.
Cathedram peſtilentiæ
Preſſus anathemate
Tenet cum Sacerdotibus
Chriſti peremptoribus.
Sit tibi terra ferrea,
Cæli ſedes ænea.

Aurum plus improbis nocet, quam ferrum.

Diræ in eoſdem.

26. Funeſtis itaque carminibus, amarulentoque ſtylo, deplorandam rerum tunc temporis Eccleſiaſticarum, ſtrophem Petrus complexus, aliis ſubinde carminibus ſuas Cadaolo vitiorum turpitudines in mentem reuocans, ab incæpto eumdem abſterrere, & ad bonam perducere frugem conatur: hæc enim habet:

Petr. Damiẽ ad Cadal. ubi ſup.

Diligenter igitur intende, quod dico:
Deſinit eſſe reus, qui punit flẽdo reatũ,
Sacrilegas cæptam geminata ſuperbia culpam,
Cæde necans Vrbem, nunc auro deſtruis orbem;
Heu gladio ferri, gladius truculentior auri,
Is animam penetrat, carnem foris ille cruentat,
Vimque tenet iaculi radiantis vena metalli.
Nil differt ferro perimatur quiſque, vel auro.
Quid iuuat, aut fuluis, furuiſque, quis occidat armis?
Hos homicida vibras, miſeros, & utroque trucidas.
E Cælo rueras, ſed adhuc draco lubrice ſufflas:
Ore vomens rabiem, tetrum diffundis odorem.
Fractus adhuc reptas, & flammas naribus efflas.
Squammea colla tumes, ſtrages, & prælia frendes
Offa picis dirum perimat coniecta chelydrum,
Deſinat horrenda ſquamis attollere colla.
Vt populus viuat, vitam mala beſtia perdat.
Torua draconteas reprimat iam vipera chelas.
Te ſuper aggeſtus lapidum cumuletur aceruus;
Ruder erit lapidum concors ſententia Patrum.
Hæc ſcrobis antra lues, tumido ne gutture ſuffles.
Mille vorax hominum crepet inſatiabile monſtrum:
Te ſuper inferne ſua claudant ora cauernæ,

Aureus gladius ferreo crudelior.

Auro anima trucidatur, ferro autem corpus.

Antiquæ Diaboli nũquam prçualebunt machinę.

Digitized by Google

Ne reditus pateat, ſed mundi bella quieſcant.
Fumea vita volat, mors improuiſa propinquat.
Imminet expleti præpes tibi terminus ævi.
Non ego te fallo cæpto morieris in anno.

Vltimus gladius iã ceruicibus impenders nec non ſubſequunturus paulo pro infelix interitus illi denunciatur.

27. Hactenus in Cadaloum fulmina potius, quam camina iuſtiſſime Petrus Damianus intorſit, qui cum Apoſtolicæ ſedis ſuo lugubri ſtylo calamitatem deploret *Simone* (ut Baronius ait) *nummos cudente, eoſque in auaros homines fauoris aucupandi gratia diſpergente*, hæc quidem ad Antipapam, turbulentum utpote hominem, neutiquam vero ad legitimum Romanæ Eccleſiæ ſponſum, ut idem alibi in ſuis inculcat ſcriptis, demonſtratque, ſpectare videntur. Porro quod ſicut reliquis vitiorum probris, ſic pariter Cadalous luxuria difflueret, qua potiſſimum turpitudinis labe, obſcænorum ſibi clericorum animos deuinxiſſet, diſertis item Petrus verbis affirmat, ſcribens quippe ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum hęc ait: *Sed nec accidit, ut hoc inſigne vocabulum nouum ſi præualent, accipiat incrementum, & qui hactenus dicti ſunt Nicolaitæ, amodo vocentur, & Cadaloitæ, ſperatur enim, quia ſi Cadalous, qui ad hoc gehẽnaliter æſtuat, uniuerſali Eccleſiæ Anthichriſti vice præſidebit, ad eorum votum, luxuriæ fræna laxabit.* Hæc Petrus de impuro Cadaloo altius proclamare non timuit, qui ut Romanos ſibi beneuolos redderet, à quibus in urbem receptus, in ipſo Petri ſolio ſubinde locaretur, ingentẽ ſacrilegus põtificij muneris nũdinator pecuniarũ vim prõpta & larga manu profuderat, vt Petrus in epiſtola ad Alexãdrum Papam, & Hildebrandum Archidiaconum rem his verbis enunciat; *Nam etiam cum Simon ille, veternoſus ſcilicet trapezita, malleum, & incudem reparat, cum Romanam Vrbem veluti officinam ſibi per monetarios peſtiferæ negotiationis uſurpat: quo vos Petrus vobiſcum fugiens attrahit; illic eſſe Romanam Eccleſiam omnibus indubitanter oſtendit.* Quibus ſane verbis Damianus Alexandrum Pontificem poſt ſui inaugurationem iuſte ſibi à Romanis potentioribus, qui Cadaloo fauebant, timentem ab Vrbe protinus fugam arripuiſſe haud obſcure indicat.

Baronius ex Epiſt. ad Cadaloum.

Cadaloi inſignis impudicitia.

Petr. Dam. Epiſt. ad Cunibertum Epiſcop. Taur.

Fauere illi impudici.

Pecunia captiuos reddit quos veritas ſibi conciliare nõ potuit.

Corruptiau ro proceres Romani.

Petrus Damianus epiſt ad Alexandrum Papam

Alexander PP. pulſus.

28. Verum Cadalous ad Pontificię ſedis occupãdæ quam animo ſemel imbiberat fouebatq; ambitionem, totis prouehendam viribus contendiſſe, & tum auro, tum ferro inſuper ad propugnandos obluctantium animos ſibi adnitendum ratus, quos oblatis, delatiſque primum irretire muneribus non valuit, vi poſtmodum, ac potentia aggreſſus pertentare non deſtitit; enimvero cum plures Romanorum auro ſuis obſequentes votis, captiuoſque feciſſet, dum ferro adhuc, armiſque ambitioſis conatibus adperiens viam, bellatorum turmis ſtipatus Vrbem ingredi tentaſſet, validam inde à ciuibus repulſam ſortitus, ad ſua poſtmodum inglorius, totuſque rubore perfuſus remeare compulſus eſt. Vt apud antiquum (Baronio teſte) Romanorum Pontificum, rerumque ab eis geſtarum Scriptorem ex Codice Vaticano his verbis legitur: *Cadalous menſis Aprilis decima quarta Romam cum ſuo apparatu appropinquans, magnam cædem de prædictis Romanis, tam de amicis, quam inimicis fecit. Hoc vero factum fuit anno milleſimo ſexageſimo ſecundo, indictione quintadecima.* Hęc ibi quoad tempus attinet; res autem geſta in conſcriptis à Nicolao Cardinali Aragonio hunc in modum exponitur: *Cadalous cum multa pecunia, & conductitijs militibus ex improuiſo Romæ apparuit, ubi*

Artes faudulentæ in pertentãdis expugnãdiſque animis.

Baronius an. 1062. num. 7

Antiquus Codex Vatic.

Romani ſeu amici ſeu hoſtes a Cadaloo cæſi.

Ex collec. Nicolai Cardin. Aragonij

non

Auaritia potêter debellat, quos nulla vis expugnare hacte nus potuit.

non deſuerunt homines ſeipſos amantes, quos ſibi pecunia fauorabiles fecit: inter quos Romanorum Capitanei volentes Vrbem deprimere, vires ei, & auxilium præbuerunt. Cadalous autem eorum auxilio ſperans aliquid facere poſſe, in prato Neronis caſtra metari præſumit, & in prima congreſſione victor apparuit, ſed poſt paululum inclyto Duce Hodefrido adueniente, adeo coarctatus, atq; contractus eſt, ut abſque ulla leſione proprij corporis, abire retrorſum nullatenus potuerit, niſi humilibus precibus, & effuſis magnis muneribus. Rediens igitur Parmam, ſicut ſpoliatus, & profugus ab iniquo peruerſitatis ſuæ non deſtitit incæpto &c. Adeo ut plane illi iuxta editum Petri Damiani ore vaticinium non multò pòſt accidiſſe comprobetur, qui iſthæc illi haud ambiguis inter conſcribendum verbis edixerat: *Qui Romanis arcibus ſuperbus inueheris, ad ſolum proprium cum ignominia reuerteris.* Quod autẽ illi alter enunciauerat, totum diuini inſtar oraculi adimpletum eſt.

Ab Hodefrido duce repellitur.

Petrus Damianus epiſt. ad Cadaloũ.

29. Porro infelix ſua nimis ambitione delirus, etſi calamitatibus attritus, ingentique ob repulſam notatus dedecore, ac vix è periculo fuga præreptus, ac liber, attamen pecunias, quarum ſuffragio aditum ſibi in Vrbem patefecerat, iterum conflare non deſtitit. Quibus auditis, ſecundam illi Damianus Epiſtolam, Apoſtolico exaratam ſtylo, parique redundantem zelo his verbis conſcripſit;

Fuga lapſus iterum opes reparaſ.

Scripſi tibi nuper, antequam Romam cum ſatellitibus ſatanæ fuiſſes aggreſſus, denuntians, & obteſtans, ut te à tam cruenti moliminis intentione compeſceres, ut intra menſuræ tuæ te ſepem reprimeres, & nec motum diuini furoris aduerſus te, nec mundum aduerſus Eccleſiam in bella nefaria concitares. Verum tu tanquam Veſeuus gehennæ flammas eructans non quieſcis, pecuniæ fauillas (ut ita loquar) per populum ſpargis, & per æſtum cupidinis miſerorũ hominum corda corrumpis. Tuam profligas Eccleſiam, ut obtineas alienam. Illinc aurum, argentumque ſtateris appenditur; hinc ſtipulationes raræ, & firmæ procedunt, ſub hypothecario iure monimenta fiunt, ſicque prolabentis eccleſiæ prædia diſtrahuntur. Quibus verbis apoſtolico iterum ore Petrus Apoſtolorum Princeps in Simonem pari ambitione, ac ſcelere captiuum, ac ſpiritui ſancto oblata pecunia inſultantem, inuehi, ac iacula intorquere viſus eſt, ſed reliqua proſequamur.

Petr Damiã. epiſt. 2. ad Cadaloum.

Largitionibus plure corrumpit.

30. *Ducis poſt te Caſtra auro potius armata, quam ferro, & ſic nummi proferuntur è loculis, tanquam gladij vibrentur è Thecis. Phalangas planè, quæ te ſequuntur ad ſuæ ſigna militiæ non tàm litui buccinæ, vel tubæ clangor excitat, quam vena metalli vibrantis incitat. Habens enim (vt aiunt ruſtici) pugillum auri frangis murum ferreum. Sed ſunt diuitiæ (ait Salomon) conſeruatæ in malum Domini ſui &c.* Nec his Petrus contentus alia rurſus in ambitioſum hominem iactat. *Ad hæc enim, (inquit) te furioſa dominandi libido, & non appetendæ ſublimitatis præcipitauit inſania, vt vnius epiſcopatus non ſis menſura contentus, ſed ſuper vniuerſalem Eccleſiam, generalem ambiẽs principatum, & vt ſolus emineas, totum orbem in præcipitium mergere non formidas.* Quibus ſacerdotali auctoritate in hominẽ amarulẽto orationis ſtylo eiaculatis, alia ſubinde Petrus, apteque in rem præſentem ſubtexit: *Audiat quid per eumdem Prophetam tibi diuina vox dicat: nouiſſimum (inquit) tuum deuorabitur igne, & denudabunt te veſtimentis, & tollent vaſa gloriæ tuæ & requieſcere faciam ſcelus tuum à te, quià hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odiſti, in manus de quibus ſatiata eſt anima tua, & agent tecum* in

Petrus Damianus vbi ſupra.

Pugillo auri muri ferrei ſæpe diffracti.

Petrus Damian vbi ſupra.

Digitized by Google

Ezechielis vaticinimus egregia accommodtos antipapæ. Ezechielis cap. 23.

in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudum, & ignominia plenum, & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum; ſcelus tuum, & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi. Propriam quidem dimittere, & alienam Eccleſiam ſimoniacis contaminationibus prophanare per extremæ fornicationis genus agnoſcitur Porrò autem ſi tu culmen Apoſtolicæ ſedis fueris Deo mundum negligente ſortitus, gliſcunt, & exultant omnes reprobi, omnes chriſtianæ religionis tripudiant inimici. E contra quicunq; electi iuſtitiam eſurientes ſitiunt, qui pietatis opera cernere concupiſcunt, adeptum totius Eccleſiæ præcipitium credunt.

31. Hæc Petrus, qui ignominia diuitem, erogatiſque fruſtra, quos impiè congeſſerat, diuitiarũ theſauris inopem, at cruore duntaxat madidum, magno totius Vrbis tripudio ad ſua remeãtem deſcribit. In huius vero tam nobilis triumphi memoriam, Lateranenſi palatio, perenni futurum monimento, Otto Friſigẽſis, qui iſthæc oculis vidit, verſiculum hunc inſculptum fuiſſe teſtatur:

Alexander PP. cum triumpho in vrbẽ reuectus.

Otto Friſigenſis lib. 6. c. 34

Regnat Alexander, Cadulus cadit, & ſuperatur.

32. Sed quibus nam ad perpetuam ignominiæ notam titulis Diamianus ad Coloniẽſem Archiepiſcopum ſcribens peudopontificem ſtylo proſequatur, cunctiſque veluti eccleſiæ portentum digito præmonſtret, audiamus: *Cadalous enim ille Sanctæ perturbator Eccleſiæ, euerſor apoſtolicæ diſciplinæ, inimicus ſalutis humanæ, ille inquam radix peccati, præco diaboli, Apoſtolus Antichriſti, ſagitta nimirũ producta de pharetra ſatanæ virga Aſſur, filius Belial, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, velut Draco teterrimus, adhuc ſufflat, adhuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum vento perfidiæ vacillantem nouus hæreſiarca perturbat.* Hæc ille: nec vero vir tantus animi liuore percitus ſuæ calculo ſententiæ Cadaloum proſcribit, quem ipſa Epiſcoporum ſynodus haud ſemel reiectum damnaſſe perhibetur; habito quippè cunctorum Germanorum Epiſcoporum in loco, qui dicebatur, Orboriũ, conuentu, impia Cadaloi temeritas condignis pœnis affecta eſt, vbi ſatis, ſuperque, vt Baronius tradit, ſilentio, vt par erat, ambitioſus homo, atque cum ſua impietate tenebris addictus fuit, ad immanem cuius retundendam audaciam, hi eodem in codice deſcripti verſus leguntur:

Petrus Damianus epiſt. ad Colonien Archiepiſcopum. Concinna antipapæ epitheta.

Baronius an. 1062. nu. 69.

Vltio diuina populi Cadaloe ruina
Te manet, vt diro medium tranſuerberet ictu
Altipetax Simonem ſequeris, Simon aſtra petentem,
Te quoquè tartareus ſimul abſorbebit hiatus.

Præceps ille ruit in exitium.

At qui poſt concertationem in ſynodo habitam, Cadaloi ambitio perennem pro mercede ignominiam retulit, vt Damianus aperte ſatis inculcat epiſtola quam ad Cunibertium Taurinenſẽ Epiſcopum ſcripſit, vbi de his quæ homini funeſte obuentura edixerat, mentionem ingerit. Cùm enim ipſum eodẽ, quo iſthæc per agebantur, anno interiturum prædixit, haud aliud his proculdubio verbis innuere voluit, quã ab Apoſtolico throno, quem tyrannice ſibi vſurpauerat, eodem anno exturbandum, eliminandumque fore vt ipſemet his verbis prodit: *Etiam mihi (inquit) eius fautores inſultant; eumque non eſſe mortuum, iuxtà cuiuſdam à me facti verſiculi prophetiam exprobrant: dixeram enim inter cetera:*

Petrus Damianus epiſt. ad Cunibertum.

Prædixerat Damianus verte[n]te anno periturũ. Baronius an. 1062. nu. 71.

Non ego te fallo, cœpto morieris in anno,

33. Sed vt me comprobent non eſſe mẽtitum; Audiant admirabilem diuinæ diſpoſi-

ſpoſi-

Digitized by Google

ſpoſitionis euentum; Cadalous ſiquidem ipſo feſtiuitatis die Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ; quaſi in Papam Deo reprobante, ac repellente fuit electus, eodemque vertente anno in prædictorum Apoſtolorum vigilijs ab omnibus Theutonicis, & Italicis Epiſcopis, & Metropolitanis, qui cum rege tunc aderant, damnatus eſt, & depoſitus. Quamobrem iuxta Ezechielem prophetam, fimum boũ pro ſtercoribus humanis Deus ipſi quodammodò contulit, dum carnis interitum, honoris ruina mutauit: Tunc quippe mortuus eſt in honore, cum honoris, Synodali iudicio perdidit dignitatẽ. Nunc autem non dicam Biothanatus, ſed potiùs millies mortuus toto terrarum orbe deridetur, exploditur, maledicitur, anathematizatur. Audiant hoc inſultantes mei, & dum diuinæ diſpenſationis proſpexerint ordinem, me mendacij non accuſent.

Peruigilio eius dies quo auctoratus antipapa exauctoratur.

34. Iſthæc Petrus, dum de Cadaloi condemnatione, quæ anno Chriſti milleſimo ſexageſimo ſecundo, habita eſt, ante eius promotionis diem expreſſis verbis agit; quod, & Leo oſtienſis his verbis itidem aſſerit: *Quippe qui eodem ipſo die vigiliarum Apoſtolorum Simonis & Iudæ ab omnibus Theutonicis, & Italiæ Epiſcopis, qui tum cum Rege aderant, iuſto Dei iudicio damnatus eſt, atque depoſitus.* Ex quibus euidenter ſatis, vt vides, conijcitur Cadaloũ iudicio Patrum in Concilio damnatum, ac pontificio è Throno Synodali eumdem ſententia ad ima deiectum fuiſſe. *Sed non quieuit (vt Baronius ait) eiuſmodi confoſſa vulneribus fera beſtia, verum eo magis accenſa furore in Romanam Eccleſiam, ipſumque Alexandrum inſanijt, & inſilijt, vt eiuſdem res geſtæ legentibus declarant.*

Leo Oſtienſis.

Miſer deſixus anathemate à Germaniæ & Italiæ Epiſcop.

Baronius an. 1061. nu. 71.

Impius enim, etſi à duobus iam concilijs meritò iure proſcriptus condemnatuſque, nec ſic quidem, vt Scriptores eius temporis tradunt, acquieuit, ſed armato vrbem milite iterum petulanter aggreſſus, inde Alexandrum à Petri Sede, vt Lambertus aſſerit, exturbare conatus, contumelioſè victus, ac pulſus eſt. Et hæc quidem poſterior illa aggreſſio computanda eſt, quæ in antiquis Romanorum Pontificum geſtis à Nicolao Aragonenſi collectis apud Baronium deſcribitur, ad quem curioſum lectorem remittimus.

Duorum cõciliorum ſententia decretoria percullus.

Lambertus in geſtis Alex.

35. Sed vt tragicam funeſtamque Cadaloi hiſtoriam abſoluamus, eumdem peſſimo tandem exitu è vita deceſſiſſe, antiqua Romanorum Pontificum geſta à Nicolao Aragonenſi collecta his quidem verbis teſtantur: *Idem quoque Cadalous poſt paucos dies ex diuino iudicio peſſimam mortem incurrit.* Verum in Vaticano Codice, qui liber Cenſuum inſcribitur, dum de eodem Cadaloo ſermo eſt, ſub finem, vt Baronius ait, apertè traditur, quod tandem á ſchiſmate recedens, ab Alexandro per nuncios, vt abſolueretur, ſupplex popoſcerit, quod & ab eodem vltrò condignam ſatiſfactionem pollicitus impetrauit, etſi malam paucos poſt dies mortem incurrerit; quomodo autem res ſe habuerit, ſilentio obuoluitur. Veruntamen Lambertus huius temporis ſcriptor, Cadaloum quoad vixit, ſe pro Romano Pontifice palam gerere, & ea, quæ pontificiæ dignitatis ſunt, exercere non deſtitiſſe his verbis affirmat. *Alter verò, nempe Cadalous, etſi per contumeliam repulſus, tamen, quoad vixit, ab iure ſuo non cedebat, huic ſemper derogans, hunc adulterum Eccleſiæ Dei, hunc pſeudoapoſtolum appellans, Miſſas quoque ſeorſim celebrans, ordinationes facere, & ſua per Eccleſias decreta, & epiſtolas more ſedis Apoſtolicæ deſtinare non deſiſtebat.* Hæc ibi.

Nicolaus Aragonenſ. in ſuis collec. Baronius an. 1064.

Veniam ab Alexandro poſcit eiurato ſchiſmate.

Lambertus in Geſt. Alex.

Iterum redit ad vomitum.

Sacra prophanat.

Perditus itaque, in finẽ vſque in ſua ambitioſus malitia perſtitit; Hæc de Cada-

Digitized by Google

Cadaloo, qui pontificiæ Apoſtolicæ ſedis munia vſurpabat, & ſe licèt prauis enormiter diffamatũ geſtis, ſpecioſo tamen Honorij Secundi nomine inſignire, ac oſtentare prēſumpſit. Iure igitur merito, peſſimo Cadalous fine ſugillatur, qui iniquis artibus, prauiſque contentionibus ſacroſanctā B. Petri ſedē occupare, & Chriſti Eccleſiam proſcindere non dubitauit; adeò vt aptè Euangelicum illi conſonet oraculũ. *Super quem vero ceciderit lapis iſte, conteret eum*: Sed vt alia interim proſequamur.

Matth. 21. 44

Guibertum pſeudopontificē creat.

Baronius tom. 11. an. 1100. num. 36.

36. Tempore Paſchalis Papæ Secundi, opera & ſtudio Henrici, Guibertus pſeudopapa electus fuit, poſt quē nec ſchiſmatis procella ſopita eſt; nam eiuſdē Henrici opera tres ſibi inuicem ſuccedentes pſeudópapæ electi ſunt, Albertus, Theodoricus, & Maginulphus, qui inſelicem exitum ſortiti, adulterini velut palmites in ipſo maledictionis ortu exaruere; Verum Guibertus cum Paſchalis papæ, orthodoxorumque omnium opera vbiq; eum inſectante (quippe qui hæreticæ prauitatis ſemina vbique iaciebat) fugæ ſubſidium cępiſſet, demum infelix, alter veluti Cain in orbe profugus, atque Orthodoxorum ſtudio exagitatus, miſer inter fugiendum diem clauſit extremum, vt Germani huius temporis ſcriptores Dodechinus, Sigebertus, & Vvſpergenſis, & Itali etiam Domnizo, ac Petrus Diaconus in ſuo Caſſinenſi Chronico tradidere. At Dōnizo præ cæteris in Mathildis vita hæc de Guiberti obitu, dum viginti trium annorum ſpatio hūc Eccleſiam acriter perturbaſſe, ac denique anathemate innodatum obijſſe, his verbis teſtatur:

Is vt Cain profugus perit.

Dodechinus Segibertus Petr. Diaconus.

Annis viginti tribus Eccleſiam turbarat.

Domnizo in Matildis vita.

Hic per viginti tres annos denique Chriſti
Eccleſiam niſu toto turbarat iniquus;
Poſt annos binos Vrbanus erat, quod ab iſto
Sæclo portatus, cæliquе choro ſociatus:
Iſte dolore graui tactus Guibertus inanis
Mortuus eſt, ſecum portans anathema per æuum
Propterea Cœli populus, pariterque fidelis
Exultentque pij, perijt, qui perditionis
Filius, vt ſurgat ſimilis non det Deus vnquam.

37. Iſthæc Domnizo etſi rudi plectro cecinit, quibus condignum plane perdito homini ſepulchralem titulum inſculpſit, cuius oſſa è ſepulchro poſtmodum eruta, quid velut prophanum, execrandumque proiecta fuere; Tanta autem Paſchalis animi conſtantia aduerſus ſchiſmaticum pſeudopapam Chriſti Eccleſia in acie ſtetit, vt eiuſdē Guiberti pignora tumulo iam illata, vtpote eiuſcemodi beneficio indigna, è loco protinùs exturbanda, & in publicam aream proiicienda curauerit, vt Crantzius, & alij his quidem verbis: *Oſſa ſchiſmatici Papæ Vuigberti (ſiue Guiberti, à ſuis Clementis tertij dicti), de ſepulchro ſuo, quod per quinque iam annos in Eccleſia Rauennenſi poſſederat, proijci fecit*. His planè funeribus, honoribuſque prophano homini parentatũ eſt:

Eius oſſa è Sepulchro refoſſa proiectaque.

Vuſpergenſis, Conradus in Chr. an. 1106 Cratzius Saxon. hiſt. 24.

38. Et congruè, nam ingenti perditus Romanam Eccleſiam tumultu, prauis artibus, contētionibuſque compleuit, ac legitimos Petri in throno ſucceſſores acerbiùs inſectari non deſtitit; in primis enim Victori Papæ Guibertus, res quotidie nouas in vrbe moliendo, negotium faceſſiuit: dum intra Eccleſiam S. Mariæ ad Martyres, velut in tutum quoddam Aſylum ſeſe recipiens, tyrannicæ ibidem nequitiæ propugnaculum conſtituit; vt Bertoldus his planè verbis affirmat: *Guibertus hereſiar-*

Impij illius pro Vrbe ſubijcienda conatus.

Bertholdus apud Baron. tom 11 ann. 1087, n.6.7.

reſiarcha non magis ab incœpta peruerſitate ceſſauit, imò quod S. Mariam ad Martyres (quam Rotundam dicunt) incaſtellauit. Dominus autem papa in inſulam, quæ inter duos pontes ſita eſt, ſe recepit. Hæc Bertholdus, ex quibus vi, ac potentia Victori pſeudopapam obſiſtere validiùs conatum fuiſſe conſtat. Guibertus verò Eccleſiam Chriſti ſponſam conſtanter, præferuidèque inſequi aggreſſus, id maximè eorum opera, quos ſuæ nactus fuerat improbitatis fautores, præſtitit; vt Leo Oſtienſis in hæc verba proſequitur.

Leo Oſtienſis in Victore.

39. *Pulſis Catholicis Epiſcopis, & Abbatibus, alijſque Eccleſiarum præpoſitis doctrina, & religione præſtantibus: ſceleſtos, & illiteratos ſingulis Vrbibus, monaſterijs, Eccleſijſque præfecit. Sæpè ſingulos, plerumque binos annis ſingulis, magiſtri ſui Simonis mercimonio execrando ſubſtituens, deprædandis locis ſanctis, ſibique non fauentibus Chriſtianis, immò ipſi quoquè fauentibus, dùm non eſſet, qui armato reſiſteret, longè latèque ſæuitia Neronis, & Decij perdita voluntate graſſatus eſt.* Et hæc infra ſubijcit: *Cumq; illi, nẽpe Guiberto, nemo Apoſtolicã reuerentiam exhiberet, vel obedientiam, præter Imperatorem, eiuſque complices, vel qui ſe illi propter auaritiam (quæ eſt Idolorum ſeruitus) vel perpetuò, vel ad tempus ſub iuris iurandi Sacramento vendiderant. Quorum plurimi, quibus eius perfidia claruerat, dùm execrabilis diuina immolaret ſacrificia, nec adeſſe tolerabant, ſciẽtes eum nullo Romano ſucceſſiſſe Pontifici, ſed perfidum, periurum, inuaſorem, ac Simoniacum Gregorio Papæ ſuperadictum fuiſſe; Catholici verò, qui zelo Dei fidem, ac religionem tuebantur, Victori papæ, ſanctitate, ac religione præſtanti adhærebant.* Hæc Leo Oſtienſis.

Eccleſijs Simoniacos pulſis catholicis præfecerat.

Leo vbi ſup.

Mathildi bellum intulerat.

40. Nec verò his contentus Apoſtaticus homo, vbique ſemina diſcordiarum ſpargens, armorum itidem tumultus ciens furebat, adeò vt Matildis Regina, quæ Romano Pontifici adhærebat, bello eius comitatu acriter, ſub Antipapæ vexillo, Parmenſi Epiſcopo, ac Regienſi ducibus, diuexato, noctu profugere, & in Ciſalpinam Galliam ſeſe recipere compulſa ſit: Deo interim ſacrilegorũ hominum factionem vindicante. Parmenſis enim Epiſcopus captus eſt, Gandulphusque Reginus inter fugiendum lapſus triduo inter dumeta delituit. At de nobili Catholicorum aduerſus ſchiſmaticos triumpho, hæc Domnizo exultabundus cecinit.

Infelix eius expeditionis exitus.

Domnizo in vita Matildis.

Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis,
Inclyta Matildis terror fuit omnibus illis.

Et hæc de turbis à Guiberto excitatis; Verùm quòd Guibertus iſte corruptiſſimus, dum ſe in Petri Sedem intrudere conatur, hæreticæ quoque ſuperſtitionis portentoſo ſchiſmati labem adiunxerit, iiſdemq; Chriſtifideles prauis erroribus irretire ſtuduerit, ab Anonymo ſcriptore (vt apud Baronium videre eſt) his verbis deſcribitur:

Schiſmati addiderat hæreſim.

Anonymus apud Baron. vbi ſupra.

41. *Turpe tibi meritò videri dicebant, hereſiarcam Guibertum ab Eccleſia toties in capite damnatum, à glorioſæ memoriæ Domino Gregorio, Vrbano magnanimo, & Victore religioſo, prædeceſſoribus tuis, miræ virtutis pontificibus dirè, acriterq; diuexatum, in Vrbe, ſuburbijsq; in eum etiam aliquid pernicioſum machinari, atque pati eum non poſſe omnes clamabant. Et patres: ſi pecuniæ, inquiunt, deſunt, auro, argentoque ſubueniemus. Dùm huius diſpoſitionis acritèr ageretur negotiũ, Legati Rogerij Comitis pernicioſiſſimè Papam ſalutant, & reſalutant, atque inclinati ad pedes eius poſuerunt auri vncias mille. Id tam deuotè ſuſceptum eſt, quàm opportunè mandatum. His auxilijs ad expugnandum prædictum Hæreſiarcham de-*

Rogerius Comes opportunè ſubuenit Pontifici.

T ſuper

ſuper collatis, audaciam adeptis Dominus Pontifex: operari (inquit) iam Dei gratia magis, quam conſiliari opus eſt. Hæc ibi ſcriptor de Paſchalis Papæ ſtudio ad longiùs à Romana Eccleſia propulſandum Antipapam tradit. Feruens enim pia tunc ſollicitudine Orthodoxorum cœtus, *Sic feram illam beſtiam (vt Baronius ait.) aſſiduo venatu eſt inſectatus, vt de loco ad locum nullibi ſedem figere idolum iſtud, & tutò conſiſtere valens, fugere cogeretur, donec diem clauſit infeliciſſimè.* Anno demùm quinto interlapſo ab obitu, improbus haud ſepulchri requie dignus, ſepultura quoque orbatus eſt, vtpote, qui immane Dei eccleſiā inquietauerat viuens; Quapropter oſſa, quæ Rauennæ tumulata fuerant, vt Vuſpergenſis ait, exhumata in fluentem proiecta ſunt. De his enim idem auctor, rerum præſentium compilator hæc ſubijcit.

Antipapa vt fera beſtia procul pulſus. Baron. tom. 11 an. 1087. vbi ſupra.

Caruit quiete ſepulchri Eccleſię perturbator.

42. *Iam enim exaltatis ſibi diuinitus Romana Eccleſia cornibus, ad incutiendū timorem cunctis vſquequaque ſchiſmatum membris, etiam capitis ipſius oſſa, Guiberti ſcilicet, dicti papæ de ſepulchro ſuo, quod per quinque iam annos in eccleſia Rauennenſi poſſederat, proijci fecerat, vniuerſaque eius inſtituta, vt verè non Apoſtolici ſacerdotis, ſed Apoſtatici inuaſoris, annullari decreuerat.* Hæc ipſe. Porrò, vt ritè iſta (& vt Baronius ait) inſolita decernerentur, eam Vuilelmus Bibliothecarius cauſam profert, quia ſcilicet, qui adhùc eiuſdem pſeudopapæ ſtudioſi remanſerant, quo minùs pollerent viribus, eo ampliùs mendacijs adnitebantur, adeò vt commentitias paſſim in vulgus viſiones, ac præoſtenſas ad ipſius ſepulchrum rerum arcanarū imagines euulgarent, viſas videlicet illic facellas cælitùs noctu emicare, indices proculdubio (vt aiebant) quod is in cælum à Patre luminum receptus fuiſſet; quibus cum facile poſſent plebeculā, rudisq; ingenij, homines eludere, atque imperitum vulgus nugarum deliramentis in errorem adducere, ſapienti conſilio actum eſt, vt eidem ipſummet, quod pſeudoprophetis illatum olim fuerat, ſupplicium decerneretur, ac vt ipſius inquam oſſa exhumarentur, haud tamen, quod illis accidit, effoſſa igni cremarentur, ſed in profluentem aliorum exemplo diſpergerētur. Porrò exhibitum tunc de Guiberti oſſibus in aquas proiectis, exturbatiſque è tumulo, in quo iacebant, exemplum, Catholici quoque in Germania pari zelo æmulati ſunt, cum Imperatore in ordinem redacto, alteroque in ſolium prouecto ſuis principes viribus inualuere, de quibus iſthæc non ſecus ac celebrādi facinoris monimentum Vvſpergenſis Abbas. *Denique in tantum (inquit) diuinæ legis ſubitò zelus efferbuit, vt etiam ipſa cadauera pſeudo Epiſcoporum ab Eccleſijs eliminarentur.* Vtpotè quod ſacra conſuetaque iuxta Catholicæ Eccleſiæ ritum, ſepultura indigni haberentur, qui Catholicæ eidem Eccleſiæ dum viuerent, minimè communicaſſent.

Vuſpergēſis apud Baron. tom. 11. ann. 1105. nu. 12.

Sparſa à ſchiſmaticis de eo fallacia miracula

4. Reg. 23.

Abbas Vuſpergenſis. In Germania pſeudoepiſcoporū cadauera ſepulchris eiecta.

43. Patentiſſimis autem Deus Antipapæ, imò Antichriſti, ſectatorumq; impietatem, iuxta id, quod hactenus enarratum eſt, ſignorum portentis ſugillare non deſtitit, vt homines legitimum Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem, ac adulterinum caput exhibito diuinitùs lumine internoſcerent, colendumque ediſcerent. Quod pręcipuè ſub Innocentio, Secundo huius nominis, Chriſtiano orbi contigit, cum acerbiſſimum ab Anacleto pſeudopōtifice conflatū ſchiſma Chriſti Eccleſiā vrgeret, & S. Bernardus, aliiq; viri ſanctitate conſpicui pro Religione, atque Eccleſia, aſſerendaq; veri Pontificis auctoritate in acie conſtitiſſent.

Anacletus Antipapa Innocentio II. infeſtus.

Petrus

Petrus Leonis antea dicebatur. Baronius to. 2. an. 1138. nu. 1-2.

Petrus quippè Leonis, homo peccati, Apoſtolicæ Sedis inuaſor, pſeudopapa, Deo vindice, ex hac vita, & è throno, quem vi, ac potentia occuparat, ad ſupremum Dei tribunal iudicandus, reprobanduſque poſtquàm plures in ſua malitia, ac ſchiſmatis errore annos exegiſſet, infeliciter abripitur. Fulco ſiquidem in Beneuentano Chronico de eo ſic habet: *Sedit (inquit) annis ſeptem, menſibus vndecim, & diebus viginti duobus*. De eodem Bernardus Bonæuallis probatiſſimus eiuſdem temporis ſcriptor, hæc narrat: *Aduenerat tempus in quo completa Ammorrhei malitia, Angelus percutiens gladium, iam vibràt, & pertranſiens domos, quarum ſuperliminaria ſanguis agni imbuerat: ad domum Petri Leonis veniens, ſalutare in ea non reperit ſignum. Percuſſit igitur miſerum, nec tamen illicò defungitur, ſed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus eius effertur, cadauer eius in latebris ſepelitur, & vſque hodie fouea illa à Catholicis ignoratur*. Hæc ipſe. ſed opportunè hic D. Bernardum Abbatem Clareuallenſem, qui ſchiſmatico viro, ac pſeudopapæ viriliter obſtitit, & pro tuenda Eccleſiæ vnitate, ac pro Innocentio legitimo Pontifice claſſicum canens, è Claraualle in arenam prodiens, eius, ceu publicã Religionis cauſã vnus præ omnibus conſtantiſſimè defendit, quẽ & his quidẽ ad Petrũ Abbatẽ Cluniacẽſem verbis ſcribentẽ, audire præſtat.

Fulc. in Chro. Beneuentano

Abb. Bonæual. in vit. S. Bern. li. 2. c. 7

Sine salutis ſpe perit.

Clam ſepulchro infertur.

S. Bernard. epiſt. 147. ad Cluniac. Abbatem.

44. *Hæc planè gloria mea, & exaltans caput meum Eccleſiæ triumphus. Nã ſi ſocij fuimus laboris, erimus & conſolationis: collaborandum fuit, & compatiendum matri, ne de nobis quereretur dicens: Qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honeſtauit eam in laboribus, & compleuit labores illius. Triſtitia noſtra in gaudium, & luctus noſter verſus in citharam eſt. Hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit; Flores apparuerant in terra noſtra, tempus putationis aduenit: Amputatum eſt ſarmentum inutile, putre membrum. Ille, Ille, iniquus, qui peccare fecit Iſrael, morte abſumptus eſt, & traductus in ventrem inferi. Fecerat quippe (ſecundum Prophetam) pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat. Ideoque iuxta Ezecchielem factus eſt perditio, & non ſubſiſtit in æternum. Alius quoque omnium ſicut maximus, ita & peſſimus inimicus, abſciſſus nihilominus eſt: & is vnus erat ex amicis eccleſiæ, ſed illis, de quibus ſolet queri, & dici: Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & de longe ſteterunt. Si qui reſiſtant, citò ſperamus de ſimilibus idem iudicium. Prope eſt, vt reuertar ad fratres meos, ſi vita Comes fuerit, per vos (ſicuti intendo) tranſiturus*. Hæc S. Bernardus, dum extincti iudicium pſeudopontificis huius patẽtibus vltrò notis deſcribens exaggerat.

Pſal. 37. Cant. 2.

S. Bernardi in hũc dirę.

45. Sed nequiſſimi huius, qui ſe in Petri Sedem intruſerat, temeritatem, vt probè omnes agnoſcant, eius hic primordia, ex antiquis Scriptorum monimẽtis lectori delibrãda volumus. Quid igitur Chronicon Beneuẽtanum de homine enuntiet audiamus: *Die ipſo, quo Honorius defunctus eſt, Dominus Innocentius eſt electus, poſt quem die ipſo ad horam tertiam Petrus Portuenſis Epiſcopus, Petrum filium Petri Leonis elegit*. Hæc quidem de electionis tempore; at de modo, quo eumdẽ in ſummũ inaugurari Pontificem contigit, Sugerius Abbas eiuſdem temporis, & magni quidem nominis Scriptor in Ludouici Regis Francorum geſtis hæc meminit: *Venerandæ memoriæ ſummo pontifice, & vniuerſali papa Honorio viam*

Chronicon Beneuentanum.

Sugerius in vit. S. Ludouic.

vniuerſæ carnis ingreſſo, cum Eccleſia Romana, maiores, & ſapientiores ad remouendum eccleſiæ tumultum conſenſiſſent, apud S. Marcum, & non alibi, & non niſi communiter more Romano celebrem fieri electionem, qui & aſſiduitate, & familiaritate propinquiores Apoſtolici fuere, timore tumultuantium Romanorũ illuc conuenire non audentes, antequam publicaretur Domini papæ deceſſus, perſonam venerabilem Cardinalem de Sancto Angelo Diaconum, Gregorium ſummum eligunt Pontificem. Qui autem Petri Leonis parti fauebant, ad S. Marcum, pro pacto alios inuitantes conuenerunt, Dominique papæ morte comperta, ipſum eumdẽ Petrum Sezius Cardinalem præsbyterum multorum, & Epiſcoporum, & Cardinalium, & Clericorum, & Romanorum nobilium conſenſu votiuè elegerũt. Hæc de vtriuſque in Romanum pontificem electi formula Sugerius.

Innocentij, & Petri Leonis electiones diuerſæ.

46. At quod ad Innocentium pertinet, ipſum Monaſtici Ordinis ſectatorem fuiſſe conſtat, prout ex Archiuo tituli S. Praxedis Baronius noſter his verbis tradit. *Dominus Gregorius monachus Lateranenſis Cœnobij SS.* Ioannis *Baptiſtæ, Ioannis Euangeliſtæ, atque Pancratij, idemque Abbas monaſterij SS. Nicolai, & Primitiui Ordinis S. Benedicti, loco, qui vocatur Gabis, prope lacum Burranũ, qui ab Vrbano papa Secundo creatus eſt S. R. E. Cardinalis Diaconus Sancti Angeli, mortuoque Honorio Papa in pontificem legitimi electus Innocentius dictus eſt. In cuius odiũ, & æmulationẽ eleuatur in thronum à factioſis Petrus Leonis filius presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ Transtyberim, atque Anacletus Secundus eſt nominatus.* Hæc ibi. Porrò iſta in Romano deſignando pontifice animorum diſſenſio, ingentes in tota Dei Eccleſia turbas excitauit, vt Anonymus eiuſdem temporis ſcriptor Vaticano ex codice in hæc verba aſtipulatur: *Magna in Vrbe diſcordia facta eſt: nam Epiſcopi, & Cardinales ſe in duas partes diuiſerunt, ſed melior, & ſanior pars cum eodem* Innocentio, *qui maioribus ſtudijs, & meritis iuuabatur, adhæſit. Omnes ſubſcripti cum ipſo conſtanter ſteterunt. Vuillelmus Prænotinus Matthæus Albanenſis Epiſcopus, Io. Oſtienſis, Corradus Sabinenſis Epiſc. &c.* Vbi reliqua Cardinaliũ, qui eidem adſtipulati ſunt, nomina recenſet. Et paulò poſt, hæc habet: *Petrus autem Leonis cum ſectatoribus ſuis humilitatem* Innocentij *paruipendens, non poſuit Deum adiutorem ſibi, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum, in potentia parentum, in fortitudine munitionum, & hoſtiliter fecit aggredi domos Frangipanum, in quibus* Innocentius *ſe receperat cum ſuis fratribus. Sed contra ſpem ſibi accidit, quin, &* Innocentij *partem modicum læſit, & eius ſatellites, non ſine graui damno ad eum ſunt reuerſi. Vnde in indignationẽ, & iram commotus, ad S. Petrum cum indignatione, maxima cum multitudine equitauit, & ipſam, quam cepit Eccleſiã, per violentiam introiuit, & per Sanctuarium, & aureum crucifixum pendentes coronas cum toto Theſauro argenti & auri, & pretioſis lapidibus, ſiue gemmis, quas Romani pontifices, orthodoxique* Imperatores *in Eccleſia ipſa cum deuotione obtulerant, tanquam ſacrilegus auferre, & ciborium, quod ſupra altare B. Leo conſtruxerat, detruncare præſumpſit. Sublatis autem, & arreptis omnibus, ad patriarchium B. Mariæ acceſſit, & Eccleſiam ipſam multò maiori Theſauro dotatam expoliare nihilominus attentauit; Ad alias præterea Vrbis Eccleſias manus extendẽs, quidquid in eis pretioſum inuenit, ſimiliter rapuit, & aſportauit.* Ex quibus ſanè impii inuaſoris audaciam manifeſtis, vt Euangelicæ docent tabulæ, circumſcriptam notis videre eſt: *Qui aliunde intrat, in ouile ouium (inquit Chriſtus)*

Innocẽtius monaſticis inſtitutis ex cultus. *Baronius to. 12. an. 1130. num. 3.*

Anonymus ex Codice Vaticano.

Quinam ipſum delegerint.

Ex Codice Vaticano vt ſupra.

Illũ Petrus Leonis fruſtra oppugnat.

Immane pſeudopontificis ſacrilegium.

Vt prædonem egerit non paſtorẽ *Ioann. c. 10.*

Ioan. cap. 10.

ſtus) ille fur eſt, & latro, Anacletus igitur ſacroſanctis Baſilicis vim inferens, ſacraſque diripiendo ſarcinas, ſe prædonem Eccleſiæ, haud præſulem paſtoremque, facto comprobauit; ſed furtis, ac rapinis, vt ſuo reſponderet nomini, Leonis crudelitatem iunxit: hæc enim in Vaticano codice:

Codex Vatican. vbi ſup.

Plebis ſtudia ſacro auro mercatus ſit.

Talibus ergo, tantiſque mercibus iniquè dotatus, maiorem venalis Vrbis partem emere ſtuduit, corrumpens vulgus etiam ſibi adſtrinxit, vt præter Frangipanum, & Corſorum munitiones, Papa Innocentius nullum in Vrbe ſubſidium haberet. Cùm igitur Pontifex ipſe vndique, ita eſſet obſeſſus, & nemo ad eius præſentiam ſine periculo vitæ poſſet accedere: conſilium habuit exeundi Vrbē, ac tranſeundi in partes Galliarum. Aſcendit ergo duas galeas cum omnibus fratribus, qui ſecum ſteterant, præter Conradum Sabinenſem Epiſcopum, quē Vicarium in Vrbe reliquit, & faucibus Tyberis cum difficultate tranſcenſis ad comitatum Piſanum cum proſperitate Deo auctore peruenit. Hæc Anonymus, quæ, vt ampliorem fidem ſortiantur, & ſi auctoris, vt mos eſt, nomen non præferant, Bernardum Bonauallenſem Abbatem, qui ſub hæc planè tempora floruit, & probè cuncta didicerat, in conſcriptis à ſe geſtis S. Bernardi Abbatis Clarauallenſis adſtipulatorē his verbis habent.

Innocentius cum Cardinalibus fugit in Gallias.

47. *Pars altera infames auſus, violentia non ratione corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem aſpirantem fraudulentis machinationibus ſeorſum, & præcipitanter nominauit Anacletum, & cæteris renitentibus ordinauit. Qui verò in parte catholica erant, electum ſuum ſolemniter ordinatum collocarunt in Cathedra, & per loca illa, in quibus ſeſſiones habent ex antiqua conſuetudine Romani Pontifices circumduxere, & pro tempore honor debitus Apoſtolicæ aſſuit dignitati. Et tunc ſanè circa Lateranenſe palatium morabantur, nec erat iam eis tuta in domibus proprijs māſio, cum eos acerrimè Petri ſatellites infeſtarent. Hi etiam diu reſiſtere non valentes, per confæderatos ſibi quoſdam ex nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perſeuerauit fidelitas. Nam in breui, aut vi, aut formidine temerariæ multitudinis, aut pretio corrupti ſunt: Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium ſibi affinitate multitudo tanta erat, vt ferè tota eum Ciuitas ſequeretur, vel pecunia, vel commodis obligata.*

Bernardus Bonaual. in vit. S. Bernardi lib. 2.

Multi ab eo reſiliunt.

48. *Congregauerat ſanè opes innumeras, tam exactionibus curiæ, quàm in legationum negotiationibus, quas ad expectandas nundinas reſeruauerat, inſuper & paterni cenſus ampla congeries eatenus ſigillata, modò diſtributa in populum, ad fas & nefas venalem plebem armauerat. Quibus erogatis donaria Regum in ornamentis Eccleſiæ, ab ipſis euulſit altaribus; & cum calices frangere, & crucifixos aureos membratim diuidere ipſi prophani Chriſtiani vel timerent, vel erubeſcerent, Iudæos aiunt eſſe quæſitos, qui ſacra vaſa, & imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quiſque pro modo ſuo, ſecundùm maius, & minus conducti ad ſcelus, ſacramentis generalibus publicè Petro vendiderunt aſſenſum, & in omnem ſanguinem manus expoſuerunt, & arma, & quotidianis congreſſibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis inſectabantur, & gladijs, Habuerunt igitur ſerui Dei conſilium, & quia via humana ſe tueri non poterant, cedere elegerunt, & procuratis clam nauigijs de ore Leonis, & de manu beſtiæ per Tyberim, & Tyrrenum mare elapſi proſperis vētis carbaſa impellentibus ad portum Piſanum feliciter appulerunt.*

Vt opibus abuſus ſit Anacletus.

Iudæis aureas, & argenteas Chriſti imagines conflandas dederit.

Seditio exorta in Vrbe.

Hucuſ-

Hucuſque de addictis Antipapæ hominibus, ac de vrbanis ſchiſmaticorum turbis Bernardus Abbas Bonæuallis, ſed & ipſemet S. Bernardus in epiſtola, quam poſteà ſub Eugenio papa ad Romanos conſcripſit, execrandis iſthæc probris referta in eoſdem congeſſit.

Ber. epiſt. 242. Bernardi planctus de ſacrilegijs ſchiſmaticorum.

48. *Recordare*, inquit, *qua cauſa, quo fine, per quos, & in quos vſus non longè ante hos dies cunctarum, quæ in te ſunt Eccleſiarum omnis ornatus, & cenſus profligatus eſt, quidquid in altaribus, & in altarium vaſis, quidquid in ipſis ſacris imaginibus auri, & argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum, & aſportatum eſt. Quod ex his omnibus tu in tuis tũc marſupijs inuenis? Porrò decor domus Domini irrecuperabiliter perijt; Et nunc quid tibi viſum eſt iterare malitiam, innouare denuo ſupra te dies malos?* Hæc Bernardus Romanis tunc potiſſimũ, cùm & Eugenium Pontificem Vrbe profugum amandaſſent, vehementiùs inculcare non deſtitit. Verùm enim vero Deus petulãtiores pſeudopapæ, ſchiſmaticorũque pariter vrbanorum aſtus Innocentio decedente haud inultos abire permiſit: nam eodem anno, quo iſthæc in Vrbe ſcelera peragebantur, ingenti Romanos annonæ penuria diuexatos in conſcriptis Innocentij actis hunc in modum traditur:

Diuina vltio fame Romanos premit.

Acta Innoc. Papæ 2.

Huius temporibus, primo anno pontificatus ſui tam valida fames Romæ fuit, vt frumenti ſextarium, quinque ſolidis denariorum papalium venderetur. Sed quænam tunc temporis eſſet Romanæ Eccleſiæ facies, ſub Anacleto cuncta, tum prophana, tum ſacra deuaſtante, & quàm acerba ſub inuiſo idolo, infeſtaque tyrannidis procella, & rerũ vrbanarum calamitas Bernardus verbis haud obſcuris viſus eſt adumbraſſe dum ait: *Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto, quem vt obtineret, incendit igni ſanctuarium Dei, perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam.*

Ber. epiſt. 124. Triſtis Romanæ Eccleſię facies exercente tyrannidem Anacleto.

En quibus verborum coloribus Anacletus, non autem Innocentius à ſancto viro deſcribatur, vt perperam nouatores, liuore in Romanam Eccleſiã, ac odio tabeſcentes interpretari auſi ſunt; Quippe de Innocentio pontifice idem ſatis honorificè his verbis meminit:

Ber. vbi ſup. Pij Innocentiũ ſequuti.

Ecce Chriſtus Domini iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Nam qui ſunt Dei libenter iunguntur ei, qui autem ex aduerſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus. Vides Lector Bernardum haud in aſſerendo ambiguum tergiuerſantemque, & ab ipſius ore, quis è duobus Chriſtus, quiſue Antichriſtus appellandus ſit, probè intelligis, vt ſuppoſititium à vero capite, & apoſtaticum ab Apoſtolico hominem dignoſcere ſatis valeas; ſed vt perſpicuè magis hũc de facie internoſcas, ipsũmet quaſi digito Sanctiſſimus Abbas lectori præmonſtrat:

S. Bern. epiſt. 125. ad Gaufridum.

Apoc. c. 13.

S. Bern. epiſt. ad Epiſcopos Aquitaniæ.

Beſtia illa, inquit, de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri Cathedrã occupat, tanquam Leo paratus ad prædam. Sed & ad Aquitaniæ Epiſcopos ſcribens, paribus verbis idem affirmat, *Velimus, inquit, nolimus, impleri quandoque neceſſe eſt veritatem Spiritus ſancti, fierique illam, quæ prophetico ſpiritu prænuntiata legitur in Scripturis diſceſſio: Sed væ homini per quem venit. Quis verò ille niſi homo peccati, qui ſupra electum à catholicis catholicum, & Canonicè locum ſanctum inuaſit? Quem tamen non quia ſanctus, ſed quia ſummus eſt affectauit. Inuaſit, inquam, inuaſit armis, igne, pecunia, non vitæ merito, vel virtutum peruenit, in quo ſtat, & ſtat in quo peruenit. Nã*

illa, quam iactat iuratorum ſuorum non electio, ſed factio, vmbra tantum fuit, et occaſio, et velamentum malitiæ.

Verùm quod ad vtriuſque electionem ſpectare videtur, vt cui nam thronus Apoſtolicus iure merito, & contra ſchiſmaticos palma, nec non debitus reuerentiæ cultus deferendus ſit, quiuis vnus hæc perlegens intelligat, Bernardum hac ſuper re id velut æqui, boniqueque arbitrum, & pro Innocentio, cuius potiſſima in Pontificia ſede iura fuere, ſententiam his verbis pronunciantem conſulat.

Argumenta pro Innocētio.

Electio melior, approbatio pluriũ morum atteſtatio. S. Bern epiſt. 124. & 125.

49. *De quo primum* (inquit) *funiculus triplex diffitile rumpitur: electio meliorum, approbatio plurium, et quod his efficacius eſt, morum atteſtatio* Innocentium apud omnes commendant, ſummum confirmant Pontificem. Idemque in ſequenti epiſtola alijs verbis repetit, inſinuatque. *Meritò autem* (inquit) *illum recipit Eccleſia, cuius, et opinio clarior, et electio ſanior inuenta eſt, nimirum eligentium, et numero vinces et merito.* Id ipſum, ad Aquitaniæ Epiſcopos ſcribens, confirmare non deſinit, dùm ait: *Stat quippe ſententia Eccleſiaſtica et authentica, poſt primam electionem, non eſſe ſecundam. Celebrata proinde prima, quæ ſecundo præſumpta eſt, non eſt ſecunda, ſed nulla. Nam et ſi quid minùs fortè ſolemniter, minuſque ordinabiliter proceſſit, vt hoſtes vnitatis contendunt: numquid tamen præſumi altera debuit, niſi ſanè priore priùs diſcuſſa ratione, caſſato iudicio? Ea propter, qui ſe ſuperingerere feſtinant, quique temerario temere manus imponere nihilominus accelerauerunt, Apoſtolo prohibente: Nemini citò manum imponas, ipſi proculdubio maius peccatum habent, ipſi auctores ſchiſmatis, ipſi grandis malitiæ huius principes extitere.* Et hæc infra Bernardus, antecedentibus ſubtexit.

S. Ber ep. 126. — 1. ad Timoth. cap. 5.

Poſt primā electionem non datur ſecunda, ſed nulla. S. Bern. ep. 127. ad Epiſcopos Aquitaniæ.

Reſcindi iudicio debuit prior quam ſecunda præſumi. 1. ad Timot. cap. 5.

S. Ber. ep. 126

Duo itaque ſunt de quibus contenditur: quiſnam eorum rectiùs videatur Papa. Quorum primò quidem, ſi perſonas compares, vt neutri ſanè, vel derogare videar, vel adulari: dicam, quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diſfiteri: quia videlicet Innocentij *noſtri vita, vel fama, nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta ſit: De hinc ſi electiones diſcutias, noſtri itidem mox occurrit in promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore conſtat, reliqua duo merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim ni fallor, partem ſaniorem inuenies tam Epiſcopos, quam Cardinales Diaconos, ſiue presbyteros, & quorum maximè intereſt de electione ſũmi Pontificis, & quanti in eligendo iuxta patrum ſcita ſufficiant. Quid, & in conſecratione? Non ne Oſtienſem, ad quem ſpecialiter ſpectat, habemus? Cùm igitur, & electus dignior, & electio ſanior, & actio ordinabilior teneatur: qua iſti ratione, imò qua contentione contra ius, & fas, & vota omnium bonorum, inuitæ, & renitenti Dei Eccleſiæ præficere alium, & illum deponere tentant? Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario totis eſſe viribus renitendum eſſe videtis, Reuerendiſſimi, &* Illuſtriſſimi *P. P.* Hæc Bernardus apud Aquitanos Epiſcopos pro Innocentio aduerſus Anacletum pſeudopapam, inuaſoréque Apoſtolici throni ſapientiſſimis tũc verbis peroraſſe viſus eſt; & res quidem apud Deum, maxime tanto adnitente viro feliciter cũctoſq; apud Catholicos, tum Reges, Principeſque, tum Imperatores Eccleſiæ ceſſit; eius quippe auctoritate, cùm eiuſmodi ſuper re Cōcilium iam coactum fuiſſet: eius inquam auctoritate Innocentius legitimus Eccleſię ſponſus, deſignatuſque à Deo Pontifex: Adulterinus autẽ, ſchiſmaticuſq; Ana-

Innocentij electio non modo prior ſed etiam purior.

Electus dignior electio ſanior.

S. Bernardi auctoritas pro Innocētio apud Reges valuit.

Digitized by Google

Anacletus non tam paſtor, quàm proditor renunciatus eſt.

Conuicia ſchiſmaticorum in Pōtificem.

50. Porrò Innocentius inter has rerum anguſtias fugam arripere, compulſus eſt, quem ignominiæ cauſa ſchiſmatici Cainum à facie Domini profugum appellare non timuerunt, & Anacletus ipſe in ea, quam ad Lotharium Regem ſcripſit epiſtola.

Anacletus epiſt. ad Lotharium regem.

At laudabilem Innocentij fugam, vt vrbanos tumultus declinaret, ac Euangelicis Chriſti Domini monitis inhæreret, apologetico Bernardus ſermone ad Hildebertum his verbis ſcribens defendit:

Confutata à S.Bernar. *S.Ber.ep.124 ad Hildebertum.*

Fugit ille nimirum à facie Leonis, ſicut dicit Propheta: *Leo rugiet, quis non timebit? Fugit ſecundum præceptum Domini dicentis: ſi vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Fugit, & in hoc verè virum Apoſtolicum probans, quod Apoſtolica ſeſe forma inſignuerit. Nec enim Paulus erubuit in ſporta demitti per murum, & ſic effugere manus quærentium animam ſuam. Subfugit autem non parcens vitæ ſuæ, ſed dans locum iræ, non vt mortem euaderet, ſed potius vt vitam acquireret. Merito Eccleſia* Innocentio *concedit ipſius vicem, quem per eadem veſtigia gradientem cernit, nec ſanè otioſa fuga* Innocentij; *laborat quidem, ſed honeſtatur in laboribus ſuis. Pulſus Vrbe, ab Orbe ſuſcipitur, à finibus terræ occurritur cum panibus fugienti.* Hæc Bernardus, dum initæ ab Innocentio fugæ, non ſecùs ac nobiliſſimi vel inter fugiendum triumphi rationem reddit.

Fuga Innocentij defenſa.

Extincto antipapę alter ſuffectus.

51. Verùm Petro Leone pſeudopapa deinde mortuo, impius alter ſufficitur, qui tandem Dei præuentus gratia, pontificatu ſe abdicans, Innocentium papam ſupplex agnouit, funeſtumque, quod tunc maximè in Chriſtiano orbe vigebat, ſchiſma Deo feliciter aſpirante ſopitum eſt: Hęc enim ex Beneuentano Chronico:

Chronicon Beneuentanū

Cum prædictus Anacletus mortuus eſſet, Cardinales eius conſilio accepto à fratribus ipſius Anacleti ad regem miſerunt Rogerium, ipſique Anacleti mortem ſignificantes quæſierunt, ſi ei placeret, vt papam conſtituerent, Rex itaque vt Domini Innocentij *partem impediret, voluntati eorum aſſenſit, & papam eligendi poteſtatem dedit. Qui Romam reuerſi, fautoribus eorum congregatis, medio menſe Martio Gregorium Cardinalem presbyterum ſibi papam, imò inuaſorem conſtituerunt, Victoremque eum vocauerunt. Sed Dei clementia auxiliante, hereſis illa, & inuocatio paruo tempore regnauit. Diebus autem non multis euolutis, fratres prædicti Anacleti, tantam cognoſcentes turbationem, in ſe reuerſi, domino fauente, cum prædicto Domino Innocentio papa pacis firmamentum compoſuerunt, & ipſi, & omnes* Innocentij *aduerſarij ad eius fidelitatem conuerſi ſunt. Et ſceleratus ille, qui ſub Victoris nomine apparuit, veſtem, & mitram depoſuit, & ad voluntatem pontificis Innocentij peruenit, ſicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana Ciuitas exultauit: nam ipſe* Innocentius *ad vnitatem, & concordiam vniuerſam Eccleſiam Domino auxiliante perduxit.* Quod conſonis item verbis in S. Bernardi geſtis auctor expreſſit, dum ait.

Is fuit Gregorius pſeudocardinalis.

Romani cõciliati Innocentio.

Victor antipapa præſumpta inſignia abdicat

52. *Attamen pars illius* (Anacleti videlicet) *papam ſibi pro illo alterum ſtatuerunt, non tam ex pertinacia ſchiſmatis, quam vt opportuniùs per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur, quod ſine mora per manum ſerui ſui* (S.Bernardi videlicet) *Chriſtus effecit, nam & ipſe ridiculus pontifex, Petri Leonis hæres, ad eumdem virum Dei nocte ſe contulit, & ille eum nudatum quidem vſurpatis inſignibus,*

A S. Bernardo ad Innocentij pedes adductus.

Digitized by Google

gnibus, ad Domini Innocentij pedes adduxit; Quo facto Ciuitas congratulabūda lætatur, Innocentio Eccleſia redditur, Romanus populus, vt paſtorem, & Dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræuallis in mira reuerentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles proſequuntur, acclamat populus, matronæ ſequuntur, & omnes ei prompto animo obſequūtur; ſed quãdiù gloriam ille tolerauit? quandiù pace fruitus eſt, poſt tantum laborem? Nec diem pro anno recipere acquieuit. Sedatis omnibus, & compoſitis vix quinque dies teneri potuit, qui annis ſeptem & vltrà, pro reſarcienda eadem ſciſſione ſudauit. Exeuntem Roma proſequitur, deducit clerus, accurrit populus, vniuerſa nobilitas comitatur, nec poterat ſine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Igitur firmata pace, vir Dei regreditur, & duplex exhibens gaudium cum exultatione vniuerſæ terræ ſuſcipitur. Hæc poſt ſedatam diutinam funeſti ſchiſmatis procellam, de feſtino Bernardi reditu, geſtorum ſcriptor enarrat. At Bernardum ipſumet præ gaudio geſtientē, reditumque ad ſuos Claræuallenſes Monachos accelerantem, in epiſtola ad Godefridum Lingonienſem, poſteà Epiſcopum audire præſtat.

Florentiſſima S. Bernardi fama.

Vt pacata eccleſia monaſterium repetierit.

53. *In octauis, inquit, Pentecoſtes ipſa die compleuit Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ vnitatem, & Vrbi dando pacem. Nam illa die filij Petri Leonis omnes ſimul humiliauerunt ſe ad pedes domini Papæ, & fuere homines eius ligij, iurauerunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in ſchiſmate erant, ſimul cum idolo, quod execrant, (Antipapam videlicet), humiliantes ſe ad pedes domini Papæ, obedientiam ei iuxta morē promiſerunt, & facta eſt lætitia magna in populo. Hanc pacem niſi cum quadam ſecuritate, occulta tamē dici à nobis expectauiſſemus, iam dudum veniſſemus. De cætero iam nihil eſt, quod nos hic detineat; Facio, quod imperaſtis. Veniam, vertimus in. Venio. Ecce enim venio citò, etiam, & merces mea mecum eſt, victoria Chriſti, & pax Eccleſiæ. Sexta feria poſt diem illum egreſſus eſt noſter de ciuitate. Itaque venientes veniemus cum exultatione portantes manipulos pacis. Et hæc quidem verba pulchra ſunt, ſed pulchriora ſunt, vt quiſquis non lætatur in eis, aut ſtultus ſit, aut nequam. Vale.* Hactenus ad Godefridum de extincto, conſopitoque Anacleti ſchiſmate, poſt pſeudopapæ obitum, qui audacem vna cum auctore perſidiam, prophanumque ſepulchro, ac tenebris idolum, cultoreſque pariter ſilentio, Deo vlciſcente addixit.

Ber. epiſ. 320. ad Lingonit. Godefr.

Proceres ſchiſmatici fidem Innocentio obſtringunt.

Pax vrbano clero reſtituta.

Ber. vbi ſup.

54. Porrò obſcura iugiter Anacleti, qui portentoſum ſe, ingloriumque commentus fuerat Eccleſiæ caput, memoria, ac ipſius pariter ſepulchrum tenebris pro merito reſperſum manſit; *Quippe* vt Bernardus Bonæuallis ait, *ſcelere tantum impietatis, ac funere claruit*; Sed cunctis ignotū, eius fama obliterante ſepulchrum, perſtitiſſe his verbis traditur: *Miſerabili (inquit) pompa corpus eius effertur, cadauer eius in tenebris ſepelitur; & vſque hodie fouea illa à Catholicis ignoratur.* Ex quo erroris iuſtiſſimè arguuntur, qui nobilem ſepulchralem titulum, Petri Leonis nomine prænotatum, Anacleto pſeudopapæ perperam fuiſſe inſcriptum aſſerunt, qui titulus in Baſilicæ Diui Pauli, quæ via Oſtienſi ſita eſt, atrio ad hanc vſque diem cernitur, & his quidem carminibus egregiè inſculptus legitur.

Bernardus Bonæuallis vita S. Bern. lib. 2. cap. 7. apud Surium tom. 4 die 20. Auguſti.

Anacletus ſcelere impietatis, & funere tantū claruit.

Baron. to. 12 ann. 1130. 1138. &c.

Eius Epitaphium.

Præterit, vt ventus Princeps, ſeu
Rex opulentus,

Hic ventus fumus pulnis & vmbra fuit. *Baron. annal. tom. 12. ann. 1144.*

Et nos, vt fumus, puluis & vmbra ſumus.
Tot, tantiſque bonis pollens Petrus ecce Leonis,
Reſpice quàm modico nunc tegitur tumulo.
Vir fuit immenſus, quem moles, gloria, cenſus,
Suſtulit in vita, nos ſic vt alter ita.
Legum ſeruator, Patriæ decus, Vrbis amator,
Extruxit celſis turribus aſtra poli;
Omnia præclara mors obtenebrauit amara,
Numinis ergo Dei gratia parcat ei.
Iunius in mundo fulgebat ſole ſecũdo
Separat hunc nobis cum polus atque lapis.

55. Et hæc quidem ſepulchralis, qui inſcriptus eſt Petro Leoni titulus, prę ſe fert; quorum primæ carminum notæ, eiuſdem nomen concinnè legenti exaratum, condigniſque virum laudum præconiis concelebrandum exhibent, eiuſdemque erga beatiſſimos Apoſtolos piæ mentis cultum, notis haud obſcuris inculcant; ſepulchro quippe, hæc tria carmina, præclaros veluti meritorũ indices inſculpi contigit:

Confictum ab aſſentatore elogium. *Baron. to. 12. ann. 1144.*

Te Petrus, & Paulus conſeruent Petre Leonis
Dent animam cælo, quos tam deuotus amaſti:
Et quibus eſt idem tumulus, ſit gloria tecum.

Abſit ergo, vt hæc pſeudopapæ, & Antichriſti ipſius prę curſori religioſę monimenta pietatis cõſonent, quę viro Leoni alteri pietate cõſpicuo, Petro videlicet eiuſdem pſeudopapę genitori, pro meritis inſcripta, concinnataque leguntur; quippe, qui de Romana Eccleſia, ac de Apoſtolica Petri Sede optimè meritus vberem poſteris laudum ſuarum copiam pro ampliſſima hęreditate reliquit; vt Anacletus eius filius, & ſi à patre degener, epiſtola ad Lotharium Imperatorem ſub perditę intruſionis initia his verbis meminit.

Veteris (inquit) amicitiæ memores, & eius præcipuè, quæ inter te, & bonæ memoriæ Patrem meum longo tempore ſtabili firmitate durauit, dignum duximus nobilem prudentiam tuam Sedis Apoſtolicæ litteris viſitare. Huic igitur ſpecioſus iſte ſepulchri titulus haud filio, ſchiſmatico homini, atque Apoſtatico optime conſonat, quo fortaſſe nomine enormiter quidam decepti, ſepulchrum, vtpote incultum, titulumque prorſus neglectum, vt ſchiſmatici hominis aboleretur nomẽ, nec tamẽ abſq; graui alterius iniuria ſubſiſtere permiſerunt, haud profectò, vbi opus eſt, ſeriò ſecum animo recogitantes, quod optimi viri nomen, memoriamque abolendo, non ex impio, ſed ex viro pijſſimo iniquè pœnas repeterent; quę nos hic vel obiter, vt ſacrę conſulamus antiquitati, ac impij, nõ vero pij memoriã hominis aboleri cupientes, obiter enarraſſe voluimus, quemadmodum nonnulli perperam arbitrati ſunt; & quidem de Petro Leone huius genitore, Baronius noſter in ſuis annalibus diſertè meminit, in quibus nobile ſepulchri eiuſdem, quod ſupra meminimus, monumentum recenſet; at de Petro Leone ſchiſmatico hactenus enarraſſe ſufficiat.

Bibliot. Caſſin. C. miles. ver. ſi ipſius.

Ioannes Seueranus lib. de ſeptem vrbis eccleſ. in S. Pauli eccl. pag. 400.

56. Porrò Antipapę, qui (vti tyrannorum, proditorumque eſt) dolo, maliſque artibus auguſtiſſimam Petri Sedem occupare auſi ſunt, malo item exitu proculdubio ſublati leguntur, vt in Paſchali, & Ioanne huiusnominis tertio pſeudopapa ſatis liquet, quo infeliciſſimos, ac vitiis fędum in modum reſperſos, inquinatoſque

toſque memoriæ proditum eſt, id quod in ipſius Alexandri Papæ actis hunc in modum exponitur.

Baron to. 12. ann. 1170. nu. 54. 56.

Eodem tempore Guido Cremenſis, qui & Paſchalis Antipapa dictus, cùm apud B. Petri eccleſiam incubaret, & in cœpta ſui erroris pertinacia moraretur: ab eodem Apoſtolo immiſſus cancri morbus in renibus eius apparuit; cum pulmonis anhelitu tamdiù emiſit ſaniem fœtidam, donec infelicem ſpiritum impœnitens exhalauit, & peſſima morte occubuit; quapropter quidam Metographus rem metricè cecinit dicens:

Paſchalis Antipapæ mors infœlix.

Acta Alexandri Papæ 2.

Corruit inſani Guidonis, & Octauiani,
Impia Maieſtas, atque intoleranda Poteſtas;
Surgit Alexander, ratione prior, Petrus alter,
Stat nunc in petra, poſthæc ſtatuendus in æthra.

Sublatis igitur de medio deſolationis ſuæ duobus capitibus, reſidua ſchiſmaticorum plebs in deſperationis voragine conſtituta, cùm nullus de Eccleſiæ ſuæ corpore ſupereſſet, quem ſibi præficere poſſent, aſſumpſerunt quemdam Ioannem Abbatem Strumenſem, virum Apoſtatam, lubricum, voracem, atque gyrouagum, non ſine riſu, & multorum ludibrio in cornutam tertiam beſtiam erigentes in cathedra peſtilentiæ, tanquā perfidi, & pertinaces ipſam abominationem adorare, & venerari ſpiritu diabolico præſumpſerunt. Is apoſtaticus homo cùm pro ſuis meritis ſperneretur ab omnibus bonis, & odio haberetur, adhæſit prauis, & ſceleratis, quorum præpoſitus, & princeps haud diutiùs extitit. Huius fautores, & domeſtici familiares fuerunt apoſtatæ, lenones, ſcurræ, fugitiui ex monaſterijs, & pro ſuis ſceleribus damnati, fures quoque, & raptores, ipſi egeno & pauperi, viatorum & peregrinorum ſpolia conferebant. En tibi quibus præcipuis nequitiæ characteribus immanis beſtia ſingulariter prænotata, in Petri throno ſedere præſumpſit, ſed reliqua nunc proſequamur.

Ioannes Abbas primo in pſeudopontificatu ſuccedit.

Vt erat turpiſſimus familiam turpiſſimam eſt nactus.

Interea Imperator Fridericus videns duas, quas erexerat, ex diuino iudicio beſtias corruiſſe, atque tertiam non de corpore Romanæ Eccleſiæ, ſed de complicum ſuorum collegio fuiſſe aſſumptā pariter & electam, doluit vſque ad præcordia, ex eo quòd pars eius ad nihilum deueniſſet, & quòd Alexandri Papæ cauſa conualeſcens in melius ſemper proficeret; ſed ne in malo ſuperare videretur, & omninò confundi: ſimulauit, ſicut homo callidus, & valdè aſtutus præfatam beſtiam venerari, & præcepit fautoribus ſuis, vt eam manutenerent, & ſuſtentarent. Poſt aliquantum verò temporis ad conſueta, & callida ſe argumenta conuertens, vt omnium fauorem poſſet acquirere: bonam voluntatem, & pium deſiderium de formanda eccleſia, atque imperij pace habere fraudulenter oſtendit. Quippe qui & in tantum ſe humiliauit, quod Epiſcopum Bambergenſem, qui catholicus ſpiritu extiterat, vſque Beneuentum ad præſentiam papæ Alexandri tranſmitteret, cui dederat poteſtatem, vt cum eo iuxta formam Capitulorum; quæ ipſi commiſerat, concordiam & pacem firmaret; Iniunxit etiam ipſi, vt hæc omnia eidem Pontifici tantummodo reuelaret; Quod quidem ſicut poſtmodum claruit, hæc aſtutia feciſſe dignoſcitur, vt inter Romanam Eccleſiam & Longobardos ſcandalum poneret, & eos ab inuicem ſepararet.

Fridericus Imp. illi fauet occulta fraude.

Agit cum Alexādro de concordia.

Inſubres tētat ab eius fœdere diuellere.

At Alexander papa audito Epiſcopo, & ſatis ambigue de obſequio Pontifici Romano præſtando tunc loquentem his verbis compellaſſe legitur; P*rudentiā tuam, dilecte in Chriſto frater, valdè miramur, quod huiuſ-*

Acta Alexādri Papæ 2.

modi legationem ad nos, qui calliditates, & aſtutias mittentis non ignoramus; quaſi neſcius detuliſti. Cùm enim ſicuti aſſeris, idem imperator factas à nobis ordinationes iam Deo gratas velit reſpicere, atque ab alijs ratas haberi, & in perſona noſtra non conſentiat: qui licet indignè, canonicè tamen Beato Petro in Sede Apoſtolica ſucceſſimus: quid aliud eſt agere, niſi Deum venerari, & colere ex parte, & ex parte ipſum negare? Cauſam noſtram tota Dei Eccleſia in alijs regibus, & principibus Chriſtianis iam iudicauit canonicam, iam amplectitur, et nobis vſquequaque obeditur. Si ergo inter oues, quas Deus Beato Petro paſcendas commiſit, vult numerari: quid ampliùs differt eidem Principi Apoſtolorum ceruicem ſuam flectere, & catholicæ ſeſe vnitati aggregare? Hæc & alia tunc Alexander elatum petulantemq; ſchiſmatici Imperatoris animum ad ſanæ mentis cõſilia reducere cupiens perorauit: Ex quibus, vt vides, palam fit, vix raro, & non abſque ingenti opera, ac laboris ſtudio ſchiſmaticos homines ad cor redire, & prauos, quos ſemel imbiberunt errores, execrari conſueuiſſe.

Alexandri reſponſum.

57. Sed vt ſuſceptæ enarrationi inſiſtamus: à præmemoratis pſeudopõtificibus ſecernẽdus nõ eſt Robertus Gebennenſis, olim tit. SS. Duocim Apoſt. Presbyt. Cardinalis antipapa, qui in ſchiſmate contra Vrbanum VI. Romanum pontificem Clemens II. dictus, vniuerſam proſcindens Eccleſiam in magnas eamdem adduxit calamitatũ anguſtias, Deo tãdem ſuæ iniurias Eccleſiæ, damnaque vlciſcẽte, repente miſer è vita, paralyſi ſublatus eſt. Cùm enim Galli Auenionẽſem pſeudopontificatum abolendum cenſerent, ipſe mœrore contabeſcens, iraque ob id ſuccenſus viuendi finem fecit, vt Iuuenalis Vrſinus narrat, cui & pſeudopontificis vitæ ſcriptor his verbis adſtipulatur: *Poſt ſatis breuem (inquit) infirmitatem die xvj. menſis Septembris, anno Domini* 1394. *pontificatus ſui* (nẽpe ficti) 16. *diem clauſit extremum in Auenione.* Enim vero cum Petrus è Luna in antipapatu ſucceſſor, qui ei in primis fauebat, Robertũ põtificijs exuendum inſignibus vellet, contẽderetq;, pſeudopontifici ante tempus mortem accerſiuiſſe in ſuſpicionem venit, ad quam diluendam, idem Petrus poſtea apologiam texens, ſuis oratoribus prouinciam dedit, vt has repentini, præcipitiſque Roberti obitus cauſas euulgarẽt: *Vnus (nempe doctor ex Pariſienſi Academia) mãdauit Domino Clementi, quod à modo, vel ampliùs non poterat ipſum defendere. Item idem dixerunt ſibi alij: & ex illis recepit iram, & malinconiam Dominus Clemens, non propter verba domini Cardinalis de Luna, vt credo.* Is quippe pridẽ cedendum eſſe pontificatui edixerat, & ni aſſẽtiretur, Auenionenſi aula abſcedere meditabatur, & quidem pſeudopontificem multis reſperſum vitijs fuiſſe, quibus tamen Petrus è Luna ſe immunem eſſe contendens, dum ad ſe pſeudopontificatu abdicandum vrgeretur, longè turpiore in propagando ſchiſmate ambitione detentum his verbis teſtatus eſt. *Item imponitur ſibi, quod ipſe proſequebatur viam ceſſionis cum dominis de Francia, & cum vniuerſitate, & ita dicunt aliqui domini, & credo quod tũc bene dicebat, ſi diceret, quia imponebantur domino Clemẽti multa, propter quæ multis videbatur, quod bene diceret, quia vt dicebatur, ipſe vel ſui committebant ſimoniam, quia omnes dignitates, & beneficia vendebat. Ita quia omnes fatuos ſtudiorum, & iuuenes, & laſciuos, & lubricos ponebat prope ſe*

Anti papa in magnas anguſtias inducat Dei Eccleſiam.

Iuuenal. Vrſin. hiſt. in Carol. VI.

Auctor vitæ Clem. VII. apud Boſq.

Petrus è Luna Robertũ Gebenẽſem è vita collẽdum curat.

Tom. 6. de ſchiſm. p. 20.

Rainal. ann. 1394. nu. 4

Tom. 2. de ſchiſm. p. 20.

Eodẽ ſchiſmatis ſucceſſiſſimis propagator.

ad

Quantum inſtitit pro retinendo Antipapatu.

ad morandum in familia ſua, & bonos communi reputatione dimittebat, nec dabat eis beneficia. Item quia faciebat promotiones iuuenum, vt poteſtis videre in toto Regno Franciæ. Malis quippe artibus arrepto pſeudopontificatu ambitioſus homo, iiſdem tueri, ac ſeipſum in ſcelere, ac fictitio throno ingenti totius Eccleſiæ ſcandalo, ac detrimẽto obfirmare non deſtitit, vt Nicolaus Clemangius hunc in modum.

Clemangius de corrup. eccles. ſtat. cap. 26.

Quid Clemente noſtro quoad vixit miſerabilius, qui ita ſe ſeruum ſeruorum Gallicis principibus adiecerat, vt eas ferret iniurias, & contumelias, quæ ſibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret inviliſſimum mancipium dici? cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati; fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diẽ ex die dicebat, his beneficia dabat, illis quos curijs acceptos ſciebat sũmopere placere ſtudebat, eoſq; beneficijs promereri, quo taliũ patrocinio dominorum gratiã & fauorẽ aſſequeretur & ſimilia &c. His itaq; iuuenibus nitidis, elegantibus, quorum maximè conſortio gaudebat, ſingulos ferè vacantes Epiſcopatus, cæteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique vt principum beneuolentiam faciliùs aſſequeretur, aſſequutam foueret, fotamque conſeruaret, conſeruatam amplificaret, plurima vltrò dona & xenia illis dabat: quaſcunq; ſuper clero exactiones petere voluiſſent annuebat, vltrò ſæpiùs etiam ingerebat: ſicque omnem Clerum ſæcularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubijciebat, vt Papa magis quilibet eorum, quàm Papa ipſe putaretur. In hac triſtiſſima ſeruitute, non dico præſidentia, tria (vel ſuprà) temporum luſtra cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſerunt. Quibus Theodoricus è Niem paribus ingentem Eccleſiæ calamitatem verbis inculcans, Eccleſiaſtica bona ab eodẽ turpiter, prodigaliterque diſtracta, ac in viros nobiles ficto emphyteuſeos iure translata tradit: *Hic Robertus (inquit) ſiue Clemens multùm fauit magnatibus, ſiue nobilibus, vnde petentibus ipſius terras, caſtra, & dominia Eccleſiaſticarum Cathedralium, & monaſteriorum, modico annuo cenſu ipſis ſoluendo in feudum, ſine difficultate conceſſit, & ea eccleſijs, & monaſterijs auferens, eodem etiam penſionis, vel alterius ſeruitutis onere non retento, abſolutè donauit pro ſe, & heredibus, ac ſucceſſoribus eorumdem.* En, quanta vnius pro iniquè retinendis pontificiis iuribus ambitio malorum in Eccleſiam ſemina, calamitateſque inuexit. Quæ quidẽ ſi quis attentiùs noſſe cupit, Sorbonicorum Academiam oborti infelicitatẽ ſchiſmatis in conſcriptis ad Carolum Francorum Regem literis vbertimè deplorantẽ cõſulat; hęc enim tradunt.

Quam infelix Gebennenſis antipapa.

Cunctorum votis ſimiliter annuebat, ne gradu deijceretur.

Theodor. Niem lib. 2. c. 4.

Bona Eccleſiæ diſſipauit iuraq; diſſoluit.

58. *Quid ante hoc ſchiſma, ſchiſmatiſque præambula eccleſia florentius? quid maius? quod ſplendidius? quid honoratius? tam grandi exuberabat bonorum copia, vt mole etiam ſua laboraret? poſt quã vero clades iſta ſchiſmatis damnatiſſimi introijt, pro libertate ſeruitus duriſſima, pro diuitijs egeſtas, pro ſpecie deformitas, pro honeſtate dedecus, pro emitente gloria vilis, atque abiecta contemptio, pro eccleſiæ ipſius, et bonorum eiuſdem tutela, præda, rapinæ, ſpolia inuaſerunt. Et quare hæc? Quia nimirum indigni, atque reprobi homines ad Regimen Eccleſiæ euecti ſunt, & plerunque quotidie euehuntur, Quibus nihil ſancti, nihil æqui nihil penſi, nihil honeſti curæ ſit; ſuis tantũ flagitijs & libidine paſcuntur, atque delectantur; exhauriunt colonias, religiones diſſipant, monaſteria ſpoliant, ſacras paſſim domos invaſtitatem redigunt, vt ſuæ cupiditati ſacrilegæ, nunquam tamen ſatiandæ de Chriſti patrimonio ſui pretioſiſ-*

Extat in ms. bibliot. vat. ſign. nu. 492. pag. 114.

Floridus eccleſiæ ſtatus ante ſchiſma

tioſiſſimi ſanguinis effuſione conquiſito ſatisfacere valeant, ſacra quæque et prophana, è quibus quæſtus aliquis, aut pecunia prodeat promiſcuè habent; exactiones maximas, grauiſſimas, intolerabiles miniſtris pauperibus eccleſiæ imponunt, impijſſimos homines, atque inhumaniſſimos ad colligendas eligunt, qui nemini parcant, nullius miſereantur quantalibet inopia preſſi, qui ſtatim excommunicent, fulminent, atque exterminent: qui etiam in barathrum, quantum in ſe eſt detrudant, niſi ſibi impoſitum protinus onus exoluatur, etiam ſi de ſilice pecuniam extorqueri oporteret, nihil ſibi vnde viuant relinquendo. Mendicos iam ſacerdotes, & viliſſimis inſuper officijs prophanis ſæcularibus ſeruientes vbique videmus, ſacroſanctæ reliquiæ, Cruces, calices ipſi, omnia denique vaſa ſacrifica, ſi argentea tamen ſint vel aurea, prouentus eccleſiarum, ac redditus ad angarias iſtas importabiles ſoluendas multis in locis venduntur. Quot iam labentia templa, quot ruentes baſilicas, quot iam ſolo æquatas cernimus, & multò nimirum plures cerneremus, niſi regia veſtra ſublimitas poſitis in manu ſua prouentibus, Eccleſias reparari, ac refici, inuitis ſæpè etiam rectoribus compelleret? id enim iam publicè queritur aduerſus huiuſcemodi deceptores remediũ.

Schiſmate cuncta in deterius mutata.

Deſolatio in Eccleſiam irrepſiſſe viſa eſt.

Quibus enarratis ob ſchiſma calamitatũ ingruentium, inuiſarumq; vix ferendam cataſtrophen acerbo doloris ſenſu cordatiſſimi viri hunc in modum deplorant.

Ex litt. vbi ſupra.

59. *O noua, & ſtupenda eccleſiæ calamitas! ò horribile ſchiſmatis prodigium! Iam ouis gregem ipſum à paſtoris inſidijs & violẽta oppreſſione tuetur. O pudendum, & infame ſæculum noſtrum, omnique poſteritate perpetuò criminandum! ò miſeranda nimium mater Eccleſia, quæ in ærumnas iſtas nefario filiorum ſcelere veniſti! O quàm malignis diebus, qui hæc videre cogimur, nati ſumus! &c.* Et poſt multa de infami ſimoniæ, quæ inualuerat labe, de indignis per ſummam iniuriam ad præ altos Eccleſiæ gradus prouectis narrans, de diuino cultu neglecto, abrogatoque iſthac ſubtexit: *Quod de diuino cultu ex hac cruenta ſchiſmatis pernicie, vbilibet imminuto, atque in locis pleriſque prorſus deſerto queremur? Quid de morum diſciplina, & primis Eccleſiæ virtutibus, quæ ſic in obliuionem, inque omnia vitia mutatæ ſunt, vt vix præcedentes patres ſi redeant, eamdem nunc eccleſiam, quam ipſi dudum rexerant, quam ipſe Chriſtus inſtituit, eſſe putent nullis virtutum ſuarum reliquijs, nullius vſquam veſtigijs, imò nec vmbra tenui ibidem relicta? Omittamus Eccleſiæ libertates ereptas, veteres immunitates abolitas, patrimonium denique diſtractum, dilapidatum, abalienatum. Iſta inquam omittamus, quia temporalia ſunt, quamquã maiora iſti hæc tẽporalia ducant. Ad fidei eccleſiæ detrimenta, & ſcandala, quæ nos maiora ponimus, veniamus, religionem noſtram ſacroſanctam talem in ea videntes, ſciſſionem canes Aegyptij mordent, accuſant, blaſphemant, inde ſe commodiſſimam gaudentes occaſionem in eamdem inſultandi reperiſſe, quæ ſic inter diuerſa, ac in propria viſcera cæco furore ſæuiens ſemetipſam conficiat, & deſtruat: Hinc fideles oppugnant, hinc hæretici irruũt, qui iam venenatum caput extollere vehementer nullo vindice cœperunt, & in complurimis locis hæreſes pernicioſas, & ſi non adhuc patenter, tamen latenter ſeminant, & vt cancer quotidie magis ſerpunt, ſic in fidem Catholicam defenſione vacuam, & domeſtico ſe bello continuo perſequentem, atque conſumentem vndique fit impetus. Sed quia vniuerſa mala ex hoc ſchiſmate naſcentia complecti nitimur, res nobis, & cuiquam*

Diuinus cultus ac religio imminuta.

Gentiles & Chriſti hoſtes in Deum ſtacherias decauerunt.

Nullus malorum finis ac modus.

impoſſi-

impoſſibilis eſt. Quis enim tanto prædi-tus ingenio, aut tanta eloquentia deco-ratus, qui ærumnas, anguſtias, calami-tates ſingulas, quas eccleſia ſuſtinet non digne, vt res poſtulat, deplorare, ſed numerare valeat, aut referre? quid numerare dicimus? cogitare potius dica-mus, aut non capere &c. Hæc profe-ctò ſunt acerbiſſima malorum in-commoda, quæ ſchiſmaticorum, pſeudoque pontificis cauſa, in eccle-ſiam Gallicanam Sorbonici doctores amarulentis irrepſiſſe verbis demon-ſtrant; ob quæ Deus ad iracundiam iuſtiſſime prouocatus, ſuæq; miſertus Eccleſiæ Robertũ Gebennenſẽ, inferi qui malis dederat cauſam, è medio ſu-ſtulit, & ob quę tota ſubinde Geben-nenſium principum ſtirps, quæ ex antipapatu ingentes copias, ſplendo-remque conſequutura videbatur, vnà cum eo ſucciſa, penitùs exaruiſſe viſa eſt, adeò vt principatus ad Sabaudum deuolutus ſit, vt Niemius his verbis tradit: *Licet (inquit) multos haberet fratres & ſorores, ac etiam ex quibuſdam eorum nepotes, tamen eo defuncto comi-tatus Gebennenſis, exiſtens magnum, & nobile feudum imperiale in Gallia, ad Comitẽ Sabaudiæ peruenit, excluſis qua-litercunque cunctis veris hæredibus, qui de iure ſuccedere debuerunt.* Deplo-randa prorſus pſeudopontificis perdi-tio, qui cum Apoſtolicũ exambiẽdo thronum occupare non dubitauit, in-de ſibi ruinam attulit præſentiſſimã, iuxta diuinum illud Oraculum:

Nullus malorum finis ac modus.

Gebennenſium ſtirps excidit exaruitque.

Theodorus Niemius lib. 2. cap. 4.

Aſcẽdiſti cubile patris tui, non creſcas.

60. Demùm, vt ſepulchralem domum pſeudopontifici, viroque Apoſtatico titulum inſcribamus, ipſa-met D. Bernardi, quę de Petro Leone pſeudopotifice protulit, apte hic ver-ba ſubtexenda ſunt: videlicet: *Ampu-tatum eſt ſarmentum inutile, putre membrum: ille, inquam iniquus, qui peccare fecit Iſrael morte abſorptus eſt, et traductus in ventrem inferi. Fecerat quippe ſecundum prophetam pactũ cum morte, et cum inferno fœdus inierat.* Et hæc interim de eo ſatis.

Sepulchralis antipapæ titulus.

Bern. ep. 147. & ex eo Baron. an. 1138 num. 2. Iſaia 28.

Huic æquè ambitioſus alter, ac ſcele-re haud impar iũgitur, qui Petri cathe-drã malis occupare artibus, Chriſti Ec cleſiam ſubuertere, ac Petri nauiculã diutinis exagitare procellis non dubi-tauit, Petrus videlicet è Luna, Cardi-nalis S. Mariæ in Coſmedin, qui vnus Chriſtiano orbi, ſuo defectum ſub cognomento præſagiſſe viſus eſt. Primùm enim vna cum alijs Vrbanũ vj. in Petri ſolio collocatum, pontifi-cemq; ſalutarat, à Gallis ſubinde Car-dinalibus, qui ab Vrbani obſequio de-fecerant, ſubornatus, cùm ſe Anagniã nimium ſibi præfidens cõtuliſſet, prę-monitus inſuper ne illuc accederet, blaſphema illius in Deũ vox futuræ proculdubio apoſtaſiæ index fuit. Cum igitur Roberti Gebennenſis an-tipapæ iura defendenda mordicùs ſu-ſcepiſſet, ab eo in Hiſpanias Legatus ad Caſtellæ Regem directus, multa ibi aduerſus legitimum Chriſti Vica-rium præſtitit, ſed rationibus argu-mentiſq; conuictus, cum Antipapam tueri nequiret, cedere eumdem gra-du debere cenſuit. At ſuis inconſtans dictis, cum ſacramento ſe, ſi in Ro-berti locũ ſubrogaretur, obſtrinxiſſet pontificales ſe depoſiturum inſulas, & ad id faciendum ſe paratiſſimum per dolos oſtenderet, ad Antipapatum ſubinde ſub Benedicti xiij. nomine, euectus, & à Sorbonica Academia, vt ceſſionem amplecteretur, ſollici-tatus, velut æqui, boniq; arbiter ſe om-ni ſtudio eccleſiarum coniunctionem redintegraturum affirmauit. Verùm ambitioſus æquè, ac vafer homo, qui dolis, mendacijſque niſus ſuam foue-bat cauſam, cupiditatibuſque in pri-mis

Petrus de Luna adulterinus Petri ſucceſſor defectũ cognomento prę́ſeferre.

Rainal. ann. 1423. nu. 7.

Rainal. ann. 1378. nu. 13. 14. 15. 25.

Dũ Gebennenſis iura defenderet conuictũ alterum pontificatu abdicandum cẽſuit.

mis conſultum volebat, cùm ad ſe pſeudopontificatu abdicandum vrgeretur, ſe vnquam abdicaturum negauit, quamuis Bonifacius ſe vltro pontificatu abdicaret, præſtitumq; à ſe pridem ſacramentum prauis, detortiſque interpretationibus infringẽs violauit, abdicationis viam, vti ſcandaloſam, vergentemque in Dei iniuriam damnans. Ea verò hypocryſis labe reſperſus fuit, vt qui mille põtificatuũ honores pro catholica vnione ſe abiecturum pridem iactauerat, pſeudopontificatum, quem gerebat, abijcere recuſaret. Nec verò à Bonifacio ad Concilium prouocatus, eidem, vt par erat, aures præbuit, nec ſuis pſeudocardinalibus idem ſuggerentibus conſenſit; Atqui obiecta illi hæreſi, à ſuis item pſeudocardinalibus turpiter deſertus, palam vltrò ſe in ſententia contra vniuerſalem Eccleſiam, etiam ſi cute nudandus foret, perſtiturum aſſeruit.

Aſcito ſibi antipapatu abdicationem vti ſcãdaloſam reiecit.

At quoniã in multis dogmatizando delirans, virtutis opus peccatum aſſeruit, perditurumq; ſe Dei eccleſiã inique comminabatur, ſchiſmatis, itẽque hæreſeos conuictus eſt, ſuiſque verbis impertitus, vt qui animam pro grege, vti iactabat, ponere paratus, at thiarã multò magis deponere debuiſſet: æſtu tamẽ honoris illectus ac in ſua obfirmatus malitia, abdicationẽ ſe ideo detractare, quia in Dei iniuriam, ac in mali exempli perniciem cederet, mendaciſſime obtẽdit. Qui igitur ſuis dudum reges dolis dementitos ſibi callidè obſtrinxerat, cum Caſtellæ Rex ab eo deſciuiſſet, Regem Aragonum acerrimum propugnatorem nactus, ipſum pro ſe apud Francorum Regem propitium, & Aurelianenſem ducem fratrẽ habuit, ſed multa ſubinde verſi pellis pſeudopontifex, tã ſe ipſo, quam gradu indigna præſtitit, quæ Petrũ haud Petri ſucceſſorem, ſed ſedis potius inuaſorẽ deſignabant. Enim verò, qui olim Minorum potiùs paupertatem ſe profeſſurum, quam ſchiſma pro retinenda dignitate propagaturum, & tam facilè pontificatum, quàm veſtem exuturum edixerat, adepto, vendicatoque ſibi pſeudopontificatu malle ſe mori, quam illum abiicere conteſtatus eſt; & eò vſque eius ambitio peruenit, vt periuriis, doliſque ſuffultus, hæreſi inſuper notatus, ac malè de eccleſia ſentire conuictus, ſe in eo rerum ſtatu dimiſſurum eccleſiam comminatus ſit, vt longo interlapſo poſt ipſius mortem tempore reparari vix poſſet. Cœterùm cùm eius ſe perfidia immane extolleret, à Gregorio xii. Romano Pontifice anathematis gladio iuſtiſſimè perculſus, & à Ioanne xxiii., vti hæreſiarcha proſcriptus, non vulgares difficultatum ambages incurrit, monitus autem, exoratuſque, vt pſeudopontificatum deponeret, Conſtantienſis Concilii, ad quod euocatus accedere recuſarat, oratoribus id ſe abſque periculo animæ facere haud poſſe reſpondit, prædictumque Concilium, vt ſchiſmaticorum Conciliabulum amarulẽtiſſimis verbis perſtrinxit, quin imò cum à Ferdinando Aragonum Rege, & Caſtellæ, & Nauarræ regum oratoribus, vt loco cederet, rogaretur, futiles pro ſe portendere excuſationes non deſtitit, ſalubriaque omnia conſilia reſpuens, in malo perſtare voluit. Enim vero poſtquàm fruſtra Vincentium Fererium illis plane verbis conſultorem nactus eſt, vt nimirum vitam potius pauperẽ amplecteretur, quàm pro retinenda dignitate diſcordias inter Chriſtianos foueret, vbi nil profecit, deſertus tandẽ iure merito eſt à fautoribus. Inſuper in malo perti-

Hæreſi notatus à ſuiſque deſertus in perfidiam proſilit.

Rainal. ann 1400. nu. 18. 50. 51.

Male de eccleſia ſentire viſus, conuictuſque anathemate percellitur.

Rainal. ann. 1411. n. 1. 2.

In malo obſordeſcens perſtitit.

Rainal. ann. 1417. n. 4 7. 8

nax

nax effectus, ita vt ab Oecumenico Concilio, indicta ſibi iudicij decretoria die, aduerſus Conſtantienſes Patres oblatrans, inſaneque elatus, Pontificem haud ſubeſſe Concilio pro ſe reſponderit, hæreticorumque more Eccleſiam damnans, indubitati ſibi ius pontificis falsò arrogans, vniuerſos ſuſpectos habuerit, & à dæmone, falſiſq; vaticinijs immane illuſus, Eccleſiam ad Paniſcolẽſem nidum redactam ſomniauerit, pios eos dumtaxat appellans, qui perperam cum ipſo ſentirent, & cùm ad cedendum pſeudopontificatum, ſollicitaretur, maiorem ſe eſſe Concilio contendens, ineptam fraudulentus, ſi ceſſiſſet hæreſim finxerit; Nõ futuras videlicet tunc in Eccleſia claues, niſi Deus iterum incarnatus fuiſſet. Verùm perditus homo iuſtè à Concilio proſcriptus, damnatuſq; eſt, à quo, etiam ſi ſchiſmaticus, vel hæreticus non foret, quia tamen dubius, iure exauctorari potuit. Cùm autem obſtinatiùs in flagitio perſiſteret, Alamannus tit. S. Euſebij presbyter Cardinalis, armata ad eum in ordinẽ redigendum, manu, Martino V. Pontifice miſſus eſt, à quo item ſolemni ritu anathemate perculſus, & à ſuis pſeudocardinalibus derelictus eſt, Petro Cardinali Fonſeca ad populos crucesignatos in ipſum impellendos, legato aduerſus eumdem directo. Itaque impius ſæpè, & ſi fruſtrà admonitus, diu exoratus, toleratuſque diu, vt à ſua perfidia reſipiſcẽs, ad Eccleſię ſinum rediret, iuſto tãdem Dei iudicio in ſchiſmate, ac hæreſi impęnitens miserè deceſſit. Sed vt eius hic obitum recenſeamus, veneno eũdem è viuis abiiſſe ferunt, altero ſubinde in eius locum, Alphonſi Aragonum Regis dolo, ac arte ſuffecto; Atqui Petrus obfirmatus in malo diem clauſit extremum, vt ex MS. Vaticano his verbis traditur.

Ann. 1417. nu. 4. 8. — *A dæmone falſis vaticinijs deluſus.* — *Ann. 1418. nu. 12.* — *Ann. 1423. num. 7.* — *Veneno ſublatus eſt, qui ſchiſmate Eccleſiã infecerat.*

61 *Petrus è Luna, vij annos poſt Synodum Conſtantienſem vixerit, nunquamque Pontificis rationem depoſuit: immo cum eodem tempore Alphonſus Aragoniæ Rex bellum grauiſſimum in Italia cum Ludouico Andegauenſi gereret, Martinuſque in partes Ludouici propendere videretur, iratus Pontifici Alphonſus, dedit operam, vt dicti Cardinales, qui reliqui erant, poſt obitum Benedicti, pontificem deſignarent. Delegerunt ipſi Aegidium Munionem Canonicũ Barcinonenſem, qui Clemens viij. fuit nominatus, Cardinaleſque creauit, & alia munera pontificia geſſit. Sed poſteà cùm idem Alphonſus in gratiam cũ Martino rediſſet, facilè ipſum ſchiſma fuit omninò ſublatum. Nam Alphonſus Borgia vir optimus, & prudentiſſimus, qui paucis pòſt annis fuit pontifex maximus, tunc ad hoc negotium delectus, egit cum hoc Clemente, & deinde Petrus Cardinalis Fuxenſis, tantumque vterque apud illum ſua opera, & auctoritate potuit, vt ipſe Clemens ſe ſponte pontificatu abdicaret.* Porrò patrati ab Alphonſo Aragonum Rege facinoris ſeriem, non abſque grauiſſimis querelis, Põtifex Caſtellę Regi hunc in modum amarulentus exponit: *Petro è Luna defuncto in latebra Paniſcolæ Dertuſenſis diocæſis, continuo data fuit opera, vt nonnulli ſacrilegi falsò dicerentur per diem ante mortem ipſius Petri ab eodem creatos eſſe Cardinales, ſeu veriùs profanatos; cùm tamen liquidò, & certò conſtet, ipſum neminem nominaſſe, ſed vt ſeminarium non deficeret ſchiſmatis, hanc ridiculam fabulam fuiſſe confictam: atque ita continuò aſſentiente Alphonſo Rege (nec enim aliter factum eſſet) quemdam Aegidiũ per illos ſacrilegos in idolum fuiſſe creatum, & Clementem*

Ms. Vat. ſign. num. 6418. pag. 131. — *Clemens antipapa ſpõte antipapatũ ſe abdicat.* — *Lib. 9. breu. ſuper pag. 3.* — *Pſeudocardinales ab antipapa creat dicũt vt eſſe obitum.*

auſu temerario, & *impio nominatum*, *vt eo nomine ſi poſſet*, *ſuſcitaret*, & *perpetraret ſchiſma iam ante ſublatum. Conſidera nunc fili chariſſime, quid iſte rex facere debuiſſet*, & *niſi eſſet auctor huiuſmodi abominationis* & *turpitudinis quid feciſſet*, &c. Hæc de pſeudopontifice in Petri locum ſubrogato pontifex meminit, vt tunc concordiæ ac trãquillitatis ſuis ſpes nulla ſuppeteret, cum impio è medio ſublato, pax toti Chriſtiano orbi ſperanda è proximo videretur, ſed Dei tandem nutu longęui ſchiſmatis procella euanuit, eoque imperante optata Eccleſiæ lux affulſit.

Tranquillitas tandem Eccleſię reddita eſt.

621. Atqui Petrus culpis annisq; refertus, prius viuendi, quàm peccandi, diuexandique Eccleſiam finem faciens, quippe qui noxia ſchiſmatis lue tot populos miſerandum in modum antipapatus ſui mendacio deceperat, veneno è vita ſublatus eſt, vt Rainaldus his planè verbis meminit: *Ereptus porrò eſt è viuis hoc ipſo anno Petrus è Luna, quem nonnulli veneno necatum putauere, quaſi viro nonagenario nullum effœta ſenectute præſentius venenum eſſe poſſit*. Et de altero in eius locum ſuffecto hæc addit: *Ac mox auctore Alphonſo Rege (quem ambitio*, & *ira impellebant in Martinum Neapolitanum, ei ſceptrum tradere negantem, gentique Gallicæ iure debitum eripere abnuentem) iuſtè illi ijdem impoſtores, quos falſus rumor primùm pluribus menſibus, ac deinde præeunte extremo Petri è Luna obitum die pſeudocardinalitio inſigni donatos finxerat, regio acti imperio accepta purpura mimico more Aegidium Munionem Canonicum Barcinonenſem Paniſcolæ antipapam crearunt*, Hic mortalium infeliciſſimi Petri è Luna exitus fuit, qui pertinax in malo, ac Deo hominibuſque inuiſus, è ſuppoſititio throno, quẽ aſcenderat in barathrum prouolutus eſt. Cui illud optime elogium occinit: *Senex videlicet inueterate*, inter viros *dierum malorum*, qui dies omnes in malo obfirmatus, tandem ac ſi non fuiſſet, eſſe deſiit. Et hæc de perditis, ambitioſiſq; hominibus pontificias inter inſulas, non tam Chriſti, quàm Antichriſti, cuius extitiſſe cõprobãtur præcurſores, in eccleſia vicẽ affectantibus nobis dixiſſe ſufficiat: & iam noſter ad eorumdem ſectatores, fautoreſque ſermo deriuandus eſt.

Rainal. an. 1413. nu. 7.

Ambitioſos & ſchiſmaticos promouet.

Elogium dignum Petro de Luna ſtatuitur.

CAP. X.

Antipapis adhærentes, eorumdemque fautores.

QVi Romano Pontifici, quem ſuæ Deus Eccleſię ſingulari prouidentia Caput eſſe voluit, ceruicem humiliter nõ inflectit, adeòque Chriſto, cuius is locum tenet, obſequium deferre detrectat, extra Eccleſiam proculdubio eſſe conuincitur, vt ſuis diſertè verbis Cyprianus, hanc vnam ad veros de facie Chriſti cultores agnoſcendos teſſeram proponens edocet. *Scire debes* (inquit) *Epiſcopum in Eccleſia eſſe*, & *Eccleſiam in Epiſcopo*, & *ſi quis in Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe*. Quod & Auguſtinus quoque paribus verbis confirmat, dum eos, qui à Romani Pontificis obſequio, & ab Eccleſiæ cœtu temerè reſiliunt, manifeſtos Chriſti hoſtes, deſertores fidei, perduelleſque digito quaſi præmonſtrat: *Credimus* (inquit) *Sanctam Eccleſiam, vtique Catholicam*. Atqui in Petri ſucceſſorem, Chriſtique Vicarium deliquiſſe, membriſque Eccleſiæ ei ſubiectis communicare nolle, Ange-

Qui caput Eccleſiæ à Deo conſtitutum non agnoſcit, extra Eccleſiã eſt.

Cyprian. 7. 4. 1. ſcire debes.

Aug. cap. 10. de Fide, & Symb.

S. Tho. 2. 2. q. 39. art. 2.

Angelico Doctore iudice adeò graue piaculum eſt, vt longè acerbioribus, quàm infidelitas, & Idololatria pœnis quodammodo dignum cenſeatur. Enim vero haud ſemel quamplures ob prophanum idololatriæ cultum perſtrictus hominum manu gladius è medio abſtulit; cuius rei ſacræ Exodi tabulæ teſtes ſunt. At contra perduelles, ac refractarios, qui in Deum, eiuſque in terris imperium exercentes ſuperbæ mentis ſupercilium attollere, eiuſque thronum impetere, ipſique pertinaciùs obſiſtere non dubitarunt, os ſuum tartarus aliquando aperuit, viuenteſque adhuc ingenti aliorum documento abſorbuit. Miſeri quippe, tanquam cunctis haberentur inuiſi, eoſq; quaſi terra refugeret, nouo, inuſitatoque ſupplicij genere mulctati ſunt; vt in Numerorum paginis hunc in modũ exprimitur: *Sin nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, ac omnia, quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes ad infernum, ſcietis, quia blaſphemauerunt, Dominum Deum.* Hinc pari aliorum documẽto decem Iudaici populi Tribus, quæ à Dauidis regno receſſerant acerbiſſimis quoque pœnis ſunt expetitæ. Enim verò cùm per ſe res peſſimi ſit exempli, & populus vtpote ad ſeditiones, & ſchiſmata facilis, promptuſque, in id paſſim ſcelus impingeret, grauiori reos animaduerſioni obnoxios fieri oportuit. Nã in Eſdræ monumentis hæc prænotata leguntur. *Ciuitas illa à diebus antiquis aduerſus Reges rebellat, & ſeditiones, & prælia concitantur in ea.*

Deliquiſſe in Chriſti Vicarium, atq; reluctari grauibus pœnis obnoxiũ facit.

Exodi cap. 32.

Schiſmatis piaculum haud ſemel diuinitus pœnis mulctatum.

Num. cap. 16. 24. 30.

Schiſma ſemper ſeditioni iunctum, ciuitatibus, & regnis vaſtitatẽ infert.

Eſdra 1. 24.

1. Porrò manifeſto haud ſemel, vt in ſacris paginis, iudicio ſeditioſi homines, rebellanteſque, qui ſe per arrogantiam à capite ſegregant noluntque cœterorum ſenſibus adhærere, conceptis aliquando verbis proſcripti diuinitus leguntur. *Separamini* (inquit Deus) *de medio congregationis huius, vt eos repentè diſperdam, recedite à tabernaculis impiorum, (qui ſcilicet ſchiſmata fecerunt) & nolite tangere ea, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Quo quid funeſtius mortalium inſonare auribus poteſt: dum à Dei amicitia, ipſiuſque regno rebelles, ſchiſmaticoſque faſtus, ac perfidia ſeparat ſeiungitque. Quod ſane quamplurium ſupremi etiam in terris faſtigii virorum, perniciofis huiuſmodi Eccleſiæ diſſenſionibus fauẽtium clades Chriſtiano Orbi teſtatiſſimum faciunt. Et ne noſtra in incerto vagetur oratio, ſed excerpto ab Eccleſiaſticarum hiſtoriarum tabulis argumento fulciatur;

Num. cap. 16. 26.

Acerbè Deus in ſchiſmaticos animaduertit vt crebræ principum virorũ clades teſtantur.

2. Vvillelmus Vvillelmi Regis Angliæ filius Anglorum Rex cum funeſto Chriſti Eccleſiam ſchiſmate concuſſiſſet, & Guiberto inuaſori perdito inhærens, Vrbanoq; papæ ſubiici detrectans, cuncta turbis compleuiſſet, & Catholicos acerbè diuexans, ipſimet Beatiſſimo viro Anſelmo moleſtias exhiberet, tandem Deum vltorem habuit, qui enim eius Vicarium proſequutus fuerat, ac B. Anſelmum ſua è Sede in eius odium exturbauerat, eodem telo, quo venationi inſiſtens belluam transfigere conabatur, retorta in ſe teli cuſpide transfixus, repentè interiit, certaque damnationis ſigna reliquit; Sed rem ab Edinero enarratam, atque Hugonis magni nominis, eiuſdem temporis Monachorum Cluniacenſium Abbatis teſtimonio digeſtam his verbis ingeramus.

Vuillelmus Angliæ princeps ſchiſmatis fautor.

Baron. tom. 12. an. 1000. num. 35.

Diuina vltione perculſus.

Hinc exilij noſtri anno tertio, qui quo è Roma Lugdunum venimus, erat ſecundus, venit Anſelmus Marcinia-

Edinerus in vit. S. Anſelmi lib. 2.

 cum

cum loqui Domino Abbati Cluniacenſi Hugoni, & Sanctimonialibus. Vbi cùm antè ipſum Abbatem conſediſſemus, & de his, quæ inter Anſelmum, & Regem eo vſque verſabantur, verba (vt fit) non nulla hinc inde proferrentur; intulit idem venerabilis Abbas ſub teſtimonio veritatis proxima prætèrita nocte eumdem Regem, antè Thronum Dei accuſatum, iudicatum, ſententiam tùm damnationis in eum promulgatam, ex quibus verbis admirati non modicè ſumus. Sed perpendentes, & videntes ſanctitatem, & reuerentiam eius, fidem his, quæ dicebantur nullatenus habere nequiuimus. Hæc de Vuillelmi obitu, de quo quidem, cùm B. Anſelmus Lugdunum remeaſſet, alia ad præmonendum hominem, ſigna diuinitus oſtenſa ſunt. Namque impius cùm per multis monitus, abſterrituſque prodigiis fuiſſet, nec à ſuis, vt par erat, ſceleribus ſe cohiberet, dùm venationi indulgeret, ſagitta in ceruum emiſſa, Deo planè ictum ſagittæ, ac ſagittarii manum dirigente, vt ſceleſtum configeret, ſequenti die, miſerabiliter confecit, vt illud adimpleretur. *Arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis*, & alibi: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Ita planè miſer exacerbati numinis indignatione perculſus, teliſque confoſſus, infeliciter abſceſſit, & à temporali fato, in æternæ ſacrilegus perditionis barathrum deuolutus eſt, iuxta quod de reprobis Deus intonuit: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine.*

Oſtenſa diuinitus abbati Cluniacenſi eius damnatio.

Transfixus fuerat ſagitta in venatu.

Pſal.7.13. & 119.

Deuter.cap. 32.

3. Verùm, ſubſiſte hic quæſo parumper lector, & ſapienter, vt Baronius ait, illam Domini, Hieroſolymorum clades amare lugentis ſententiam attende, *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si tali, tali inquam Catholicus Princeps ſententia, ob vnius duntaxat Epiſcopi, extorris à ſe effecti iniuriam percelli meruit: quale iudicium habituri ſunt, fidei Catholicæ perduelles, qui Anglicanos omnes Catholicos Epiſcopos ſiue ferro, ſiue exilio conſumpſere, aliaſque iniurias ipſis Eccleſiis acerbiſſimas intulerunt? Non patitur Deus inultum, inultum inquam remanere peccatum, quod pœnitentia non diluit, ad tempus enim iſthæc punienda reſeruat; nam ipſe: *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Mea eſt vltio, & reddam illis tempore.* Sed ſic minora vlciſcitur ſæpè peccata, vt ex his, qui maxima quæque perpetrarunt iure ſibi pertimeſcendum intelligant, cuius rei gratia turris olim Siloe ruinam nunciantibus, id Chriſtus, in futuri iudicij, quod à Deo mortalibus imminet exemplum deriuauit.

Baronius tom.12. ann. 1094.nu. 33.

Luc.23.31.

S. Anſelmum expulerat.

Grauior pœna hæreticos manet qui catholicos pepulere.

Deuter. cap. 32.

Signata eſt in diuinis theſauris.

Luca cap. 13.

4. Porrò vt quę altercationis inter Vuillelmũ, atque Anſelmum cauſa extiterit lectori innoteſcat, illa potiſſima recenſetur, quòd Anſelmus, vt par erat, Vrbano Romano pontifici, veluti legitimo Petri ſucceſſori communicaſſet; Rex verò (quippe qui Guiberto pſeudopapæ fauebat) id ægro ferens animo nullatenus acquieſceret, quam ob rem ingentem non à Rege duntaxat, ſed, & ab omnibus Angliæ Epiſcopis ſubortam tunc perſequutionem fuiſſe, Edinerus, qui aderat verbis hiſce teſtatur: *Regem autem de tranſmarinis locis ingreſſum Anſelmus adijt, & vt ſibi Romam ad Papam Vrbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus eundi licentiam daret, humiliter petijt. At ille ad nomen Vrbani turbatus dixit ſe illum pro papa non tenere, nec ſuæ conſuetudinis eſſe, vt abſque ſua electione alicui liceret in Regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur quædam diſſentio grauis, ſed in* al:i.d

Cauſæ controuerſiæ Anſelmi cũ Vuilelmo.

Edinerus in vit.S. Anſelmi apud Surium tom.2. die 21. Aprilis.

Attende politici faſtum quem vellet Papam in regno pronunciantis.

Digitized by Google

aliud tempus diſcutienda, eſt dilata. Iubetur ergo, vt totius Angliæ Epiſcopi, Abbates, & Principes in diſcuſſione diſſidij huius apud Caſtrum, quod Rothingehum dicitur, veniant. En ſubortarum, vt vides, ſemen diſcordiarum inter Regem, atque Anſelmum; Rex enim Guiberto intruſo inhærens, nullum alium in tota Iuris Regii ditione ab Epiſcopis Pontificẽ Romanum præter eum, quem Rex ipſe pro Pontifice nominatim coleret, colendumq; ediceret: ſed quid in Synodo actum ſit Edinerus, qui aderat his verbis deſcribit: *Factum eſt* (inquit) *& tertia Septimana Quadrageſimæ iuxtà edictum conuenerunt omnes Epiſcopi totius Angliæ, & Abbates, cauſa prædicta in medium adducitur, & Anſelmus diuerſis querelis hinc inde concutitur; ſi quidem multi, & maximoperè Epiſcopi Regiæ voluntati fauere volentes, ſpreto æquitatis iudicio id probare nitebantur, quod Anſelmus ſalua fide, quam regi debebat, nullatenus poſſet in Regno Vrbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura, quæ ratio tolerat, obiecta fuiſſent: & Anſelmus ex verbis Domini: Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, alijſque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poterat, penitùs infrenaſſet: illi è contra quid dicerent non habentes, eum in regem blaſphemare, vno ſtrepitu conclamauere, quandoquidem auſus eſſet in regno eius niſi eo concedente, quidquam vel Deo aſcribere. Igitur ob vnam regiæ indignationis vocem quidam ex Epiſcopis Archiepiſcopo ſuo, atque Primati, omnem ſubiectionem, profeſſam obedientiam vno impetu obnegant, eique vnitatem fraternæ ſocietatis pari voto miſerandi abiurant.* Et infra iſthæc ſubiicit. *Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam, & ſecuritatem in omnibus adimit, nec ſe illum pro Archiepiſcopo, vel patre amplius habiturum iurat, niſi ipſe Vicario Beati Petri ſe vlterius obediturum ſtatim denegeet. Tres dies in iſto negotio, clamoribus in Anſelmum, & contumelijs grauidi expenſi ſunt, & tandem in hoc, quem dixi fine, conuerſi ſunt &c.* En prima acerbiſſimi ſchiſmatis origo, quæ mutuorum inter Archiepiſcopũ, ac Regem diſſidiorum anſam præbuit: ſed Rex poſtmodùm Vrbano reconciliatus, eumdem vti legitimũ Chriſti Vicarium, ac Petri ſucceſſorẽ impenſe obſequioſus agnouit, quod Edinerus his verbis: *Continuo igitur edictum per prouinciam promulgatur, Vrbanum Apoſtolicum debere dici, ac credi; Eo audio mirari Anſelmus &c.* Sed cum Romanus Pontifex anathematis iaculo Regem in Barenſi Concilio percellendum vellet, B. Anſelmus eiuſmodi cenſuram, vt ille à malis reſipiſceret, protelandam curauit; at rex ipſe, qui Anſelmo, à quo vnice diligebatur, ingratus, ac Deo inſuper contumax extiterat; condigno tandem, vt alibi enarrabimus, fine vitam clauſit.

Edinerus vbi ſupra.

Fauent illi nõnulli prauii Epiſcopi.

Opponit S. Anſelmus reddenda Deo quæ ſunt Dei, & Cęſari quę Cæſaris.

Politici præſules ab eo deſciſcunt.

Conciliatus poſtea Vrbano Vuillelmus.

Edinerus in vita S. Anſelmi vbi ſupra.

Non tamen a malo reſipuit.

5\. At vero, vt hic aliorum, qui Petro Leoni tunc temporis pertinaciter inhæſere, exitum ſubtexamus, impius quidam ſchiſmaticus, dum funeſtũ Bernardo Claræuallenſi Abbati ſchiſma abolere conanti petulanter inſultat, diabolo, qui ſolus ſchiſmatum auctor eſt, & cuius miſer ille partes fouebat, dignum veluti mãcipium excruciandus traditus eſt, à quo ſubinde per vim è vita abreptus, ſub orcum miſerè in ſchiſmaticorum ſortem conceſſit.

Diuina vltio perſequuta ſchiſmaticos.

Quippe dum Sanctiſſimus Abbas aduerſus Gerardum Engolinenſem Epiſcopum, & antipapæ legatum, qui in Pictauienſi prouincia morabatur,

Gerardus Epiſc Engoliſm. pſeudolegatus.

Digitized by Google

Baronius. to. 12. an. 1130. num. 65. Illi ſe oppoſuit S. Bernardus.

tur, ad Vuillelmum Pictauienſium Comitem, & pſeudopapæ intimè addictum ſe contuliſſet, diuinum aduerſus hominem imploraturus auxilium, miſſæ ſacrificium de more obtulit. Quo peracto Decanus Eccleſiæ beati viri conſuetudinem execratus, ac ſi ſacrilegium potiùs conſumaſſet, quàm ſacrificium obtuliſſet, altare, ſuper quo diuina ille Sacramenta peregerat, quid veluti prophanum deiecit, ſtatim verò à diabolo obſeſſus, eiuſdem opera, miſerrimè interijt. Rem autem geſtam Bernardus Abbas Bonæuallis in conſcriptis à ſe eiuſdem D. Bernardi geſtis hunc in modum enarrat.

Decani Eccleſię Pictauien. ſacrilegum facinus.

6. *Vt enim* (inquit) *prius geſta breuiter repetamus, vbi primùm cœpit audiri, quid aduerſus Eccleſiam Dei Gerardus ille machinaretur: ab Innocentio Papa adhùc in Gallijs demorante miſſi ſunt Abbas noſter Claræuallenſis, & Iordanus venerabilis Epiſcopus Sueſſionenſis, qui & Pictauium vſque venerunt, vt tam ipſum Gerardum, quam prædictum Principem conuenirent. At ille iam eodem Principe perſuaſo, impudenter in Eccleſiam Catholicam, à qua ſe præcidebat, conuicia iaculari, & pollicitam priùs Innocentio ſubtrahere obedientiam, Anacletum ſuum electum digniùs, & quicumque non obedirent, erroneos, & acephalos prædicare. Vnde factùm eſt, vt animati, & armati in inſaniam clerici publicè ex ea die perſequutionẽ Catholicis intentarent. Priùs tamen, quàm ſic eorum propalata fuiſſet, & obſirmata perfidia, obtulerat Abbas ſanctus in earam Eccleſia ſacrificium Deo. Poſt eius diſceſſum Decanus eiuſdem Eccleſiæ, altare in quo diuina miſteria celebrarat, impiè quidem, ſed non impunè confregit. Siquidem poſt breue tempus percuſſus à Deo, cùm animam exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam vidit dæmonibus; & ſe à dæmonibus iugulari clamitans cultellum à circumſtantibus poſtulabat, quem immergeret gutturi ſuo, vt extracto dæmone viueret. Sed Diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba extinxit; & peſtilentem animam in infernum demerſit. Archipresbyter quoque, qui Petri inuaſoris Pictauienſis Eccleſiæ Synodum denunciabat, coram ipſis, quos ad conuentum perfidiæ inuitabat, à diabolo correptus eſt. Sed & in alios multos, qui in ſchiſmate illo feruentiores extiterant, manus diuina manifeſtam exercuerat vltionem. Præter hæc, & alia huiuſmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, et timens apponi ſibi, quæ negari non poterant: conuentus publicè euitabat.* Hæc auctor de diuina in ſchiſmaticos homines vltione, & de impio homine, qui Diui Bernardi meritis, ac ſanctitati perperam ſacrũ altare demoliendo inſultarat, ac inuadente diabolo interemptus fuerat, vt orbi illud palam oraculum fieret. *De Cælo pugnatum eſt contra Siſaram*, & vt homines ſignis deſuper affulgẽtibus diuinum ex Innocentij parte ſuffragium, perfidiam verò, ac mendacium ex Anacleti partibus ſtare intelligerent.

Bernardus Bonæuall. Ab. lib. 2. c. 6. vit. S. Bernardi.

Dęmone correptus plenam dæmonibus domum videt.

Deſperatus perit.

Archipreſbyter ſchiſmaticus a dæmone arreptus.

7. Quoniam verò Vuillelmi Aquitaniæ Comitis, ad quem Bernardus conſultò directus fuit, opportunus hic ſermo incidit, de eo nonnulla, vel obiter Malmesburienſi Bibliothecario, res ſui temporis cõſcribente, meminiſſe voluimus: virum nẽpe hũc, ea tunc temporis conſpicuũ præ cęteris potẽtia extitiſſe, vt viribus armiſq; præpollens ingentes in Palęſtinam militum copias, ſexaginta videlicet millia equitũ, ampliorẽmque peditũ numerum eduxerit: eumdem inſuper tanta, quo ad mores attinet, eiuſmodi intemperãtia notatum fuiſ-

Vuillelmus Aquitaniæ Comes bellica laude clarus.

Inſignis ab eo confecta in Syriam expeditio.

ſe,

ſe; vt quouis vitiorum genere, ac inquinamento pollutus, inſordeſcenſque *gloriaretur, cum male faceret, & exultaret in rebus peſſimis*, ac cuncta paſſim, quæ turpiter agebat, nugis feſtiuiſque, facetiarum ſalibus ad conciliandum riſum ex more cōdiret; ex quibus plura, obſcenaque idem in rem præſentem auctor recenſet. Porrò Dux iſte, à Petro Pictauienſi Epiſcopo Eccleſiaſtici anathematis iaculo perculſus eſt in quem plura impius princeps, tanto præſule indigna admiſerat, et obloquutus fuerat, quæ eodem referente ſcriptore hic attexere, opere pretium duximus.

Morum fœditate inquinatiſſimus.

Vuillel. Maleſbur. lib. 5. Eiuſdem facinus atrox in Petrum Epiſcopū Pictau. à quo anathemate percellebatur.

8. *Cùm Petrus (inquit) præclaræ ſanctitatis Pictauorum Epiſcopus eum liberiùs argueret, & detrectantem palam excommunicare inciperet: ille præcipiti furore percitus, crinem Antiſtitis inuolat, ſtrictumque mucronem vibrās: Iam, inquit, morieris, niſi me abſolueris. Tum verò præſul timore ſimulato, inducias petens loquendi, quod reliquū erat excommunicationis fidenter perorauit.* Ita comitem *Pictauienſem à Chriſtianitate ſuſpendens, vt nec cum aliquo conuiuari, nec etiam loqui auderet, niſi maturè reſipiſceret.* Ita *officio ſuo, vt ſibi videbatur, peracto, martyrijque trophæum ſitiens, collum protendit: feri inquiens, feri. At Vuillelmus refractior conſuetum leporem intulit, vt diceret: Tantum certe te odio, vt nec te meo digner odio: nec cælum vnquam intrabis meæ manus miniſterio: Verumtamen poſt modicum, vipereo meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exilio. Vbi beato fine concluſus, frequentibus, & magnis miraculis innuit mundo, quàm glorioſè viuat in cælo. Quibus auditis, Comes dicacitate inſolenti non abſtinuit, profeſſus palam pænitere ſe quod non eius iamdudum mortem acceleraſſet, vt ipſi anima ſancta grates haberet potiſſimum, cuius fauore cæleſte mercata eſſet commodum.*

Eiuſdem ſancti Epiſcopi mira conſtantia.

Pellitur in exilium meretricis hortatu.

Morte ſublatus, miraculis claret.

Idem autem ſcriptor alterum ſanctiſſimo eidem viro inſcriptum Epigrāma, quo pretioſa, ac laudabilis eius mors commendatur, carminibus hiſce recenſet:

Vuillel. Maleſburg. lib. 5.

Eiuſdem ſepulchrale elogium.

Exutus rebus, intentus, pulſus ab Vrbe,
Præſul pauperiem, vincla, fugamque tulit.
Hunc diues liber, ſtabilis ſua præmia Petrus,
Aſtra capit, ſequitur, poſſidet iſte Petrus;
Vitam relligio, mentem diſcretio, famam
Lux operum, ſtudium lectio, verba modus.
Iudicium, Ius Iuſtitiam rigor, ora, venuſtas,
Ornabant, Pietas viſcera, virga manum.
Promouit, priuauit eum, profugumque recepit,
Papa, Comes, Chriſtus ordine, ſede polo.

Et hæc vel obiter in Petri Pictauienſis, digniſſimi Epiſcopi laudem, qui vt Vuillelmum ad ſanam mentē deduceret, ſalubriterque à ſchiſmaticorum conſortio, doliſque ſubtraheret, totis neruis contendit. Comitem, verò hunc, diuina aſpirante gratia S. Bernardus. Abbas Clareuallenſis, ſpiritu tandem vehementi aggreſſus, Innocentio papæ, eiuſque imperio obſequentem reddidit, & ad Deum feliciter traductum, ſecularibus ſe penitus rebus abdicare, cæleſtiſque vitæ genus, bonis ac ſanctis operibus in terris ex colere, diuino planè magiſterio docuit, vt in eiuſdem Diui Bernardi geſtis palàm videre eſt, adeò vt felici demum vitam exitu ſanctitate clarus abſoluerit, ſed vt reli-

Vuillelmi cōuerſio admiranda.

qua

qua nunc proſequamur. Non ita Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo, Anacleti pſeudopapæ, ſeu Petri Leonis Legato, in Pictauienſium Prouincia contigit; qui cùm Vuillelmum Aquitaniæ Comitem, cuius nuper meminimus, in pernicioſi ſchiſmatis foueam perduxiſſet, & præſentia inſuper, ac verbo aberrantem foueret, imò poſtquàm reſipuiſſet, iterum ad lapſum inuitaret; diuino repente è viuis iudicio abreptus eſt: at rem ex Bernardo Bonęuallenſi in ipſius D. Bernardi geſtis ab eodem conſcriptis ita enarratam accipiamus,

Gerardi pſeudolegati mors infœlix.

9. *Pace itaque omni Aquitaniæ Eccleſiæ reddita, ſolus Gerardus* (ille nimirùm Engoliſmenſis Epiſcopus, & Antipapæ Legatus, (de quo ſermo nunc eſt. *Solus inquam perſeuerat in malis. Sed non multò poſt, adueniente die iræ, in domo ſua miſerabiliter extinctus eſt; Et cùm dicat Scriptura. Eſt peccatum ad mortem, pro eo, non dico, vt roget quis: impœnitens, & ſubitò mortuus eſt ſine confeſſione, & viatico, de corpore egredientem ſpiritum ei reddidit, cuius miniſter vſque in finem extiterat. Corpus eius à nepotibus ſuis, quos in Eccleſia illa honoribus ſublimauerat, inuentum in lectulo ſuo exanime, & enormiter tumidum in Baſilica quadam humatum eſt; ſed poſteà à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ legato inde extractum eſt, alióque proiectum. Nepotes quoque eius ab eadem Eccleſia poſteà eliminati ſunt, & omnis progenies, & plantatio à radice auulſa, per extera Regna tanti iudicij circumferens querimonias exulauit. Tanto igitur malo obruto, & ſchiſmate Gerardi redacto in cineres, vir Dei cum gaudio magno in Claramuallē reuertitur*. Hæc de miſerando non tam Apoſtolici, quam Apoſtatici, ſchiſmaticique viri interitu probæ fidei ſcriptor digeſſit, quibus planè lugubribus eidem notis parentaſſe viſus eſt.

Bernar. Bonaull. in vit. S. Bernardi

Iob. 2. cap. 6.

Ioan. 1. c. 5.

Et repentina ſine ſacramentorum vſu.

Eius cadauer refoſsũ ciectumq.

10. Et prophetico quidem afflatus ſpiritu Bernardus, dum Pictauięſem Comitem in officio continere, ac longiùs à ſchiſmate abducere conaretur, Gerardo, qui malorum Architectus, Comiti foueam, ruinamque parauerat, impendentem capiti vltionem nuntiauit: Quæ igitur, vir Dei Comiti hunc in modum conſcripſerit, audiamus: *In eo animo, & in ea voluntate memini me diſceſſiſſe dudum à te, Princeps eximie, vt totis affectibus bene tibi, tuiſque cuperem, totis niſibus ſalutem veſtram, & honorem veſtrum, vbicunque poſſem, iuuarem, eo quod non redirem fraudatus fructu aduentus mei ad vos, ſed lætus præter ſpem multorum, reportarem mecum pacem Eccleſiæ, cum exultatione vniuerſæ terræ. Miror autem quo, cuiuſque conſilio mira illa mutatio dexteræ Excelſi tam ſubito in deterius eſt mutata, vt rurſum ad iniuriam Eccleſiæ, clericos S. Hilarij de ciuitate expelleres, & iram Dei in te grauiùs, quàm primùm excitares. Quis te faſcinauit tàm citò recedere à via veritatis, & ſalutis? Profectò iudicium portabit, quicumque ille eſt. Vtinam, & abſcindantur, qui vos conturbant, reuertere quæſo, reuertere, ne & tu (quod abſit) abſcindaris. Reuertere inquam, & reuoca amicos tuos ad pacem, & clericos ad Eccleſiam, antequam irrecuperabiliter reddas tibi aduerſum terribilem, & eum, qui aufert ſpiritum principum, terribilem apud reges terræ*. Hæc Bernardus, nec quidem fruſtrà.

Denunciata illi à S. Bernardo cœleſtis ira fuerat.

S. Bern. epiſt. 128 ad Vuillelmum.

S Bernardo ad Comitem Aquitaniæ cohortatio.

Ad Gal. c. 3.

Siquidem (vt Baronius inquit) *idem Princeps verè pœnitens, corde compunctus, auſteriſſimum vitæ genus arripuit, Chriſtianæ perfectionis verticem ſummum attigit, vt quæ de ipſo, ſuis dicturi ſumus locis, inferiùs demonſtrabunt*

Baron to. 12, an. 1135. n. 6.

Suſceptum ab eodē Comite auſterum vitæ genus.

bunt. Sane quidem, quod S Bernardus in anguſtia animæ ſuæ imprecatus eſt, vindictam in eum, qui ipſum reuocaſſet ad malum, illud Apoſtolicum iaculatus: V tinam abſcindantur, qui vos conturbant. V erbum hoc vltionis futuræ prænuntium, nefarium illum inueteratum dierum malorum Gerardum (cuius hic, eſt mentio) *pſeudopontificis Anacleti legatum pertigit, qui Comitem ipſum Pictauienſem in malum primo adduxit, & à malo Bernardi opera, precibus, ac labore reductum, iterùm malis artibus ſollicitauit ad lapſum; nam ſerui ſui Deo verba confirmante in peccatis, imò in ſchiſmate ipſo, cui mordicus fouendo perſiſtebat, è vita abſque ſalutis ſpe ad iudicium euocatus eſt.* Et hæc, de ſchiſmatici huius obitu dixiſſe, ſatis ſit.

Bernardus Bonaualiis Ab. in vita S. Bernardi.

11. Sed vt reliquos nunc, qui pſeudopontificum Romanorum partes totis viribus, ac perfidæ mentis ſtudio ſectati ſunt, orationis ſtylo proſequamur: Arnoldus Moguntinus Archiepiſcopus, qui impiè ſchiſmaticorum aduerſus Alexãdrum III. Romanum Pontificem factioni, Friderico principe adnitente, Octauiano intruſo, ac pſeudopapæ adhæſit, pœnas tandem, haud ſerò irato numini, atque Eccleſiæ iniurias, detrimentaque, ac impiorũ tumultus vlciſcenti, exſoluere compulſus eſt; hic enim ſchiſmaticorum anteſignanus, conſultorque peſſimus, ſicuti primus Germanorum omnium Epiſcoporũ ſententiæ in Alexandrum latæ ſubſcripſit, ita omnium primus promeritas perfidi patrocinij pœnas dediſſe cõprobatur; Iuſta autẽ perditi huius animaduerſio, perpetuo ſchiſmaticis monimento extitiſſe videtur, in qua diuinum palam, conſtanterque iudicium mortalibus affulſit; res verò tragica ſub anno Chriſti 1160. contigit, vt Robertus in appendice ad Sigebertum his verbis tradit: *His geſtis in conciliabulo videlicet Papienſi, Arnoldus præſul Moguntinus reuertitur, & in natiuitate D. Ioannis Baptiſtæ à Moguntinis occiditur, in Monaſterio S. Iacobi.* Hæc ille, qui paucis, inflictam ſchiſmatico homini cladem perſtrinxit. Sed lugubrem hic hiſtoriam ex his potiſſimum, quæ Conradus Epiſcopus in perantiquo Moguntiacarum rerum Chronico prolixiùs his verbis narrat, retexere opus eſt.

Arnoldus Moguntinus archiep. ſchiſmaticus.
Baronius to. 12. an. 1160. nu. 32.

Primus perduellioni in Alexandrũ ſubſcripſit.

Robertus in appendice ad Sigebertum.

12. *Per plures* (inquit) *admonitus eſt Arnoldus prænominatus, vt ſe cautiùs obſeruaret, qui fertur ſuis monitoribus reſpondiſſe: Canes Moguntinenſes mordere non norunt, nec aliquid valent, quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidam Abbas in clauſtro Eberbach Ordinis Ciſtercienſis, qui ipſum Arnoldum pro ſuis exceſſibus ſæpè literis arguit, & imminentia pericula intimauit.* Erat *quædam Sancta V irgo nomine Hildegardis, quæ per ſpiritum vidit ipſum* Arnoldum *citiùs moriturum: ſcripſiſſe quoque dicitur ei in hæc verba: Pater proſpice tibi, canibus enim ſunt funes abſtracti, qui inſequuntur te, non tamen acquieuit monitis aliquorum.* Accidit, *vt in Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, poſt prandium de quodam oppido Bingen, Ciuitati Moguntinenſi appropinquaret, ac in clauſtro Monachorum iuxta muros Ciuitatis ad S. Iacobum in monte ſpecioſo (ſic enim dicitur) ſe locaret. Et ecce Moguntinenſes vſque in craſtinum ſeſe armant, & conſtituunt, vt cùm in ipſo die Sancti* Ioannis *audita fuerit campana, quilibet ſit paratus, & factum eſt ita. V enit dies, & maturiùs ſolito prandent omnes; pulſatur campana, & à maximo, vſque ad minimum vniuerſa Ciuitas congregatur. Præſul* Arnoldus *ſe iam dederat quieti, & audito campanæ ſoni-*

Conradus in Chronic. Mogunt.

Sæpius admonitus imminẽtis diſcriminis.

Oſtenſum id diuinitus S Hildegardi.

Moguntinorum in eum coniuratio.

ſonitu, vltrà quàm credi poſſit, vehementer expauit, & timor irruit ſuper eum, ammiſſoque rationis gubernaculo, quid poſſet facere ignorabat. Obſtruxit autem repagulum, & lapidibus, & lignis, quibus poterat, ianuas omnes monaſterij memorati: Miſer quippe, qui diuinis monitis, nuncijſque ſalubribus aurem cordis præcluſerat, iam ad vltionem expetitus, fruſtrà ad ſe tutandum cubiculi fores occludere contendebat: ſed hiſtoriam proſequamur.

13. *Turba autem turbata exaduerſo, omnes portas, & feneſtras, vel quoſcumque alios exitus obſeruabant, ne euaderet, quem quærebant. Iam ignem ad officinas admouebant: vix & cum multa difficultate Monachi receſſum obtinuerunt; Et dum monaſterium fumo plenum, flammis per circuitum premeretur; Ipſe præſul turrim monaſterij aſcendens miſericordiam deprecatur, & ſi quem offendiſſet, verbo, vel facto ſatisfacturum ſe ſuppliciter pollicetur. Sed turba viſo Pontifice, clamare cœpit furiosè; Nec poterant ſupplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi, vel audiri: ſed admoto igni ad turrim, in qua ſtabat, ipſum de turri deſcendere compellebant, flamma iam monaſterio dominatur: videns ergo monachos obtenta ſecuritate abſcedere, tentat, ſi fortè, & ipſe cum eis, & inter eos poſſit euadere. Aſſumpto itaque habitu monaſtico occultari tentat, vt & ignem, qui inualuerat, & gladium euaderet, quem timebat. Apertis* Eccleſiæ *valuis, cum monachis ferè abſceſſerat, ſed à quodam eſt cognitus, & detentus infelix. Quidam primo gladium vibrãs collo* Epiſcopi *immerſit; alter in fronte eum percutiens, mucrone ab aure vſque ad aurem, ſuperiorem partem capitis ad inferius diuiſit: Sicque factum eſt, vt alij contis, alij fuſtibus, alij gladijs, alij lapidibus mactantes, ſolo tenus præcipitarent: Iacentem ſic, & vulneribus, & ſanguine deformatum, vulgus nequam, & peruerſum, veſtibus ſpoliarunt; quidam annulos de digitis abſtulerunt. Reliquiæ quædam, quas collo pendentes ſolitus erat ferre, ab alijs ſunt ablatæ: hæc autem circa horam nonam parum antè veſperas ſunt peracta. Nec poterant clerici ab ipſis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt ſaltem occiſus, in loco traderetur debito ſepulturæ. Sic ergo iacebat in Campo ſuper foſſam Ciuitatis, vbi canum, & luporum tranſitus habebatur, deſiderantes eum, & ab huiuſmodi beſtijs deuorari. Tribus diebus ſic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ fœminæ, caſeorum, & ouorum, atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, ſaxiſque dentes pontificis contuderunt; aliæ verò ſtipites ardentes & titiones fumantes eius gutturi inflixerunt, adijcientes linguis, & labijs maledicta. Poſt diem tertium Canonici S. Mariæ ad gradus iam incognoſcibilem, & fætentem, furtim ſublatum deferunt in ipſam Eccleſiam lachrymoſis ſuſpirijs ſepeliendo.* Quid plura? Poſt quàm multa ſcriptor in Moguntinos, qui iſthæc patrarant, probrorum iacula intorſit, hæc mox ſubdit: *Acta ſunt hæc anno milleſimo centeſimo ſexageſimo.* Et quidem impius, qui ſe in pontificium thronum malè intruſerat, ſuamque pſeudopapæ, ac ſchiſmaticis operam impenderat, talia, ac tanta à ſuis mortuus, ne dum viuus perpeti meruit, quæ ſanè haud pridem, ſed anno, quem recenſuimus, poſt damnatum iniquæ ſententiæ calculo Alexandrum Romanum pontificem, tremendumque inſuper Dei iudicium incurrit.

Furentis populi manus effugere tentat.

Monaſticum cultum induit.

Vulneribus conſcinditur.

Triduo feris expoſitũ eius cadauer.

Conradus in Chrõ. vbi ſup.

14. Rodulphus verò ſacrilegorũ ſubinde opera, poſt Arnoldi mortem ſedem Archiepiſcopalem inuaſit, qui

Rodulphus illi ſuffectus.

pro

Crucem auream diſtringit, & ſacrilegij pœnas dat.

pro illa obtinenda Romam profecturus, cum ad opportunas itineris, cui ſe accingebat, expenſas, aureæ crucis brachium ſacrilegè amputaſſet, ſuis fruſtratus votis, ſupremum in via diem clauſit. Congruè igitur diuino Mogũtinus Archiepiſcopus ſchiſmaticus iudicio perculſus eſt, qui imperatori Friderico mordicùs in ſchiſmate adhærens; contumelioſus Alexandrum Romanum Pontificem calamo perſtrinxerat, ac ſtylo impiè inſectatus, damnauerat; Fridericus quippè pœnis, ac minis ſuo cunctos, non tam Imperio obſequentes, quàm captiuos errori habere geſtiens, edicta ſæuiſſima promulgauit, quibus ij, qui beſtiam à ſe in throno locatam non adorarent, non ſecùs ac manifeſti, infeſtique hoſtes à ſuis impeterentur; Huius autem feralis edicti, vt id vel obiter exponamus, in ipſius Alexandri Papæ actis, & his planè verbis mentio recurrit. *Sic itaque in perniciẽ animæ ſuæ Imperator, & in ruinam multorum, tunicam Chriſti, vnitatem videlicet Catholicæ fidei ſcindere tentans: ipſe priùs inclinauit ſe ad pedes illius, & alios, quos poſſet, ad ipſum coegit. Quo facto per totum ſibi ſubiectum Imperium, edictum miſit, vt eccleſiarum Prælati ad ſtatuam, quam erexerat, adoraturi accederent. Quod quicumque agere nollent, de terra ſua non reuerſuri exirent. Huius autem verbum durum, & aſperum inſonuit per totam Italiam. Tunc omnes, qui ſpiritu feruebant, elegerunt exilium potiùs pati, & perſequutionem pro Deo, & manutenenda fidei vnitate, quàm pacificè adhærere ſchiſmaticis, & honoribus abundare cum diuitijs huius ſæculi. Facta eſt ergo maxima in Eccleſia turbatio, fugientibus Catholicis, deſerentibuſq; Eccleſias proprias, & patriam ſuam. In quorum loca violentèr intruſi ſunt Octauiani complices.* Hæc quidem ibi de ſchiſmaticis.

Fridericus Imp. catholicos perſequitur.

Acta Alexãdri papæ.

Mulctat exilio antipapam colere detrectantes.

Alexandri Pont. conſtantia.

Verùm imperterrito, ac ſacerdotalis planè animi vigore, tunc temporis Alexander põtifex in acie ſtetit, & quò magis aduerſarum rerum procella ingrueret, eò ipſe conſtantior apparuit. Quid enim, ille pro Petri ac Apoſtolicæ ſedis auctoritate propugnanda non tentauit, non præſtitit; dùm iudicium verè Apoſtolicum intẽtans, ſuis Imperatorem ipſum litteris ſuprema, qua diuinitùs præcellebat, poteſtate conuenit, perſtrinxitq; ac illum Apoſtolicis parere imperijs detrectantem, iuſtiſſimi anathematis mucrone perculit. Sed quid acta legenti exhibeant, videamus.

Percellit Cæſarem anathemate. Acta Alexãdri papæ.

15. *Cùm autem B. Alexander Papa eumdem Imperatorem benignè, ac frequẽter admonitum à ſua perfidia non poſſet vllatenùs reuocare: cum Epiſcopis, & Cardinalibus in cœna Domini apud Anagniam, ipſum tanquam principalem Eccleſiæ perſequutorem, excommunicationis vinculo ſolemniter innodauit, & omnes, qui cum eo iuramento fidelitatis tenebantur aſtricti, ſecundum antiquam prædeceſſorum patrum conſuetudinem, ab ipſo iuramento abſoluit; Atque in Octauianum, & eius complices iam diù prolatam excommunicationis ſententiam innouauit. Et quoniam ipſi ſchiſmatici, de iuſtitia, & veritate diſſidentes, prelatos Eccleſiarum, & principes Vrbis, acquiſitis mendaciorum figmentis circumuenerant, & in partem erroris ſui inducere attentauerant: vtile conſilium D. Papæ viſum eſt; vt aliquot de fratribus ſuis in diuerſas mundi prouincias ex latere ſuo deſtinare deberet, per quorum ſtudium, & laborem ſuper facto electionis Apoſtolicæ declaratio fieret, & vniuerſitas fidelium in vnitate Catholica, cognita veritate ſolidaretur.* Porrò haud tunc, vt me-

Soluit Sacramenti religione cliẽtes Imperij.

Octauianum ſacris ſubmouet.

Legatos a latere in varia regna decernit.

Digitized by Google

rebatur, Imperator à Chriſti fidelium cœtu præciſus, ſed comminatoria dũtaxat in eum excommunicationis ſententia euulgata eſt, vt metu perculſus, opportunè ſi vellet, abolito ſchiſmate, ad S. Matris Eccleſiæ ſinum rediret.

Fridericus in peruicacia obdureſcit.

16. Atqui Fridericus in malo deterior in dies effectus, ſe ipſum ſchiſmatis labe notatum, cunctiſque inuiſum, vltrò execrandumq; Catholicis exhibens, ignominiarum, ac dedecorum probra, haud laudum præconia celebrandi, amplam Scriptoribus materiam reliquit. Diuinum quippe Oraculum eſt: *Et qui contemnunt me erunt ignobiles*. Quapropter conſultò Scriptores in retexendis, ac celebrandis, quę ab eodem geſta ſunt, ſtylum contraxere, vbi eum, quauis turpitudinum labe diffluẽtem, ac ſchiſmatis infamia notatum, & pontificiæ inſuper ſedis calculo iuſtiſſime perculſum viderũt; Nam præ cæteris Gunterus, celebris ſub hæc tempora inter poetas, cùm de rebus à Friderico geſtis denos metricè, hiſtorico tamen ordine, libros compilaſſet, ac vt ipſe fatetur, vlteriùs proſequi decreuiſſet, ob turpia rerum, quas à Friderico per ſummum nefas patrari cõtigit, dedecora, rubore ſuffuſus, compulſuſque poſthac conticeſcere, manum à ſcribendo contraxit, nam cùm ſingulas, hucuſque res pridem ab Imperatore geſtas, heroico proſequutus carmine fuiſſet, Papienſe ab eo conciliabulum coactum præteriens, vt ſuis elucubrationibus, ac veritati conſultum foret, canonicã Alexandri Papæ III. inaugurationem vltrò conſtanterque probauit, ſubdolam verò Victoris pſeudopapæ electionem, aptè in rem præſentem ſtylum intorquens, improbandam carminibus hiſce enuntiauit.

1. Regum cap. 2. nu. 30.

Turpia eius geſta ab Encomiaſtis præterita ſilentio.

Baronius tom. 12. an. 1160. num. 50.

Schiſmatis hiſtoria celebrata carmine.

Guntherus poeta de car de rebus Friderici Imperat.

Ligurinus in Friderico lib. 10.

Temporis eiuſdem tractu; nondumque reuerſis,
Quos ad Romuleam Fridericus miſerat Vrbem,
Confinis magnæ, multumque domeſtica Romæ
Funera Romani Paſtoris Anagnia vidit.
Quem tamen inde ſuam translatum clerus in Vrbem,
Sede ſacra Petri ſepeliuit honore fideli,
Ante tamen tumulo, quam membra exanguia Præſul.
Subderet, exorto geminas, iam ſchiſmate partes,
Manſuramque diù litem de ſede reliquit.
Nam cùm de tanti rationem clerus haberet,
Succeſſore viri, ſtudijs melioribus vltrò,
Rolandus petitur, qui Cancellarius antè
Sanguine conſpicuus, veteri mox nomine verſo,
Factus Alexander per tempora multa ſuperſtes,
Eccleſiæ pacem ſedato ſchiſmate tandem,
Vidit, & optato tunc demùm fine quieuit;
Altera pars ſacra Octaui ſe ſede locatum,
Auſpicijs decepta ſuis, ignara ſuperni,
Iudicij, falſo Victorem nomine dixit.

Alexander antea Rolãdus dictus Cancellarij munus obierat.

Octauianus illi à factioſis oppoſitus Victoris nomen induit.

Hæc Ligurinus Poeta, extincto iam ſchiſmate, iſta conſcribens cecinit. Sriptores igitur, vt vides, cùm res præclarè, ac laudabiliter geſtas ſcribendi argumentum non ſuppeteret, ſtylum potiùs, ac manum à ſcribendo contrahere, quam viros turpiter palpando, mendacij ſubire notam

tam

tam maluere, ne videlicet, quæ vera ſunt, conſcribendo, ipſi Friderico diſplicerent, eundemque ſibi inuiſum (quod timebant) atq; infenſum redderent; quæ hic vel obiter enarraſſemus.

16. Præmemoratis autem Antichriſti in Eccleſia cultoribus, alter pſeudopapæ ſectator iure merito aggregandus videtur: Ioannes videlicet presbyter Cardinalis Sancti Martini, qui Octauiano pſeudopapæ, ſub Victoris itidem nomine aduerſus Alexandrum huius nominis tertium in acie ſteterat, ſedis condignas pariter ſcelerum pœnas exoluit, ſubito enim, inopinoq; fato præceps ab equo delapſus, animam efflauit, vt eiuſdem Alexandri acta his verbis exhibent: *Accidit etiam, quod Ioannes presbyter Cardinalis, tituli S. Martini, qui à principio huius ſchiſmatis cum Octauiano, & eius ſucceſſore Guidone Cremenſi eccleſiam non deſtitit perſequi, cùm extrà Viterbium equitaret, ſubitò corruit, & confractis ceruicibus, impœnitens vitam peſſimam finiuit morte*. Acerbam quippe, paremque ſceleri ſchiſmaticus iſte Cardinalis, perfidæque temeritatis, ſic præreptus è vita pœnam dedit, dum poſt culpam impęnitens, repentinoque lapſu diem infeliciter clauſit. Sed par quoque cæteros præmemorati ſchiſmatis ſectarios iuſtiſſimè ſupplicium inuoluit, vt in ijſdem actis videre eſt. Guido quippe Cremẽſis Octauiano in ſchiſmate aduerſus Catholicos acriter propugnando, à ſuis perperam ſuffectus, promeritæ vltionis gladio animaduerſus, haud ſubito è vita deſiit, ſed toto, quo vixit, tempore, pede claudus, ſacrilegæ pœnas inuaſionis dedit; Is enim qui longiùs à recto tramite, pedẽ inflectens, aberrauerat, pede offendiculi reatũ perpetuo claudicãs exoluit, adeò vt, vel ſtans, vel certè ob ambulans, quod malè ambularat, & quod in lubrico ſteterat, vel inuitus, fateri compulſus ſit. Quid igitur de impio homine, ac de Albanis, qui Imperatoris factioni adblandientes, ſchiſmaticorum impietatem complexi fuerant, conſcripta Alexandri pontificis acta legendum præſeferant, audiamus.

Ioannes pſeudocardinalis fracta ceruice ex equo proruit

Baronius tom. 12. ann. 1169. nu. 39.

Acta Alexandri papæ IV.

Guido Cremenſis Octauiano ſubrogatus.

* Toto vitæ tempore claudicat.

17. *Ipſe quoque Guido Cremenſis, qui ipſi Octauiano ſucceſſerat in ſchiſmate, incurabili morbo percuſſus, pede neceſſe habuit claudicare quandiù vixit.* Quibus iſthæc de Romanis aduerſus circumuicinos populos, qui Antipapæ obſequium, auxiliaremque manum præbuerant, inſurgentibus ſubtexuntur: *Romani autem, cùm in Theutonicos, ſibi illatam iniuriam vindicare non poſſent, ad Albanos ea ſe occaſione conuertunt; Quia cum Imperatore aduerſus nos ſteterant, & offendere præſumpſerant; & tandiù hoſtiliter pugnauerunt, donec eorum ciuitatem captam funditùs deſtruxerunt. De Tuſculanis quoque, & alijs circumpoſitis fortioribus Ciuitatibus pro conſimili cauſa idem facere nihilominus laborauerunt. At quoniam eorum iniuſtis conatibus Eccleſia non conſenſit, ab huiuſmodi propoſito deſtiterunt, ad modicum tempus.* Hæc ibi. Ex quibus ſchiſmaticos diuina, vel ſerò tandem vltione expetitos nemo ſapiens non videt, ac in pœna, quam cuncti poſtmodum ſubiere, totius perfidiæ culpam impietatis agnoſcit.

Alba ob præſtita ſchiſmaticis ſtudia exciſa.

18. Verum enim vero, vt ſuſceptę enarrationis propoſito inſiſtentes, reliquorum, qui pſeudopontificibus, ac prophanis in Eccleſia idolis, diuinũ religionis cultum impendere, ſuaque auctoritate populis offendiculum proponere, ruinamque ſectatoribus intentare auſi ſunt, tragicam hic proſequa-

ſequamur hiſtoriam, multiplici proculdubio calamitatum experimento, viri Principes religioſum Chriſto, non Antichriſto cultum deferendum, ſuaque nonniſi legitimo Petri ſucceſſori, Chriſtique Vicario præſtāda obſequia didicere, dum ſinguli, qui Vrbano VI. vero totius Eccleſiæ ſpōſo reiecto, adulterinū Petrum colere, eumq; velut rite in Petri throno ſuffectum conſuetis honoribus proſequi non dubitarunt, infelicem ſortiti exitum, ſe ſuaque omnia certo deuouiſſe exitio comprobantur; quorum ſatis prolixum Petrus è Monteſono Prædicatorum Ordinis Cathalogum, in egregio, quem ad Cardinalē Reatinum, quinque dialogorum libris comprehenſo commentario ſcripſit, in quo iſthæc ad rei propoſitum diſertis verbis proſequitur.

Petrus de Luna, fictus, adulterinuſque Petri ſucceſſor. *Raynal. ann. 1391. nu 25.*

Extat in biblioth. Card. Barb. ſignat. num. 2304. Deus ſignis e cęlo Vrbanum pontificem orbi oſtendit: *Ioannes à Montiſono lib. 2. c. 17.*

Videamus (inquit) *ſi in tempore huius ſchiſmatis ſunt facta miracula ad teſtificandum eccleſiæ veritatem: Et nota quot miracula ſubſequuta. Videas in principibus contra ipſam inſurgentibus quales fuerint interitus ſubſequuti. Videas Regem Carolum contra ipſum Vrbanum inſurgentem infra annum, vel parum plus, volentem intrare poſſeſſionem regni Hungariæ, infra viginti dies, in camera propria ab hominibus dicti Regni turpiter interfectum. Videas de Rege Caſtellæ Ioanne, qui præſumpſit declarare ipſius Eccleſiæ veritatem, quam ſicut Pilatus non meruit inuenire, determinando ſe pro parte dictorū ſchiſmaticorum, qualiter fuit ab equo proprio interfectus, nec potuit emittere vnū verbum. Videas de Duce Andegauiæ, qui cum ſexaginta millibus equitaturus contra dictum Vrbanum inſurrexerat, qualiter ipſe cum toto exercitu ſuo perijt, et ad nihilum ſunt redacti. Videas de domina Ioanna Regina Siciliæ, quæ ipſis Cardinalibus in dicto ſchiſmate adheſit, quàm turpiter regno fuit priuata, & turpiùs interfecta. Videas de domino Bernabone à ſuo nepote capto, & interfecto, & de ſuo dominio, & ſuo herede priuato. Videas de Duce Auſtriæ infra vnum annum ſuæ determinationis à ſuis ſubditis, & ruſticis interfecto; Videas de domino Raynaldo de Vrſinis in Aquila à ſuis ſubditis interfecto; vt taceam de pluribus alijs, qui ſuperuiuunt, ob reuerentiam eorumdem. Numquid videntur tibi iſta miracula à Domino eſſe facta? Re vera ſi diligenter velis inſpicere, non minùs eſt hoc ſchiſma punitum quoad capita principum, quàm cùm ſchiſma fuit introductum in regno Iuda, vel Iudæorum, à quo regnum Iſrael ſe diuiſit, vt patet iv. Regum xxvij. Inſuper vis videre aliud genus miraculorum? Videas quot reuelationes fuere tunc probis, & ſanctis hominibus, atque mulieribus tam ſæcularibus, quàm regularibus, quæ ſunt omnes atteſtantes dictum dominum Vrbanum eſſe papam, & per conſequens eam, quæ ſibi iuncta eſt, eſſe eccleſiam verā.* Hæc ille, quibus confirmandis certiſſima veluti teſſera virorum principum, qui ſuam ſchiſmati manum, operamque præſtiterunt, clades non defuere.

Schiſmaticos omnes infelix exitus ſubſequitur.

Sacerdotem ſuum Deus vindicauit.

Antiquis exemplis ſchiſmaticorū ſcelus pro ſcriptum.

Et iuſtam profectò Dei iram, indignationemq; Petrus totius Minoritarū Ordinis pręfectus Nepotibus ſuis Regibus, Petro ſcilicet Aragonū, ac Carolo itē Francorum Regis ſatis apertè diuinitùs enunciarat. Et quidem Petro graui conſcripta ad eum epiſtola illis planè filii interitum verbis prædixerat: *Quoniam pro peccato iſto in introitu ipſius Cardinalis mortuus eſt puer anniculus ipſorum Regis, & Reginæ, vocatus Petrus, iuxta Abiæ Silonitis verbum dicentis Reginæ Iſraelis vxori Ieroboam: In ipſo introitu pedum tuorum in vrbe morietur puer*

Raynal. ann. 1379. n. 47. Reuelationes à viris ſanctis editæ, & clades ſchiſmaticorū prædictę.

11. Re-

Epiſt. eiuſd. Petri tom. 4. de ſchiſ. pag. 141.

11. *Regum ix.* At verò de primogeniti eiuſdem filii, ac patris item clade diuino iam lumine illuſtratus haud vanus præco extiterat dicens: *Filius inſurget in patrem, & pater in filium, & ambo peribunt.* Carolo autem Francorum Regi idem Petrus Minorita ſapientiſſimis quoq; verbis inculcauit: *Quia Francia fabricata eſt idolum, & monſtro ſe ſubiecit: Caueatis de indignatione diuina, quia ſuper Reges populos, maiores, & regna, ira Dei deſæuiet, niſi ſubijciantur Vrbano.* Res autem Regi ſanis eiuſdem conſilijs acquieſcere detrectanti funeſte admodũ ceſſit, vt alibi narratum eſt. Ioannæ inſuper Neapolitanorũ Reginæ in fouẽdo ſchiſmate pertinaciſſimę S. Catharina virgo Senẽſis datis ad eã literis obſtitit, Vrbanũ pontificẽ verum Chriſti Vicariũ, nec aliũ agnoſcendũ, cęteroſque ſchiſmaticos procul à ſe abiiciẽdos grauibus intentatis eidem minis, prædictiſq; irarum Dei iaculis, quæ inculcãs illi è proximo impendebãt. *Nimirũ* (vt Rainaldus ait) *miſeræ ob ſcelus certiſſimum impẽdere exitiũ, ni committat ſe curæ paſtoris, ab infernali fera, vt errantem ouiculam laniatum iri.* Hæc virgo Senenſis, quam cum, altera Catharina Sueca, miræ itẽ ſanctitatis virgine ad Reginam Ioannam, vt à ſchiſmatis laqueo pedem retraheret, legationis munere inſignitas Pontifex mittere deſtinarat. Ita Reginæ ſaluberrima contẽnenti monita infelix ſubinde exitus, vt ſuo loco de ipſa narrauimus, obtigit.

Ioanna regina ob cõtemptum Pontificem à calamitatibus abſumpta.

Rainal. ann. num. 23.

Idem nu. 22.

19. Porrò Deus Vrbanum benignis deſuper oculis reſpiciẽs, nedũ ab inſidiis ſchiſmaticorũ ſaluum reddidit, ſed & inſectãtes attriuit peſſũdeditque. Nam Menzoias Antipapæ nepos, qui ab eo aduerſus Vrbanum, vna cum Bernardo Sala, aliiſque Britonum, & Vaſconum ducibus ad Vrbem directus fuerat, funeſtam ipſe vna cum ſuis pro triumpho, quẽ ſibi & ſchiſmaticis ſocijs ſperabat, cladem retulit, adeòque inſignis victoria extitit, vt Vualſingamus eius his verbis meminit. *Occiſi ſunt ex antipapalibus quinque millia, ſiue plures ex communibus exercitus, & campi milites ſexaginta cum eorum campi ductore, Bernardo de Sale.*

Vualſingam in Ricard. 2.

Henrico inſuper Caſtellæ regi, qui ſchiſmaticis pręſto erat, idem Petrus de Aragonia diuinam, niſi ab antipapæ obſequio abſtineret, iram prædixerat, exhortans, vt in acie pro Vrbano ſtaret; dum his eum verbis alloquitur: *Super hoc niſi tibi litteram fortiorem, quam primam, & in qualibet litera ſignificaui tibi reuelationem mihi factam à Domino noſtro Ieſu, prout ſignificaueram Domino meo regi vt ſuperius continetur. Significaui etiam tibi qualiter antequam accepiſſem literam tuam, ex inſpiratione diuina mittebam ad eum ipſum, prout ipſe poſtulauerat, confeſſorem meum prædictum. Recepit literas, audiuit confeſſorem meũ in villa S. Dominici de Calcada, ſed tanquam incredulus nihil fecit: Qua de cauſa incurrit indignationem Dei in literis comminatam, & arripiente eum infirmitate validiſſima mortuus eſt: tamẽ deceſſit pænitens, & catholicè. Anima eius requieſcat in pace, Amen.* Hæc Petrus Minorita, cui non minus graue, pauendũq; Ioãnis è Rupe ſciſſa viri religioſiſſimi Vaticiniũ, Deiq; oraculũ, acceſſit, his plane verbis conceptũ.

Henricus Caſtellæ rex e vita abreptus, eoquod Antipapæ faueret.

Tom. 4. de ſchiſ. p. 141.

20. *Intellexi*, inquit, *ſed magis explicite Toloſæ in carcere etiam futurũ vnum ſcandalum in ventre generalis eccleſiæ Romanæ tã incredibile, tam immenſum, & horrendum, & damnoſum, ac etiam, ruinoſum, vt non poſſit ſufficienter cogitari eius flagitium, nec plenè verbo exprimi infundendum venenum: futu-*

Extant. tom. 4. de ſchiſ. pag. 116.

Baron. ann. 1379. nu. 12.

futurum enim eſt, vt ante apertam repræſentationem proximi maximi Anti-Chriſti, mortuo vno ſummo pontifice, & in diebus illis cum erunt concluſi domini Cardinales, tantus erit conflictus populorum in Italia, & tanta effuſio Sanguinis Chriſtiani, vt videatur perditio ſæculi adueniſſe: iuſſu tamen diuino ita fiet, quando Cardinales concluſi non poſſint in aliquem conſentire, niſi in quemdam virum ſanctiſſimũ, & adeò inimicum, quem non aſſument de numero Cardinalium; ſed ſicut olim aſſumpſerunt; ſanctiſſimum Cæleſtinum, hic enim ritè, & canonicè eligetur. Fiet autem iuſto Dei iudicio permittente, vt ad ſuggeſtionem vnius bilinguis falſarij (is fuit Ioannes Ambianenſis *Cardinalis, de quo Vrbanus in edictis grauiter queritur) alius quidam filius ambitionis, & ſuperbiæ (nimirum Robertus Gebennenſis) in contumeliam Chriſti, & veri pontificis cum cautelis, & verſutijs, fultus præſidio multorum Cardinalium à vero Pontifice recedentium, ad pſeudo pontificium aſſumatur: conabuntur enim electionem canonicam veri pontificis annullare rationibus phantaſticis, & ſophiſmatibus fictis.* Hæc vir Dei diuino afflatus ſpiritu, dum futuram Eccleſiæ calamitatem obteſtatus, ſchiſmaticis immane facinus cauendum ediceret. Funeſta igitur priuſquã obtingeret, diutini ſchiſmatis Deo reuelante procella innotuit, quam, & triennio antè S. Catharina Senenſis à perduellibus Cardinalibus excitandam diuinitùs nouit.

Prænunciata diuinitus electio Vrbani pontificis.

Robertus Gebennenſis vir ambitioſus pſeudopontifex ſalutatus.

Vit. S. Cathar. ann. 1370. nu. 22.

21. Porro tam ſæua, & tot, tantiſque referta periculis nouiſſima portentoſi huius ſchiſmatis calamitas extitit, vt dęmones ſuas potiſſimum ad perdendam Chriſti eccleſiam, conuellendoſq; cunctorũ fidelium animos exeruiſſe vires, conatuſque omnes intendiſſe viſi ſint. Tunc enim Vrbs Roma diram aduerſus Vrbanum pontificem rebellionem prodidit, in quem ſchiſmatici proinde reliqui foris vehementiùs in fremebant, adeò vt iuxta prophetæ oraculum. *Intus pauor, & foris gladius vaſtitatem deuaſtaret:* Sed Senenſi virguncula pro Eccleſia Deum intentius exorante, compreſſis dęmonum viribus, Vrbs ſedata, & pax tandem inſperato reddita eſt, vt Raymundus Capuanus, & ex eo S. Antoninus turbidam Vrbis faciem his contemplandam verbis proponit.

Deut. 32. 25.

Raym. vita S. Cathar. p. 3. c. 2.

Renouati fuerunt mox (inquit Raymundus) *eius dolores, quia ſerpens antiquus, quod non poterat per vnam viam attentare, attentauit per aliam magis periculoſam, & duram: quod enim facere non poterat per extraneos; & ſchiſmaticos, attentauit facere per intrinſecos & domeſticos fidei; nam cæpit ſeminare diſcordias inter populum Vrbis, & pontificem, quæ creuerunt tantum, quod aperte comminabatur populus intentare mortem pontifici, quod ſentiens Virgo Sancta, nimis afflicta ad conſuetum recurrit orationis refugium, & totis conatibus aſſiduè ſponſum ſuum exorans, vt nullo modo permitteret fieri tantum nefas. Quod dum ageret, vt ipſa mihi ſcripſit per quamdam epiſtolam, vidit in ſpiritu totam Vrbem plenam dæmonibus, qui vndique populum incitabant ad parricidij ſcelus, & contra orantem virginem horribiles dabant clamores dicentes: Maledicta, tu niteris nos impedire, ſed te horrenda morte infallibiliter occidemus; quibus illa nihil reſpondens prolixiùs, ac ferventiùs orationi inſtabat, petens à Domino, vt pro nominis ſui honore, ac pro remedio eccleſiæ ſuæ ſanctæ, quæ tunc tantis turbinibus quatiebatur, vellet dæmonum deſideria ex toto fruſtrari, & Vicarium ſuum illæſum ſeruare, nec permitteret*

S. Anton. 3. par. tit. 24. c. 14 §. 8.

Diſcordiæ inter populares, ac Pontificem diaboli arte proſeminatæ.

quòd

Digitized by Google

quòd committeret, reſponſumque ſemel recepit à Domino: Sine hunc populum, qui quotidie nomen meum blaſphemat, cadere in hoc malum, vt propter hoc grande crimen vindicem, & deleam eum, quia iuſtitia mea exigit, vt ampliùs non ſuſtineam iniquitatem ipſorum. Verùm vt Virgo pari ac Moyſes charitatis zelo pro Romano populo ab infando ſcelere, & à Dei ira ſubinde vindicando viriliter in acie contra Deum ſteterit, petitionemque ſuam ſedatis tandem tumultibus ſortita ſit, his verbis Raimundus proſequitur.

Raimal. vbi ſup.

22. *At illa tunc magis orabat, feruenter his verbis in ſententia, vel in ſenſu: Clementiſſime Domine, noſti qualiter ſponſa, quam proprio ſanguine redemiſti, quaſi per totum orbem, proh dolor! laniatur: noſti etiam quam paucos habeat adiutores, & defenſores nec latere poteſt, qualiter vſurpatores, & hoſtes eius deſiderent Vicarij tui mortem, & ſcandalum, ſi hoc malum eueniet, non tantùm huic populo, ſed toti populo Chriſtiano, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ nocebit grauiſſimè. Tempera igitur iram animi tui, Domine, & noli deſpicere populum tuum, quem tam grandi pretio redemiſti. In hac diſputatione, ſi non malè recolo, plures occupauit dies, ac noctes, cum magna corpuſculi ſui afflictione pariter, & labore, illa ſemper orante, Dominoque ſuam iuſtitiam allegante, ac dæmonibus contra eam clamantibus, vt eſt ſcriptum &c.* Et poſt plura precibus pijſſimæ Virginis optatam tandē pacis tranquillitatem affulgere cœpiſſe traditur his verbis: *Factum ita*, inquit, *quod ex illa hora ceſſauit primo paulatim & tandē totaliter murmur in populo illo, ſed totā paſſionē virgo virtutibus plena portauit.* Acerbo quippe haud multò poſt Dei famula martyrij genere eodem teſte auctore de vita abſceſſit.

Deus in cōtumacē pro populū iratiadum eum diſperdere vult, precibus ad clementiam flectitur.

Raimald. vbi ſup.

Pontifex igitur, qui per ſummum ſcelus à Romanis furentibus ad necem requirebatur, adeò vt propinato etiam ſibi veneno, & extremiſque penè viribus cum morte colluctatus, popularem ſubinde ſeditionem diuinitùs repreſſit, ſedauitq; vt Gobellinus hunc in modum tradit: *Quadam die populus Romanus contra eum commotus, tumultu concitato, armata manu palatium expetiuit: Cumque tumultuantis multitudinem occurſus ſibi nūciatur, ipſe iubēs portas palatij protinus aperiri, in ſede ſua ſe collocat, & Chriſti factum imitatus miraculum, quo Chriſtus Iudæos terruit ſe quærentes, mirabiliter innouat: tumultuantis enim turbæ primores in acie conſtitutos aſpectu ſerio, & his verbis? Quid vultis? In ſui præſentia ita ſtare compellit, quod eis promptitudinem reſpondendi, & furori ſubſequentium acceſſum ademit propiorem: & ſic eorum pertinacia, pro vt res exigit increpata, eos placatos facit abſcedere.* Ex quibus, Dei auxiliante manu, Vrbano pontifici ſub ea funeſtorum temporum procella, tam aduerſus domeſticos, populareſque in Vrbe tumultuantes, quàm contra externos hoſtes, diſtrictis pro ſchiſmatis controuerſia armis pugnantes dimicandum fuit, ſed impijs ſubinde, qui in errore perſtiterant, è medio funeſtè ſublatis, optata tandem Vrbi, atque Eccleſiæ tranquillitas Deo aſpirante affulſit.

Gobell in Coſmog. ætat. 6. c. 76.

Miraculo popularis impetus à Chriſti Vicario propulſatur.

23. Quoniam vero de præcipuis intruſorum pontificum fautoribus mētio eſt; Petrus Aragonum rex, qui ſchiſmaticis aduerſus legitimum papā Chriſtique Vicarium aurem præbuit, fauoremque ſuum temere exhibuit; & cùm ab Vrbano VI. papa, ne Petri de Luna mendacijs, doliſque ſe circumueniri pateretur, & cùm ab eius pariterinternuntio illi ſuggeſtum fuiſſet,

Petrus rex Antipapæ fautor, Dei iram incurrit,

fuiſſet, non debere ipsũ modò papæ, & modo antipapæ adblandiri; Quia ergo ſurdus monitis extitit, diuinam tãdem vltionem expertus eſt; nam iuxta id, quod Petro Minoritani ordinis generali præfecto fuerat pridem è cælo oſtenſum, multa ſubinde nepotem eius ob exceptum Petrum è Luna mala inuenere, & ipſe in pſeudolegati ingreſſu, ad ſuæ cumulũ infelicitatis, ipſum regni hæredem amiſit, ac ſuo tandem capite pœnam ſubiturus poſt exhibitas Tarraconenſi eccleſiæ moleſtias, alapa à S. Thecla percuſſus, ſuiſque fruſtratus votis infeliciter deceſſit. Sed vt tragicam hic hiſtoriam retexamus; Petrus Minorita eius patruus prophetico afflatus ſpiritu, ac Petro regi monitor factus, vt diuinam, ceruicibuſque iam impẽdentem caueret iram edixerat, & concitam, ſi antipapę nuntium exciperet, vltionẽ his planè verbis ſcripta ad eũ epiſtola comminatus fuerat: *Significaui, inquit, dicto regi, quod caueret, quòd ipſum Cardinalem non reciperet, nec gratioſe, nec honorificè, immò repudiaret eum, & dicta ſua, tanquam inimicum Dei, & veritatis: ipſe autem rex fecit totum contrarium, recipiens ipſum Cardinalem honorifice, & gratanter, & (quod peius fuit) receperunt ab eo ipſe rex, & regina conſors ſua iocalia preticſa miſſa eis ab antipapa, vel eis data à ſchiſmatico Cardinali, videlicet quod pro peccato iſto in introitu ipſius Cardinalis, mortuus eſt puer anniculus ipſorũ regis, & reginæ vocatus Petrus, iuxta verbum figuratiue ſumptum Abiæ Silonitis dicentis Reginæ iſraelis vxori Ieroboam: In ipſo introitu pedum tuorum in vrbe morietur puer. 11. regum 9.* Quibus tunc à Petro alteri Petro indictis, alias inſuper domeſticas calamitates Aragonum regi ob ſchiſmatici Cardinalis ſocietatem contigiſſe his verbis narrat. *Quia Dominus noſter non obediuit præcepto ſibi à Domino facto, de quo ſuperius fit mentio, immo tanquam incredulus, & inobediens vilipendit, vituperatus eſt, & grauiter diffamatus in diffamatione reginæ coniugis ſuæ: & licet diffamatio ipſa ſit falſa, quod non dubito, tamen infamia eſt, et in opprobrium venit viri ſui regis: et merito patitur ipſe rex; quia qui Chriſtum ſpernit, et præcepta ſua, dignus eſt, vt ſpernatur à Chriſto; ipſe enim dicit in Euangelio: Qui vos audit, me audit etc.* Quin, & magnæ inter filium regis primogenitum, & Patrem diſcordiæ ſubortæ ſunt, quæ Patris auxere calamitatem; vt idem proſequitur his verbis: *Iam incipiunt myſteria contra eum; dicitur enim, quod propter diffamationem reginæ; Magna commotio, ſiue diſſenſio oritur iam inter Patrem, & filium; iuxta reuelationem Domini mihi factam in ciuitate Toletana: Filius inſurget in Patrem, et pater in filium, et ambo peribunt. In omnibus laudentur, et glorificentur iudicia diuina, quia iudicia eius abyſſus multa, et ideò iucunda.* Et aliquibus interiectis ſubdit iſthæc: *Ipſe ſentiet, quæ euenient ſuper eum, et ſuper domum ſuam regiam (quod dolens dico) quæ comminata ſunt ſibi à Domino, niſi obedierit Vrbano; ſcriptum eſt enim primo regum 3. c. 11. ſunt verba Samuelis ad Saul: Nunquid vult Deus holocauſta, et victimas, et non potiùs vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia quàm victimæ, et auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum; quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo quòd abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis rex.* Hæc quidem diuino imbutus ſpiritu Petrus Minorita alteri Petro in grauiſſimo, quod tunc

Raynal. ann. 1379. nu. 47

Quantas huius rei causa calamitates perpeſſus.

Tom 4. de ſchiſ. pag. 141.

Filius in pœnam paternę culpæ moritur.

11. Regum 9.

Multiplices tum diſcordiæ tũ calamitates inde ſequuntur.

Idem qui ſup.

Epiſt. Petri ad Aragon. vbi ſup.

3. Regum 11.

Deus vult obedientiã potius, quã ſacrificium.

tunc agebatur Romani pontificis negotio facilem ſchiſmaticis aurem, manumque præbenti opportunè ſuggeſſit. Atqui Petrus qui non ſe, vt debuerat ſacerdoti obſequentem præbuit, iuxta id, quod ſibi prænunciatū fuit, cùm Tarraconēſem ſubinde Archiepiſcopum diuexaret, funeſtè percuſſus interiit, vt Surita tradit, ex quo Rainaldus id in ſuam annalium hiſtoriam deriuauit in his verbis: *Tradit idem auctor peruulgatum fama fuiſſe prædictum Petrum regem, cum Tarraconenſem Archiepiſcopum vexaret, illiuſque iura in Tarraconam labefactare omni contentione niteretur obiecta quadam ſpecie à S. Thecla, cuius clientelæ Tarraconenſis eccleſia addicta eſt, alapa in os percuſſum, exindeque morbum lethalem contraxiſſe, ex quo ineunte anno è viuis abreptus eſt. Vixerat ſeptuaginta quinque annos aſtrologia impēſe deditus, rei litterariæ cultor, regnique augendi maxime cupidus.* Antiquas igitur culpas, & quod temerè in legitimi Romani pontificis obſequium deliquerat, cum in alios quoque eccleſiæ præſules, iras rixaſque exercere veritus non fuerit quia, ceruicem Sacerdotalibus, vt par erat, monitis non inflexerat, colapho capiti impacto perculſus deceſſit.

Surita libr. 10. Annal. c. 39.

Petrus Rex moleſtus eccleſiæ Tarraconenſi à D. Tecla alapæ percutitur.

24. At regi fœmina regiis item inſulis clara, ſed criminis eiuſdem conſors accedit; Ioanna ſcilicet Neapolitanorū Regina huius nominis prima, quæ in ſe multis ſub initia Vrbanum VI. Romanum pontificem obſequiorum officiis proſequuta, in contraria tamen ſubinde ſe vertens ſtudia, conflando ſchiſmati ſuam libentiſſime operam impendit, cui Catharina Senenſis eximiæ ſanctitatis virgo triennio ante, bella, quibus inuoluenda foret prophetico perfuſa lumine patefecit, prædixitque. At Vrbanus Reginam ab eccleſiæ obſequio, ad ſchiſmaticorum ſtudia deflexiſſe conſpiciens, memoratā virgunculam, alteramque eiuſdē nominis Catharinam Suecam ambas innocentiſſimis vitæ moribus, ac pari ſanctimonia præditas ad eam virgines dirigere ſtatuerat, ſed Raimundi Capuani dictis ab eiuſcemodi mentis conſilio pontifex reuocatus eſt. Veruntamen Senenſis Reginæ ſortem commiſerata, conſcriptis literis, vt ad Vrbani ſe obſequium conferret, hortari cępit, alioqui populos ab eius fide defecturos prædicens, diuinas pariter fœminæ aberranti iras intētare neutiquam deſtitit; at infelix Regina interim ſuſurronū dolis intercepta, ſaluberrimaque ſibi à Virgine exhibita monita contēnens, fugientem poſt Britones, & Vaſcones cæſos, antipapam perhonorificè excepit, Quo potiſſimum exacerbati in eam Subditorum animi, in ſeditionem coiuere, quod illa animaduertens, ne ſupremum ſibi conflaret exitium, Antipapam dimittere coacta, Vrbani pontificis ſe gratiam decretis ad eum oratoribus ex totis ambire præcordijs præ ſe tulit. Quos deinde reuocans, prauiſq; inhærēs, quibus prius animū intenderat, conſiliis, Vrbani amicos bonis, tyrannidis in morem exuit; ob quæ iure ab Vrbano perduellionis crimine poſtulata, regnum bellis, armiſque immiſcuit, ac regno tandem iure merito exauctorari promeruit. Verùm in eam regia perditi animi mulier procaciam petulanter venit, vt Rainaldum Vrſinum ad capiendū Pontificē mittere non dubitauerit, etſi res illi, Romanis Vrbanum viriliter defendentibus irrito prorſus conatu ceſſerit. Diuina quippe vltio in Ioannam, vt à malis reſipiſceret, dilata eſt, cum Carolus ſubinde Dyrra-

Ioanna Regina conflādo ſchiſmati intentā, diuinitus vt deſiſteret, præmonita.

Rainal. ann. 1378. nu. 42. & ſeq. ann. 1379. & ſeq.

A Senenſi Virgine literis obiurgata, futuras ſibi calamitates ediſcit.

Contumelioſa in Romanum pōtificem, bonis, ac regno priuatur.

chii prin ceps in eam miſſus , Neapolitanorumque procerum in ſe ſtudia conuertens,ſua aduerſus Ioannam arma audacter exeruit . Porrò fęmina pacis neſcia , ſuique impotens eo magis in Pontificem exarſit , ſuaque in eũ odia decoxit, quòd ex falſis ſuggeſtionibus ſibi auribus in ſonuiſſet , ſe ab eo priuandam regno ; Atqui præuiſo eius à Catharina Senenſi exitio , cum bellum ſibi à Carolo indictum fuiſſet , deficientibus certatim ad Carolum populis , prænuntiatũ diuinitùs vaticinium adimpleri contigit ; obſidione enim aduerſariorum cincta, ac Otho vir eius captus eſt, illa vero cũ ſe Carolo imprudenter dedidiſſet, auxiliaribus armorum , quæ expectabat , præſidiis fiſa, e ſolio in carcerem, vita poſtmodum ſpolianda conijcitur, quę falſis ſubornata hominum ſuſurris , ne regno exueretur , ab Vrbano per ſummum nefas rebellaret . Verùm Caroli Dyrracchini iuſſu , iuſtoque Dei iudicio, miſero funeſtoque ſatis exemplo periit , octiduoque eius corpus,ne quis illius poſt hac deſiderio rebellaret,ſpectãdum cũctis alterius inſtar peremptę Iezabelis cadauer propoſitum eſt. Sed hic Rainaldi, qui rem ab hiſtoriarum monumentis excerpſit , verba in medium afferre præſtat :

Ira in Chriſti Vicariũ magis incẽditur , cum reſipiſcere debuiſſet.

Veluti altera Iezabel cunctis proponitur poſt mortem ſpectanda:

25. *Anno*, inquit, *Chriſtianæ ſalutis milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo , indictione quinta , immiſſi ab Antipapa Ludouici Andegauenſis in Italiam irruptio graue͂ eccleſiæ intulit terrorem , qui poſtea illo pereunte , diſſipatoque exercitu euanuit : ſperataque Gallorum præſidia* Ioannæ *Reginæ regio honore deiectæ exitium pepererunt . Carolus enim* III. *Siciliæ rex firmando ſolio intentus , vt* Ioannæ *ſtudioſorum ſpes elideret , ac nouandarum rerum occaſionem remoueret, cùm iam Aquilæ , & Montorij Licienſis , & Cuperſanus comites rebellaſſent , vt refert Hector Pignatellus, infeliciter mulierem interfici iuſſit . Necis genus aliqui fuiſſe ſcribunt , laqueo fractas vi fuiſſe ceruices, dum in ſacello flexis genibus preces fundebat , quod Theodoricus Niem. affirmat : Alij verò impreſſo ori puluino , atque intercluſo ſpiritu , ſub ſtragulis præfocatam , alij necatam fame, aut iugulatam tradunt .* Hæc ille in ſuis Annalibus. Verùm quonam potiſſimùm mortis genere infelix mulier,non iam regina , viuendi finem fecerit, apud ſcriptores ambigitur,adeò vt anonymus Clementis pſeudopontificis rerum geſtarum ſcriptor ſuis in monumentis hęc tradat: *Ioanna regina immaniter fertur interempta fuiſſe per miniſtros dicti Caroli ſic fieri ordinantis : modus autem interemptionis ſuæ variè extitit narratus , nam aliqui dixerunt ipſam ſtrangulatam , aliqui ſub vna culcitra ſuppoſita, ligatiſque manibus , & pedibus ſuffocatam .* Sed cùm iſthæc illius temporis ſcriptores hiſtoriæ mãdarint, reijciendi, vt Rainaldus ait, proculdubio ſunt,qui ſuſpẽdio eodem in loco, quo Andreas primus maritus interemptus , fuerat è necatam tradunt . Quibus demum, coronidis inſtar , quæ Rainaldus ſcribit ſubteximus , *Extitit is triſtis* Ioannæ *Reginæ exitus,quem illi S. Catharina Virgo Senenſis, vt damnato ſchiſmate,in veri Pontificis fidem rediret , pluribus literis prædixerat . Extinctam menſe Maio ſcribit Hector Pignatellus, eiuſque corpus in templo S. Claræ ſeptem dierum fluxu ſpectandum populo propoſitum , ne quis ſcilicet illius ſpe, & deſiderio arma moueret &c.* Summontius autem in ſcripto regiæ mulieri ſepulchrali titulo, ipſam ab impudicitiæ labe , qua apud nonnullos reſpergitur , & necis primo marito per dolos illatæ ſce-

Rainal. ann. 1382. nu. 1.

Hector. Pignat. diar. Neapol. n. 1. Theod. Niem. lib. 1. cap. 15. Gabel. in Coſmog. ætat. 6. c. 76.

Quonam mortis genere ſublata ſit multiplices ſcriptorum ſententiæ.

Clem. Antipap. vit ſcrip. apud Boſq.

S. Cath. epiſt. 207.

Summont hiſt. lib. 4.

Ob inductum ſchiſmatis offendiculum à Deo punita,

lere omnimodis excuſare nititur, & ob inductam magno Chriſtiani orbis offendiculo ſchiſmatis procellam, propugnataſque pſeudopontificis partes, affectam Dei nutu iuſtiſſimo ſupplicio diſertè, conſtanterque affirmat, cui prophetica illa ſententia, quam minacibus Sauli Regi verbis Samuel intentarat, mirificè conſonat: *Quia proiecisti Deum, proiecit te Deus ne ſis Rex*. Sed vt reliqua proſequamur.

Rainal. vbi ſup.

1. Reg. 15: 26.

26. Triſtis quoque, funeſtuſque Amedeo Sabaudiæ Duci exitus contigit, qui ſchiſmaticis inhæſerat, & veri legitimique Pontificis contemptor, Apoſtolica proculcarat imperia; Ab Vrbano enim eius nominis ſexto, quod Ludouicum Andegauenſē in Neapolitana expeditione aduerſus Pontificem ſequutus fuerat, Eccleſiaſtici anathematis iaculo perculſus, notatuſque infamia eſt, in quem armorum vi, ac potentia ſuffultum, valida fideles manu inſurgere pontificia auctoritate iuſſi, hominem ad internecionem vſque, Deo aſpirāte, vna cum ſuis inſectati ſunt. Atqui licet ſub vitæ finem, in pœna culpā agnoſcens ſchiſmatis flagitium planxerit, funeſtam tamen tam de ſe, quàm de ſuis militibus Chriſtiano orbi ſpectaculum dedit. Enim verò in militari expeditione exercitus, qui pro eo pugnabat, ob itinerum incommoda defatigatus, ac miſere tandem morbis abſumptus eſt. Et inter cęteros, Amedeus Comes Sabaudiæ diſſenteria periens, flagitiū culti à ſe Antipapę damnauit, vt Vualſinghamus his verbis: *Circa tempus Paſchale Comes de Savoye, qui cum viginti octo millibus præfectus fuerat cū Duce Andegauiæ contra Papam, & Carolum de Pace, cùm diutinam moram feciſſet in illis partibus, damnoſam agnouit manum Domini contra ſe immiſſam: nam qui in patria ſua ſubdi Deo noluit, & communem mundi patrem venerari, ſed potius dimiſſa quiete, qua diù gauiſus fuerat, ſtatuit perſequi in remotis, iuſto Dei iudicio miſerabiliter percuſſus, Antiochi more perijt in terra peregrina, conteſtatus prius, quòd iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, eiuſque vero Vicario, quodque peccauit enormiter patrem filius perſequendo; quapropter filio ſuo, & hæredi dedit mandata ſalutaria, ne Vrbanum papam exemplo paterno perſequeretur, & ſi quid fortè contra eum tentaſſet, celeri ſatisfactione corrigere niteretur, ac ad vnitatem Eccleſiæ ſe conferret. Augebant autem non ſolum dolorem ſuum, ſed & pænitentiam eius mortes infandæ ſuorum militum, quos conduxerat, qui omnes præter octo ante ipſum dyſenteria perierunt: taliquе fine conſumptus eſt Comes, & penè cuncti ſui milites, Duci Andegauiæ, ſi fuiſſet in gratia, manifeſtum reſipiſcendi relinquentes exemplum*. Ingens profectò diuinæ vltionis argumentum cunctis in viro principe mortalibus exhibitum eſt, dum Chriſto è cœlo pro ſuo Vicario dimicante, mors vbique ſerpens aduerſariorum cuneos eū in modum peruaſit, abſumpſitque, vt ex viginti octo millibus, vix octo cladi ſuperſtites numerarentur, & Galli etiam bellatores, qui in prælio vna cum ijſdem conſpirauerant, aduerſus pontificem cęſi fuerint, & Andegauenſis ad certamen à Carolo prouocatus ſuorum militari conſilio ad Tarentum vix euaſerit, vt Hector Pignatellus apud Rainaldū tradit, adeò vt haud obſcura diuinæ indignationis argumenta è cœlo affulſerint, tot ad internecionem deletis.

Amedeus Sabaudię Dux, veri pontificis contemptor, triſtem exitum incurrit.

Rainal. ann. 1383. nu. 4.

Vualſing. hiſt. Anglica in Richard. II. Somment lib. 4. c. 1.

In alieno ſolo Antiochi ad inſtar moritur.

Suæ, & ſuorum calamitatibus edoctus, ſub finem culpam agnoſcit.

Ingens ſchiſmaticorum bellatorum clades.

Hector Pignat. in Diar. Neap. Raинald. vbi ſup.

27. Sed vt nunc ad regē noſter ſermo recurrat: Richardus Anglię Rex cum primum Vrbani VI. cauſam ſtrenuè propugnādam ſuſcepiſſet Arago-

gonum Regem, vt Vrbano legitimo Pontifici inhæreret admonens,ſed vt armis ille non deeſſet, expeditionem belli in Gallos ſchiſmaticos decreuit. Nec his contentus,contra hæreſim inſuper validè in acie contra Vuicleffum, eiuſque ſectatores ſtetit, ſed cũ nónulla ab hæreticis impulſus, catholico principe indigna, iuris ſacri vtpote imperitus pra ſtitiſſet, a b iiſdẽ clam deceptus non volens,ſci en ſque deliquiſſe viſus eſt, ſed cum à Bonifacio papa ix. poſtularetur, ne cum Gallo Rege fœdus iniret, niſi Italiæ paci conſuleret, ipſe ſe Gallo haud pacem daturum, niſi eam, & pariter RomanoPotifici daret,aſſeruit.Atqui cũ à Gallo Rege, vt Bonifaciũ Pontificem deſereret, quemadmodum ipſe Antipapã iam deſeruerat,grauiſſimis verbis pertentaretur,qui pridem conſtans,vbi cum Gallo Rege fędus fuit, & affinitatem iunxit, ab eodem vt à Bonifacio deficeret ſollicitatus, tergiuerſari cœpit. Atqui cum ab Oxonienſibus doctoribus, quos conſuluerat illud pro reſpõſo accepiſſet:ſua deri videlicet peccatum à Gallis,dũ vt à vero Põtifice diſcederet,ſibi vltro ſuadebatur, præferendamque Gallorum opinioni Oecumenici Concilij ſententiam affirmando, in primis Anglorũ Rex, ne ſchiſmaticorum ſuſurris ſe peruerti ſineret admonitus eſt, turbatoque ſacerdotio publicam quoque rẽ turbãdam eſſe ijs referentibus intellexit; quinimo, vt ab iiſdem Bonifacium verum Pontificem ſtrenue tueretur rogatus, nequaquã monitis, poſtulatiſque, vt par erat, acquieuit. Quapropter infelix ex Gallico fœdere, inteſtina ſibi Anglorum odia conciliauit, parauitque inde exitium,vnde munimenta quærebat. Verum nedum fidem, ac obſequium pontifici Romano debitum præteriuit, ſed humanos exuiſſe animos viſus eſt, dum Annæ Reginæ exequias Arundeliæ Comitis cruore funeſtans crudelitatem exhibuit, & facta in eum conſpiratione, in coniuratos animaduertens patruũ quoq;præfocari iuſſit. Nimiam igitur in ſuos ſæuitiam exercens, facta in eum coniuratione ſe regno abdicare coactus, Henrico Lancaſtrio ſceptra reliquit,ac tandem cuſtodiæ traditus, infeliciterque trucidatus anteactarum culparum pœnas luere compulſus eſt. Vt Rainaldus in ſuis annalibus his verbis tradit.

Richardus rex multa pieprę ſtitit, à quibus deinde deſciuit.

Rainal. ann. 1399. n. 20.

In ſchiſmatis pœnam bello ad aduerſarijs victus, vinctuſque neci traditur.

28. *Interea Richardus Angliæ Rex, qui Romani Pontificis patrocinium abiecerat, & conſilium cœperat vna cum Gallis de Pontifice vna cum Antipapa ad abdicationem vi & armis adigendo, diuino deſtitutus patrocinio,cum obGallicum fœdus conſtabiliſſe potẽtiam exiſtimaret, in Anglorum odia incurrit, ſibique conflauit exitium eo ipſo, quod ſalutis munimentum futurum exiſtimarat: Cùm enim expeditionem in Hiberniam aduerſus rebelles confeciſſet, aurumque ſubſidiarium à ſuis acerbè exigeret, publica in ſe conuertit odia, quod munitiſſimas duas arces, nimirum Breſſum in Britannia, & Chereburgum in Normannia Gallorum Regi ſubdidiſſet*. Quodque ſe nonnullis nimiùm in Anglię rei adminiſtratione addixiſſet atque etiã principes ſibi coniunctiſſimos morte,exilioque affeciſſet cũctos in ſe coniuratos exaſperauit, & poſt nulla de turbis, armorumque in Angliam apparatu enarratis, hæc addit: *De his* (inquit) *turbis certior factus Richardus, intermiſſo Hibernico bello,traiecit in Angliam, vt Lancaſtrium pelleret: ſed omnium ſtudijs in æmulum inclinatis, fugere compulſus, demumque à perduellibus comprehenſus, atque in cuſtodiam traditus eſt, donec ordinum Regni ſolemnibus comitijs coacti*

Vualſing. Richard. 2. & in Henric. 5.

Dum Bonifacium legitimum pontificem deſerit, contemnitque ita in calamitates incurrit.

Vualſingam. in Richard. 2. & in Henric 1.

Pollidor. Virgil. lib. 2. Harpſ. ſæcul. 14. 15.

Rex in prælio Dei ope deſertus fugere ingloriuscompellitur.

Regios apices, poſt faſſa plura errata poſuit, transfuditque in Henricum Lancaſtrium, cùm vitæ ſuæ conſulere ea ratione putaret. Ita Richardo exauctorato, coniectoq; in vincula Henricus ſceptrum Anglicum capeſſiuit &c. In has vtique calamitates Richardus ob deſertas Romani pontificis, quem defendendum ſuſceperat, partes, ob quod potiſſimum diuina ope deſtitutus, in coniuratorum manus incidit, & regno, ac vita priuari meruit, vt Rainaldus his verbis narrat: *Ob coniurationem autem procerum, quos erga exauctoratum Richardum commiſeratio commouerat, Henricus Rex in ijs regni exordijs, cùm multorum odia in ſe incendiſſet, bello ſacro abſtinuit, neque ita multo poſt Richardus ipſe crudeliter in cuſtodia necatus eſt fame.* Contemptor igitur pontificiæ maieſtatis eiuſdēq; deſertor in eas redactus eſt anguſtias, vt regno ſe abdicare coactus, à ſuiſque deſertus, denegato ad vitam ſuſtentandam alimento, crudeli vitam exitu abrumpere compulſus ſit.

Rainal. ann. 1400. nu. 9.
Quia ſchiſmaticis ſe aurem manumque aduerſus pontificem dedit, coniuratis triúpho ad necem ceſſit.
Montrell. volum 1. cap. 4. anno 1401.

29. Verùm vt cęteros hic pſeudopontificum ſectatores, fautoreſque complectamur, Bernardus è Sala præcipuus ſchiſmatis conflandi impulſor, quippe qui coniuratos Cardinales audacia ad ſcelus armarat, armiſque; pro Gebennenſi pſeudopontificatu, propugnando aduerſus Vrbanum VI. militum ductor in acie conſtitit, ad interneciorem vna cum ipſo antipapæ exercitu ceſſus, haud impunè, vnquam à perditis aduerſus eccleſiā, eiuſque Chriſtum cornua erigi, ſuis ſat malis mortales cunctos edocuit; Cum enim Gebennenſis pſeudopontifex Monzoiam nepotem valido militum ſuccinctum exercitu, vna cum Bernardo de Sala, aliiſque Britonum, & Vaſconum Ducibus aduerſus eundem Vrbanum in Italiam tranſmiſiſſet, ius ſuum omne ad ſuæ ſtabilienda prauitatis vota in armis fore arbitratus, ab Alberico Barbiani comite, eiuſdē copię haud diu multo attritę, funditusque deperditæ ſunt, victiſque hoſtibus, ingens Romæ triumphus ſubinde affulſit, vt Gollen. apud Rainaldum his verbis tradit: *Menzoia capto, paucis horis victoriam obtinuit, eodemque die Romam cum toto exercitu, ipſiſque etiam captiuis hoſtium ducibus ingreſſus, magna letitia totius populi Romani exceptus eſt, ac maximè Vrbani ipſius, qui ad eam cauſam illum, atque Galeatium Pepolum antequam adueſperaſceret equeſtri dignitate donauit.* Porrò tam ingens, funeſtaque extitit aduerſariorum clades, & Britones, Vaſconeſque, in quorum dextris ſchiſmatici ſuam ſpem omnem locarant, extrema adeò internecione cæſi fuere vt vix tantæ cladis nuntius ſuperſuerit: & ſi Albericus victoria potitus ſua ad Anagniam ſigna cōuertens, feſtinus ad Antipapam, & anticardinales comprehendendos cum victricibus copiis accurriſſet, facili negotio, vt Rainaldus tradit, tam peſtiferi ſchiſmatis ſemina in ipſa radice extingui, & qui Chriſti Eccleſiam tyrannorum, præteritorumque perſequutorum more opprimere nitebantur, debellari ac conteri potuiſſent. Huius autem victoriæ fama nouis vniuerſum Chriſtianorum orbem gaudiis compleuit, condignæque immortali Deo, ob Chriſti Vicarium ab impiorum vi, ac furore vindicatum gratiæ perſolutæ fuere; cuius quidem triumphi Vualſingamus Anglus in ſuis hiſtoriarum monumentis his verbis meminit: *Occiſi ſunt ex antipapalibus quinque millia, ſiue plures ex communibus exercitus, & campi milites ſexaginta cum eorum campi ductore Bernardo de Sale.* Qui igitur impiorum ſchiſ-

In prælio Dux ſchiſmaticorum, internecioni vna cum ipſis traditur.

Rainal. ann. 1379. nu. 24.

Gollen. hiſt. recep. lib. 5.

Tantus fuit cęſorum numerus, vt vix vnus cladi ſuperſtes fuerit.

Rainal. vbi ſup.

Qui perfidiæ vexillū in acie erexerat inter primos in bello cecidit.
Vualſing. in 2. v. 11.

ſchiſmaticorum caſtris ſe ducem, ductoremque vana ſpe fretus præbuerat, cladem pro triũpho, perpetuamque pro fama, ignominiam retulit; cui pro ſepulchrali titulo ipſius Rainaldi verba inſcribere hic volumus.

Tulit (inquit) *meritum vna cum ſuis perfidiæ præmium Bernardus è Sala, qui coniuratos Cardinales ad conflandũ ſchiſma audacia armarat, ac pro tenendis poſſeſſionibus, quibus potiri nunquam potuit, animam vendiderat; antequam enim patrarat ſcelus, decima Auguſti die ſuperioris anni Anagniæ Romanæ Eccleſiæ Caſtrum de Mornacio & de Gadcroſa Arauſicani agri illi tradiderant; quæ poſtea Antipapa Fundis vi. Kal. Ianuarij confirmarat, vt eo præmio ob Catholicorum ſtrages, rapinaſque pauperum, & nauatam ſchiſmati operam afficeret.* At infelix homo ſuis fruſtatus votis, duplex præter infamiã, animæ, corporiſque impius ſchiſmaticorum anteſignanus exitium incurrit.

Vnus iſte ſchiſme cũflauit Cardinales aduerſus pontificem excitando, auroque duntaxat irretitus.

30. Huic iure optimo adiũgendus eſt Honoratus Caietanus, Fundorum Comes, qui in Vrbanum VI. Romanum pontificem, eo quòd Campaniæ præfecturam ſibi ademptam Thomę à S. Seuerina tradere iuſſus fuiſſet, ira ſuccenſus, rebellare auſus eſt. Verùm vbi in ſcelus immane prolapſus, adulantium, plaudentiumque ſibi vocibus blande exceptus, delinituſque à Cardinalibus, odio in pontificem exaſperatis, ob ſuſceptum ſchiſmatis patrocinium commendatus, cõſtans in malo perſtitit; At ab Vrbano decretoria ſententia proſcriptus, damnatuſque, & à S. Catharina ſubinde ſalubriter admonitus, eius neutiquam conſiliis, dictiſque acquieuit; quin immò efferatior in pontificem factus, vna cum Ioanna Regina Neapolitana conſpirando aduerſus Vrbanum mouere arma non dubitauit. Verùm Bonifacio IX. Romano item pontifici moleſtias inferre aggreſſus eſt; cum Martino enim Aragonum Rege ad opprimendum pontificem conſpirãs, multiplices aduerſus eumdem coitiones fecit, à quo decretoria item ſententia percuſſus, in eum ita bilem acuit exaſperatuſq, vt in vincula eumdem coniicere tentauerit. Sed cùm proditio Dei protegentis auxilio irrita poſtmodũ euaſiſſet, nouos iterum dolos in pontificem inſtruens, callidus in eius gratiam, vt eum proderet, redire ſe iam velle oſtendens, execraturum ſe vltrò, quod conflarat, ſchiſma ſpopondit. At dum de traducendo ad optimates Vrbis imperio ageret, ſcelus libertatis nomine velare ſategit. Submiſſis interim copiis ad occupandam S. Ioannis Lateranẽſis portam, ſed comperta, diſſipataque coniurationis machina, ſchiſmaticis fœdifragus, ſceleri ſcelus addens, ſe adiungere non dubitauit, maritimoſque Vrbi commeatus intercludens, armis validè oppreſſus, euerſaque principatus parte, vbi ſe ſuis fuſtratum votis, conatibuſque irritis deluſum vidit, pontificiam Ladislao rege interprete clementiam implorare aggreſſus eſt. Verumtamen iuſto Dei calculo aduerſarum rerum dolore, animique tædio contabeſcens, miſerè tandẽ, vti rebellis, ac cõtumax in Eccleſiam periit. Vt Rainaldus in ſuis Annalibus ex pontificiis literis hunc in modum narrat.

Suſcipit ſchiſmatis patrocinium ira in pontificem ſuccenſus.

Moleſtias intentat Bonifacio Põtifici, & haud ſemel conſpirat aduerſus eccleſiã.

Ciues & populum prætenſo libertatis nomine in Pontificem incitat.

Rainal. an. 1400. nu. 2.

At *qui tandiu diuinam miſericordiam ſpreuerat, Honoratus Comes, Apoſtolica benignitate non vſus, labente menſe infeliciter perijt, in ſchiſmate ex dolore aduerſarum rerum, cum Ladislaus pacta Neapoli in eum iuuiſſet, dignaque ſchiſmatis conflati præmia tulit: quamobrem damnatur illius memoria*

Lib 6. pag. 16 ibid. pag. 68.

cum in pontificijs literis ad Richardum Roſam Terracinenſem, eius factione irretitum datis, dum in edicto propoſito aduerſus Columnenſes, qui iam ante coniurationem cum Honorato ipſo fecerant aduerſus Pontificem; de quo, alijſque facinoribus memorat Bonifacius, cùm ij ineunte hoc anno priſtinis inhærentes conſilijs inuadendæ rei Romanæ irrupiſſent noctu in Vrbem, impreſſionemque in Capitolium feciſſent, vnde propulſati demum fuere præcipua virtute Zachariæ Triuiſani patritij Veneti, vt Bonifacius teſtatur, qui etiam præmio eius fortitudinem ornandam decreuit. Infelici igitur hominũ conſpiratorum in Pontificem ſocietate Honoratus, & ſchiſmaticorũ præcipue conſortio fultus, inglorius, & abſq; honore diuinam in ſe indignationem è cœlo prouocauit, adeò vt vitæ tædio, & ingruentium incommodorum, malorumque calamitate perculſus miſer viuendi finem fecerit.

Conſpiratione facta pôtificis hoſtes vrbem, inuadentes, valde reijciuntur.

Theodor. Niem. lib. 2. c. 27.

31. Irruptionem verò nocturnã, quam Honoratus ad occupãdam Vrbem temere aggreſſus eſt, funeſtam tum illi, tum alijs extitiſſe Niemius his verbis narrat: *Anno* (inquit) *vndecimo pontificatus eiuſdem Bonifacij, ſupradictus dominus Nicolaus de Columna, cum aliquibus ciuibus Romanis conſpirauit contra Bonifacium, conatus violenter auferre dominium temporale, ab eo vrbis prædictæ; vnde quadam vice noctis ſub ſilentio, menſe Ianuario, clanculo cum multis armigeris equitibus, & peditibus, portam Populi Vrbis intrauit, ad plateã Capitolij penetrarunt, & ad portas domorum plurium ciuium Romanorum tum forte dormientium, quos crediderunt eis in hac parte velle adhærere, ipſoſque iuuare pulſarunt; ſed illis non reſpondentibus timuerunt, credentes, quod hæc Bonifacius reſciſſet: ſicque ipſis cateruatim eorum negotio imperfecto remanente, ab vrbe fuga lapſis, & aliquibus eorum peditum in quibuſdam vineis intus, & extra vrbem ſe vſque ad crepuſculum matutinum occultantibus, illi infelices vſq; ad numerum xxxj. per Romanos capti, & abſque mora morti addicti.* Dei autem nutu vrbs vna cum Pontifice à proditorum manu, cunctis in fugam ſe dantibus, libera remanſit, qui verò in flagranti proditionis ſcelere deprehenſi fuere, legum ſeueritatem experti ſunt; qui enim ad euertenda noctu tum ſacra, tum humana in Vrbem irruperant, haud impunè abire permiſſi, gladio protinùs addicti iuſtas proditionis pœnas dedere.

Nicolaus Columna dux re infecta fugam capere coactus.

Proditores nonnulli inter fugiendum capti, poenas dedere.

32. Iuſto autem Dei iudicio, qui ſe ab Eccleſiæ totius capite, eiuſq; obſequio ſeiũgũt, in multiplices calamitates incidunt, vti Gabriel Maria Piſarũ princeps expertus eſt, qui vbi à Romani Pontificis obſequio recedens, ad Antipapæ cultum ſe contulit, omnimodam ſuis in rebus infelicitatẽ incurrit, adeò vt ditionẽ ſuam pretio diſtrahere coactus, poſt Liburnũ Gallis traditum, Piſas, quarum principatu illuſtrabatur, Florentinis vendiderit, & ad ſuæ cumulum infelicitatis, dum totus priuatorum gratia commodorum ſchiſmati intendit, à ſchiſmaticis, quorum potentiæ, & amicitiæ præſidebat, capitali demum ſupplicio ſit affectus. Sed præſtat hic Rainaldum in ſuis annalibus iſthæc narrãtem audire: *Piſani autem, qui imperio Gabrielis Mariæ, Io: Galeatij Vicecomitis ducis Mediolanenſis Nothi filij conferentis ſe ad firmandum dominatum ſuum in Gallorum Regis clientelam à Pontifice defecerant, hoc anno excuſſere iugum eiuſdem Gabrielis, à quo tum principatus Piſanus Florentinis diuenditus eſt. Recepta itaque ab ijs arce, Piſani in Florentinos præſidiarios vertere arma, illaq;*

Piſarum princeps vbi Antipapæ adhærere coepit, infelix redditus *Rainal. ann. 1405. n. 17.*

S. Anton. 3. p. tit. 22. §. 2. & 4. Theod. Niem. lib. 2. c. 40.

Piſani bello in ſeruitutem à Florentinis redacti.

recuperata, mox bello à Florentinis petiti ſunt, in eorumque ſeruitutem proximo anno adducti fuere: Gabriel verò Maria cùm maximè Gallorum, quibus Liburnum tradiderat, amicitiæ præſideret, triennio poſt Genuæ de nouatarũ rerum crimine poſtulatus capitali ſupplicio eſt affectus. Iuſtam planè pro præſtitis pſeudopontifici obſequijs Piſarum princeps mercedem accepit, vt dum Innocentio vii., qui toti fuerat à Deo Eccleſiæ conſtitutus caput, ceruicem inflectere detrectaret, caput carnifici obtruncandum inflectere compulſus ſit.

Princeps eorumdem dum caput pontifici inflectere non vult, capite mulctatus.

Verùm ne hic, quæ in rem præſentem faciunt, ſileamus, funeſtum quidem tum Piſanis, tum Genuenſibus, præſtitum Benedicto pſeudopontifici obſequium extitit: multis quippe malorum incommodis vtrique attriti, haud impune crimen ſchiſmatis Deo vindice abire intellexere: Quo autẽ pacto hi ad antipapam deſecerint, S. Antoninus ab oratoribus Galliarũ Regi ſeducto, his verbis narrat: *Ijdem Oratores Regis Frãciæ inde profecti Piſas, ad idem reduxerũt Piſanos cũ domino ſuo Gabriele Maria, filio illegitimo ducis Galeatij, vnde & per ciuitatem ipſam, & per totum territorium eius diuulgatum fuit & mandatum, obedientiam, remotam, & ablatam ab Innocentio dari & offerri debere Benedicto. Non multò poſt Benedictus, poſt quàm cognouit Genuam ad deuotionem ſuam, & obedientiam conuerſam, illuc profectus eſt cum curia ſua, vt valeret iuriſdictionem ſuam aptius ampliare, qui honorificè, vt ſummus antiſtes ſuſceptus eſt à Genuenſibus, & veneratus*. Hæc S. Antoninus dum ſchiſmaticorum res proſequitur, ſed triſtis, infauſtuſque pſeudopontificis ingreſſus, ac præſentia publicam rem vna cum ciuibus deuouiſſe exitio viſa eſt; Statim enim

S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 4. ſuprà nc. Iuuenal. Vrſin. in Carol. vi.

Benedictus papa honorifice à Ianuenſibus exceptus.

ac ipſe pedem inuexit, dira lues Vrbem occupauit, cũctiſque mortem intentans pſeudopontificem fugam capere, ciueſque in vitę diſcrimine conſtitutos, impietatis pęnas ſoluere coegit, vt Rainaldus ex hiſtoricis rem narrat: *Haud impune (inquit) Genuenſes, ac Piſani tulere flagitium; Genuẽſes enim dira lues per antipapæ aduentum confecit, vt is illius terrore perfuſus Maſſiliam regredi coactus ſit*. Piſanis autem variis bellorum procellis ſub noui principatus initia exagitati, patrati criminis, vt diximus, pœnas dedere.

Antipapę ingreſſu lues in Ianuenſes, & Piſanos graſſari cępit.

Pritar. Genuen. hiſt. lib. 10. Foliet. lib. 9.

33, His autem iure optimo Ludouicus Dux Aurelianenſis aggregãdus eſt, qui ſuo quidem capiti diuinę gladiũ vltionis intentaſſe viſus eſt, cum poſt denegatum Romano Pontifici, Petri ſucceſſori obſequium, tuẽdas Petri è Luna pſeudopontificis partes, propagandumque ſua auctoritate ſchiſma ſuſcepit; A Ioanne enim Burgundiæ Duce aduerſario, ſicariis illuc immiſſis crudeliſſimè trucidatus eſt, & ſcelus ſubinde multorum Gallorum ſanguine compẽſatũ, vt Rainaldus excerptã à Iuuenali Vrſino rem his verbis narrat: *Hoc (inquit) anno xxiij. Nouembris Ludouicus Dux Aurelianenſis, qui fallacibus promiſſis delinitus, Petri è Luna patrocinium ſuſceperat, ac deficientes Gallos ad ipſius obſequium reduxerat, confirmaratque in ſchiſmate, diuina deſtitutus clientela, quamquam ab Rege Fratre Aquitaniæ ducatu auctus eſſet, expetitamque à ſe Gallicæ regiæ procurationem gereret, à Ioanne Duce Burgundiæ aduerſario ferente odio, & inuidia, ex inſidijs immiſſis ſicarijs, Germano famulo, ſe ad excipiendos ictus fruſtra ſuperijciente, crudeliſſimè trucidatus eſt: cuius ſanguis fuſus innumerabilium Gallorũ ſtrage, & ipſius Ioannis poſtea cæſi cruo-*

Ludouicus dux Aurelianẽſis Antipapæ fautor à ſicarijs mactatus.

Rainal ann. 1407. nu. 31.

Iuuenal. Vrſin. in Carolo vi. Monſtrel. vol. 1. c. 34.

Illius ſanguis multo Gallorum ſanguine compenſatus.

Digitized by Google

cruore vindicatus eſt. *Tam atrox facinus à Burgundo correptus Ioannes pſeudotheologus cognomẽto Paruus, qui Gallo Regi attentando pontificiam auctoritatẽ oppugnarat, defendere non perhorruit, contenditque edito libello, Aurelianẽſem veluti regni proditorem ſine iudicis imperio, & auctoritate iure cæſum, cuius propoſitiones poſtea hæreſeos damnatæ fuerũt*. Hæc de funeſto Ludouici exitu, quem ſane non ob aliam cauſam, quàm ob Petri pſeudopontificis patrocinium, propugnatumque ab eo ſchiſma totis animi neruis, priuatarum, rerum commodorumq; gratia, incurriſſe liquet.

Occiſus autem potiſſimum eſt, ob præſtitam Antipapæ operam.

Verum & funeſtiſſimum ipſiſmet Gallis extitit ſuam pſeudopontifici operam, ſeque illius tuendis partibus alacres, promptoſque, non abſque manifeſta veri pontificis iniuria exhibuiſſe; ex eo enim tempore inuerſa rerum humanarum alea, multæ illis calamitates contigere, quas Nicolaus Clemangius peſtrictim his verbis recenſet: *Et mirari* (inquit) *debet aliquis, ſi Chriſti deſertores Chriſtus deſeruit? quo deſerente cuncta ſuper nos violenti torrẽtis impetu vndique mala inundauerunt, vt à planta pedis, vſque ad ſummum verticem vix aliqua ſit in nobis ſanitas relicta; vnde enim regem noſtrum ſuapte natura clementiſſimum, & optimum, ita flagellatum credimus? vnde totam maſculinam eius progeniem extinctam, vt iam prope neceſſarium ſit ad externos iura coronæ deuolui? Vnde noſtrorum exercituum quondam inuictorum coram exiguis hoſtium copijs fuga turpis, & contritio? Vnde omnium ferè noſtrorum principum, tantæque nobilitatis, aut mors aut ignominioſa captiuitas? Vnde præterea ab alienis tanta regni occupatio? Vnde à noſtris cohortibus Regni vniuerſi per rapinas horrenda, atque inaudita depopulatio? Vnde poſtremò, vt fontem malorum aperiam, bella inter nos tam crudelia, tam impia, tamque infauſta? niſi propter execrabilia, Deoque vlterius importabilia, quæ inter nos regnant ſcelera, quæ neceſſe eſt, vt nos maturè, niſi aliter obſiſtamus, in capitale, atque irreparabile demergant exitium*. Ex immani profectò ſchiſmatis, cui Gallorum principes vnà cum Rege, tuendo propagandoque animũ intendebãt, ſcelere miſerãda iſta malorum ſemina pullularunt, quæ toti vaſtitatem regno peperere, ciuilibuſq; ſubortis bellis, lugubris, ac deploranda Gallicanæ rei facies cunctis lachrymas, lamentaque indixit, vt alibi narratum eſt, ſed vt cætera nunc proſequamur.

Gallis quoque exitiale fuit ſuſceptum Antipapę patrocinium.
Nicol. Clemang. de lapſ. & reparat. iuſtit. c. 8. 1. Iſaie c. 1.

Schiſma fuit ſemper tautoribus, ſectatoribuſq; funeſtum.

34. Ferdinandus quoq; Luſitaniæ Rex, multis alioqui virtutum laudibus conſpicuus, ingentem ſibi, ſuoque nomini infamiæ notam, ob præſtitam ſchiſmati operam, exceptumque Antipapæ pſeudolegatum iuſſit, funeſtumque tandem è vita exitum ſortitus eſt. Enim verò Petrus è Luna pſeudopontifex, cùm Luſitanos ſuis circumuenire dolis non potuiſſet, Luſitania in Vrbani pontificis obſequio confirmata, ipſe turpiter illinc abire coactus eſt. Porrò Petrus pſeudolegatum à ſe directum multa in eo regno, grauioraque in ſuperbis, iactabundiſque ſuis ad Coſtantiẽſis Concilij patres literis, perpeſſum teſtatur, gloriaturque facile Luſitaniam in ſchiſma pertrahenda in fore: *Ni mors (vt ait) excellẽtis memoriæ Regis Ferdinandi, regnique turbines obſtacula præbuiſſent*. Quibus enarratis Rainaldus ſupinã Ferdinandi Regis in re tã graui ſegnitiẽ, noxamque perſtringens hæc ait: *Et quidem in eo in Luſitaniam admittendo Ferdinandum graui ſcelere ſe deuinxiſſe conſtat, nec di-*

Ferdinandus Rex Luſitanorum, dum Petro è Luna fauet, ſibi calamitates vltro exitiumque intentat,

Rainald. 1381. n. 36.

Digitized by Google

uinam ab eo vltionem propterea abſuiſſe putandum eſt, quam cæteri reges ſchiſmatici ſenſere. Verùm cùm Luſitania, in hoc quidem omni laude digniſſima, in veri pontificis Vrbani obſequio conſtans adhuc perſiſteret, & pſeudopōtifici nullatenus aures præberet, Ferdinandus blandientium ſchiſmaticorum votis ſe facilem exhibens,conniuenſque acerbo,diutinoque morbo, florida adhuc ætate, vlciſcente numine è vita ſublatus eſt, vt idem Rainaldus ex Mariana rem hunc in modum narrat: *Maiorem in Eccleſiæ Romanæ obſequio conſtantiæ laudem tulit Luſitania,quæ omnia ſchiſmaticorum adblandientium lenocinia, minaſque ſpreuit, cuius Rex Ferdinandus hoc anno, ætatis ſuæ quadrageſimo tertio, morbo difficili, & diutino conſumptus eſt.* Atqui vbi de Ferdinando Mariana in ſuis paginis ſermonem intexit, eiuſdem cum probris laudes coniungens, hæc ait: *Egregius princeps, ſi dempta domeſtica intemperantia,ignominiaque, aliæ adſpiciantur virtutes.* Suis quippe princeps haud parùm dempſiſſe laudibus, famamque item denigraſſe viſus eſt, dū in tu rpē ſchiſmatis ignominiam prolapſus, ad pſeudopontificem deflexit, cultumq; vero Romano pontifici,Chriſti in terris Vicario debitum,haud regni, ſubditorumque ſequutus exempla, infami idolo deferre non dubitauit.

Rainal. ann. 1383.nu.6.

Morbo grauiac diutino ob ſchiſmatis culpā perculſus.

Marian. libr. 18.cap.6.

35. Leopoldus item Dux Auſtriç Antipapç Auenionēſi addictus, ſchiſmatiſque propagandi ſummoperè cupidus, dum acerrimus ſchiſmaticorum propugnator, rem armis proſequendam decerneret, in Heluetios Catholicos ſigna mouit, ſed magna ab illis clade affectus, attrituſque vnà cum ſuis, funeſtum ſibi demum ex ſchiſmate inter prælia exitum comparauit, vt Gobellinus hunc in modum narrat: *Leopoldus Dux Auſtriæ occidentalis cum magno exercitu intrauit fines Suicerorum, qui bellum contra eum inierunt, & ipſe dux, qui domino Papæ aduerſabatur, cum toto exercitu ſuo, vix vno euadente deletus eſt.* Adeo enim diuinam in ſe indignationem prouocarat, dum Romani pontificis, ipſius Dei in terris vicem gerentis obſequium detrectaret, ac pſeudopontifici inhæreret, vt ipſe ac ſi Deo vna cum ſuis inuiſus, nulloque penitus ex tanto bellatorum numero ſuperſtite, in bello ceciderit. Porrò ingentem hanc, funeſtamque cladem Ioannes è Montiſono diuinæ in ſchiſmaticum principem vltioni adſcribit, quam longa inductione ſchiſmatis ſtudioſos oppreſſiſſe apertis diſertiſq; verbis rem proſequutus oſtendit; ac in cruento præ cæteris Leopoldum prælio Roberti Gebennenſis geſtorum ſcriptor cecidiſſe tradit; & iuſte quidem princeps rebellis Deum ſibi aduerſantem, & pro eccleſia, eiuſq; ſponſo pugnantem ſenſit; *Quis enim (vt Iob ait) Deo reſtitit, & pacē inuenit.* Qui igitur ſummū Sacerdotem Chriſti, Romanum Pontificem armis,cōtumelijſq; proculcare nō erubuerat, & pſeudopontificem veluti idolum, colendum ſibi proponere non dubitabat, certam tum ſibi, tum ſociis è cęlo vaſtitatem accerſiuit, ſuiſque procul à caſtris victoriæ palmam amandaſſe viſus eſt.

Leopoldus dux Auſtriæ Antipapæ fautor, vna cum ſuiȷ bello attritus.

Rainal. ann. 1386.num.8.

Gobellin.Coſmod. æt.6.c. 87.

Io:à Monteſono in confut. ſchiſm.

Clement. ſcrip.vide ſcript. apud Boſq.

Iuſtè autem à Deo, qui Antichriſtū non Chriſtū in Eccleſia colebat, neci addictus.

36. Demū,vt enarrationi huic coronidem imponamus, Martinus iunior Momblanci Dux, & poſtea Trinacriæ, & Aragoniæ Rex, funeſta ſchiſmatis labe reſperſus, vero Pontifici ſpecie tenus, & vt ſuis dumtaxat conſuleret rebus,obſequium præſtitit;vt enim Trinacriæ regno potiretur, ſuū Bonifacio IX. obſequiū vouit

Mōblanci Dux, & poſteà Aragoniæ Rex ſchiſmaticus fictè pontifici Romano obſequium præſtat.

quo

quo potitus ad Antipapam continuo defecit, acriterque in ſe Trinacrios commouit; qui iterum dum pro aſſerendo ſibi regno ad Bonifacium inclinare præſeferet, à patre addictiſſimo præ cæteris Antipapæ in ſchiſmate retétus eſt; Atqui Bonifacius videns hominem à Romani Pontificis, adeoque ab ipſius Petri obſequio alienum, factūq; ab ipſa Eccleſia extorrē Trinacrios in eum armis, ad vlciſcendas Petri iniurias inſurgere iuſſit; at Deus ſacerdotis, ſuas in terris Vices gerentis probrum haud patienter ſuſtinens, vitam eidem abrupit, patratiq; ipſūmet ſceleris vindicem deſtinauit: dum enim inſanus princeps inter ſuas blandas voluptatum illecebras laſciuiret, & naturali haud parum calore imminuto, calidiorem, vltrò medicaminum vſu protendere vitam ſatageret, è proximo mortē accerſiuit, vt Rainaldus in ſuis Annalibus, rem à ſcriptoribus excerptam his verbis tradit: *Eodem (inquit) anno Martinus Rex Aragonum, dum inito nouo coniugio, ſopitum, ob infirmam valetudinem, vigorem medicaminibus calidioribus excitabat, vitalibus aduſtis vitam ſibi eripuit &c.* Quod quidem illi ob Romani dumtaxat pontificis contemptum, denegatumque condignum Petro, ac Patri obſequium, contigit; qui enim diu felix in regno fuiſſet, ſi Romano ceruicem Pontifici inflectens eumdem vti patrem coluiſſet; vbi à cultu defecit, è vita non multò poſt miſere præreptus eſt: Diuino quippe illud oraculo decantatum eſt: *Honora patrem tuum, vt ſis longæuus ſuper terram*; Iure igitur, qui debitum, filialemque Patri honorem abſtulit, vitam quoque inter ipſa vitalium aquarum medicamenta ſibi iuſto Dei iudicio ademit. Et his interim de pſeudopontificum fautoribus, ſectatoribuſque prolixius enarratis, iam ad infelices Apoſtatas triſtes eorum exitus recenſendo, orationis ſtylum conuertimus:

Deus pōtificis ſuas vices in terris gerentis partes tuetur, & iniurias vlciſcitur.

Rainal. ann. 1410. num. 2. Cuſpin. de Cæſarum ratmodeo.

Qui obſequium pōtifici detectabat, neſciens medicamētis ſibimet vitam ademit.

Deuter. 5. 16.

INFE:

INFELICES APOSTATARVM EXITVS.

APoſtatæ, qui ſuum à fuga, & turpi dedecore nomen deriuant (gręcum enim Apoſtaſiæ vocabulum idem planè, quod defectio, ac rebellio auribus ſonat), præter certam, manifeſtamque, quam præferunt ignominiæ notam, parem quoque condignam ſceleri pęnam portendunt. Enim verò ille in Eccleſia ἀποστάτης iure optimo habendus eſt, qui à Chriſti religione, quam pridem tenebat, profitebaturq; non ſecus ac vilis, perfiduſque à ſuo Imperatore transfuga reſilit, deficitque. Quamobrem iuſtiſſime olim dedecus illud Conſtantiniani generis, vnus præ cunctis iſtud infamiæ cognomentum accepit, qui vana captus ambitione, ſeductuſque, quemadmodum, & auaritia Iudas proditor, Chriſti diſcipulus, ſanctiſſimæ religioni, ac fidei dogmatibus nuncium remittens vltrò ſe à fidelium caſtris proripuit, vt Sedulius ſuis apte carminibus de Iuda cecinit:

Apoſtaſiæ nomen græce defectionem ſonat.

Tunc vir Apoſtolicus, nunc vilis apoſtata factus.

Iudas & Iulianus præcipua apoſtatarum anteſignani. *Sedul. car. 5.*

Et congruè deſertoribus impijs nomen hoc inditum, aptatumque eſt. Apoſtatarum namque vocabulo hi potiſſimum veniunt, qui ab eo, quod tuēdum ſemel propugnādumque viriliter ſuſcepere, per ſcelus ſubinde recedunt; vt egregiè Iuſtinus martyr, & Cyprianus docens. Quod & in militibus præſertim, à quibus eiuſmodi notio deſumitur, videre eſt. Hi quippe poſt ſuam obbligatam Imperatori fidem, ab eo procul facti, ad illius turpiſſime hoſtes fœdi fragi ſe ſe conferunt; quo nil turpius, aut ſceleſtius dici, aut ex cogitari poteſt. Atqui hoc vno Apoſtatæ ab hæretico homine diſtant, quod hæretica videlicet prauitate vitiatus, à ſingularibus fidei articulis deficit, apoſtata vero totius religionis deſertor eſt, ac perduellis, iuxta quod antiquus inter ſcriptores Tertullianus eiuſcemodi homines: vel arctiſſimo inuicem cognationis vinculo iunctos agnoſcens, ſugillanſque: *Perſequutio (inquit) martyres fuit, hæreſis apoſtatas.* Quo data veluti è cęlo teſſera quicunque deſertor eſt, à Catholicis de facie noſcitur. Porrò impiorum hominū temere à Deo, & Chriſto reſiliētium, adeoque Apoſtatarum iudicium illis olim Petrus verbis proſcripſit, eoſque ſuo quaſi digito præmonſtraſſe videtur, dum ait: *Melius erat ei non cognoſcere viam veritatis, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Quibus præmiſſis funeſtos nunc Apoſtatarum exitus in medium proferamus.

Iuſtin mart. in dial Cyprian. epiſt. 17. & 58.

In quo inter ſe Apoſtata, & hæreticus differunt.

Tertul. lib. de præſcript.

1. Petr. 2, 21.

CAP.

CAP. XI.

Apoſtatæ, Chriſti Fidem abnegantes, infeliciter pereunt.

1 PErditæ fidei, ac ſpei homines, infeliceſque omnino hi inter mortales proculdubio pronunciandi ſunt, qui dum ſub gentilibus olim Imperatoribus perſequutionum ferueret acerbitas, per metum atq; ignauiam, Chriſtum, eiuſque fidem, ac cultum deſeruere, Ingentes quippe continuò calamitates, ac iugem viuendo mortem pro momentanea, quam refugerant, & pro mortali, quā turpiter expetiuerant vita, incurrentes perturbatæ conſcientiæ ſtimulo perciti, ipſammet animi pœnam, ſupplicij diuturnitate grauem omniumque acerbiſſimam tolerare coguntur; vt pote ex eorum numero quos (vt Satyricus ait)

Impia conſcientia impio patibulum eſt.

Iuuenalis Satyr. 13.

.... *Surdo verbere cædit.*
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Adeò vt deſertores impii, eiuratæ fidei, animique ſibi male conſcii piaculum, capitalibus ipſimet fronti inſculptis ignominiæ notis portenderent, ac peſſimè tandem contemptæ iiſdē religionis, proculcatæq; fidei negotium cederet, quos aptis olim Apoſtolus verbis, dum ad Timotheum ſcriberet, viſus eſt proſcripſiſſe. *Errauerunt (inquit) à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Nonnulla igitur opportunè hic, vbi de Apoſtatis ſermo ſe offert, è ſacro rerum geſtarum promptuario repetenda ſunt.

Ad Timot. 1. c. 6. num. 8.

2. At id ſuo ſatis exemplo Lucianus, cognomento Samoſatenus edocuit, qui ſi non primum, certè præcipuū inter Apoſtatas locū ſibi vindicat, ab Apoſtatarū ideoq; infelici exitu neutiquam ſegregandus. Enim verò cùm Suidas eum primo Antiochiæ cōcionatorem fuiſſe affirmet, inde accidit, teſte in ſuis Annalibus Baronio, vt complures ipſum fuiſſe religione Chriſtianum, ſed à fide ſubinde Apoſtatam in eamdem furioſe graſſatum exiſtimarint. Sed mortalium infeliciſſimus, poſt ortodoxam eiuratam religionē blaſphemus, Chriſto palam maledicere auſus eſt, ſed dum rabidus dente pluſquam canino Chriſtum, ac ſacroſancta itē fidei myſteria, Chriſtianorumque mores dilacerare non deſinit, à canibus tandem dilaniatus viuendi finem fecit, vt Suidas his verbis tradit: *Lucianus, Samoſatenus cognomento blaſphemus, ſiue maledicus, atque inauſpicatus, ac potiùs impius, quod in Dialogis diuina oracula pro ridiculis inducit, fertur ſub Traiano, & ante eum fuiſſe. Initio concionator Antiochiæ fuit; quæ res cum ei male ceſſiſſet, ſe ad ſcribendum contulit, ſcripſitque infinita. Interijſſe fertur à canibus, cum rabiem ſuam contra veritatem exercuiſſet. Nam in Peregrini vita perſtringit Chriſtianiſmum, & ipſi Chriſto maledicit homo ſceleratus. Itaque furoris ſui, & in hac vita iuſtas pænas dedit, & in futura æterni ignis cum Satana hereditatem cernet.* Hucuſque Suidas, quibus de impio homine decantatis, quæ Baronius appendicis inſtar ſubtexit, repetenda ſunt: Eiuſmodi *ſanè digno homine epitaphio docuit impium hominem cum impietate ſua pariter ſepelijſſe.* Et de blaſphemis quidem eiuſdem vocibus, perditiſque moribus mentionem faciens, his eumdem verbis ſuggillat: *Sane quidem ex eius ſcriptis ſuperiùs* cita-

Baron. to. 2. ann. 171. n. 7.

Suidas lib. bibl.

Baron. vbi ſup.

Baron. vbi ſup.

citatis cognoſcitur, ipſum res Chriſtianas apprime calluiſſe. Vix dici poteſt, quantam cladem Apoſtatæ quibuſque ſæculis in Chriſtianam religionem intulerint, quod & deplorato hoc noſtro ſæculo experimur. Magna quæque profectò religioni orthodoxæ à perditiſſimis Apoſtatis detrimenta iugiter proueniſſe, ingenteſque eorumdem opera clades aduerſus Chriſti Eccleſiam cõflatas, nemini, qui probè hiſtoriarum ſacrarũ monumenta norit, & qui res geſtas nouiſſimorum temporum recolit, addubitandum eſt.

Magna ab apoſtaſis eccleſiæ detrimenta.

Verum enim verò à ſemel ſuſcepta fide apoſtatantes, iuſtiſſimas Dei nutu pœnas ſubeunt, æterniſque demum ignibus deſtinãtur. Nulla quippe poſt diuinam ſingulari acceptam munere notitiam excuſatio iuuat, nulla homini humanæ obtentu fragilitatis ad recedendum à fidelium caſtris, nunciumque Chriſto remittendum, cauſa ſuffragatur, dum ipſomet milites in aciem Chriſto euocante, opportunãque ſuis inter aduerſa quæq; opẽ non defuturam obteſtante, condigna poſt certaminum labores præmia, certo ſibi quiſque Deo præfiſus repromittere valeat. *Chriſtus enim* (vt Hieronymi hic verbis vtamur) *non impoſſibilia præcipit, ſed perfecta.* Qui enim ſuos ad pugnam prouocat, eoſdem ad palmam inuitat, & quos ad martyria prouehit, excitatque, eoſdem ad immarceſcibilem gloriæ coronam inducit.

Chriſtus ſuos non deſerit, ſed deſeritur.

Hieron. libr. comm. in cap. 5. Matt.

3. Funeſtum igitur hominis exitum, qui dum inter gentilium tormenta plus nimio trepidat, ſacrilego ore fidem abnegauit, hic tibi contemplandum proponimus, de quo apud Vincentium in ſuo hiſtoriali ſpeculo iſthęc his plane verbis recẽſentur. Ait igitur: *Cũ Decius ad Ciuitatẽ Troadem perrexiſſet, oblati ſunt ei tres, Andreas, Paulus, & Nichomachus. Qui cùm omnes Chriſtianos ſe profiterentur eſſe, iuſſit Nichomachum apprehenſum Proconſul torqueri. Cumque nimium torqueretur, & iam propè eſſet, vt emitteret ſpiritum, exclamauit ſe nunquàm fuiſſe Chriſtianum, ſed Dæmonibus ſacrificaturum. Tunc iuſſus deponi, cùm ſacrificaſſet, arreptus eſt à dæmonio, & eliſus in terra, comedens linguam ſuam dentibus, expirauit. Puella autem quædam Virgo Dionyſia annorum ſeptemdecim, exclamauit dicens: O! te infeliciſſimum hominum, qui propter vnius horæ ſpatium, perpetuam, & inenarrabilem pœnam tibi acquiſiſti. Interrogata ergò, confeſſa eſt ſe Chriſtianam eſſe, & ideò infelicem illum plangere, quòd non adhùc modicum toleraſſet, vt perpetuam requiem inueniret. Proconſul iuſſit eam duobus iuuenibus corrumpendam tradi; Andream verò, & Paulum recludi. Cumque iuuenes virginem ad hoſpitium ſuum duxiſſent, pugnantibus eis vſque ad noctem, vt vim turpitudinis inferrent, inardeſcebat eorum libido. Apparuit autem eis per totam noctem iuuenis ſplendidus, domum illuminans; vnde timore perculſi ceciderunt ad pedes Virginis, rogabantque, vt pro eis intercederet, ne quid mali eis contingeret. Videns autem Proconſul, quòd non poſſet Pauli, & Andreæ perſeuerantiam ſuperare, flagellis cæſos tradidit eos populo, qui traxerunt eos pedibus extrà Ciuitatem, vt lapidarentur. Quod audiens Dionyſia, a cuſtodibus euadens cucurrit ad eos, iactauitque ſe ſuper eorum corpora dicens: Concidam, & ego vobiſcum, beati famuli, nec ab hac colluctatione veſtra inueniar aliena. Quod audiens Proconſul, iuſſit eam gladio interfici; Paulus verò, & Andreas lapidibus obruti ſunt.* Hæc ibi de Apoſtatæ exitu breuis quidem hiſtoria, ſed miſeri ſemper lugenda calami-

Vincentius Beluacenſis in ſpec. hiſt. lib. 1. c. 16.

Nicomachi apoſtatæ exemplum triſte.

Dionyſiæ Virginis præclara ſententia.

Tradita à tyranno ſtupratoribus.

Ab Angelo defenſa eos conuertit.

Saxis obruti martyrii palmam receperunt.

Dionyſia iis gratulata gladio transuerberatur.

Digitized by Google

lamitas, & ò infeliciſſimum plane hominem, qui cum pro Chriſto decertans in agone, conſtans viriliter diù perſtitiſſet, & ad brauium manu iam iam ſanguine laureatus pertingeret, viribus, ac præmiorum ſpe orbatus, à Chriſto, à quo iam martyrij donabatur corona, defecit; adeò vt vno eodemque momento Deum, vitam, atq; animam ſimul irreparabiliter perdiderit, & qui ad horam decertans, tyrannici furoris proculdubio tormenta euaſiſſet, gehennam perpetuò inter cruciatus miſer intrauerit.

Ingens apoſtatæ iactura.

4. Fideles igitur, qui ſpecioſo Chriſti duntaxat nomine, haud ſuis viribus, ac virtute, meritorumque præſidio ſuffulti, ſub ipſa quondam gentilium procella, dum tormentorum vim reformidarent, à Chriſto turpiter excidiſſe leguntur, duplex cum fidei, tùm conſcientiæ naufragium perpeſſi, acerbiores poſt eiuratam Chriſti religionem, conſcientiæ ſtimulis exagitati, quàm ipſamet tormentorum cruciamenta forent, poenas experti ſunt, ac longe funeſtiores, quos pridem, ob fidei confeſſionem abhorruerant, exitus, congeminato poſtmodum infelicitatis cumulo, ſortiri contigit, quæ quidem deſertorum calamitas tanta fuit, vt qui prius veluti Chriſtiani, inſontes viſi fuerant, iam ſine Chriſto ſontes, facinoroſorumq; inſtar promeritis addicti poenis viderentur, & tunc maximè, & ſuo, & aliorum iudicio apud cunctos miſeri haberentur, dũ non iam miſeri propter Chriſtum eſſent, eoque magis vel apud homines commiſerandi, quod non iam in pęnis eoſdem diuinæ teſtimonium fidei, vegetos, animoſioreſque illibatæ conſcientiæ vis renunciabat, quin, immo deſertæ religionis piaculum, contemptique numinis metus iuſtiſſimus contemptos, abiectoſque mortalium oculis exhibebat. Enim vero condignam Chriſtiano pectore fortitudinem, ac omne prorſus, vna cum Chriſti fide animi robur vecordes transfugæ; & tunc maximè cum ad tribunal ſiſterẽtur, exuiſſe viſi ſunt: *Virtus enim fidei*, vt Chriſoſtomus ait, *in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur*. Securiores quippe in periculis olim Chriſtiani, quam alij, vel in ſumma rerum proſperitate ſecuri, conſtanteſque præfidenti animo conſiſtebant, ſed rem quæſo admiratione dignam, Euſebio in ſuis hiſtoriarum paginis enarrante, excipiamus.

Lapſorum miſera ſors.

Ex facie miſeri agnoſcebantur.

Virtus fidei in periculis ſecura, in ſecuritate periclitatur. Chriſoſtomus ſup. Matthæum.

Per idem (inquit) *tempus Dei benignitate, & diſpenſatione procuratur, quod nunquam fere priùs à perſequutoribus geſtum meminimus. Omnes hi, qui primò comprehenſi negauerãt fidem, correpti traduntur in carcerem. Et non quaſi Chriſtiani iam, ſed tanquam homicidæ, & inceſti detinebantur, habentes miſeri duplicem pœnam, quoniam quidem cæterorum ſupplicia mitigabat ſpes, & corona Martyrij, Chriſtique charitas, & Spiritus ſancti gratia releuaret afflictos; iſtos autem ipſis pœnalibus catenis, & pondere carceris grauior conſcientia cruciabat, ita vt vultu ipſo, & aſpectu diſcernerentur à cæteris, quia illi producebantur de ſupplicijs læti, & diuinum neſcio quid in ipſis vultibus præferentes, vincula ſua, monilia precioſa ducebant, per ſqualorem carceris Chriſti bonus odor effecti, ita vt viderentur ſibi non in ergaſtulo, ſed in mynotheca concluſi: At illi alij triſtes, demerſi, ipſis quoque conſpectibus horridi, & omni turpitudine fœtidiores; ſed ipſis gentilibus in multo opprobrio expoſiti erant, tanquam degeneres, & ignaui, qui fidem perdiderint, & crimen*

Qui fidem eiurauerãt diſcruciati ſine corona martyrij. *Euſebius lib. 5. cap. 2. hiſtor. Eccleſiaſt.*

Aſpectu diſcernebãtur à martyribus.

Martyres vincula vt monilia reputabant.

inuenerint. En tibi triſtem, miſerandáque perduellium, ſuoque orbatam inter ſquallores carcerum ſplendore faciem; & in ipſamet abiecta deſertorum fronte conſpicis, notiſque haud obſcuris exagitatæ manifeſtum, fluctuantiſque ob deſertam fidem conſcientiæ teſtimonium, in ipſorum oculis, velut in tabula perlegis; miſeri quippe proditores ipſorummet inſectantium gentilium calculo iam, ob ſua tamen crimina, & ſi non ob Chriſtum, quibuſuis tormentis, ac ipſa, quam inique profugerant, digniſſimi morte habebantur.

5. Et Apoſtatas quidem, quorum nunc mentio eſt, impioſque deſertores, manifeſta Dei vltio in orthodoxæ religionis noſtræ gloriam haud quaquam ad pœnas expetere deſtitit: quod præſertim Elpidij Comitis, qui ſub Iuliano impijſsimo, fidei transfuga effectus eſt, exemplo comprobatur; hic enim poſtquam à Chriſto, cui nomen dederat, turpiter reſilijt, nec vitam diu protrahens, miſerrime tandem abiecit, ſed Nicephorum hic audire præſtat: Ac *tertius* (inquit) *Elpidius, qui blaſphemus quoque in Chriſtum fuerat, tardius ille quidem, quàm alij pœnas luit: ſed tamen inter eos, qui tyrannidem affectarunt deprehenſus, bonis omnibus exutus, graues ærumnas alias in carcere perpeſſus, turpiter vitam finijt, execrandus, & deteſtandus ab omnibus iudicatus*. Hæc Nicephorus, qui paria quoque cæteris fidei deſertoribus intentata diuinitus ſupplicia enarrat: *Sed, & Heronem illum Thebis Aegyptijs ortum, qui Epiſcopus creatus, caſu quodam ad Græcam ſuperſtitionem defecerat, ſubita putrida inuaſit ægritudo, quæ totum illius corpus depaſta, abominationem eum omnibus reddidit. Quapropter rebus omnibus deſperatis, in viam eſt proiectus, nullam prorſus à quopiam miſerationem conſecutus. Chriſtiani namque perinde, atque piaculum omnibus, eum auerſati ſunt: Græci autem hactenus tantum eum, quod ſe errori, & fraudi eorum ſubieciſſet, agnouerunt. Et Heron quidem acerbiſſimè, & miſerrimè, ita è vita exceſſit. Alius autem Theoctenus ſcilicet quidam, & ipſe à noſtra in Græcam religionem prolapſus, carne eius omni putrida carie conſumpta, vermium materia factus eſt, & oculis illorum morſibus amiſſis, moriens per inſaniam, quæ eum corripuit, ſua ſibi dentibus conſciſſa & deuorata lingua, e grauibus tormentis, ad longè deteriores, maioreſque cruciatus migrauit. Sed & alij inſuper talia quoque auſi, condigna ſceleribus ſuis tulere ſupplicia. Eiuſcemodi multa eo tempore diuinum numen exhibuit miracula, commeritas, iuſtaſque ab eis, qui impudenter, & apertè veram pietatem oppugnarunt, pœnas exigens*. Hæc Nicephorus de ſacrilegis proditoribus perditè diem obeuntibus narrat; quibus aliquando Chryſoſtomus alluſiſſe viſus eſt, dum quæ Iuliano, ac Felici ſub Iuliano Apoſtata Præſidi accidiſſent, enarratis, iſthæc ſubdit: *Hæc ſane, & his item plura (neque enim omnia enumerare temporis huius eſt) animo luſtrans impius Imperator verebatur temeritatem ſuam vlterius promouere*. Apoſtatæ enim nequiſſimi conatus repreſſi, diuinitùs, ſigniſque haud obſcuris, futiles in totius conſpectu orbis redditi fuere, adeò vt cæterorum, qui eumdem Apoſtatam ſortiti fuerant ſuæ anteſignanũ impietatis, impia portentis è Cælo coruſcantibus proſcripta temeritas fuerit.

6. Sed fœdiſſimus omnium Iulianum Cæſarem ſequutus eſt finis, hominem ad exitium gentis Chriſtianæ natum, ſi plus ille ſpatij ad bellandum

Elpidius comes fidei transfuga.

Baron. tom. 3. 10. n. 362. nu. 1.

Nicephorus lib. 10. c. 29.

Turpiter vitam claudit.

Nicephorus vbi ſupra.

Heron deſertor fidei viuus computreſcit.

Theoctenus eadem pœna coelitus cõſumptus.

Chriſoſtomus in laudem Pauli tom. 3. hom. 4.

Digitized by Google

Iulianus Apoſtata perfidorum hominum dux atque portentum.

landum aduerſus cælites, ſi qua Eccleſiæ Dei minus roboris fuiſſet ad reſiſtendum portis inferis, quæ ne tandem contra Chriſti Domini promiſſum præualerent, fulmine opus fuit cœlitus emiſſo, quo gigas hic ſacrilegus extingueretur. Cuius animum in extremo illo deſerendæ lucis articulo longè aliter affectum fuiſſe compertum eſt, & a ſcriptore ſui temporis Ethnico deſcribitur, qui dum exprimendo Liuij ſtylo, quam exequendæ veritati intentior eſt, tanquam Socratem, aut Epaminondam conſtanter obitæ mortis in vetere memoria nobiles in mediū proferat, de moriendi lege, de rerum humanarum vanitate ſapienter, ac ſecurè diſputantem inducit, maiore certè in Principem ſtudio, quam fide aduerſus poſteritatem: cùm exploratum aliunde ſit impuriſſimam animam ſtupidum illum, & ex ſcelerum conſcientia trepidantem, inter eiulatus, & fremitus effudiſſe, cùm victorem Galilæum (quo ille nomine Chriſtum Dominum per contemptum appellabat) pronūciare coactus eſt. Nec alio exitu perire debuerat perſequutor, poſt Herodem immaniſſimus Chriſticida, poſt Pilatum, poſt Iudæos, Dei hoſtis, vt meritò audiuit a Nazianzeno, cuius viri ſanctiſſimi, ſimulque diſertiſſimi ſtylo dignas fama eius, & exiſtimatio pœnas etiam nunc apud mortales exoluit, nec patitur, vt importuni Tyranni mores, poſt tanta ſæculorum ſpatia, poſterorum execrationibus cōquieſcant, vt cùm flagrantiſſimo in eum incenſus fidei zelo ait; *Omnis Cœlorum virtus, omnes Angeli, quorum opera tyrannus extinctus, atque oppreſſus eſt: non Seon ille Rex Amorrhæorum, neque Og Rex Baſan, principes exigui, atque Iſraelem, hoc eſt paruam orbis partem vexantes, verùm Draco ille, Apoſtata ille, magna illa mens, Aſſyrius ille, ille communis omnium inimicus, & hoſtis cum multo furore in terra debacchatus, & comminatus, tum multam iniquitatem in excelſum loquutus, atque meditatus.* Hæc Gregorius, qui inſuper vbi de Iuliani obitu mentio incidit, totum occulta numinis vi negotium, omnique ambiguitate poſtpoſita peractum diſertis verbis affirmare non dubitat: Nec deſunt prætereà præclariſſima quæque Chriſtianæ ſapientiæ decora, quorum facundia in exagitandis eius vitijs, ac ſceleribus feliciter laborauit, quorum vnum, aut alterum, ne graue ſit lectori etiam in hoc opere breuiter cognoſcere; Chryſoſtomus de obſcœnis eius moribus, turpiſſimo vitæ genere, quo apud Antiochiam vſus eſt, hæc habet:

Ammianus Marcellinus.

Scriptores Ethnici Iuliano ad blandientes eius mortē celebrant.

Impia Iuliani in Chriſtum blaſphemiarum vox.

Funeſta mors Apoſtatę eius vitæ reſpōdit.

Nazianz. orat. 1. in Iulian.

Angelorum manus impium Imperatorem, e ſolio deiecit.

Gregorius orat. 1. in Iulianum.

Et occulta numinis vi perculſus interijt.

Gregorius in laudem Athanaſii.

Sācti patres certatim Apoſtatæ mores perſtringunt.

Quæ de Iuliano Criſoſtomus.

7. *Hic Imperator Duces ipſos, ac militum præfectos contemnere, aſſis vnius non æſtimare: contra mares meretricios, & meretrices è fornicibus ſuis excitatas, vna ſecum per totam Vrbem per angiportus omnes circumducere: cùm interim regius quidem equus, omneſque Prætoriani pone multo interuallo ſequerentur: lenones autem, & meretriculæ ante ambulonum loco, & vniuerſus meritoriorum adoleſcentium chorus regem medium ſtipantes, per forum inambularent, ſermones eos proferentes, atque cachinnos tollentes, quos par erat huiuſcemodi homines farinæ attollere.* Hieronymus verò Proditorem illum Patriæ ſuæ, & Chriſtiani exercitus iugulatorem appellat: *Qui Chriſtum,* (inquit) *ſenſit in Media, quem primo in Gallia denegauerat, dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos.*

Chriſoſtomus hom. 3. tom. 3 in laudem Pauli.

Stipatus meretriculis & lenonibus ibat.

Quid in Iulianum Hieronymus. Hieronym. epiſt. 3.

Eius importunitatem eo maiore odio dignam innuit Auguſtinus, quod egregiam ad virtutem capeſſen-

Quid in eūdem Auguſtinus. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 5. c. 21.

Digitized by Google

Decepere illum vana oracula.

dam, indolem nactus eſt: *Cuius* (inquit) *egregiam indolem decepit amore dominandi ſacrilega, & deteſtanda curioſitas, cum vanis deditus oraculis erat, quando fretus ſecuritate victoriæ naues, quibus victus neceſſarius portabatur, incendit. Deinde feruide ſtans immodicis auſis, & mox merito temeritatis occiſus in locis hoſtilibus egenum reliquit exercitum: vt aliter inde non poſſet euadi, niſi contra illud auſpicium, Dei termini, de quo ſuperiore libro diximus, Romani Imperij termini mouerentur. Ceſſit autem terminus Deus neceſſitati, qui non ceſſerat Ioui.* Hæc ille.

Eiuſdem temeritas in nauibus incendendis.

Concors de Iuliani obitu ſcriptorũ ſententia.

De genere autẽ mortis, & cuius potiſſimũ manu adacta fuerit cuſpis, a qua lethiferum vulnus accepit, contra vanitates ſophiſtarum, & mendacia gentilium authorum, Chriſtianorum ſceleri, atque inſidijs illud facinus tribuentium, audire operæ pretium eſt eccleſiaſticos longè potioris fidei ſcriptores. In primis Nazianzenũ hac de re præ cæteris diligenter, & copioſè tractantem: *Quæ autem ſequũtur* (inquit) *non vno modo ab omnibus referuntur, ſed alij ſermoni aſſentiuntur, calculumque non minùs eorum, quibus certamini intereſſe, quàm quibus abeſſe contigit. Nonnulli enim à Perſis eum iaculis confixum fuiſſe affirmant, temerè in hoſtes excurſantem, atque huc, & illuc veſanè proſultantem, idemque ipſi, quod Cyro Paraſatydis filio accidiſſe, qui cum aduerſus Artaxerſem fratrem cum decem hominum millibus aſcendiſſet, egregièque pugnaret, temeritate tandem ſua victoriam amiſit. Alij huiuſmodi quemdam de eo ſermonem commemorant: cùm in ſublimem quemdam tumulum aſcendiſſet, vt velut è ſpecula exercitum luſtraret, quantuſque bello ſuperfuiſſet, cognoſceret, magnaſque copias, ſpeque ſua copioſiores perſpexiſſet: Quàm graue, & indignum fuerit, dixiſſe, ſi hos homines ad Romanorum terras reduxerimus! quaſi videlicet ipſis ſalutem inuidentem. Quibus verbis inflammatum militem quemdam, iraque præcipitem actum, nulla ſalutis ſuæ habita ratione, viſcera ipſius gladio transfixiſſe.* Theodoretus quoque animi eius habitũ, recepto iam læthali vulnere deſcribens hæc habet: *Deinde cum milites quererentur, & ingemiſcerent, ex improuiſo eum vulneratum offendunt, rabie contra conditorem ſuum furentem: Martem bellicoſum, ipſi vti promiſerat, auxilium minimè tuliſſe; Apollinem falſa vaticinatum eſſe, Iouem denique fulminantẽ non in ſuum interfectorem fulmen torſiſſe; Itaque qui ante minas inſolenter iactauerat, iam miſerè humi proiectus iacuit.* Et paulo poſt iſthæc ſubtexit; *Ferunt porrò ipſum tyrannum, ſimul ac plagam acceperat, manum protinus ſanguine impleuiſſe, illumque proieciſſe in aërem, ac dixiſſe: Viciſti Galilæe, & ſimul tunc confeſſum eſſe victoriam, & blaſphemiam; (adeò enim à mente ab alienatus erat) in Deum impudenter locutum.* Hæc ille; itemq; Sozomenus.

Nazianzenus in Iulianum inuehitur.

Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iulianum.

Varia decius neces opiniones.

Odium quo cunctos ille proſequebatur, præſentiſſimæ necis cauſa non Chriſtianorum inuida amarulẽtia.

Theodoretus Iulianũ carpit. Ab alienatus impudenter loquitur. Theodoretus lib. 3. cap. 20.

Vt inanes Deos furibũdus accuſarit.

Theodoretus ubi ſup.

Cruorem manu proiecerit in cœlum ſe cælitus percuſsũ obteſtans. Victorem Chriſtum faſſus.

8. *Alij autem memorant, cum ſanguinem manu oſtendiſſet, illum in aerem ieciſſe, perinde atque Soli iratum, quod Perſis veniſſet ſubſidio, & ſe non ſeruaſſet incolumem; præſertim cum ſuæ natiuitatis (ſicut Aſtronomorum ſcientia indicabat) velut Dominus eſſet, & moderator. At cùm eſſet reuera moriturus, vtrùm Chriſtum viderit, nec ne (vti ſolet accidere, quando anima è corporis cuſtodia egreditur, & res diuiniores, quam quæ ab homine conſpici poſſent, videt) haud equidem habeo dicere, neque enim iſtud adeò à multis dicitur: verumtamen vt planè falſum reijcere non audeo: Quippè cùm credibile ſit, alia etiam bis multò admirabiliora contigiſſe, non alia de cauſa,* quàm

Sozomenus Apoſtatam perſtringit. Sozomenus lib. 6. cap. 2.

Sozomenus lib. 6. c. 2.

An Iulianus Chriſtũ quem vindicem ſenſit, ſub mortem viderit.

Digitized by Google

In Iuliano conſtitit religionem Chriſti non hominũ ſtudio ſed diuinitus conſtitutam.

quàm vt conſtare poſſit, religionem Chriſtianam, non hominum ſtudio, & induſtria conſtitutam, ſtabilitamque eſſe. Hæc Sozomenus. Signa autem æternæ perditionis eius Theodoretus in hunc modum commemorat.

Quæ perdito homini perditionis ſigna aſſulſerint.

Theodoretus lib 3 c.19. Anachoretæ imitati in corpore expertes corporis ſpiritus.

Porrò autem Iulianus cognomento Sabba (ſic namque Syriaca lingua vocabatur) cuius vitam in hiſtoria noſtra, quæ Philotheus inſcribitur, literis mandauimus, eorum viuendi genus, qui ſunt expertes corporis in corpore imitatus; cùm eſſet de Iuliani minis certior factus longè attentiùs preces Deo omnium moderatori adhibuit, atque eodem ipſo die, quo Iulianus interfectus eſt, quanquam iter viginti dierum, & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum agnouit. Nam ferunt eundem Dominum clementem, & benignum, dum ſupplex oraret, de repente fletum repreſſiſſe, & effuſum in lætitiam exultaſſe gaudio, hilarique vultu cæpiſſe intueri, qua re voluptas, quam capiebat, animo manifeſte declarata eſt; quem familiares eius, cum ita mutatum cernerent, oraſſe, vt cauſam lætitiæ ſuæ ipſis indicaret; Eum autem reſpondiſſe: Aprũ Syluestrem, hoſtem vineæ Domini, debitas ſcelerum in Chriſtum admiſſorum perpendiſſe pœnas, & mortuum iacere, ne amplius Chriſtianis inſidias ſtruat. Quibus cognitis, tunc omnes triumphare gaudio, & hymnum, quo Deo gratias agerent, cantare cæperunt. Poſteà autem certiores facti ſunt ab illis, qui mortem eius nunciabant, ſceleratum illum tyrannum extinctum eadem die, & hora, qua diuinus ille ſenex Iulianus eum cecidiſſe cognouerat, & nunciauerat. Hæc Theodoretus. Nec abſimili ratione Sozomenus, vbi ait: *Eodem die Didymus vir eccleſiaſticus, & diuinæ ſapientiæ, ac pietatis ſtudioſiſſimus, Alexandriæ ætatem degens, ſupra modum dolebat, non modo ob Imperatoris ſcelera contra Chriſtianam religionem admiſſa, ſed etiam quod cæco errore vagabatur, & eccleſias contemnebat. Itaque ieiunare, & Deum hac de re ſupplex orare cæpit. Qui cùm ob hanc cauſam animo adeò ſolicito, ac mæſto eſſet, vti ſequente nocte nil comederet, fortè in ſolio aſſidens, ſomno oppreſſus eſt; ac velut extrà ſe poſitus, videbatur ſibi videre equos albos in aere curſare, & qui in eis videbantur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodie Iulianum hac ipſa hora interfectum eſſe: ipſeque idem illud Athanaſio Epiſcopo ſignificet (latebat enim, vt dictum eſt, Alexandriæ Athanaſius conſcio Didymo.) Didymus illicò ſomno ſolutus ſurrexit, cibumque cepit.* Item Socrates, qui etiam diem proprium obitæ ab eo mortis tradit; ait enim: *Occubuit 6. Kal. Iulij, tertio anno ſui* Imperij, *ſeptimo autem, poſtquam à Conſtantio renunciatus fuiſſet, ætatis ſuæ trigeſimo primo.* Hæc ille, ſed ex die eius occubitus, vt Baronius ait) *Dei licet æſtimare vindictam: cum ea die qua ipſius reſcripto paſſi ſunt, Romæ nobiliſſimi, atque innocentiſſimi Aulici Conſtantini Imperatoris* Ioannes, & *Paulus, nempe 6. Kal. Iulij, qua die Natalis dictorum martyrum in eccleſiaſticis tabulis adnotatur; Iulianus diuinitus miſſo telo necatus habeatur.* Sed non erit alienum audire eundem Baronium de admirabili lętitia, plauſibusq; Eccleſiæ Chriſtianorũ, quibus euētus hic inopinatæ felicitatis exceptus eſt, & rurſus, quam grauis, ac triſtis fuerit inani ethnicorum ſuperſtitioni.

Iulianus Saba ex Chriſti hoſtis cæde triumphat.

Prædicta viri impii mors.

Chriſtiani Chriſto laudum carmen grati, deuotique animi teſtimoniũ canunt.

Dydimus de eius nece certior fit.

Didymus Alexãdrinus Imperatoris impietatem deplorans.

Cæleſti viſo de Iuliani nece factus certior.

Quo die perierit apoſtata.

Socrates lib. 3 cap. 18.

Baronius vbi ſup.

Eodem Ioãnes & Paulus affecti martyrio.

Publica Chriſtianorum lętitia Apoſtatæ obitu excipitur.

10. *Audito igitur* (inquit ille) *de interitu Iuliani vbique terrarum Imperij certo perlato nũcio: Qui deuoti ab eo erant dijs victimæ Chriſtiani, ſecundum illud Dauidicum: Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam) excuſſo ſtatim pauore, atque mærore, quo ſub gladio teneban-*

Liberatum ab exitio Chriſtianũ imperium.

Baronius to. 3. an. 363. n. 65.

Pſal. 57.

bantur oppreſſi, exultantes Deo canticum cecinere, inſtar Iſraelitici populi, cùm inſequentem cernerent Pharaonem vna cum exercitu eius extinctum: Sed robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaan. Ampliſſimi, inquam, magiſtratus illi, & gentilitiæ ſuperſtitionis pontifices, quos ad reſtituendam, propagandamque idololatriam Iulianus *elegerat, ſimulque Ethnici omnes, Chriſtiani nominis hoſtes, cùm ſuas res, magis, magiſque effloreſcentes conſpicerent, atque longè maiora ſperarent; eas omnes improuiſo turbine abreptas, ſpeſque meliores excisas penitus eſſe cernentes, conſternati ſunt animo, oppreſſi dolore, ac pariter timore concuſſi, malè conſcij, quanta licentia, atque procacia toto* Iuliani *regnantis, temporis ſpatio in Chriſtianam religionem inſultaſſent.* Hæc Baronius. Idem elegãtiſſimè ante eum Hieronymus: *Dum adhùc* (inquit) *eſſem puer, & in grammaticæ ludo exercerer, omneſque vrbes victimarum ſanguine polluerentur, ac ſubito in ipſo perſecutionis ardore,* Iuliani *nunciatus eſſet interitus, elegãter vnus de ethnicis: Quomodo, inquit, Chriſtiani dicunt, Deum ſuum eſſe patientem, &* [illegible]*? nihil iracundius, nihil hoc furore præſentius, ne modico quidem ſpatio indignationem ſuam differre potuit. Hoc ille ludens dixerit. Cæterum Eccleſia Chriſti cum exultatione cantauit: Diuiſiſti in ſtupore capita potentium.*

Exodi c. 15.

Gentiles animis conſternati.

Quæ Hieronymus de Iuliani obitu.

Hieronymus cap. 3 in Habacuc proph.

Agnoſcunt vindicem iram numinis.

11. Nihilo verò infelici mortis exitu funus eius, ac ſepultura felicior, & ſi enim honeſtiſſimis elogijs, & epigrammatis ex eius ſæculi more decoratus eſt, nequaquam tamen diuturna hæc, & ludibrijs, atque inſectatione hominũ, res ab eo geſtas, earumque memoriam abominantium vacua fuere. Talia enim, ac tanta (vt Baronius tradit) Ethnici de Iuliano ſuo mente conceperant, vt vbique locorum nobili eiuſcemodi titulo, *Bono Reip. nato,* ſtatuas erigerent, ac ſigna illi dicarent: *Sed euentu contrario* (inquit) *obſcurata penitus remanſere, oblita coeno, expoſita cuiuſcumque ludibrio: vt lapides licet elingues iiſdem decoris notis clamarent tamen ignominiam Iuliani.* Verùm, vt infelicis quoque Apoſtatæ funus ignominioſum planè intueamur, Nazianzenus oculatus rerum teſtis nobis conſulendus eſt, qui de tumultuaria eius funeris pompa iſthæc: *Huic contra, inquit, cum turpis, & flagitioſa expeditio; tum turpior, atque ignominioſior reditus contigit. Exagitabatur enim a populis, & vrbibus, publiciſque atque ſcurrilibus vocibus, quarum nunc quoque permulti meminerunt. Quæ verò hæc ignominia erat? Mimi, & hiſtriones eum agebant, omnique ſcenæ turpitudine laceſſebant, tibia canentes, & ſaltitantes, eique fidei abiurationem, & cladem, vitæque finẽ exprobrantes: nihil denique ex ijs non facientes, ac dicentes, quibus huiuſmodi homines, qui pro arte procacitatem, & contumeliam habent, inſolentiùs vtuntur: quoad eum tandem Tarſenſis Ciuitas excepit, haud ſcio quomodo, & ob quam cauſam hac iniuria mulctata, hic illi templum infame, tumuluſque impurus, & execrandus, ac ne ſpectabilis quidem priorum oculis.* Hæc ille, dùm obſcuras nequiſſimi hominis exequias, ac triſtem, qua tumulo cadauer illatum eſt, pompam deſcribit: qui & alibi dum Athanaſij laudes celebrat, iſthæc de inglorio Iuliani ſepulchro addit.

Inuiſa Apoſtatæ cunctis memoria.

Baronius an. 363 nu. 68.

Succeſſu contrario confuſa ſcriptorum oracula.

Nazianzenus orat. 2. in Iulianum.

Mimi quorum ars procacitas eſt Iuliano ſæpè inſultarunt.

Dicteria pro laudũ præconijs reſonant.

12. *Quem magnificum, & honoris cupiditate flagrantem tranſmiſerat, eũdem mortuum reducit, nec miſeratione quidem quemquam permouentem; imò, (vt mihi quidam narrauit) nec ad ſepulturam aſſumptum, ſed à terra, quæ* pro-

Nazianzenus in Athanaſij laudem.

Eius cadauer a terra eiectum.

propter ipſius ſcelus tremore affecta fuerat, excuſſum, æſtuque vehementi proiectum, inſequentis (vt opinor) ſupplicij primordium. Theodoretus etiam lætitiam, & ritus poſt eius interitum conſequutos tradit præſertim Antiochiæ, quæ Ciuitas Chriſtianæ religionis laude precipuè florebat, his verbis. *Vrbs verò Antiochia* (inquit ille) *vt primùm tyrannum trucidatum intellexit, epulas publicas, crebroſque conuentus celebrare, & non in eccleſiis ſolum, & martyrum monumentis tripudiare; verùm etiam in theatris; Crucis predicare victoriam, & tyranni vaticinia irriſioni, & ludibrio habere cæpit. Voces autẽ Antiochenorum contra eum emiſſas, ponam equidem hoc loco, quo earum memoria poſſit ad poſteritatem remanere. Nam vno ore clamabant omnes: Vbi tua ò maxime, ò ſtolide, vaticinia? Viuit Deus, & Chriſtus eius. Per id enim tempus, erat vir quidam nomine Maximus, qui tametſi philoſophum ſe eſſe profitebatur, erat tamen re vera magus, futuraque ſe poſſe prædicere iactabat.* Non eſt autem hoc loco prætermittendum celebre Nazianzeni de futuris Iuliani moribus vaticinium, quod vir ille ſanctiſſimus non à pecudum fibris, non a volatu auium nõ ex fallaci cœleſtium errorum computatione petierat, ſed ex vultu eius etiamnum adoleſcentis, ac totius corporis habitu ſolerter, & accuratè collegerat, ſic enim habet: *Tunc igitur me non malum huius viri coniectorem eſſe memini, quanquam alioqui ad has res non optime à natura comparatus. Sed me morum ipſius incoſtantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: ſi quidem ille optimus vates eſt, qui rectè conijcere nouit. Neque enim mihi boni quidquam ſignificare, aut ominari videbantur, ceruix non ſtata, humeri ſubſultantes, & ad æquilibrium ſubinde agitati, oculus inſolens, & vagus, furioſeque intuens, pedes inſtabiles, & titubantes, naſus contumeliam, & contemptum ſpirans, vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia, riſus petulantes, & effrænati, nutus, & renutus temerarij, ſermo hærens, ſpirituque conciſus, interrogationes ſtultæ, & præcipites, reſponſiones nihilo his meliores, aliæ in alias inſultantes, nec graues, & conſtantes, nec eruditionis ordine progredientes.* Vides profectò ex his velut in tabula, quot & quantis iam tum ſignis coloribuſque inuiſa hominis in Deum impij ex ipſo corporis aſpectu repreſentaretur imago. At lineamentis hiſce morum ſubinde praxim, ac animi imaginem adamuſſim reſpondiſſe idem, qui ſupra haud dubie teſtatus, ait:

Feſtiua Antiochenis obitus Iuliani dies.

Theodoretus de Iuliani obitu.

Funus non luctu ſed gaudio cuncti proſequuntur.

Antiochenorum contra Iulianum voces.

Nazianzenus ex Iuliani aſpectu male ominatus.

Nazianzen. orat. 2 in Iulianum.

Eiuſdem geſtus incompoſiti.

Portentoſus animus ſub deformi corpore deliteſcens.

13. *Quid ſingula deſcribere neceſſe eſt? talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus poſtea cognoui. Quod ſi quidam ex ijs, qui tũ ſimul erant, quidque dixerim audierunt, tunc mihi præſto eſſent, haud ægre teſtarentur: Quibus, vt hæc aſpexi, tamen prolocutus ſum: Quale malum Romanorum terra nutrit? præfatus licet, ac mihi, vt falſus vates eſſem imprecatus: præſtabilius enim id fuerat, quam talibus malis orbem terrarum impleri, taleque monſtrum exiſtere, quale nullis ante ſæculis, etiamſi alioqui diluuia multa ſermone iactentur, & multa incendia, ebullienteſque terræ quaſſationes, & hiatus, ac multi inſuper immaniſſimi homines, belluæque prodigioſæ & compoſitæ, quas natura nouo more produxit.* Hæc Nazianzenus, quem veterem ſuam coniecturam, cum nouiſſimo rei exitu componens, imaginem hominis nefarij grauiſſimis eloquentiæ ſuæ coloribus effingit, cuius turpitudine, ac fœditate offenſi, ac deterriti mortales a vitijs, quibus ille fœdatus eſt, caueant, & ni-

Nazianzenus orat. 2 in Iulianum.

Magnum Romano imperio malum prædictum eſt.

Verum Nazianzeni vaticinium fuit.

& nihil impietate deformius, aut perniciosius, nihil recta de diuinis rebus opinione, & veri Dei cultu pulchrius, & ad omnem felicitatem opportunius eſſe putent. Sed alter iam Apoſtata rex impio Romanorum Imperatori adiungendus eſt. Dunaan videlicet Homeritarum Rex, Chriſtianæ fidei deſertor, ſectaque Hebræus, qui cũ tyrannidis vi Regnum inuaſiſſet, veluti Chriſto, eiuſque nomini vehementer infenſus Hebræus, Chriſtianorum Homeritarum tyrannus, maximam eorumdem ceruicibus cladem intulit; nam palam ſæuiens publicuſque ex proditore hoſtis, atque inſectator effectus, palam Religioni bellũ indixit, ac inter præcipuos Chriſti milites, quos ad coronam prouexit, Arethas, & ſocij palmam ſub eodem martyrij accepere, vt præclara eius acta fidem legenti faciunt; Regias igitur inſulas perfidus homo, ad inteſtina aduerſus Chriſtum odia, & ad immanem erga Chriſtianos explendam ſæuitiam nactus videbatur, dum ſæuiendo, non tam à Chriſtianorum, quàm ab hoſtium ſanguine, ſui inaugurationem Regni auſpicandam computaret. Verùm res barbaro homini haud ex voto proceſſit, eiuſcemodi enim crudelitate, pijſsimi Elesbaan, Chriſtiani Æthiopum Regis animus ad vlciſcendas Chriſtianorum iniurias, numinis impulſu incitatus, bello eumdem laceſſiuit, qui cùm armis potens, pręfidensq; Deo pro ſe certãte profligaſſet, atque ingentem eius claſsi ſubinde cladem intuliſſet, viuum eumdem cepit. At palma ipſa longè nobiliorem, vel cum tyranno potiri contigit, triumphum reputans, eumdem vna cum ſuis conſilij inopem, pauidum, ac ferè exanimem, coronaque aurea capite redimitum, ferro crudeliter obtruncandum addixit. Rem autem tum ex eiuſdem actis excerptam, tùm ab auctore fideliter traditam hic excipiamus: ſed quæ potiſsimum pius Aethiopum rex, ad vlciſcendas bello Chriſtianorum clades præſtiterit, priuſquam ſigna moueret, claſſemque in hoſtem immitteret videamus. A Deo quippe implorandum humiliter ſibi auxilium ratus, ſupplex templum adijt: hæc igitur in præmemoratis actis.

[illegible] Dunaam [illegible] Homeritarum Rex [illegible] Apoſtata.

[illegible] Baronius to. [illegible] anno 523. [illegible] & ſeq.

[illegible] Quidam [illegible] [illegible] in [illegible]

[illegible] ſurgit [illegible] [illegible] Elesbaan [illegible] Aethiopum [illegible]

[illegible] Infelici exi- [illegible]

14. *Rex autem cum iam eſſet nauigaturus, venit in templum, ad cuius fores regia veſte, alijſque inſignibus Imperij depoſitis, ingreſſus quidem eſt in priuato habitu: ſtans autem ex aduerſo aræ, cùm Deum multùm oraſſet, & facta ab ipſo in Aegypto miracula, atque in ipſa ſolitudine pro Hebræis in memoriam reuocaſſet: Illi dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi ſolum, ſed ij etiam, qui ex eis nati ſunt. Tu enim ſcis Domine, quàm malè ſe geſſerint in vna Ciuitate, vt qui populum illum per dolum circumuenerint, & conſilium inierunt aduerſus ſanctos tuos, & in eos, qui reſtant, adhuc mala machinantur. Quod ſi noſtra peccata merentur id, ſed ne tu nos tradas eorum manibus. Quod autem ipſe volueris, hoc excepto nobis impone ſupplicium, ne fortè dicatur: Vbinam eſt ipſorum Chriſtus, propter quem gloriantur, & Crux eius? Hæc cùm precatus eſſet cum lacrymis egreditur de templo, & è ciuitate, & ad quemdam monachum, qui propter virtutis operationem dignus erat habitus, vt præuideret futura, & in anguſta turricula iam quadraginta quinque annos fuerat incluſus, pedes venit, eodem habitu de prælio ſciſcitaturus. &c.* En tibi, vt Regius bellator pietatis zelo ſuccenſus, prius nõ armis hoſtem, quàm Deum precibus, pro obtinenda victoria conuenit, & iam pro tuenda

Acta Aretha martyr. apud Surium to. 5. die 24. Octob.

Eius ſemidæ preces apud Deum.

Miſcella. lib. 15.

Quanta in Deum fiducia, ob ingratorũ hominum improbitatem.

Impij apoſtatæ in Chriſtianis opprimẽdis ſæuitia.

Conſultus de belli exitu pius anachoreta.

da Chriſti gloria, ac fidelium ſalute ſollicitus, ſuperis, à quibus opem expectabat, bellicæ, cui manus admouebat, expeditionis negotium commendat. Templa igitur adiens, & viros ſanctitate præcipuos conſulens, ſe non iam apud homines, ſed apud Deum, ſerió Dei negotium agere fatebatur. Atqui propitio numine rem tantam aggreſſurus, totus Deo innixus, bono nuncio quoque confirmari promeruit. Vbi autem à Dei viro, qui eum optimè, antequam acceſſiſſet, diuinitùs nouerat, victoria ſibi prænunciata, ad opus viriliter tentandum excitatus fuiſſet, bellicam prompto libentique animo, diuina ope ſuffultus expeditionem aggreditur.

Certior factus de victoria Æthiops.

15. Verùm cùm naues è portu fidenter aduerſus Homeritarum Regem progreſſurus ſoluiſſet, patentibus è Cælo prodigijs, è medijs procellarum periculis vna cum claſſe, Deo protegente, ſeruatus, certam ſibi haud fruſtrà de hoſte palmā præſagiebat. Elesbaan igitur facili negotio ad Phare ciuitatem peruenit, eaque feliciter potitus eſt, præſidiarijs Homeritarum militibus, ne hi, qui aduehebantur nauibus, terram conſcenderent, fruſtrà prohibentibus: ſed iſthæc, miris quidem portentis referta ex ijſdem actis videamus: *Quidam autem ex Elesbaan oppreſſi fame, equos noctu conſcenderant, vt hoſtes effugerent, qui cùm in eos incidiſſent, alios quidem occiderunt, Regis autem cognatum capientes, & aureas lanceas portantes, ad naues redierunt. Eas autem cùm accepiſſet Rex pius, ſtatim Deo dedicauit. Ipſe autem reliquo armato exercitu immiſſo in breuiores naues, egreſſus eſt ad hoſtes, qui erant in littore, & pugna terra, marique commiſſa, Hebræos, qui terga dederant, iure belli omnes occidit, adeò vt ne vnus quidem ſit relictus rei geſtæ nuncius. Cùm autem haberet cognatum Regis, qui ei oſtendebat viam, quæ ducit ad Ciuitatem Phare, in qua erat Regia Dunaan, ad illam aſcendit. Quâ potitus, vt qui incuſtoditam offendiſſet Ciuitatem, capit omnes diuitias, quæ erant in Regia, & ipſam etiam Reginam.* Facilè etenim vbi propitia pugnantibus Dei adeſt in bello dextera, deuictis hoſtibus, palma victoribus cedit. Sed nunc quæ in ſubigendo, tyranno, ac ſua ſponte in hoſtium manus dedendo Deus mirabiliter præſtiterit, videamus.

Claſſis Chriſtiana diuinitus liberata naufragio.

Phare ciuitas oppugnata.

Acta Aretha mart. apud Surium vbi ſup.

Hebræi omnes cæſi.

Capta Regia.

16. *Verùm, cùm captam Vrbem, & Regiam occupatam, atque ſuos bello captos audiſſet Dunaan; timens ne aliqui ex cognatis deficerent, ad Elesbaan, mente ei à Deo ablata, cum aurea catena ſe, & illos alligaſſet, ſedebat, nullam rerum curam gerens.* Dunaan igitur infelix, ac ſi mente captus, ab hoſte non tam capitur, quàm captiuum ſeſe in eius manus, arcana impellente vi numinis traditus, vt ab hoſte vltrò capiatur, hoſtemque ipſum aurea vna cum ſuis catena vinctus, ad luendum ſupplicium quòd merebatur expectat: *Quid hoc* (inquit hic Baronius) *niſi illud propheticum: conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaam? Irruit planè, irruit in hoſtes Domini ingens metus, & tremor, ſecundum quod ſubditur: Irruat ſuper eos formido, & pauor, in magnitudine brachij tui, fiant immobiles quaſi lapis. Ita quidem tunc accidit, cùm timore obrigeſcens, commiſerationem eo corporis habitu, mouere Chriſtiano Regi perfidus tentauit; Hebræus, putans mox Elesbaan affuturum.* Hæc eleganter pro ſuo more, Baronius, humanas diuinis nutibus clades adſcribens. Verùm haud vlla Dunaan impius commiſeratio-

Acta Aretha mart. vbi ſup. Dunaan tyrannus ſe catena aurea vinctum dedit victori. *Miſcella lib. 15.*

Baronius to. 7. vbi ſup. Nullus Apoſtatæ ſupplicij digno fugæ locus ſupereſt.

Exodi c. 15. Dei potentia, non hominum vi, hoſtes proſternuntur in bello.

 ratio-

ratione dignus viſus eſt, qui tandem quemadmodum expoſuimus, victus, ac vinctus, anteactorum criminum, effuſique Chriſtianorum ſanguinis, Deo vlciſcẽte, pœnas exoluit. Sed reliqua interim, quæ Rex palma potitus præſtitiſſe legitur ſubijciamus: *Ille autem præſidio relicto in Ciuitate, maxima abijt celeritate; & cùm inueniſſet Dunaan aurea illa vinctum catena, ipſum interfecit & cognatos, Deum laudans, & inſultans Chriſti hoſtibus pœnam dantibus audacium ſuorum facinorum, quæ admiſerant in Chriſtum, & Chriſti Crucem: Lætabitur autem iuſtus* (inquit Dauid) *cùm viderit vindictam, & ideò, qui ex eis fuerant vulnerati, non fuerunt vulnerati gladio* (vt dicit diuinus Iſaias) *neque mortui eorum mortui bello. Eſt enim res fortis, & dura Ira Dei* (ipſe me rurſus docet) *vt grando, quæ deorſum fertur in non habentem tegumentum, vt aquæ magnæ multitudo, quæ trahit regionem. Reuerſus autem Eleſbaan in ciuitatem Phare; omnes interemit, qui erant in regia, & cum vellet Eccleſiam in ea ædificare, ipſe primus opifex ædificij.* (*Deo autem gratias agens pro tanta victoria, & gratia &c.*) Hæc de Elesbaan, qui diuinæ opis beneficio munitus victor extitit, condignaſque immortali Deo gratias, illi, non ſibi victoriam adſcribendo retulit, quæ ibidem lectu quidem digna, ac tali Rege digniſſima prolixiùs enarrantur.

Fuſi Chriſtiani ſãguinis pœnæ ab eo exactæ.

Acta Arethæ mart. vbi ſup.

Pſal. 57.

Iſaiæ c. 22. 2.

Regia Homeritarum in Eccleſiã conuerſa.

17. Vides illatam diuinitùs perfido Apoſtatæ Hebræo vltionem, qui ſuo amens in ſolio confidens, ad totius Chriſtianæ religionis cladem, vniuerſum ſubmouiſſe Orientem viſus eſt; meritò autem repentino, funeſtoque iſtius exitu diuinum illud oraculũ cõprobatur: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Ita planè* (*pugnante Deo*) (ait Baronius) *Apoſtatam perire decuit, & Hebraicæ perfidiæ ſæpè proſtratæ rurſus inſurgentis cornua debuere confringi.* Hæc Baronius; quibus nos Dunaan fidei Chriſtianæ deſertorem infelici clade peremptum, contemplandum, ſubſanandumque ſingulis hic proponimus. Si quis autem nequiſſimi hominis, qui tali clade perire meruit, mores cognoſcere cupit, ex relatis apud Surium actis iſthæc repetat: *Ditione tenebat Arabiam Felicem, quæ olim quidem Saba, nunc autem vocatur Homeritis, Dunaan Hebræus, vir impius, & Chriſtianorum generi inimiciſſimus, qui etiam omnes, qui erant in ſua poteſtate, habebat circumciſos, partim quidem Iudaicam ſequentes ſuperſtitionem, partim autem gentiles ſoli, & lunæ ſacrificantes, & dæmonibus, quos etiam more gentis honorabant fanis, & columnis. Porrò autem ab Elesbaan odio habebatur Hebræus, quod omnibus ferè, qui ſub cælo Chriſtum Deum prædicantibus, & verum Dei filium, & nobis factum carne ſimilem, ipſe eum vilipendens inficiabatur, hæc omnia velans, & adumbrans ſuorum maiorum ſcelus, quod in Cruce admiſerant; adeò vt rex pius ſæpè cum eo bello congreſſus vi fuderit, atque fugarit, & tributum pondere coegerit.* Ex quibus Iudaicam hominis adiunctam perfidiæ impietatem videre eſt. Horum quippe, in Chriſtiani nominis propudium, palamque Chriſto inſultans ſectam colebat, cui Ethnicorum errores, iungens apoſtaſiæ ſacrilegium ſuper induxerat. Sed vt, quæ ſunt, reliqua proſequamur.

Pſal. 36. nu. 35.

Baronius to. 7. vbi ſup.

Fracta Hebræa perfidia.

Arabia felix dicta Homeritis.

Apud Suriũ die 24. Octobris tom. 5.

Partim Hebræorum partiũ Gentilium parebat imperio.

Baronius to. 7. an. 522. nu. 13. 14. & ſequent.

Coniuncta ab impio Hebraicæ perfidiæ gentilitia ſuperſtitio.

18. Obſederat impius Ciuitatem Haagran, eamque & cunctos, qui in ea degebant, ſe eius poteſtati dedere

re armorum vi coegerat; Vrbis igitur deditionem gladio nactus, in plures è ciuibus animaduertit, & Chriſtianos præſertim, Monachos, Sacerdotes, ac Virgines, ferro, ac igni excruciatos necauit. Quoniam verò ingenti Paulum eorumdem Epiſcopum virum ſanctitate conſpicuum odio proſequebatur, quem cùm iam diem obijſſe ſibi renunciatum fuiſſet, dira quæque in ipſius cadauer, atque in cæteros inſanę cuidã crudelitati impotenter indulgens, exercuit, vt in actis hunc in modum habetur: *Rogauit vbinam eſſet Paulus eorum Epiſcopus, cùm autem iam duobus ante annis eum intellexiſſet eſſe mortuum; non habens, in quem iram immitteret, contendit ad puluerem, & iuſſit ſepulchrum effodere; & illius corpus comburentes in aerem ventilare. Aliud quoque excogitat furioſa anima, nec eam capit ſatietas aliquid moliendi aduerſus Chriſtianos; ſed iubet accendi rogum, qui multa aleretur materia: & ſtatim, ciuitatis, & eius, quæ eſt circumcirca regionis ſacerdotes, & monachos, & Deo conſecratas Virgines, quin etiam fæminas, quæ vitam degerant monaſticam, omnes ſimul in eum injcisij enim (inquit) ſunt plane cauſa aliorum interitus, perſuadentes Crucifixum colere, tanquam Deum.* Quid Barbaro iſto crudelius, qui nouo ſæuiendi genere, nec ipſiſmet Chriſtianorum cadaueribus parcere, & mortuos non ſecus, ac ſenſu præditos iterum pœnis ſubijcere didicit? Quàm immanis verò tùm in Deum, tùm in homines ipſius impietas, qui viros Dei mancipatos obſequio, ac ſacras virgines Chriſtiana Religione, ac illibato candore conſpicuas, incenſo victimas rogo abſumendas donari præcepit.

Eius immanitas in monachos ſacerdotes & virgines.

Acta S. Arethæ mart. vbi ſup.

Pauli Epiſcopi corpus refoderat exuſſeratque.

In Rogum Chriſtianos pietate conſpicuos conieecerat.

19. Verùm, vt funeſtam perditus homo perſequtionem cunctis palam indiceret, quippe qui haud Iudæus dumtaxat, ſed ex Chriſtiano Apoſtata effectus, iam ante ad Iudęos à Chriſti Religione deſciuerat, publico cunctis edicto fidem Chriſti abiurandam præcepit, & ipſemet deſertor perfidus, impium eiuſcemodi facinus Arethæ, ſuimetipſius exemplo ſuggerere, ac ſuadere conatus eſt, vt legendum acta exhibent. *Iuſſit præcones obire Ciuitatem; & regionem, proclamantes, vt Chriſtum negarent, & viuerent Iudaicè, eademque quæ Rex, ſentientes. Porrò autem ipſe quoque Rex Arethæ ſimilia conſulebat, quod ipſi quoque norunt Romani, illius maiores in Crucem egiſſe hominem: Quomodo enim, dicebat, fuiſſet flagris cæſus Deus, qui eſt natura incorporeus? Quomodo autem mortem adeò turpem, & ignominioſam natura guſtauerit immortalis? Alioqui autem multi quoque ex Romanis, qui ſunt apud vos, iactantes ſe Neſtorium habere magiſtrum, ipſi quoque rurſus dicunt, ſe non vt Deum, ſed vt hominem, & Prophetam quemdam oportere Chriſtum honorare. Quæ niſi vera eſſent, nec ego ad tantam proceſſiſſem inſaniam, vt ipſe negarem in Chriſtum fidem, & vos ad ſimilem vocarem negationem.* Hæc ijſdem in actis. Audis igitur blaſphemas, & contumelioſas perfidi Dunaan in Chriſtum Deum voces, dum eius Diuinitati ex hoc, quod noſtri cauſa pęnas pertulit in ligno moriens, impudenter inſultat, oppugnatque vehementiùs, adeò vt Iudæus iam ex Chriſtiano, & Chriſti deſertor, aduerſus Chriſtum pro ſe Neſtoriũ ſui propugnatorẽ erroris in mediũ afferat afferatque: Audis inſuper ipſiuſmet Dunaan ore, impium eiurata Chriſti fide à Chriſtianorũ caſtris ad Iudæorum perfidiam demigraſſe, nec non gentilitias Iudaicæ impietati ſuperſtitiones adiunctas ab eo fuiſſe. Tanto,

A Chriſtiana fide ad Iudaiſmum deſecerat.

Chriſtum ejurari præconis voce iuſſerat.

Metaphraſtes apud Suriũ to. 5. die 24. Octobris. Scriptores græci Zonaras Cedrenus Nicephorus.

Blaſphemæ eiuſdem argutiæ.

Ex Neſtorio virus hauſerat.

Digitized by Google

autem ſcelere ſceleſtus homo id tentans ſe obſtrinxit, vt nihil execrabilius, nil in Deum contumelioſius exiſteret: ſed poſt impiam perditi hominis audaciam, inuictiſſimi Arethæ martyris, qui dum ab eo acriùs excruciaretur, ſupremam edixit, quæ tyranni ceruicibus propediem imminebat, calamitatem; beatiſſimi, inquam, martyris pio lectori oraculum ſuggeramus: *Et Deus quidem eorum, quæ à te fiunt, odio habens improbitatem, te, qui in eum fuiſti impius, & infidelis, mox deponet ab Imperio, idque tradet viro fideli, ac bono, roborabit, & extollet genus Chriſtianorum, magnamque ſuam efficiet Eccleſiam, quam tu igne conſumpſiſti, & humi deieciſti.* Hæc apud Surium Metaphraſtes, cui ex Græcis ſcriptoribus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, & alij adſtipulantur. Verùm notis hiſce impio homini, vt eius perfidiæ, ac ſæuitiæ par eſt, ſepulchralem inſcripſiſſe lapidē ſatis eſt: illud verò iugiter Pſalmiſtæ oraculum, contra inanes Apoſtatæ conatus fidelium ore perſonet: *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet; deſiderium peccatorum peribit.* Chriſti quippe honorem Dunaan impius ab alio Rege viriliter dimicante propugnatum, eiuſdemque religionem, ac gloriam, quam cõtumelijs inceſſerat, armis feliciter vindicatam, ſibique regnum, ac vitam infelici exitu, exitioque, vel dum acriùs in Chriſtum fureret fremeretque, ſuorum cumulo malorum præreptam vidit.

Arethas Martyr.

Acta eiuſdem mart. vbi ſup.

Prædicit tyranni excidiũ & triũphũ Eccleſiæ.

Pſal. 111.

20. At quoniam hic de viris Apoſtaticis ſermo eſt, alter in Oriente Chriſtianæ fidei deſertor, Dunaano perſimilis extitit, cuius noſtris hiſce paginis haud impar exitus eſt inſerendus. Patentiſſimum quippe diuinæ indignationis iudicium in Mahumetum Can Apoſtatam, inſenſumque Chriſtiani nominis hoſtem Rainaldo in ſuis annalibus enarrante affulſit: hic enim, qui ſcelera ſceleribus addens, mahumeticæ ſuperſtitionis labe Tartarorum gentem infecerat, condigno ſubinde ſupplicio expetitus, haud arma ab impijs aduerſus Deum, proculcata religione, fruſtra iniri certamen, vel ſerò ſuis damnis edoctus eſt. Sed rem hic Aytono proſequente accipiamus. *Cum fideles* (inquit) *Chriſtiani in tanta eſſent cordis amaritudine poſiti, quod mori potiùs, quàm viuere affectabant, ecce Deus, qui ſperantes in ſe nullatenus derelinquit, conſolantem tranſmiſit Chriſtianis omnibus; nam quidam frater iſtius Mahumeti, & quidam eius Nepos, nomine Argon, fuerunt iſti Mahumeto, propter mala opera ſua contrarij, & rebelles, & ſignificauerunt* Cobyle Can *maiori* I*mperatori Tartarorum, qualiter iſte Mahumetus anteceſſorum ſuorum veſtigijs derelictis, effectus fuerat peſſimus Saracenus, Tartaros omnes, quos poterat inducendo, vt efficerentur etiam Saraceni:* quo audito Can Imperator *fuit plurimùm perturbatus: vnde Mahumeto præcipiendo mandauit, quatenus corrigere ſe deberet, & à malis operibus abſtinere: alioquin procederet contra ipſum; Ipſe quidem Mahumetus mandato Imperatoris intellecto, ira & indignatione fuit repletus: & quia nullus erat, qui auderet ſuis voluntatibus contraire præter fratrem ſuum, & prædictum nepotem ſuum* Argonum, *laborauit tantum diabolicus ille Mahumetus, quod fecit interfici fratrem ſuum, & de nepote ſuo Argono intendens facere illud idem, iuit cum exercitu copioſo, vt ipſum caperet, & teneret. Argon verò, qui contra potentiam inimici non poterat belliger apparere, montes petijt, & in quoddam* Caſtrum *fortiſſimum introiuit*

Mahumetus Can deſerto Chriſto Mahumetiſmũ profeſſus.

Odericus Raynaldus tom. 14. an. 1284. nu. 30, 31.

Chriſtianos inſectatur.

Aytonus hiſt. Orient. c. 37. Sanutus lib. 3. par. 13. c. 8. Io: Villanus lib. 7. c. 99. S. Antoninus 3. p. tit. 20. cap. 4. §. 6.

Delatæ de eo querelę apud ſupremum Tartarorũ Imperatorem:

Iuſſus emẽdare flagitiũ fratrem necat.

Argonũ nepotem perſequitur.

Obſeſſum ad deditionem cõpellit.

uit. Idem verò iniquitatis filius Mahumetes dictum Caſtrum obſedit, ſtans circumcirca cum ſuo exercitu infelici: Finaliter verò Argonus ſe reddidit Mahumeto, cum pacis interiectis conditionibus, videlicet, quod ſibi, & ſuum dominium ſeruaret. Eò quippe hominis impietas proceſſit, vt auita religione abiecta, humanos quoque mores, ac pietatem exuens, in ſuos arma conuerterit. Sed reliqua proſequamur.

Odericus Raynaldus vbi ſup.

Iubet occidi.

21. *Poſtquàm Mahumetus Can tenuit Argonum, tradidit eum Comeſtabulo ſuo, & pluribus alijs magnatibus ſub cuſtodia concludendum: & dum reuerteretur ad Ciuitatem Taruiſij, vbi dimiſerat filios, & vxores, dedit omnibus in mandatis, quod poſt ipſum incederent paulatim. Comeſtabulo verò, & quibuſdam alijs, in quibus præcipuè confidebat, iuſſit, quatenus nepotem ſuum occiderent, & occultè ſibi caput afferrent. His itaque taliter ordinatis, feſtinanter præceſſit eis Mahumetus. Inter illos verò, qui mandatum ſuſceperant tanti ſceleris adimplendi, inuentus fuit quidam potens vir, quem Abagha nutriuerat, pater ipſius Argoni, qui pietate motus, armis ſuſceptis Comeſtabulum Mahumeti, & omnes ſuos ſequaces nocte gladio iugulauit, & Argonum à mortis periculo liberauit, & conſtituit Argonum rectorem, & dominum ſuper omnes: vnde alij timore, alij verò amore obedientes fuerunt ſuis beneplacitis, & mandatis.* Inſperata prorſus rerum facies Argono periclitanti adfuit; qui enim pridem à Mahumeto neci deſtinatus fuerat, à ſeruo quodam Mahumeti, ab interitu ſeruatur, & pro gladio, quem ſibi patruus decreuerat, regale ſceptrum, famulantium ſibi obſequio delatum reperit; id autem diuinitus agebatur, vt paratus in ipſummet Mahumetum gladius verteretur. Qui igitur, impiè Chriſti Religionem prodiderat, à ſuis quoque iuſtiſſimè prodi meruit. Sed age iam, quid Mahumeto contigerit videamus.

Argon diuinitus liberatus.

Potitur imperio.

Qui Chriſti fidem prodidit, à ſuis ſubinde proditur.

Mahumetũ capit & bifarium ſecat.

Aytonus hiſt. orit. vbi ſup.

22. *His itaque ſic peractis, Argonus cum comitiua ſuorum fidelium fuit perſequutus celeriter Mahumetum, & antequam Taruiſium perueniret, perſonaliter cœpit illum, quem captum iuſſit per medium detruncari; & ſic fuit interfectus canis ille peſſimus Mahumetus, inimicus fidei Chriſtianæ, antequam duorum annorum ſpatium in ſuo ſolio compleret.* Quis interim non miretur exitum iſtius Mahumetis Can Apoſtatæ infeliciſſimum, illatamque illi à Deo vindictam, dum gladio medius adhuc viuens tunc potiſſimum diſſectus eſt, cum Chriſtianos acerbiùs inſectando, regni ſceptrum contentioſè ambiret, ac ſcelerum duntaxat ſuffragatione Regnum ſibi ſtabilire contenderet?

Attende diuinam in illum iuſtitiam.

23. Et quidem de Mahumeto Can Tartarorum Rege, qui Chriſti deſertor, diriſſimam Chriſtianis in Perſide finitimiſque ditionibus vaſtitatem indicens, ſacra templorum adyta violauit, aras ſubuertit, religionis cultum, & Chriſtianum nomen propè deleuit, Tartaroſque Saracenica ſuperſtitione labefactauit; hæc Aytonus enarrat: *Poſt obitum Abaga Can, congregauerunt ſe Tartari, & conſtituerunt Dominum ſuper eos quemdam fratrem Abaga, qui Tangodor vocatur, & alios fratres ſuos præceſſerat. In diebus quidem iuuentutis ſuæ datum fuit ſibi baptiſmatis Sacramentum, & vocatus fuit in Baptiſmate Nicolaus: ſed poſtquàm fuit ætate perfectus, propter ſocietatem Saracenorum, quam dilexerat, effectus fuit peſſimus Saracenus: & renuncians fidei Chriſtianæ, Mahumet Can voluit ſe appellare, & toto conamine ſtuduit facere, quòd omnes Tartari con-*

Quanta mala perditus in Chriſti religionem præſtitit.

Aytonus hiſt. Orient. c. 37. Sanutus ibid. 3. part. 13. c. 8.

Tangodor prius dictus fuerat.

Subornatus à Sarracenis ab infami nomine Mahumetis gloriam aucupatus erat.

conuerterentur ad ſectam iniquitatis filij Mahumeti, & quibus violentiam inferre forſitan non audebat, dona, gratias, & honores conferebat. Et quidem impius Can, maledictis alterius inſtar Cham impetendus, religioni ſceptrum, ac Mahumetum Chriſto per ſummum nefas prætulit, qui eò magis ſacrilegus in Deum extitit, quòd à religione transfuga, alios tum minis, tum blanditijs, tum muneribus a Chriſto auertere conabatur, ſed quid inde, videamus.

24. *Tempore iſtius igitur Mahumeti Can, conuerſi fuerunt ad fidem Saracenorum Tartari infiniti, ſicut hodie euidenter apparet. Præcepit itaque iſte Filius Diaboli Mahumetus omnes Eccleſias Chriſtianorum dirui, & ne Chriſtiani auderent amplius celebrare legem, & dogmata Chriſti, faciebat publicè prædicari Mahumetum, & Chriſtianos exules fecit ire, & in Ciuitate Tauriſii fecit Chriſtianorum Eccleſias totaliter deuaſtari. Miſit etiam ſuos Nuntios ad Soldanum Aegypti, confirmauit pacis, & concordiæ ſecum fœdus, & promiſit, quòd omnes Chriſtianos, qui in terris dominij ſui erant, compellerentur ad Saracenos, aut capitibus priuarentur*. En tibi Barbarus, apertus iam ex proditore, perſequutor, & ex impio deſertore acerrimus Chriſti, Chriſtianorum omnium inſectator effectus eſt, dum excuſſo à ceruicibus iugo, fœdifragus, vna cum morte, ac diabolo pactum iniit. Sed iam fatiſcentes ſub barbarico ſceptro Chriſtianos, ac Mahumeticæ ſuperſtitionis cultores tripudio vbique exultantes videamus. *Vnde Saraceni fuerunt magna exultatione repleti, Chriſtiani verò triſtes, & timidi incedebant, nec eis aliud reſidebat, niſi Dei miſericordiam inuocare: videbant enim perſequutionem Chriſtianorum, maiorem, quàm vnquam fuerat, temporibus retroactis. Tranſmiſit etiam prædictus Diabolus Mahumetes ad Regem Armeniæ, & ad Regem Georgiæ, & ad alios Chriſtianos; vt ad ipſum accederent ſine mora; ſed Chriſtiani cogitauerunt priùs mori, quàm ſuis placere mandatis, quia neſciebant aliud remedium inuenire*. Hæc auctor. Quàm dirus, quàm amarulentus cunctis vnus iſte Chriſtianorum hoſtis extitit, qui Mahumeticã, cui inhæſerat, ſuperſtitionem ab omnibus amplectendam totis neruis cõtendit: quapropter in Mahumetum Cam, illa quæ Danielis ore in propudioſum, petulantemque ſenem illibato Suſannæ pudori inſidiantem, ſententiam diuinitùs inſonuerat, iuſtiſſimè recidit: *Semen Canaan, & non Inda: &c. Manet Angelus Domini gladium habens, vt ſecet te medium, & interficiat. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Dominum, qui ſaluat ſperantes in ſe*. Ita planè vniuerſa Chriſtianorum plebs impio deſertore ſublato, dignũ lætitiæ canticum Deo poſt victoriam cecinit.

Infiniti Tartari ad Chriſtum adducti erant. *Aytonus vbi ſup.*

Excitata ab hoc immanis perſequutio in eoſdem.

Rainaldus tom. 14. ann. 1283. nu. 70.

Perfugerãt miſeri ad aſylum diuinæ miſericordiæ. *Aytonus hiſt. orient. vbi ſup.*

Pararat Georgiano & Armeno Regibus excidium.

Danielis vaticinium illi accommodatum. *Danielis ca. 13.*

25. Et certa quidem, funeſtaque impios fidei deſertores perditio expetit, adeò vt his qui Catholicam Chriſti fidem, datamque ſibi diuinitus ſalutis teſſeram abiecere, nil præter cladem, cunctaque Deo vlciſcente malorum probra expectanda ſuperſint, vt perdito homini, vel potiùs Atheo, atque Apoſtatæ, qui præcipuos orthodoxæ religionis articulos eiurarat, deſperatorumque inſtar iuſtas in ſe carnificis, dum carnifex deeſſet, partes exercenti Rainaldus in ſuis annalibus accidiſſe his verbis tradit: *Brixiæ verò is triſtis caſus accidit, vt Antonius Viſinganus hæreticus immortalitatem animæ, reſurrectionem mortuorum, paradiſum, inferos negans,*

Infelix apoſtatæ exitus.

Raynal. ann. 1457. nu. 73.

Gobellinus in com. Pij II. lib. 9.

atque exomolegeſes, & ieiunia ab Eccleſia inducta ſpernens, in carcere mutato in laqueum cingulo gulam ſibi fregerit digno vita improba exitu. Haud enim Atheus, qui præcipua orthodoxorum dogmata abiecerat, & tanquam ex lex Catholicæ fidei leges, moreſque ſanctiſſimos deliramenta putabat, brutorumq; more, præſentibus duntaxat bonis contentus, vitam perditiſſime träſigebat, diutiùs inter homines viuere à Deo permiſſus nõ eſt; ſed impius ob ſuam impietatem propia manu laqueo deſtinatus, vitæ curſum abrupit.

Miſer ſibi iuſtus & carnifex fuit.

Quoniam verò apoſtatas hic Dei iudicio perculſos recenſemus, nouit profectò, Deus in fertili Eccleſiæ agro triticum à zizanijs, electa que ab adulterinis ſeminum grana ſecernere: *Oportet* (inquit Apoſtolus) *& hæreſes eſſe, vt qui probanti ſunt, in vobis manifeſti fiant*. Hæreſum igitur zizanijs in agro dominico inualeſcentibus, quæ in Chriſtianorum pectoribus fidei ſemina coaluerant, diuino calculo ſecernuntur, & cum triticum ſubinde meſſis tempore deportetur in horrea, quæ ſuppetunt ignibus zizania deſtinantur: *Nouit Dominus in area ſua triticum, nouit paleam* (vt inquit Auguſtinus) *nouit, qui permaneant ad flammam, nouit, qui permaneant ad coronam*. Ignibus ergo, vt quæ condigna hæreſũ pœna eſt, zizania comprobantur; & vt propoſito inſiſtamus, en tibi horrendum hæretici hominis, exemplum, qui tum à religioſæ vitæ inſtitutis, tum a fidei Chriſtianæ dogmatibus vno eodemque tempore deſciuit, at ſuo ſubinde calculo, ſuaquemet manu admoto viuus igne exarſit, contemplandum proponimus; quod Bouerius his verbis deſcribit:

Apoſtolus 1. Corinth. 11.

Diuina iudicia inſcrutabilia in permittendis hæreſibus.

Auguſt. in Pſal.

Zizania ignibus, frumẽtum, horreis deſtinatur.

26. *Inter illos verò, qui ad hæreticos tranſmigrarunt, vnus fuit Fr. Hieronymus Melphitenſis, concionator, qui etſi parum in diuinis litteris eruditus eſſet, celebre tamen, in Dei verbo diſſeminando ſibi nomen comparauerat. Hic Ochini Veronæ auditor, cùm primùm illum ad Geneuenſes profugiſſe accepit, fratrẽque Bartholomæum à Cunio, Veronæ Guardianum ob hæreticam doctrinam in populum diſſeminatam ab Vrbis Epiſcopo, in vincula coniectum; ſummam quoque eorum, qui Ochinum legentem audierant, aut illi amicitia coniuncti fuerant, inquiſitionem fieri percepit; proiecto habitu, ſuum hæreſis magiſtrum, Geneuam ſecutus eſt. At breui duntaxat tempore, ea carnis libertate apud hæreticos potitus fuit. Nam cùm inde ſe ad Germanos contuliſſet, proprio ſcelere, velut triſti aſtro exagitatus, ſibi ipſi necem conſciuit. Infelix enim pluribus paleæ faſciculis, qui in cubiculo, ad quod dormiturus acceſſerat, ſeruabantur, igne ſponte admoto, iuſto hæreticorum ſupplicio combuſtus eſt; cũ interim, dũ combureretur Beatam Virginem ſibi in opem fruſtrà inclamaret.* Iuſtus quidem ſibi, miſer tum vindex, tum teſtis, tum carnifex extitit; duplicis enim apoſtaſiæ iam ſibi malè, ne dicam benè conſcius, ſe ipſo contra perduellem hominem, deſertoremque, quem intus gerebat in pectore, Dei, ortodoxæ fidei, ac Religionis ſeriò cauſam agente, immanemque haud ſerò iniuriam vindicante, tartaro addictus interijt. Et hæc de Apoſtatis enarraſſe voluimus.

Hieronymus Melphitenſis apoſtata religionis & fidei.

Zaccharias Bouerius Annal. Capuc. to. 1. an. 1542 pag. 319. nu. 40

Corruptus ab Ochino.

Geneuam ad explendam libidinem ſe confert.

Seipſum cõcremat.

Digitized by Google

CAP. XII.

Apoſtatantes a religioſæ vitæ inſtitutis ac religioſum habitum temerè deponentes.

27. ILlud Chriſti in Euangelicis tabulis ſuos alloquentis, præmonentiſque oraculum eſt: *Nemo*, videlicet, *mittens manũ ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno De.* Iure igitur merito Religioſi præcipuè inſtituti, quod ſemel profeſſi, amplexique ſunt, deſertores, Chriſti verbis vrgentur, quorum plerumque exitus in ſemel arrepti, & quod temerè abiecerunt, propoſiti pœnam, infeliciſſimi extitere; dum enim blandis, fraudulentiſque parentum lacrymis permoti, ab incœptis, pioque Dei obſequio reſilire non dubitarunt, iuges tùm ſibi, tùm parentibus lacrymas pepererе, animæ inſuper nacti diſpendium, quinimò in ipſomet ſæculo, ad quod remearunt, inglorij, atque infelices apprimè viuentes immane perpetratum à ſe piaculum, ſuo vel exemplo obteſtati ſunt. Quanti videlicet oppigneratam ſemel Deo fidem fregiſſe ſit apud Deum momenti: *Quanta vincula* (vt Chriſoſtomus inquit) *promittere Deo, & non ſoluere.* Et ſi quidẽ his, qui diuino ſe obſequio manciparunt, ac religioſæ vitæ inſtituta amplexi, regularis in monaſterio obſeruantiæ iugo à Deo euocati colla ſubdidere, non abſque ingenti poſthac numinis iniuria, nec impunè ab incœpti propoſito reſilire contigit: vbi enim Deo propenſius inſeruire tenentur, inde magnam contrahentes diuinitatis offenſam, ſi ad reiectas ſæculi fæces redeant, Deum ſeueriſſimum vindicem ſentient. Haud igitur à ſuſcepto ſemel deuotæ mentis ſtudio & à Dei, cui ſe totos deuouerant ſeruitio, mentem auertere, manumque contrahere fas eſt, vt Gregorius Papa teſtatiſſimum facit, dum Venantium virum illuſtrem Italiæ Cancellarium, qui ex Deciorum ſtirpe originem trahens, ac diuitijs olim in ſæculo præpotens, religioſam pertaſus vitam, iam clauſtro terga verterat, conſcriptis ad eum litteris, aberrantem, delirantemque, ad monaſterium totis animi neruis reuocare ſtuduit, atque his, inter alia, ſuam amantiſſimus pater ouiculam, ne luporum pateret incurſibus, ad monaſterij ſepta reducere conatus, paternis præmonitum verbis compunctumque voluit: *In quo enim* (inquit) *habitu fueris, recolis, & supernæ diſtrictionis animaduerſione propoſita ad quid ſis delapſus, agnoſcis. Culpam ergo tuam penſa, dum vacat; diſtrictionem futuri iudicij, dum vales, horreſce; ne tunc illam amaram ſententiam audias, cum iam nullis fletibus euadas.* Hæc ille, qui recuperanda ouicula zelo exaeſtuans, & canis inſtar dominici gregis cuſtodiæ prępoſitus, hæc altius in eũ oblatrando inclamat: *Ananias pecunias Deo vouerat, quas poſt diabolica victus perſuaſione ſubtraxit; ſed qua morte mulctatus ſit, ſcis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, quia eos quos dederat, nummos Deo abſtulit: conſidera quanto periculo, in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, ſed te ipſum Deo omnipotenti, cui te ſub monachali habitu deuoueras, ſubtraxiſti. Conſidera iudicium Dei, quid mereatur, qui ſemetipſum Deo vouit, continuòque mundi deſiderijs irretitus mentitus*

Luca cap. 16. num. 7.

Oppigneratam Deo fidem infringere nefas eſt. *Chryſoſtomus in hom.*

Baron. tom. 8. an. 1591. nu. 4.

Venantius vir illuſtris à clauſtris profugus à S. Gregorio vt illuc redeat monetur.

Quantum S. Pontifex in hoc inſtiterit. *Greg. libr. 1. 33.*

Quæ illi abeunti à clauſtro in mentem reuocat. *Greg. vbi ſup.*

Digitized by Google

titus eſt, quod vouit. Hæc & alia Gregorius Monachi aberrantis, & a clauſtro profugi bono paterna charitate proſpicere cupiens, qui tamen adeò ſalubriter haud aures, haud animum vocibus intendens, ſed in ſuis conſtans erroribus conſtanter nihil ex S. Gregorij litteris profecit, ita miſer extrà monaſterium ad obitum vſque perſeuerans prout aliæ eiuſdẽ S. Gregorij litteræ poſt annos octo ad eum, cum grauiter egrotaret, conſcriptæ, & aliæ inſuper ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum de ipſo iam in extremis laborante legenti fidem faciunt.

Miſer nil ex verbis monitiſq; proficit & perditè moritur.

Monachi noſtri temporis ſuam in hoc ſententiam recognoſcant. Greg. lib. 9. Ep. 25. lib. 9. Ep. 31.

28. Congruè igitur vir ſanctiſſimus Ananiæ ob oculos exemplum proponens Venantium abſterrendum, reducendumque à lubrico duxit, pretioſam viri animam pijs eiuſcemodi modis venari, ac Deo lucrifacere cupiens; Quamobrem, vt diuinam feſtinus vltionem ſubterfugeret, iteratis & ſi fruſtrà epiſtolis ſerio admonuit, qui è portu ſoluens inter ſæculi procellas infeliciter tandem naufragaſſe noſcitur; ſed dum hìc Gregorij verba reteximus, quæ in rem præſentem ex monachi caſu, cæteros alioqui religioſos homines, haud religiosè viuentes, aberranteſque à clauſtro Baronius monitos volens adijciat, in medium proferamus: *Hæc* (inquit,) *& alia ad eum Gregorius: quibus ſuam ex monachi infeliciſſimi noſtri temporis ſententiam recognoſcant, qualis erit, cum ad apoſtaſiam etiam hæreſim addiderint, atquè ab ipſa catholica fide diſceſſionem.* Hæc aptè in rem præſentem Baronius, quæ nos hic haud ſilentio prætereire voluimus.

Baron. an. 591. n. 14.

Deſertores quippe, & à religioſorum hominum ſeptis transfugæ eò interdum proſiliunt, vt in ipſorum perduellium, ac orthodoxæ Religionis caſtris perfidiæ, & impietatis vexillum erigant, ſacroque abiecto, quo protegebantur indumenti clypeo, peſtilentiæ cathedram occupantes, haud ſibi duntaxat lapſu, verum & cæteris exemplo plurimum obſint, vt minoritæ cuidam accidiſſe fertur, qui ad hæreticos conuolans, benignèque exceptus, totus propugnandæ, propagandæque hæreſi intentus, vt ſecũ plures in interitum, ruinamque pertraheret, diù apud eoſdem præconis euangelici munus obiuit, at poſtremò tandem fine ſublatus, tùm apoſtaſiæ à ſacris obſeruantioris vitæ inſtitutis, tum deſertæ, eiuratæque orthodoxæ fidei pœnas exoluit, de quo iſthæc Brendenbachius: *Erat Torpati quidam Luteranæ doctrinæ præco, Hermannus, mirè verſutus, & facundus in abducendis hominibus à Catholiciſmo ad Lutheraniſmum, anniſque triginta ſummum egerat illius doctrinæ præconem. Hic* pellione *Vuitembergenſi Lutherana dogmata primum docente, monachus erat minorita iuuenis, at pro ætate in concionibus non inexercitatus, accedit Pellionem; offert illi ſuam in propagandis Lutheranis dogmatibus opem, monaſticum cucullum in publica concione abiecturum. Pellio eum in Erope ærarium ſuſcipit; negotiatores nouo habitu eum donant, virginem monaſticam in vxorem adiungunt; præficitur vaſis argenteis Eccleſiæ in vſum pauperum cuſtodiendis* Pellione *ex vrbe ſecedente, cuius cauſam ſupra retulimus, paulatim magnam auctoritatem apud omnes ſibi conciliat, vt ſolus nobilium infantes baptizaret. Magnam opum diuitiarumque vim congert, mercatur prædia, domos, agros in liberorum ſubſidium: primaque atque itidem ſecunda vxore demortua, tertiam ducit. Verum anno 1554. graui modo corripitur, & ſex diebus elapſis horrenda voce exclamat, ſe damnatum,*

Apoſtatæ verbo & exemplo mouent.

Sunt ambitioſi inſtabiles.

Brendenbachius Liuonico.

Apoſtata hæreticus fit impietatis ſuę Magiſter

Transfuga in perfidiæ caſtris proficit.

Moriturum ſe perditum inclamat.

nullam ſalutis conſequendæ opem reliquam, & quotquot iſti voluptuariæ Lutheranorum ſecum ſeſe dederent, damnationi obnoxios, atque ita toruo aſpectu & oculis horribiliter flammarum in modum lucentibus deſperabundus extremũ ſpiritum exhalat, omnibus Chriſtianis exemplum, ac documentum relinquens, quã periculoſũ ſit ab Eccleſiæ vnitate ad nouas doctrinas deficere. Ità miſer iſte, qui ſuaue Chriſti iugũ vnà cum cucullo proiecerat, qui poſt admotam aratro manum retro reſpexerat in æternum barathrum, inde in orcum prolapſus eſt.

29. Sola quippe perſeuerantia eſt, quæ apud Deum gratiam, & in eius regno ſedem coronamq; promeretur; *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit*; Nam *cæpiſſe multorum eſt* (inquit Hieronymus) *ad culmen perueniſſe paucorum Saulus malè cæpit, ſed bene finiuit, Iudæ laudantur exordia, finis verò proditione damnatur.* Qui igitur ab arrepto deuotæ mentis propoſito temerè aliqãndo deficit, eò quòd perſeuerantiam non tenuerit, tanquam reprobus tandem à Dei regno proſcriptus, in tenebras exteriores proijcitur vbi vnà cum Apoſtaticis Angelis, qui non ſeruauerat ſui, vt Iacobus ait, principatum, pœnis deputetur æternis. Ad quod ſanè comprobandum optimè facit id, quod de homine à religioſi inſtituti diſciplina iterum atque iterum reſiliente Dionyſius Carthuſianus his verbis tradit: *Memini me legiſſe* (inquit,) *de Nouitio quodam recepto ad ordinem apud noſtros, qui quia muſicus erat, & voce optima dotatus, ab omnibus fratribus amabatur; Et quia id genus hominum vagum atque inſtabile eſt, diabolo ſuadente ordinem dereliquit. Poſt (neſcio quo ſpiritu) compunctus redijt, & ſe recipi petijt, & accepit. Probatur igitur rurſum, & veſtitus in cellam intromittitur. At ille ſuam ſemper ſequutus inconſtantiam, iterum vomuit & habitum proijciens, ſæculum quod amabat, repetijt. Tertiò compunctus rurſum aliam aggreſſus eſt noſtri ordinis domum, vbi tunc eius mores neſciebantur. Et quia ordo noſter ſemper appetit ſonoras voces canentium, ſicut recipi ſe petijt, ità & impetrauit. Sed ò perfidam humanæ mentis inſaniam! nos ſemper vagi, ſempèr inſtabiles, ſemper mutabundi niſi ille nos ſtabiliat, ille nos roboret &c. Iſte igitur tertiò probatus, ac reprobatus habetur. Habitum itaque indignè proijciens mundi ſe iterum actionibus implicauit, ſed non impune. Trina enim apoſtaſia dominus inſenſus, quartò vindictam vibrare cenſuit, & miſerum terribili plaga in gutture percuſſit. Hac peſte ille correptus, cito de medio ſublatus eſt, & Chriſti tribunalibus reſeruatus. Eodem tempore, quo exijt, anno & obijt ipſo, eodem corporis membro plagatus, gutture videlicet, quo ſæpenumero Deum ipſe offenderat: Nã guttur ipſum, quod crebrò apertũ erat ad vanitatẽ Deo ſæuiente occluſũ eſt ad vindictam.* Miſer itaq; ſemel atque iterum in bono propoſito inconſtans, qui oppignoratam Deo fidem fregerat, & à cœptis turpiter reſiliens indignam abiens, iterumque rediens palinodiam, toties & ſi fruſtrà recantauerat, diuinæ animaduerſionis gladio in gutture percuſſus interijt, vt quæ illi fuerant ob animi leuitatem irreticula & inſtrumenta peccandi, iuſti quoque fierent inſtrumenta ſupplicij.

Matth. cap. Perſeuerantia coronam meretur.

Hier. 1. Epiſt.

Monachus à Carthuſianorum cœtu deficit. & poſtmodum redit.

Dionyſ. Carthuſ. inſtit. nouit. in e nclaſ. exhor. apud cathechiſ.

Tertio profugus & receptus plagæ diuinitus percutitur.

Muſicus in gutture plectitum ob inſtabilitatẽ

30. Verum enimuerò boni ſemel arrepti propoſiti deſerentes, qui ſuperno lumini, vocantiſque Dei beneficio, ingrati exiſtentes terga vertunt, ob Apoſtaſiæ piaculum à Deo tandem deſeri, atque in conſiliorum ſuorum manus derelinqui compertum eſt. Ex quo poſtmodum funeſta

cun-

Digitized by Google

cuncta eiuſcemodi hominibus à Dei conſpectu proiectis, & à ſalutis portu aberrantibus accidere, ipſoſque peſſimus conſequi exitus plerumq; ſolet. Quod planè duobus religioſis viris, qui à tuto religionis ſinu, malo inſtigante genio, ſacrum Beati Franciſci habitum temerè exuti receſſerant, Fr. Luca Vuadingo in ſuis annalibus enarrante accidiſſe comperimus, cuius hæc ſunt verba, à nobis in præſens omnino recenſenda.

31: *Liceat hic* (inquit) *vel ipſam exteriorem teſſeram ſtatus monaſtici, quē hic Magiſter adeò temerè, impiè condemnauit, diuinis teſtimonijs, & cæleſtibus prodigijs commendare. Fit ex Minoritibus adoleſcens quidam, qui vitæ regularis pertæſus voluit ad ſeculum redire. Extrà Monaſterium intèr maturam iàm ſegetem ne videretur, voluit habitum exuere; Viderunt tamen Meſſores latibula quærentem, in ſegete ſe abſcondentem, & ferum moloſſum inſequentem. Malum ſectatorem ille non vidit, donec expoliatum habitu, inuaſit, & ſpectantibus meſſoribus, qui ad miſeri clamores acceſſerunt, apprehenſo gutture tandem ſuffocauit. Vt vltionem ſuſcepit, & Dei Iudicium exercuit, ſubitò diſparuit, obſtupeſcentibus ſpectatoribus, qui facile ſibi perſuaſerunt Dei miniſtrū canem illum fuiſſe, & plexum illum fratrem tàm ſeuerè ob proiectum ſacrum veſtitum.* Et condigno autem miſer iſte ſupplicio ab ouilis Dominici ſepſis profugiens, diri iſtius canis imo potius Cerberi Laniena perpeſſus mactatuſque dentibus deſcribitur, quippe qui conſcientiæ ex aduerſo iugiter oblatrantis vocem crimnaque, quod patrare propoſuerat, vltrò ſibi exprobrantis impulſum audire contempſerat; vbi verò è clauſtro proſiliens, ſacro indumento, quod Religioſis, aduerſus dæmonum inſidias, irritamentaque clypei inſtar eſſe conſueuit, expoliatus eſt, mox inermis imbelliſq; Sampſonis ad inſtar redditus, ac omni orbatus præſidio tartareo, iugulum ferocienti hoſti præbuit: Quo itèm pari notatus infortunij calculo alter ex Minoritarum B. Franciſci familia profugus, tàm è clauſtro, quàm è vita diſceſſit: Enim verò cum Religioſorum nulli regreſſum ſuadentiū, vel precibus, aut monitis, vt ad religioſæ vitæ inſtitutum, à quo iam diuerterat feſtinus rediret, numquam induci potuiſſet, ſtatim atque vir petulans monaſticæ profeſſionis indumentorum inſignijs ſe abdicauit, ac ſi diuinæ opis præſidio deſtitutus, caninis actutum dentibus immane diſcerptus, vnguibuſque præfocatus interijt, de quo iſthæc apud Vuadingum.

Fr. Lucas Vuadingus in Annal. minor. to 2. an. 1266 pag. 292. n. 11

Minorita deſertor abiecto habitu mox præfocatus.

Inermis ſcilicet armato hoſti tartareo reſiſtere non potuit.

32. *Circà hunc annum teſtatum voluit Dominus, quàm ſibi diſpliceat Religioſorum regreſſus ad ſeculum, neque crimen hoc inultum remanere. Miſellus quidam ex huius ſodalitij profeſſoribus à Sathana victus, cum ordinem, & domum deſeruiſſet, ſecuti ſunt eum fratres duo charitate adacti, vt reditum perſuaderent; quorum is conſilia, dùm obſtinatiſſimè reciperet, atrum canem miſero illi imminentem viderunt, eoque ſpectaculo territi exclamare cæperunt, vt caueret à tàm informi beſtia: is verò eò magis inſaniens habitum exuit, procùl abiecit, in fugam ſe dedit. Ecce autem paucis confectis paſſibus, monſtrum illud, quod hactenùs, dùm habitum geſtaret, nocere non potuerat, poteſtate tùm accepta in eum inſilijt, & ad terram detractum ſtrangulauit tàm ſubitò, vt fratres illi accurrentes, mortuum iam repererint.* Vides hinc Religioſos homines, quādiù ouium inſtar intrà Monaſterij ſepta ſub paſtoris cuſtodia conſpectuq; manent, tutos vſquequaque à dæmonum inſidijs conſiſtere, vt conte-

Fr. Lucas Vuadingus in minor. an. 1261. tom. 2. pag. 229. n. 15

Triſte exemplum alterius Apoſtatæ.

Monitus vt caueret à dæmone quem ipſi intuebātur ferocientem.

Contemnit veſteque religioſa poſita illi guttur eliditur.

neri non poſſim, quin hoc loco Virgilianum illud vſurpem.

Lupus ouibus inſidiatur. *Virgilius Eneid. lib.9.*

Ac veluti plenus lupus inſidiatus ouili,
Cum fremit ad caulas, ventos, perpeſſus, & imbres.
Nocte ſuper media: tuti ſub matribus agni.
Balatum exercent: ille aſper et improbus ira,
Sæuit in abſentes, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

Vbi verò miſeri homines antiquū ſanę mentis deſerentes propoſitum ſe à clauſtro proripiunt, ac veſtes, quibus vna cum religioſis moribus Chriſtum induerant (temerè deponūt omni protinùs munimento deſtituti, Luporum infernalium faucibus, nè dum rabidis canum dentibus dilaniandis in apoſtaſiæ pœnam tradi conſueuere.

Hermannus Apoſtata & hęreticus.

Apoſtatas à Religione ſemper in deterius labuntur, & magis iram Dei in ſe prouocant.

32. Quoniam verò a religioſorū hominum caſtris transfugæ, ſacrorumque inſtitutorum deſertores in deteriora quotidie prolabuntur, inde fit vt diuinam in ſe vltionem magis magiſque prouocent: quod ſane (vt non vulgare lectori ſuggeramus exēplum) ſuperiori ſæculo cuidam contigiſſe conſtat, qui poſtquam turpiter è clauſtro ad ſæculum proſilijt publici in Vrbe muneris dignitatem nactus, B. Philippum Nerium Congregationis Oratorij fundatorem parentem noſtrum tunc viuentem, erga quem infenſo erat animo, ob pias, quas vna cum ſuis tunc primùm inuexerat, rerum ſpiritualium exercitationes, multiplici calumniarum genere inſtructus diuexare non deſtitit: quapropter aduerſus Dei famulum talia, ac tanta apud vnum ex purpuratorum Patrū collegio commentus eſt, vt ille zelo permotus, rem continuò àd Pontificem detulerit, ac proinde meritò timere quis poſſet ne tota Oratorij à Beato viro in Vrbe ſalubriter inſtituti machina dæmonis impulſu, prauorumque hominum dolo corrueret. Atqui cunctas Philippus æquo animo calumnias, calumniatoremque pariter patientiſſime tulit, totumque Deo negotium committens, innocentiam duntaxat pro ſcuto habuit, nec vllis ſe hominum fauoribus ab aduerſariorum dictis calumnijſque defendi voluit: Verum Deus, cuius ille gloriam animarum inter lucra quærebat, ę cœlo vindex adfuit; nam non multo poſt vir ille, qui calumniam impegerat, & ſi dignitate conſpicuus, quod à religioſorum inſtitutis temerè profugiſſet, adeoque eſſet inter apoſtatas adnumerandus compertum eſt, quod cum is amarulentiori animo ferret, in morbum incidit, ex quo inde ob infamiæ notam mœrore confectus viuendi finem fecit: ſed rem totam à Petro Iacobo Baccio in eiuſdem S. Philippi geſtis exactè deſcriptam hic repetamus.

Quidam Apoſtata, erga S. Philippū Nerium infenſus.

S Philippus ſolis precibus contra eius calumnias ſe munit.

33. *Quidam præſul, cuius nomen modeſtiæ gratia reticetur, Philippum apud vnum ex purpuratis, atrociſſimis calumnijs aſperſerat, eo dūtaxat conſilio, vt ad notitiam publice deducta re, Oratorij inſtitutum funditùs diſſolueretur; adeoque graues fuerunt calumniæ, vt purpuratus rem Pontifici detulerit: Attamen Philippus, quamuis cuncta reſciuiſſet, ne mutire quidem voluit; quin imò Cardinalem ipſum frequentiùs adibat, & quamquam crebris ab eo increpationibus impeteretur, æquo ſemper animo ſingula perferebat: Interim contigit vt Oliuetanæ familia Monachi præſuli illi obijcerent ipſum per apoſtaſiam à religione deſciuiſſe, quod is grauius ferens, ex moleſtia in morbum incidit, ex quo breui è viuis exceſſit; Philippus tamen con-*

Petr. Iacob. Bacc. in vita S. Philipp. L. 2. c. 20. n. 13.

Funeſtus eiuſdem Apoſtatæ exitus graphice deſcriptus.

tume-

S. Philippus iniuriarum immemor eundem ægrotantem ſæpius adijt:

meliarum omnium immemor, eum dum ægrotus decumbebat, frequentiùs adijt; cumque demùm audijſſet iam ſpiritum efflaſſe, ingemiſcens iubet ſacrã ſibi Bibliam afferri, & mox librum aperiens, in hæc verba Prouerbiorum incidit: homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, oculis annuit, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat: huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam; Hæc tota rei geſtæ ſeries, quæ calumniatori quidem funeſta extitit, dum inopinum illi è vita exitum peperit, condignamque calumniarum, quas in virum Dei effinxerat, pœnã intulit, condigno planè miſer poſt mortem ob ſuam malitiam non tam laudatus, quam proſcriptus ſapientis oraculo; quo quidem elogio ad cognoſcendam Philippi innocentiam diuinitùs edito, perditi huius, cæterorumque cum eo apoſtatarum imago viuis in tabula coloribus adumbrari viſa eſt; quorſum enim homini cõgeſtis concinnatiſque ad virum innocentiſſimum exagitandum calumniarum aculeis adnitenti, illa non aptè conſonent verba: *Prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat; huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam:* Ita plane ſubdolus iſte ſupplantator apoſtata vbi alterius innocentiam ſuamque Vrbi apoſtaſiam religioſis, à quibus transfugerat proclamantibus, non abſque ingenti dedecoris nota innotuiſſe vidit vitæ pertæſus, ac mœrore confectus deſperatorum inſtar, infeliciter e vita abſceſſit.

Prouerb. c. 6. n. 12.

Aperta forte ſacra ſcriptura in oraculum aptiſſimum incidit.

Prouerb. c. 6. 12.

34. Hic verò vbi de Apoſtatis ſermo eſt, præter ea quæ hactenus enarrata ſunt, haud ab re duximus infelices nonnullorum exitus recenſere, qui cum religioſæ vitæ inſtitutum ſingulari euocantis Dei beneficio fuiſſent amplexi, temerè à propoſito reſilientes, ad ſæculi nugas remearunt: quamobrem cum Nouitius quidam vnus è clericis miniſtrantium infirmis anno ſalutis milleſimo quingenteſimo nono Romæ à Camillo de Lellis Congregationis eiuſdem Generali præpoſito ſacrum indumentũ ſuſcepiſſet, idque eius pater iniquo animo ferret, filium Neapoli abeuntem ad certum vſque locum eo conſilio, vt ſecum domum reduceret, proſequutus eſt; at nouus Chriſti miles fortis in acie, atque in arrepti inſtituti propoſito immobilis perſeuerãs, vocantem ſequi Chriſtum maluit, quàm parentem, & potius cœlo quã terræ inhærere.

Camillus de Lellis pietate illuſtris

Sanctius Cicarellus in vita Camilli de Lellis l. 5 c. 22.

35. Itaque pater etſi ſua fruſtratus ſpe, haud animum deſpondit, ſed nouas filio exhibere moleſtias non deſijt; nam Romam profectus, opportunamque clàm filium alloquendi occaſionem nactus, blanditijs iuuenem aggreditur, atque optimi coniugij ſpe detrectantis animum demulcendo, ad ſua vota pertraxit; Quid plura? qui hactenus conſtans, inuictuſque perſtiterat, vbi adoleſcentulæ forma præſtantis, quam pridem adamarat, offerri ſibi à parente nuptias intellexit, ad Camillum protinus ſæculares petiturus veſtes perrexit: Ad hæc primũ vir Dei vehementer obſtupuit, omnique paternæ charitatis ſtudio, pijſq; vt ſui par erat muneris officijs iuuenem ſuaue Chriſti iugum detrectantem, iamque abire volentem retinere conatus, vbi nil verba proficerent, inuitum apud ſe hominem habere noluit, cum milites Chriſtus non coactos ambiat, ſed voluntarios: Verum priuſquam paranti fugam permitteret, ianuamque petenti pateſaceret, minis, ſed fruſtra, abſterrere non deſtiti

Tyronem iugum domini abijcere meditantem pie præmonet:

Digitized by Google

ſtitit; Igitur defixis eum oculis intuitus, ac ſi in fronte perditionis ſententiam legeret, multiſque coram diuino afflatus ſpiritu hæc iuueni dixit: paucis te volo mortalium infeliciſſime, qui Deo vocanti terga vertere, tuoque genitori ſeducenti faciem, & ad lubrica ſæculi gaudia propoſiti immemor redire decreuiſti; ſcias licet, quod te veluti transfugam, deſertoremque funeſtus tandem vitæ exitus expetit; Eia lictorum manu, facinoroſorumque inſtar hominum extremo vitam ſupplicio abrumpes: ne te igitur præſentis diei capiat obliuio, qua ego te alloquens his verbis ne excuſationem prætendas, præmonitũ volo: his dictis ad patrem conuerſus, qui filio ſcandalum exhibebat, eius ad ſæcularia vota tranſitum funeſtè illi ceſſurum edixit: Porrò tunc temporis quo iſthæc peragebantur intra dies quadrageſimales ſexta ſacratioris hebdomadæ feria celebrabatur.

Prædicit illi extremo ſupplicio vitam abrupturum.

36. Iuuenis igitur parenti morem gerens, illique adiunctus comes, Neapolim lætus regreditur, exoptatumq; quod ſibi fuerat oblatum lectiſſimæ coniugium fœminæ adeptus, maximis haud multò poſt inter ipſum ac fœminam domeſticis obortis diſſidijs cum varijs ſuper eius impudicitia ſuſpicionibus detineretur, vxorem prægnantem, eiuſque pediſſequam, ac famulum inſuper, quem criminis, quod verebatur, conſcium eſſe falſo exiſtimabat, interfecit, cum paulò ante furore actus, ſarcendiq; honoris, ac exercendæ vltionis zelo exacerbatus verulam, hanc vnam ob cauſam interemiſſet: En lugubris iam rerum facies, nuptiarumq; expetitarum exitus, vt vir Dei prædixerat; infeliciſsimus; miſer itaq; qui fuerat è clauſtro profugus tot criminum reus, ſublatorumque hominum, quibus ad prætorem obnoxius fuerat delatus in carcerem coniectus, cum haud quicquam à parente cunctam rem familiarem libenti animo expendente iuuari potuiſſet, capite damnatus publicè Neapoli die lunę anno ſalutis 1598. ſententiam ſubijt, famulo, qui delicti conſors extiterat, reſte trabi appenſo, adeò vt ſingula quę Camillus edixerat, adamuſsim adimpleri contigerit.

Improuidus adoleſcens ijs ſpretis vxorem leuẽ ducit.

Stupri ream vna cum famula, famuloque trucidat.

Capitali ſententia damnatur.

37. Porrò iuuenis antequam duceretur, rem totam multis coram ex ordine narrans, fatidica ipſius Camilli, è clauſtro ſibi recedenti verba altiùs animo, iugiterque inſediſſe teſtatus, ſe vna cum religioſæ vitæ propoſito, ac ſacro, quod temerè abiecerat indumento, vita quoque iuſtiſsime mulctatum a Deo fuiſſe intellexit: qui vero Dei famulo Romæ iſthæc prænuntianti affuerant, dum rem oculis cernerent, Deum famulo vaticinãti procul dubio adſtitiſſe, verbaque euentu ipſo comprobaſſe affirmabant, ſtupebantque eò magis cuncti, quod cum vltima die menſis martij maioris hebdomadæ iuueni è religioſorũ virorum caſtris abeunti eiuſcemodi verba Camillus intimaſſet, poſtrema item menſis eiuſdem recurrente die intra ſacratiorem hebdomadam, vt omnimoda dictis ſtaret fides, illum ad patibulum duci contigerit: Atque vt triſtes hìc aliorum exitus ex præmemoratis Camilli geſtis deſcribantur: Alius quidam dum Romæ ad religioſos viros, qui ſub Camilli vexillo militabant conuolans ijſdem aggregatus fuiſſet, ob culpam quam admiſerat, leuiorem quandam iniunctam ſibi à Cœnobij præfecto (vt religioſorum mos eſt) pœnitentiam ſubire detrectans, eò vſque diabolo inſtigante proſilijt, vt religioſum potius exuere cingulum, quàm parere, & iam ad Aegypti inſanias redire decreuiſſet: At Camillo

Is demum pœnitens ſceleris rei ſeriem pandit.

Alterius iuuenis triſte exemplum.

Sanctius Cicarellus in vita Camilli de Lellis l. 1 c. 22.

millo hominem ne Serpenti Stygio iſthæc ſuggerenti aurem adhiberet, Deumque facto exacerbaret, hortante acrioribus tandem minis adoleſcentem conueniens; Heus tu, inquit, vide ne eiuſmodi rem feceris, breui enim te poſt factum pœnitere continget; à diuino quippe, cui te primum dicaſti obſequio temerè inconſtanterque recedens, Deo contumelioſus, ac rebellis lumini, teipſum diabolo ad certum exitium proculdubio committis, qui ſerico homines fune implicitos, ignominioſo tandem addicere ſuſpendio conſueuit: Hæc ille, & alia in rem dixit, vt ſocordem delirantemque à prauo mentis conſilio retraheret: At Iuuenis Sacerdotalibus dictis nulla ratione acquieſcens, velut laſciuiens indomituſque iuuenculus, qui iugum detrectat feſtinus è clauſtro abijt.

Sacræ militiæ deſertor periculi imminentis fit certior.

38. Atqui iuſtum Dei iudicium eius ceruicibus intentatum eſt; vix enim miſer è religioſa domo pedem extulit, cum viri cuiuſdam ſe totum obſequio dedit, qui malis artibus, ac ingenio pollens, adulterinæ cudendæ pecuniæ peritiſſimam operam nauabat: re verò ab exploratoribus comperta, & ad prætorem delata, continuò vir ille cum tota familia ab apparitoribus in carcerem capitur, & Hieronymus vna cum ipſis, qui licet rei, de qua tunc apud iudicem agebatur ignarus, & à delicto, de quo incuſabatur, immunis omnino, acrioribus tamen ad veritatem expiſcandam tormentis excruciatus, poſtquam herus delictum faſſus, conuictuſque laqueo gulam fregit, fuſtibus ipſe per totam vrbem carnificis manu impetitus, demum ad ignominiæ cumulum, trabi, ex qua criminoſus ille pendebat, velut delicti conſcius ligatus ſub omniũ oculis diu conſtitit, parumque à ſuſpendio abfuit, vt multo ante Dei famulus recedenti conceptis verbis dixerat.

Conſenſere dictis exitus

39. Ab huius item conſortio adoleſcens nomine Ioſeph ſeiungendus non eſt, qui poſtquam à religioſæ vitæ, cui totum ſe dederat inſtitutis reſilijſſet, Camillum vltrò monitorem præconemque habuit, nè à tutiſſimo ſalutis portu, ad quem Deo aſpirante peruenerat, innumeris futurus alioqui periculis obnoxius recederet, ac triſti funeſtoque diem exitu clauſurus: Salubria interim ſacerdotis monita, qui à diabolo præceps agebatur, nil curans, quò voluntas ferebat receſſit, ac Neapolim ſe contulit, vbi quindecim vix interlapſis diebus, altercatione ex iurgio oborta, ad rixam deuentum eſt, ac miſellus ille, qui religioſæ vitæ ſcutum è caſtris auolans abiecerat, ferro percuſſus, nulliſque ſub finem Eccleſiæ Sacramentis præmunitus interijt.

In vita Camilli de Lellis lib. 3. c. 25

Alter adoleſcens deſertor vitæ religioſæ

Ferro confoſſus perit Sacramentis non expiatus.

40. Meſſanenſis alter cũ poſtquam ſemel clauſtro receptus, iterumque à patre ad exitum ſollicitatus abire decreuiſſet, Camillo diuinam prænuntianti vltionem haud paruit: at pater qui filium è Chriſti ſinu abſtraxerat, condignam, quam citiſſime pœnam exoluit; duobus quippe vix elapſis diebus nullo præuio morbi ſigno Eccleſiæ Sacramentis orbatus, ſubito inopinoque interitu ſublatus eſt; frater verò, qui iuueni, vt religioſæ vitæ nuntium remitteret, cauſa fuerat, eumque, cum iam rediturus eſſet, quo genitrici rem gratam faceret, verbis vehementius extimularet, pœnas infrà anni ſpatium gladio tranſuerberatus dedit: Iuuenis verò, qui ſeductori potius, quàm Deo acquieſcens, cum in ſuſcepto propoſito parum ſtabilis egreſſum adornaret, acriter à Camillo obiurgatus, quia in ſententia non perſtitit, ſex poſt quam è clauſtro diuertit men-

In vita Camilli de Lellis l. 3. c. 25.

Alterius Meſſanenſis lugubre exẽplum.

Defectionis conſultoribus quam male ceſſerit.

tit menſibus, ſubita morte præuentus, nullo diuinorum Sacramentorum ſubſidio iuuari meruit.

Ibid c. 25. In vita Camilli de Lellis vbi ſupra.

41. Parem itidem alter incurrit infelicitatem, qui cum religionis ſemel, atque iterum inſtitutis terga vertiſſet, nouercam pugione ſubinde cõfodiens, arctiſſimæ mancipatus cuſtodiæ ibique erumnis confectus, diem (vt par erat) perditè clauſit.

42. Verùm vt ad homines, qui ſubdolis verbis religioſos Dei ſeruitio addictos à clauſtro retrahunt, ſermonem conuertamus; hi profectò iuſtam admiſſi piaculi vltionem experti, funeſtum de ſe cæteris exemplum præbuere, vt viro eximiæ nobilitatis accidit,

Idem ibid.

cuius filius inter religioſos infirmorũ adminiſtros fuerat adſcriptus; is enim filium religioſorum eiuſcemodi ſectatorem, quos infimæ notæ homines, nullaque re conſpicuos æſtimabat, à ſe ſuiſque degenerem fieri nollet, clã, doliſque è clauſtro auferendum meditatus condixit, vt dum in publica hoſpitali domo ægrotis de morte inſeruiret, rheda inuectus patrios ad lares reduceretur; ſed mors præter ſpem conſequuta, inſani hominis vota, cõſiliaque deluſit; nocte quippe miſer ex improuiſo decedens, mane facto exanimis in lectulo repertus eſt. Iuuenis verò cum patris exemplo edoctus nil profeciſſet, poſtquam religioſæ vitæ inſtitutum turpiter deſeruit, matre nocte eadem è viuis prærepta; ipſe haud multò poſt intimis animi languoribus preſſus perculſuſque in Belgio inter bellorum tumultus, armorumque ſtrepitus, qui pacificus in clauſtro non perſtiterat, haud in pace deceſſit.

Pater qui filium à vita religioſa abduxerat, repentina morte mox ſublatus.

Vbi ſupra c. 25.

E religioſis caſtris ad alia non trãsfugiẽdum.

42. His demum Abbas admemorandus eſt, qui cum iuuenem ab arrepto arctioris vitæ inſtituto reuocaſſet, clericali religioſorum hominum depoſito habitu, monachi eum cucullo indui curauit: verùm quia iuſta Dei ira, & ſi aliquando vltionem differt, non tamen aufert, idem paulo poſt apud judices Eccleſiaſticos certi occultiq; reus criminis incuſatus, quatuor vix interlapſis diebus Romam vinctus adducitur, vbi arctiori mancipatus cuſtodiæ, paucos poſt dies mœrore ac tedio contabeſcens infeliciſſime obijt. Et hæc ſunt quæ tùm de Apoſtatis, tùm de reſilientibus à ſuſcepti religioſi inſtituti propoſito, nec non de his, qui ſubdolis artibus homines ſuauiſſimo Chriſti iugo mãcipatos ad ſæculi vanitates reuocant, hìc meminiſſe voluimus.

CAP. XIII.

Auari qui diuitijs per iniuriam comparandis inhiant.

INEXPLEBILIS hominum cupiditas, quæ malorum cum probris, tùm pœnis diues eſt, pręter immenſos, quos in coaceruandis diuitijs labores ſuſtinet, certam funeſtamque auri ſectatoribus perniciẽ infert; pro lucris enim diſpendia, acerbumque pro pecuniarum fœnore, animarum tandem afferre conſueuit interitum. Habendi quippe deſiderium ſuis habentem pũctionibus opprimit potiùs, quam releuat, pondus ſubſtantia terrenaque magis eſt, quam ſubſidium; *Aurum namque* (vt Criſologi verbis vtamur) *natura ſua graue grauius fit poſſidendo, & magis habentem aggrauat, quàm ferentem, magiſque corda quam corpora.* Ex quo ſubinde primæuo veluti è fonte cala-

Auaritia ſuis ſectatoribus animæ diſpendium creat.

te calamitates deriuant. Quod adeò verum eſt, vt ſapiens vltrò, conſtanterque, quam multos auri duntaxat cupiditate illectos, præter animi detrimenta, promptam, expeditamque ruinam incurriſſe pronuntiet: *Multi dati ſunt,* (inquit) *in auro caſus, & facta eſt in ſpecie eius perditio ipſorum:* Et Apoſtolus quoq; latentes ſub eiuſcemodi viſco laqueos cauendos ſollicitè admonens: *Qui volunt,* ait, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum;* Mens igitur, quæ lucri cupida eſt, ærumnarum quoque ſuis prodiga ſemper exſtitit; quod Iudas Iſchariotes mercator peſſimus, laqueo poſt venditionem ſacrilegam remuneratus, ſuo luculenter facto abominaturam tantum ſcelus poſteritatem edocuit. Enim verò mortalium infeliciſſimus auaritia prius, quàm auro captiuatus, inſanaque habendi voluntate potius, quam ſune irretitus, ex Apoſtolatus faſtigio in proditionis barathrum proſiliuit; quippe dum pretioſum æſtimat lucrum, cuius deſiderio æſtuabat, contemptibilem habuit Magiſtrum, vilemque computauit Deum, quem hoſtibus vltrò mactandum, proculcandumque vendebat; adeò Diuinitati contumelioſus dum venderet, vt certum haud peteret pretium, ſed arbitrio ementium remitteret: Quid vultis, inquit, mihi dare, & ego eum vobis tradam? *Non poſtulat,* (Hieronymus ait) *certam ſummam, ſed quaſi vile tradens mancipium in poteſtate ementium poſuit quantum vellent dare.* Rem verò ab Aloyſio Iuglari acutè, eleganterque his adumbratam verbis excipiamus:

Ecclesiaſtici 3. 6.

1. Timot. 6. 9

Graues iiſdē ærumnas parit.

Hoc infelicis Iudæ exēplo confirmatur.

Iudas vile lucrum Chriſto prætulit ex S Hieronymo, atque Iuglaris teſtimonio.

Matth. 26. 15

Hieron. in Matth

Iuglaris Elog. 42.

Semel prodiga exſtitit auaritia,
Inexhauſtum vnica effuſione liguriuit ærarium.
Demens, quæ non minori pretio emeret malum ſuum.
Cœca, dum non agnoſceret crimen,
Impia dum corrigeret.
Carioſus Iſcharioth
Cui bonus vnquam eſſe potuerit?
Qui fuit vſque adeo malus ſibi?
Mercator non melior, quàm Apoſtolus
Depeculator ſalutis ſuæ,
Vbi lucrari etiam aliena debuerat,
quò vilius venderet Deum,
Ignorantes pretium etiam adiuit.

Math. 26. Marci 14. Lucæ 24.

Et quidem facilis auaro homini, expeditusque à proditione ad laqueum, à pretio ad ſanguinem tranſitus fuit. Sed quàm aculeato immane vitium, nefandumque ſtylo perſtringendum ſit, quod æquis pretijs ne Deum quidem æſtimare ſuſtineat, modicum immenſo diuinitatis theſauro lucellum anteponendo, prælaudatus ſcriptor in hæc planè verba exequitur

Mēdaces planè filij hominū in ſtateris,
Qui ponderatorem ſpirituum
Triginta argenteis vix appendant.
Profecit per ſuos gradus impietas:
Alimēta primùm pauperibus abſtulit,
Mox etiam Deum ſibi.
Mirari volueram
Si potuiſſet perſeuerare cum Chriſto,
Qui pauperes non amaret.
Liberalem pietatem,
Quidni ante alios auarus argueret,
In quem tota illa profuſio declamabat.

Iuglaris vbi ſup. elog. 42. Lucri auiditas Deum ipſum auaro tollit.

Diu cum Chriſto ſtare non poteſt, qui pauperes odit.

At quæ in deperditæ ſpei hominē auri percupidum, ſectatoremque peculij ſcriptor præmemoratus iuſtiſſimè intorqueat, audiamus:

Continuit dentes ab eſca,
Vt interim morderet inſontem,
Quia fur erat, & latro, (dia;
Ne ſua quidē reliquit conuiuio gau-
Tam lucri auidus, quàm non capax,
Semper quid vendi,
Numquam quid emi poſſet, attendēs,

Idem Ib.

Auarus liberalitatem nimiæ profuſionis arguit

Ee Prope-

Male Deus peccato proditionis emitur, peſſimi illi mercatores qui ſic Deũ emunt

Properat vrgere facinus,
Quod mox tanquam omnium maximũ
Laqueo coronaret.
Peſſimè de Sacerdotibus iudicans,
Qui Deum
Niſi à ſe emerent, non haberent,
Eorum manus oblata illis re tam ſan-
cta prophanat. *(reret,*
Demens qui Deo amiſſo non quæ-
Non quid dare ſibi homines poſſet
Sed quid vellent;

Deum non habenti nihil dari poteſt.

Cum Deum non habenti
Dare Quidpiam vel ſi velint,
Non poſſint.

Illud verò in auaro homine maximè deteſtandum, quòd oſculum, ideſt amoris ſymbolum proditioni præmiſit,& dum ſuo blandiri Magiſtro viſus eſt,necẽ illi vltrò intentauit. At iure Ambroſius proditorium Iudæ oſculum, haud alio, quàm prodigij nomine nuncupandum cenſuit, cum pacem ore præſeferens,ſic exitiale Chriſto Domino bellum indiceret. *Dominus* (inquit) *velut prodigij genus in proditore condemnans ait: Iuda,oſculo filium hominis tradis? hoc eſt, charitatis inſigne conuertens ad ſignum proditionis, & infidelitatis indicium. Pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis. Beſtiali igitur oris obſequio inferentem potius necem, quàm charitatis fœdera deferentem diuinæ vocis arguit oraculo*. Auaritia autem, quæ iam Chriſti diſcipulum captiuum fecerat, perdideratque, ipſum amoris ſymbolum, beneuolentiſque animi teſſeram ſceleratiſſimè inuertere auſa, tum vitæ, tum pacis auctorem prodidit. Quòd impium Iudæ facinus pari verborum pondere Auguſtinus deteſtatus: *O ſignum* (inquit) *ſacrilegum, ò placitum fugiendum! vbi ab oſculo incipitur verbum, & per pacis indicium, pacis rumpitur ſacramentum.* Magna igitur perditi proditoris peruerſitas,rerum ordinem, ac pacis ſymbolum inuertiſſe. Quod impietatis portentum cum antiqui Chriſtiani ſatis,ſuperque execrarentur, in ipſo (vt Tertullianus teſtis eſt) Sacratiſſimi Paſchatis die,hoc eſt Paſsionis dominicæ *(Sic enim ipſe frequenter loquitur) à pacis oſculo abſtinebant, haud dubiè* (vt ibi Pamelius interpretatur) *in proditoris Iudæ,ac facinoris execrationem.* Pro ſacrilego autẽ oſculo, quo ille Magiſtrũ hoſtibus perdendum prodidit, & pro pretio victimæ, quam iniquus mercator ſacerdotibus ad immolandum vendidit, iure optimo ſuæ condignam impietatis, ac proditionis mercedem retulit, quo innocentiam, atque inſontis ſanguinem hoſtibus,ac ſuam pariter Orco venalem redderet animam.

Sacrilegum Iudæ Oſculum portentum. *Amb. l. 6. exam. c. 9.*

Magna rerũ ac charitatis in oſculo proditoris inuerſio.

Aug. ſer. 121 de tempore.

Chriſtiani tempore dominicæ paſſionis ab oſculo abſtinebant.

Tertull. in lib. de orat. c. 14.

Pamelius ibi.

Iudas auaritiæ mercedem laqueũ ſortitus eſt.

43. At quoniam non carcerem duntaxat,ſed tanquam demortuus ſepulcrum patitur quiſquis ſe auaritiæ in præceps dedidit; Iudæ proditori, cui ipſa non tam loculos, quàm tumulum auaritia parauit, ſepulchralis hic ignominiæ titulus arguto Iuglaris ſtylo inſculpendus,ſtatuẽduſq; eſt:

Auarus etiãnum viuus carcere, & ſepulchro clauditur.

Hunc vnum quia non præuidit Iudas
Tam multos habuit; (loculum
Eius initia ne quære.

Et poſt multa, hæc ſcriptor ſubijcit haud obſcura ipſius auaritiæ, cunctiſque iugiter deteſtanda mortalibus perfidiæ monimenta:

Iuglaris E-log. 82. Sepulchralis ignominiæ titulus ab erudito viro Iudæ Tumulo appoſitus.

Promptior miracula patrare,quã credere
Dæmones fugauit aliquoties,fugit nũ-
Admiſit in animo (quã;
Quos excluſerat à corporibus;
Et quo ſibi vocarent miniſtri ſcelerũ,
Auocauit ab alijs miniſtros pœnarũ
Melior pecunijs cuſtos, quam fidei,
Vt ſeruaret non ſua, ſeipsũ perdidit;
Paupertati patrocinãs,quã odiſſet
Quia faciliùs ſpoliare pauperes poterat,
Ditari pauperes voluit.
Mercis ſuæ peſſimus nundinator,
Ex

Iudas pecunia pauperibus negata præter opinionem agrũ ipſorũ ſepulturæ parauit.

Ex auaritia prodigus,
Quam iuſtis æſtimatoribus
Vendere diffideret quanti valeret,
Neglecturis vendidit quanti vellet.
Cum nemo magis indigeret vnguētis,
Quàm cui tam malè olebat anima,
Emere quæ debuerat, vendere voluit,
Ideò ſolùm quia vendi poterant.

Idem vnguētum quòd vendere volebat, melius emiſſet quo animæ fœtorem tolleret.

Hæc ille in diſcipulum perditum, aurique immane ſuas inter rapinas cupidum iuſtiſſimè intorquet:

Lapidea illi fuere viſcera,
Quid ni ergo cùm petræ ſciſſæ ſunt rumperentur,
Pateſcentibus cæteris
Ipſum etiam impietatis monumentum apertum eſt.

Hæc profectò peſsimi ob auri dūtaxat ſitim proditoris, quot verba, tot ſcelerum probra, monimentaque hic habes, quibus Iſchariotis auaritiꝫ parentatum eſt.

44. Et rectè quidem, vt noſter ad auaros ſermo recurrat, *omnis diues* (teſte Auguſtino) *aut iniquus, aut iniqui hæres pronunciādus eſt.* Proſtitui quippè virtutes animi opus eſt, vbi aurū cōgeritur, vt eleganter Horatius cecinit.

August. in ſerm.

Perdidit arma, locum virtutis deſeruit qui.
Semper in augendo feſtinat, & obruitur re,

Horatius in Satyr.

Ipſumque nomen diuitiarum nomē è vitijs blandè corriuatū, vitiorum planè cumulo, immenſo pecuniarū aceruos conflari ſatis oſtendit, ex quo argutè illud à Poeta decantatum eſt.

Diuitiꝫ vitijs nimium affines.

Nomen idem vitijs, diuitijſque datū

In quod item aptè Baſilij ſententia recidit *An ignoras (inquit) quod maior tibi peccatorum exurgat aceruus, quā ſit acceſſio opum, quem ex vſuris venaris.*

Baſilius in epiſt.

45. Qui enim coaceruandis immodicè diuitijs inhiant, ſibi, vt experimento comprobatur, foueam parant, ac inexplebilem auri, argentiq; Tantali ad inſtar ſitim præferentes, ſuomet eamdem ſæpè ſæpiùs cruore reſtinguunt, inter quos meritò in Eccleſiaſticis annalium tabulis auariſſimus ille Syriæ præſes, ac rapaciſſimus prædo adnumerandus eſt, qui cum totam penè Syriam, quo tempore prouinciꝫ præfecturam gerebat, expilaſſet, & vnus vbique latrocinia in ciues impunè hoſtilem in more domeſticus latro exercuiſſet, haud tamen impunè in Germania Præfecturæ munus abſoluit; ibi enim in patratorum criminum pœnam non alium quàm ſeipſum iuſto Dei iudicio carnificem nactus, ſua ſemetipſum manu confodit. Sed præſtat hìc rem geſtam à Dione ſummatim deſcriptā excipere: *Quintilus Varus Syriæ Præfectus, è Syria euocatus, eodem præfecturæ munere ornatus, ad adminiſtrandam Germaniam prouinciam amandatur, qui cum aſperè nimis, ac durè barbaram gentem illam tractaret, ad defectionem impulit; atque adeò cum aduerſus eoſdem bello decerneret, profligatis, ac cæſis Romanorum copijs ipſe deſperatione actus, ſibi ipſi mortem conſciuit.* Hæc Dio: Quam autem potiſsimū ob cauſam ſibi impius iſte manus intulerit, qui iuſtus videlicet in nece ſibi inferenda, etſi iniuſtus cæteris fuerat, vindex extitiſſe comprobatus, illa præcipua quidem in annalium faſtis deſcribitur, quòd Romanorum, ſub auari hominis præfectura copias ab hoſtibus atteri, ac profligari contigerit, quod prętor iniquus, ac prædo, iniquo ferens animo poſt deprædatā Syriæ Prouinciam, funeſtamq; Romanorum militū cladem, ſuam quoque ad tàm immane facinus expiandum, veluti omnimodam malorum cauſam adiungi voluit; quod totum paucis ex Baronio referre hìc libet: *Iiſdem conſulibus, (inquit ille) contigit memorabilis illa*

Prædor fit publicus prædo.

Dio' hiſtor. Roman. lib. 56.
Quintilius Varus Olim Syriæ Præfectus.

Germanos nimia varitia ad defectionem prꝫcipitat.

Sibi cruentas manus infert.

Auri cupidus ex vno, in aliud ſcelus proſilit.
Baronius to. 1 ann. Chriſti 12, num. 9.

Digitized by Google

Variana clades in Germania, cùm Romanus exercitus ſub Varo eſt penitus profligatus, qua accepta idem Varus ſibi ipſi intulit manus, dans meritas pœnas de expilata à ſe Syria; de eo enim Velleius tradit, quòd Syriam diuitem pauper ingreſſus, diues egrediens pauperem reliquit. Hæc verò pluribus proſequuti ſunt idē Velleius, Sueton ius, ac Dio; de quibus ſtudioſus eoſdem lector conſulat.

Velleius Paterculus hiſt. Rom. Suetonius in Oct. cap. 33. Dio Caſſius lib. 56

Syriam diuitem pauper ingreſſus pauperem diues reliquerat.

46. Varus igitur, qui vno duntaxat diminutus apice, auarus iure merito dici potuit, poſt ſubactas prædę Prouincias aurum, quod biberat, per vulnera demum regeſſit; diuitiæ enim ſunt, quæ (vt Apoſtolus ait) *homini deſideria multa nociua ingerunt, quæ mergunt hominem in interitum.* Auarus quippè, qui diuitijs iugiter inhiat, qui auro, argentoque coaceruando operam dat, ſibi, ac cæteris pariter bonorum omnium auarus eſt, *Auaro enim tàm deeſt, quod habet, quā quod non habet.* Hinc Ethnicus ille aurum, vtpote malorum omnium irritamentum, vel procul à ſe abdicandum, vel in diuinum cultum obſequiumque transferendum, ne reſeruatum apud mortales peccandi nutriat illecebram, illis eleganter carminibus cecinit.

Aurum ſæpe irritamentum malorū eſt.

Timot. c. 6. 9.

In auarum eruditæ ſententia.

Vel nos in Capitolium
Quò clamor vocat, & turba fauentium,
Vel nos in mare proximum,
Gemmas, & lapides, & aurum inutile,
Summi materiam mali
Mittamus ſcelerum ſi benè pœnitet.

Lyricus 3. carm. 24.

Aurum bene expendendū

Quibus nil, vel in rem noſtram aptius, vel certè elegantius dici poteſt.

Qui igitur pecuniarum auidus eſt prodigus duntaxat ſibi tàm ſcelerum, quam pœnarum ac ſuppliciorum eſt. Et vt, infelices adhuc auarorum exitus recenſendo, res comprobetur exemplis.

47. Cryſapius Eunuchus ille præcipua apud Theodoſium auctoritate pollens, atque auaritiæ ſtudio inſignis apprimè, cum porrectis manibus ambitioſorum offerentium muneribus inhiaret, plurimorum cauſa malorum extitit: Sanctiſsimum quippè virum Flauianum Conſtantinopolitanæ Vrbis Epiſcopum ſua è ſede exturbandum, atque in exilium amandandum curauit, & in pleraque alia dedecorum probra Principem imperio dignum alioquin boni, & æquiā mantem induxit, ob quæ iuſto Dei iudicio vitam gladio finiuit. Sed vt rem aggrediamur, hæc de ipſo Nicephorus.

Chryſapius Eunuchus. *Baron. tom. 6. an. 446. num. 521.*

Creato itaque Flauiano Epiſcopo Conſtantinopolitano, Cryſapius Eunuchus, qui plurimum apud Theodoſium Imperatorem valuit, cum minùs gratam haberet ordinationem ipſius, ſuggeſſit Imperatori, vt Patriarchæ ſignificaret, & electionis, ſeu conſecrationis gratia aliquod ſibi benedictionis loco mitteret munus. Cui S. Flauianus panes puros miſit; Cryſapius contrà aurum loco benedictionis ad ſe mittendum contendit. Ille reſpondit, non ſibi eſſe taliam rerum copiam, niſi fortè ad hoc ſacris vteretur templi donarijs, ſatiſque ſcire Cryſapium Eccleſiæ vaſa Deo, & pauperibus eſſe debita: His verbis offenſus Cryſapius eſt, et S. Flauianum infenſo habuit animo. Homo quippè auri cupidus, & nil aliud in votis præter aurum habens, pontificia munera, quæ diuinā benedictionem pręſeferrent, veluti futilia, ac nullius momenti dona, eo quòd non auro, vt cupiebat, diteſcerent, ſuperbo mentis faſtu reſpuit. Sed in ipſummet Deum, non in Sacerdotem, eiuſque munera ſacrilegi hominis contemptus

Apud Theodoſium florentiſſimus gratia. *Nicephorus lib. 14. cap. 42*

A S. Flauiano patriarcha aurum exigit.

S. viri conſtans reſponſum.

ptus recidit, adeo vt iuſtam Dei pro ſcelere vltionem, & pro auri munere, quod exambiebat, ferream eiuſdem virgam incurreret. Auarus igitur homo, qui aurum tàm ardenter ſitiebat, diuitijſque inhiabat, contemni ſe perexigua muneris oblatione ratus diſcordiarumque ſemina ſpargens, dum aduerſus Beatiſsimum Flauianum inuidiam, liuoremque exerit, cuncta ſuſque, deque permiſcuit: ſed Nicephorum audire hic præſtat:

Chryſapij conatus maligni. Nicephorus ibi ſupra.

48. *Porrò Pulcheria Auguſta nihil horum conſcia erat. Cryſapius interim nullum non mouit lapidem, vt Flauianum è Sede turbaret. Cum verò id omnino (cum Pulcheria ſummam rerum adminiſtraret) fieri non poſſe videret: Eudociam Auguſtam, quæ nondum in Paleſtinā reuerſa erat, ſolicitauit, eamque paulatim aduerſus Pulcheriam concitans perſuadet, vt Præpoſitum domus Pulcheriæ, qui ſummam rerum adminiſtrabat ſibi adſciſceret. Eudocia perſuaſu Imperatoris tentauit animum, vt Præpoſitum illum à Pulcheria abduceret. Renuit ille hoc facere, ne germanæ Auguſtæ aliquam videretur inferre iniuriam, cuius ope, & conſilio tamdiu Imperium adminiſtrarat. Poſtquam verò Cryſapius ſpe ſua fruſtratus eſt, idque ei ex ſententia non ſucceſſit, aliam aggreſſus eſt viam, Eudociaque perſuadet, vt apud Theodoſium agat, quo ille Flauianum ſecreto inducat, vt Pulcheriam in Diaconiſſam adſciſceret: ſicut enim Conſules quidam ad Epiſcopatum aſſumi, ita etiam, & perilluſtres, atque inſignes fœminas ad illud miniſterium deligi, erat in vſu. Quod cum Eudocia ageret frequenti ſuggeſtione, id tandem Theodoſio perſuaſit: qui conſilium cum Flauiano de ea re agenda communicauit. Ille verò re accepta, ſe quod opus eſſet facturum promiſit. Interim autem Pulcheriam, ſecretis ea de re datis litteris, de omnibus reddidit certiorem: monuitque ne veniret, ne quod ſibi diſpliceret, facere cogeretur.*

Eiusdem ad turbas excitandas tornæ.

Ritus, ferè in imperiali familia.

Hæc quidem amarulento vir nequam animo auri cupiditate irretitus ad Sanctiſsimum virum exagitandum ſubdolèque offenſis Principibus è ſua ſede exturbandum meditari non deſtitit, ſed reliqua proſequamur.

Pulcheria admonita à S. Flauiano de vi illi parata.

49. *Pulcheria his acceptis tradito Præpoſito domus Eudociæ, recedens ab Vrbe diuertit ad Septimum, illic priuatè tranquillam vitam actura. Cumque his per Pulcheriam geſtis, facilè Theodoſius, & Eudocia intelligerent, Pulcheriam de ſecretis initis inter ſe conſilijs redditam certiorem, in Flauianum conuertunt odium. Pulcheria autem cum in hunc modum ſe abdicaſſet ab adminiſtratione Imperij, delata eſt ad Eudociam ſumma rerum.* Hæc Nicephorus: dum improba auari vnius hominis arte domeſticam Imperialis aulæ tranquillitatem rixarum iurgiis concuſſam aſſerit; Porrò quæ ab huiuſcemodi initiis perditus ille veterator auſpicatus eſt, regiorum animorum diſsidia, in Eccleſiarum ſubinde perniciem reſilire viſa ſunt, conceptumque ſemel à Principibus aduerſus Flauianum, haud ſola ipſius Pulcheriæ abdicatione odium reſtingui potuit, verùm cum magis magiſque in dies Cryſapio inſufflante inualeſceret, eius in ordinem redigendi occaſio quærebatur ex tunc, maximè cum Pulcheria poſtquam ſe ab Imperii regimine amouiſſet, Imperalia Theodoſii ſceptra pro aulicorum duntaxat arbitrio, non pro æqui rectique ratione adminiſtrarentur. Imperium igitur, & quæ ad ipſum ſpectabant, proculcatis iuribus iam ad ruinam tendere incœpit, vbi Princeps ſanis

Nicephorus ubi ſup.

Abdicat ſe Imperij adminiſtratione.

ſoli-

Digitized by Google

ſolidiſque Pulcheriæ conſilijs non amplius vteretur, ſed improbi vnius petulantiſque Eunuchi, qui Præfecti cubiculi munere fungebatur, odio ac æmulatione incenſi arbitrio ſe, ſuaque regenda dediſſet. Demum inuidorum arte, ac dolis eò res deuenit, vt Flauianus à Concilio Epheſino, veluti Neſtoriani dogmatis ſectator, Dioſcori fraude proſcriptus damnatuſque ſit: Qua ſententia in Epiſcopum lata, is tanquam falſò proſcriptus ad Petri Cathedram, vt Baronius docet ad tutum videlicet videlicet innocentiæ aſylum confugit. *Flauianus verò* (inquit) *contra ſe prolata ſententia per eius Legatos Sedem Apoſtolicam appellauit libello.* Sed cum conſcriptum appellationis libellum Legatis obtulit, verberibus dirum in modum cæſus, multiſque affectus iniurijs præ nimio contumeliarum pondere, acerboque inflictarum ſibi plagarum dolore è vita migrauit. Cuius beatiſsimi viri memoria ſacris in Dypticis agitur; in græco enim Menologio hæc in eius laudem ſingulis annis recitantur die 18. Februarij. *Commemoratio Sancti Patris noſtri Archiepiſcopi Conſtantinopolis Flauiani, qui ab impio Dioſcoro, & hæreticis cum eo conſpirantibus eiectus, atque in exilium miſſus, varijs preſuris, & ærumnis vexatus vita functus eſt.* Sed vt ad Cryſapium redeamus: Impius quidem necis, malorumque omnium Architectus condignas tandem ſcelerum pœnas exoluit: Vbi enim Theodoſius ſe fraudibus circumuentum, deceptumque agnouit in primis à ſe Beatum Antiſtitem ſua è ſede exturbatum fuiſſe, indoluit, ac ſatis Deo per pœnitentiæ opera, vt par eſt, facere aggreſſus in ſcelerum auctorem vltionis gladium perſtringens, eumdemque honorum inſulis, boniſque omnibus & vita pariter priuauit: ſed Nicephorum iſthæc enarrantem conſulamus.

S. Flauianus ſine cauſa exauctoratus.

Baronius to. 6. an. 449. num. 94. Liberatus Poeniol. cap. 12. Prouocat ad ſedis Romanæ iudicium

Flauiano laudes ac memoria celebris. *Menologium Græcorum, ſ die 18. Febr.*

In exilio ad Deum migrat.

Fraudes Eunuchi tandè Theodoſio innoteſcunt.

50. *Deinde verò Theodoſius, vbi re ſecum perpenſa ſe Cryſapij aſtutia deceptum eſſe comperit, per quem grauiter, & impietatem in Flauianum perpetratam, & alijs Epiſcopis nefariè illatam contumeliam, & condemnationem tulit. Et cum dolori ſuo mederi non poſſet, in Cryſapium legittimum, iuſtumque effudit furorem. Itaque illum primùm dignitate, mox etiam ſubſtantia omni ſpoliatum, in inſulam quamdam relegauit. Cuius iudicium, quod cæleſtis quoque calculus comprobaret, in mari nauigantem aſſequutus eſt.* Hæc ille in improbum, rapacemque Theodoſiani cubiculi Eunuchum, quem vt potè indignum latè, inuiſumque terræ onus, in mari denique ſubmerſum aſſerit. Sed aliter omninò Marcellinus in ſuo Chronico ſub huius anni Coſſ. de Cryſapio malorum auctore, apteque in rem noſtram ediſſerit: *Cryſapius Eunuchus Pulcheriæ, Theodoſij ſororis nutu, ſua cum auaritia interemptus eſt.* Sed quomodo pijſſimæ fœminæ, ac æqui amantis nutu ad repoſcendas iuſtas ex eo pœnas, Eunuchi cædes obtigerit; Cedrenus his verbis inculcat. *Pulcheria autem iniuſtiſſimum iſtum Eunuchum Cryſapium Iordani tradidit Ioannis filio, quem illò dolo necauerat, atque Iordanis vicem rependit;* hæc ipſe *Ità planè* (Baronius ait) *qui inimicitias exercuit cum Flauiano, & in eis tùm Theodoſium, tùm Eudociam Auguſtam implicauit, atque illi nocendi cauſa hæreſiarcam in eum excitauit, & Dioſcorum ad omne ſcelus impulit, meritas pœnas exoluit.* Hæc Baronius. In Cryſapij igitur auariſſimi male ſanum caput doli, ac diſcordiarum

Theodoſius ſe a Chryſapio circumuentum agnoſcit. *Nicephorus vbi ſup. Baron. tom. 6. an. 450. n. 12. & 13.*

Bonis proſcriptum in exilium deportari iubet.

Marcellinus in Chronico. Auarus cum ſuis cupiditatibus in mari demerſus.

Cedrenus. Odiorum ſator hoſti deditus perit.

Baron. vbi ſupra.

Doli, ac fraudes in auctorem ipſum vertuntur.

Deo

Digitized by Google

Deo vlciſcente machinæ recidere, & qui auaritiæ impietatem iunxerat vna cum ſanguine, tum quod biberat aurum regeſsit, tum ſacrilegæ impietatis reatum, Principis gratia in odium commutata luere compulſus eſt; vt funeſto eius exemplo auari homines, ab auro ſitim, atque à muneribus, ac impietate manum, animumque cohibere diſcant; ſed vt reliqua proſequamur.

Iuſtinus Imperator ſua auaritia imperium labeſactat. *Baron. tom. 7 an. 582. n. 7.*

51. Iuſtinus quoque Imperator, auaritiæ ſupramodum deditus, pro lucro tamdem ſeipſum perdidit, ac Romanum Imperium ob res turpiter geſtas labefactauit. Enim verò cùm annos ſexdecim, nouemque menſes cum dimidio, in adminiſtrando Imperij clauo exegiſſet, malorum diues cumulo infauſtum è vita exitum ſortitus eſt. Et ſi quidem cùm inter regiminis initia bonus, ac laude dignus fuiſſet, ſub ſceptro abortum faciens, in prauos deinde corruptoſq; mores declinaſſe conuincitur, ob quæ iuſta numinis vltione perculſus vita ſimul, ac regno, poſtquam diù expectatus eſt, priuari tandem meruit: Verùm, vt perditos vitiatoſque, auaritiæ potiſſimum ſtudio, principis mores expendamus, hos apud Miſcellam ſatis luculentèr deſcriptos his verbis videre eſt: *Hic Iuſtinus in initio Imperij ſui bonus fuit, poſt in omnem auaritiam incidit, contemptor pauperum, Senatorum ſpoliator: cui tanta cupiditatis fuit rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat auri talenta congregaret.* En tibi vt percitus auri coaceruandi deſiderio Principis animus, in omnẽ protinus vitiorum, ac ſcelerum labem ſe præcipitem dedit. Ingentem verò pecuniarum vim, quæ à Iuſtino malis artibus coaceruata fuerat, Tyberius ſubindè nil apud ſe ex iniquè partis conſiſtere paſſus, inuita licet, ac reclamante coniuge; munifica vltrò manu profundere, ac pauperibus erogare ſategit, vt Turonenſis de theſauro à Tiberio Imperatore adinuento his verbis narrat: *Cum Tiberius multa*, inquit, *de theſauris, quos Iuſtinus aggregauit pauperibus erogaret, & Auguſta illa eum frequentiùs increparet, quod rem publicam redegiſſet in paupertatem, diceretq; quod ego multis annis congregaui, tu infra paruum tempus prodigè diſpergis: Aiebat ille* (non deerit fiſco noſtro) *tantùm pauperes eleemoſinam accipiant, & captiui redimantur: hic eſt enim magnus theſaurus, dicente Domino: Theſaurizzate vobis theſauros in cælo, vbi neque erugo, nec tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur: Ergo de quo Deus dedit congregemus per pauperes in cælo, vt nobis Deus augere dignetur in ſæcula, & poſt multa deambulando per palatium tabulam marmoream cruce obſignagnatam videns, & indè honoris gratia crucem ne pedibus protereretur, tollendam præcipiens, theſaurum, qui latebat, inuenit: Qua, inquit, ablata, inueniunt magnum theſaurum habentem ſupra mille auri centenaria, ſublatumque aurum pauperibus adhuc abundantiùs* (*vt conſueuerat*) *ſubminiſtrat.* Hæc Gregorius, qui & de alio theſauro ſubdit, quem Narſes ſecretiore loco condiderat, ab ipſo Tiberio in eleemoſinarum prœmium, quibus operam dabat, diuinitùs adinuento Miſcella, & Paulus Diaconus fidem faciunt, ad quos lectorem amandamus.

Auaritia diues malorũ vitiorumque officina.

Miſcella, lib. 16.

Abortum ſub ſceptro facit.

Ferreis arcis aurum includit.

Male partas opes relinquit Tiberio.

Greg. Turonenſ. lib. 5. c. 19.

Sparguntur ab hoc fælicius in pauperes.

Digniſſima Chriſtiano Cæſare vox

Liberali, ac munifico in pauperes Deus præſto eſt.

Qui liberaliter pecuniam diſtribuerat, latentes theſauros offendit.

Miſcella lib. 17. Paulus Diac. de geſtis Longobard. lib. 15 cap. 6.

52. Porrò Iuſtinus ſub extremã vitæ periodum hæc Tiberio Imperatori, ſenatu, ac Eutychio Patriarcha, vt Cedrenus, & Miſcella ſcribunt, adſtantibus, magni ad inſtruendum hominem

minem

minem, & principem ad Imperij Inſulas prouehendum momenti verba edixit: *Ecce Deus, qui benefecit tibi; hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, vt tu quoque honor eris ab illo. Honora matrem tuam (Sophiam Auguſtam intelligens) quæ aliquando domina tua fuit. Noſti, quod primum ſeruus eius fueris, nunc autem filius. Non gratuleris in ſanguinibus, nec communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ mihi ſimilis efficiaris. Ego enim, vt homo culpaui, etenim culpabilis factus ſum, & recepi tamen peccata mea, ſed cauſam habeo cum his, qui mihi fecerunt ante tribunal Chriſti. Ne eleuet te habitus quemadmodum me. Sic attende omnibus ſicut tibi. Scito quis fueris, & quis modò exiſtas. Ne Superbias, & non peccabis. Noſti quis fuerim, & quis factus ſim, extiterim, & exiſtam Omnes iſti filij tui, & ſerui.* Et poſt multa, ad continendum in officio inſulis auctum imperialibus hominem, ne ſui oblitus, atque aliorum curam negligens, aliquãdo concideret, iſthæc addidit: *Exercitus curam geras: Molles, & imprudentes ne præficias, neque eo tibi perſuadeant, quod priores te tales Imperatores fuiſſe dicent. Hæc tibi præcipio, meoque edoctus malo hortor, vt ijs ſtes. Qui habent ſubſtantias, fruantur eis: his verò, qui non habent dona. Et facta oratione à Patriarcha, cum dixiſſent omnes, Amen: tecidit Cæſar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: ſi vis, ſum; ſi non vis, non viuam; & Imperator: Deus ait, qui fecit cælum, & terram, ipſe omnia, quæ dicere oblitus ſum, in cor tuum mittat. Porrò dum hæc proſequeretur Imperator, replebat lacrymis totum Collegium*, Hæc ibi. Eadem verò Cedrenus, qui & hæc addit: *Cæterùm morbo ingraueſcente, haud multò poſt, vitam concluſit: Corpus verò in Heroo Iuſtiniani depoſitum eſt in arca Proconneſia, iuxtaq; Sophia vxor eius.* Ex quibus hominem præ auaritia in pauperes diuinitùs percuſſum, præſentemque iam numinis vltionem agnoſcentem, profitentemque videre eſt; adeò vt, dum iam infeliciter vitam finiret, præterita cupiditatum ſuarum ſcelera incuſaret. ſed an ex corde reſipuerit, à curioſo lectore Scriptores conſulendi ſunt: quidquid autem illud ſit, certè quidem in auaritiæ probrum, homo vita, ac imperio infeliciter excidiſſe comprobatur: ſed vt ad alium eiuſdẽ farinæ hominem ſtylum conuertamus:

Iuſtini ad Tiberium extrema monita.

Peccatis tãtum ſtipatũ ad diuinum tribunal ituꝛum dolet.

Digna Principis ſub vitæ finem. *Miſcell. lib. 16.*

Deteſtatur rapinas, & liberalitatem conſulit.

Sapidũ Tiberij Principis reſponſum: *Cedrenus in Iuſtino.*

53. Guarnerius vir præ cœteris auarus, turpibus apprimè lucris intentus, Theodorico Francorum Regi, in regijs repetendis tributis exactor duriſſimus fuiſſe deſcribitur: cùm enim Rex ſubditorum crumenis euacuandis, corradendiſque ab eorum manu pecunijs totis neruis inſiſteret, ad id potiſſimum operis, viros improbos, & præcipuum inter hos Guarnerium delegerat. Verùm cum is ad Bituricenſem Vrbem, durã æquè, ac iniquam obiturus Prouinciam ſe contuliſſet, Auſtregeſilum Epiſcopum, ſanctitate conſpicuum ſibi obnitentem nactus, dum acriùs operi inſiſtit, ac pecunias vndique à ciuibus vel inuitis per fas, ac nefas extorquere contendit, tremendo Dei iudicio, alter veluti Arius effuſis vltro viſceribus, qui ex ſubditorum propè viſceribus aurum vi, rapiniſq; extorquebat, infeliciter interijt, ac B. Auſtregeſilum, etſi iam mortuum, apud Deum tamen adhuc contra iniquos impiorum conatus incunctanter ſollicitum, ſuiſque prædandi ſtudijs obluctantem expertus eſt. Sed res ex eiuſdem B. Epiſcopi Auſtregeſili actis, quæ

Guarnerii quæſtoris auari exemplum, *Baronius to. 9. an. 611. num. 3. & 4*

Exactores duri, & pauperibus onerosi ſanguine pœnas exoluunt.

Sancti apud Deum pauperum Iniurias vindicant.

Digitized by Google

quæ apud Surium fidelitèr recenſentur, hic repetamus:

Acta B. Auſtregeſili Epiſcopi cap. 12. apud Suriũ die 20. Maij.

Eiuſdem in Bituricenſes rapinæ.

54. *Cùm adhuc in humanis ageret B. Auſtregeſilus, tanquam paſtor bonus, curam Eccleſiæ, & plebis ſibi commiſſæ quotidie peruigilem gerebat, eamque à luporum faucibus ſeruare ſtudebat. Accidit autem, vt ex palatio Theodorici Regis, ipſo Rege permittente ad Vrbem Bituricenſem accederet Guarnerius, homo ſæuiſſimus, auaritia, & turpi lucro addictus, ſuperbia tumidus, ab ea Vrbe pecuniam Regis nomine, quam dare non conſueſſet, exacturus. Permoti ciues inſolito onere omnes ad Beatum Auſtregeſilum confugiunt, orant, vt hanc vim ab ipſis propulſare velit. Vir Sanctus ad Deum ſe confert, diurnis, atque nocturnis precibus eius aures continenter pulſat, vt populum ſuum hac vexatione liberaret. Iam ad Vrbem aduentabat miſer ille Guarnerius, & ad eum exit Sanctus Epiſcopus, atque pro commiſſa ſibi plebe murum ſe opponit, paratus etiam ſi res poſtulet, Chriſti exemplo pro hoſtibus ſuis animã ponere; dicit Guarnerio: Vnde venis homo improbe, & quid facere inſtituiſti? Non permittat Deus, vt in hanc intres Vrbem, & Ciuium cenſum agas.*

Populares ad virum Dei pro ſe ſuiſque preces.

A B. Auſtregiſilo repulſus.

55. O virum planè Apoſtolicum, ac paſtorali dignum munere, quia pro ſuis ouibus excurrenti imperterritus prædoni ſeſe vltrò offert promptus, paratuſque ad tuendum eas ipſius impendio vitæ, aurum ſeruando, ipſummet ſanguinem profundere. Sed reliqua, quæ ad prædonem ſpectant proſequamur: *Tùm verò Guarnerius acri ira commotus, quod inuiſo Epiſcopo non poſſet Regis, & ſuam explere voluntatem, furibundus ad Regem abijt, nunciat illi renitente Auſtregeſilo Epiſcopo, quod ipſe iuſſiſſet, ſe facere non potuiſſe. Intereà verò beato fine Auſtregeſilus quieuit in pace.* Vir autem diuinus, qui ſacerdotali conſtantia homini ad iniqua contendẽti, ac regio iuſſu pecuniarũ rapinis inhianti viuens obſiſtit, commiſſam ſibi ab improborum vnguibus plebem tũc tueri non deſtitit. Quod vel etiam poſt mortem ouicularum Chriſti acerrimus apud Deum propugnator effectus ad retundendam Guarnerij rapinę inhiantis temeritatem præſtitiſſe legitur. Quid igitur eiſdem in actis ſcriptor ſubtexit; audiamus:

Acta B. Auſtregeſili vbi ſup.

Sanctum præſulem accuſat apud Regem.

56. *Eius Diaconus Sulpitius illi ſucceſſit. Redit poſtea Guarnerius executurus ſub Sulpitio, quod ſub Auſtregeſilo non poterat. Sulpitius verò anxius ad Dominum confugit, ab illo conſilium rei benè gerendæ petens; erat enim vir mitis, & lenis, hominiſque violentiæ vt reſiſtere poſſet, non videbat. Deinde Guarnerium adit, orat, vt qui ſub ipſius deceſſore ab huiuſmodi onere immunes fuiſſent, illos etiam ſuis temporibus pateretur ſolita gaudere libertate. At Guarnerius homo ferus viri Dei preces contempſit. Dixit itaque illi Sulpitius: Siquidem contra ius, & fas tua eris potitus voluntate; non diu tamen impunè feres. Ille verò in Vrbem ingreditur, facit vt erat iuſſus, omnibuſque pro voto expeditis, corpore non animo adit S. Auſtregeſili Eccleſiam, tanquam preces illic oblaturus.* Vidiſti hominem, vt regijs morem gereret imperijs, nec precibus, monitiſque præuentum ſuas à præconcepta rapinarum nequitia manus cohibentem: ſed videas nunc iuſtam, inflictamque deſuper auari ceruicibus vltionem: *Vt vidit autem monumentum Sancti viri a fidelibus Chriſtianis auro, argentoque mirificè exornatum, dixit arrogantiſſimè: Auſtregeſilus aurum ſuum, & argentum in pauperes erogare debuit, non iubere, vt ſuum ſepulchrum illo tegeretur. Non hoc ille* dice-

Iterum redit Bituricenſes expilaturus regio nomine

Acta S. Auſtregeſili apud Surium die 20. Maij.

Diuinas iras a Sulpitio incẽtatas ſperſnit.

Patientia Dei, in iras vertitur.

Acta vbi ſup.

Indignatur fulgere auro ſepulchrum S. Auſtregiſili.

dicebat, quòd ei curæ eſſent pauperes, ſed inſtar Iudæ proditoris, auaritia æſtuabat. Poſtea à ſepulchro viri Dei diſcedens, orationis cauſa altaria circuibat. Cùmque in ipſa Baſilica ambularet; lignum quoddam, ad quod vela ſuſpenſa erant, ab alto ruit ſuper caput eius: Manauit igitur ſanguis à capite per oculos, & barbam, & ad terram vſque defluxit. Et miſer ille clamauit, voce qua potuit: Auſtregeſilus dum vixit ſemper in me hoſtili animo fuit, & iam mortuus me propè interficit. Ita infelix, nec culpam agnouit ſuam, nec à beato viro veniam petijt, imo verò feruens malitia Auguſtodunum ire conſtituit, vt eius loci Epiſcopum perderet. Quid autem auaro iſto homine ſceleſtius, qui pænam, quam merito patitur, nullatenus agnoſcens, linguam in virum ſanctum petulanter exerit ipſemet, qui in ſacra fidelium manu oblata dona pridem manum exeruerat; ſed iam prædoni à tergo, & ſi alio iter diuerteret, vltio aderat. Hæc enim ijſdem in actis:

Diuina percutitur vltione, nec reſipiſcit.

Auarus culpam non diluit, ſed magis auget oblatrando.

57. *In ipſo autem itinere, in pago quodam, cùm omnes recubuiſſent, ſurrexit à menſa, & ad exonerandum ventrem ſeceſſit. Interim ſomno correptus obdormit: euigilans dicit aſtantibus: Auſtregeſilus, & Sulpitius hac hora vrceum aureum miſerunt mihi; Quis veſtrum habet illum?* Ita rapiendi miſer cupiditate illectus, illuſuſque aurum iugiter ſitiens, rapienſque, vel dum ſuo obdormit in lectulo aurum ſomniat, aurum cogitat, aurum loquitur. Rapinis quippe inhians, vel dum ſomno correptus quieſceret, aurum, quod abraderet, oculis atque animo intentus meditabatur, ſed immitis, ferreiſque viſceribus in pauperes, euiſceratus tandem, quod rapuerat aurum, egerere coactus eſt; hæc enim in actis:

Acta S. Auſtregeſili vbi ſup.

58. *Negantibus illis ſe quidquam huiuſmodi vidiſſe, ſua verba repetijt, neſciens quid diceret. Mox verò inteſtina eius, & viſcera omnia in cloacam deciderunt, eaque nocte vitam perdidit. Ex eo tempore nemo auſus fuit regiorum miniſtrorum ab Vrbe Bituricenſi eam pecuniam extorquere, abſterrente omnes tam diro interitu illius, qui talis primus auctor fuiſſet.* Hæc apud Surium; Ex quibus immenſam barbari prædonis exæſtuantem, nulliſque coercitam terminis cupiditatem, probè intelligis, adeò enim in præceps ferebatur, vt nec ab ipſiuſmet Eccleſiæ donis, pijſque ſarcinis deuota fidelium manu oblatis, dicatiſque Deo ſacrilegam infelix manum contraheret. Congruæ igitur vltionis gladio perculſus viſcera effudit, qui omnem humanitatis ſenſum, ac pietatis viſcera exuens, aurum duntaxat ſua intra viſcera conflare, ibidemque, ne alter præriperet, abſcondens tutò reponere ſatagebat. Quis autem neſcit, diuitias, vt plurimum in ſuimet domini, ac poſſidentis perniciem cumulari? Diuitiæ enim iniquis congeſtę artibus humanum non tam replent animum, quàm, vt ait Apoſtolus, *Mergunt hominem in interitum*. Auſtregeſilus verò, qui ſignis, ac virtutibus præcipuus fuit, vbi Guarnerio expilatori dum viueret, auri cupiditatem è corde medullitus auferre nequiuit, vel iam mortuus ſcelerum vindex contra eum in arenam proſiliens, diuino nutu vitam potenter abſtulit. Sed vt ſuſceptum de auaris ſermonem proſequamur:

Viſcera immiſericors effundit in cloacam. Acta vbi ſup.

Diuitiæ ſæpe ſui poſſeſſoris proditrices.

1. Timot. 6. 9.

58. Nicephorus Phocas Imperator, auri coaceruandi auidiſſimus inter cæteros recenſendus hic eſt, qui tributis populos exhauriens, ſe cunctis oneroſum adeò, inuiſumque reddidit, vt vix populis patienter ferendus

Nicephori Phocæ Imp. inſignis auaritia & triſtis exitus. Baron to. 10. an. 969. n. 4.

dus videretur; cum publicum enim auri vectigal indixiſſet, à ſingulis ſubinde nullo excuſationis prætextu omnimodis exigendum curauit, ſæuiſsimis operi præfectis viris, qui regiæ morem gerentes cupiditati, vt Principis gratiam nundinarentur, nec Monaſterijs, nec Monachorum cœtibus, domibuſque parcebant; ſed tandem aurum, quod violenta à Monaſterijs manu rapuerat, per ſua vulnera gladijs confoſſus reddere cõpulſus, infeliciſsimè vitam abrupit; cum primũ igitur totus eius exercitus, bello attritus, deuictuſque fuiſſet, Conſtantinopolitanus populus amouendæ intolerandæ tyrannidis, excutiendique à ſe iugi occaſionem nactus, eumdem occidit: ſed Vutichindum iſthæc his verbis narrantem excipiamus:

Eius exercitus in Italia caſſus. *Vuitichindus in Nicephoro.*

59. *Græci autem præterita victoria elati, & minùs cauti ceciderunt in manus eorum; ex quibus innumera multitudine cæſa, qui ſupererant, capientes, obtruncatis naribus, nouam Romam remeare permiſerunt, tributum in Calabria, & Apulia extorſerunt, talique victoria illuſtres facti, & ſpolijs hoſtium ditati ad Imperatorem reuerſi ſunt. Populus autem Conſtantinopolitanus à ſuis audiens malè pugnatum, conſurrexerunt aduerſus* Imperatorem *ſuum, & machinatione coniugis propriæ cuiuſdam militis inſidijs occiderunt, loco autem domini militem deſignantes: fuit iſte Ioannes cognomento Zemitres. Conſtitutus autem Rex continuò captiuos abſoluit, puellam cum magno exercitu, & claris muneribus ad* Imperatorem *Ottonem deſtinauit. Quam ipſe ſtatim filio tradidit, celebratiſque magnificè nuptijs omnem* Italiam *ſuper hoc, & Germaniam lætiores reddidit.* In eiuſmodi vero calamitatẽ improba auri ſitis Romanorum Imperatorem perduxit, innumeriſque malis deuouit.

Cõiugis hortatu a Zemitre necatur

60. Hic profectò finis Nicephori apprimè inter Principes pecuniarum amatores cupidi, rerumque Eccleſiaſticarum ſacrilegi, vt Baronius adnotat, inuaſoris, qui antequam huiuſcemodi ſacrilegis ſemetipſum facinoribus turpiter obſtringeret, inquinaretque, vix dici poteſt, quot, ac quantis paucos intra dies e Sarracenis fuerit auctus, Deo aſpirante victorijs: ſed vbi violentam ad Eccleſias deprædandas manus protendit, omnibus bonis exutus, calamitatibus quoque permultis obnoxius euaſit, infenſumque ſibi Deum ſeueriſsimũ vindicem expertus eſt. prout de eo Græci omnes hiſtorici aſſeuerant, ipsũ videlicet ob ſacrilegiorũ, quibus ſe cõtaminauit, probra malè perijſſe, ſuoque ſancitam exemplo principibus reliquiſſe diſciplinam, vt ſuo Baronius ex more luculenter adnotat, demonſtratque legentibus.

Baron. vbi ſupra.

Antequam Eccleſias diriperet Saracenos ſæpe contuderat

61. Et hic quidem poſt Romani Imperatoris obitũ electus eſt, vt Curopalates his verbis tradit: *Tamen* (inquit) *affectantibus alijs* Imperium, *Nicephorus Phocas clarus victorijs ab exercitu* Imperator *acclamatus, & Conſtantinopolim conuocatus, hoc eodem anno decima ſexta menſis Auguſti* Imperator *à Polyeucto Patiarcha coronatur.* Atqui multa, ac magna quidem Nicephorus inter ſui principatus primodia laudabiliter præſtitit, quibus Imperiales feliciter inſulas auſpicatus, ſuum immortalitati nomen dedicaſſe viſus eſt: *Sed vbi deſertor factus eſt*, (vt ait Baronius) *pietatis, deſertus & ipſe à Deo, longè imparibus progreſſibus ad finẽ inglorius peruenit.* Quænam verò iſta fuerint, ob quæ diuinam iram incurrit, ſcriptores potiſsimũ, qui res Græcorum proſequuti ſunt, ſingillatim enumerant, inter quos Curopalates

Baron. an. 863 numero 43. Curopalates in Nicephoro.

Baron. an. 964 n. 32. Fœlicia illius Imperii auſpicia.

lates antiquitate præcipuus, dum cauſas retexit, cur adeò de publica optimè meritus re, tot ciuitatibus, totque prouincijs Saracenorũ tyrannide excuſſa, priſtinam in libertatem vindicatis, apud omnes tamen eſſet inuiſus, hæc meminit:

Curopalates in Nicephoro.

62. *Primùm enim* (inquit) *quando initio delatum ad ipſum eſt imperiũ, infinitis iniurijs laceſſentibus populum ipſius militibus, nullam rationem habebat, quod diceret, nihil mirum ſi in tanta populi frequentia aliqui indignãtur, & rurſus Vrbem ingreſſus, multis, tùm nobilibus, tum priuatis correptis, nullam ſontibus infligebat pænam, ſed abſurda, & turpia deſpiciebat, triumphans laſciuijs, quibus intemperantes homines addicti malè ciues afficiebant, præſertim, quorum haùd mediocri opera fuerat vſus ad res recuperandas. Deinde quoque crebro ad exigenda tributa, malè ſubiectum ſibi populum vexabat, non ſolùm noua imperando tributa, & ex omnibus rebus exactiones; verùm etiam haud tolerandis prædis, præter ea, quæ diximus, adempta etiam eorum munerum, quæ conuocato Senatui præberi conſueuerant parte, quod ſe ad bella pecunia indigere aſſereret.* Cuius potiſſimùm rei obtentu vir tam auidus, quàm ſacrilegus prophanas in ſacra, ac penitùs inconceſſa Imperatori manus iniecit: Quæ ille ſcriptor retexens ſubdit:

permiſſa ab ipſo effrænata militi licentia.

Curopalates in Nicephoro. Eiuſdem in exigendis vectigalibus acerbitas.

63. *Inſuper, quæ conſueta præberi dona ſacris domibus, ac templis, quæ moueri nefas erat, vſurpabat, malè aſſerens ab Epiſcopis pauperum pecuniam conſumi, milites inopes eſſe, & quod omnium grauiſſimum eſt, legem quoque tulit, cui quidem inſtabiles Epiſcopi, & adulatores ſubſcripſere, ſtatuentes non eſſe, aut decernendum, aut eligendum Epiſcopum ſine illius conſilio, & iuſſu. Mortuoque Epiſcopo, regium hominem miſſum iuſſit in funere præfinitos ſumptus facere, at ea, quæ ſuperfuere accepit, & alia quædam ſtatuit omnem neceſſitatis formam exuperantia, quæ vt ſigillatim percurrantur, & magnam mentem, & loquentem linguam requirunt.* Hæc Curopalates, eademque ex ipſo totidem verbis Cedrenus, Zonaras, Glicas, & reliqui recentiores, vt Baronius adnotat, ſacrilegum hominis facinus, vt par eſt, execrantes. Illa inſuper Epiſcopi Leucatenſis querela, palam deſcribitur, quòd ſua in ſingulos annos Eccleſia Imperatori Nicephoro ſupra centum aureos pro tributo penderet: quod item aliæ Eccleſiæ plus, minuſque ſecundum vires regio fiſco ſoluentes præſtitere.

Curopalates vbi ſup. Eccleſiarum opes expilata.

Epiſcopos ſine ſuo nutu creari vetat.

Cedrenus, Zonaras, Glicas in Nicephoro. Leucatenſi Eccleſiæ centum aureorum vectigal annuum imponit.

64. Verùm enim verò, quoniam de immenſa, qua inſanus Princeps auri coaceruandi cupiditate tenebatur, & quæ ſupremum illi exitium peperit, hic ſermo eſt, vt innumera, intolerandaque prorſus tributorum, quæ ſuis indixit, onera in mentem reuocentur; vnus præ cæteris Curopalates conſulendus videtur, qui iſthæc ait: *Et nummum imminuit excogitato eo, qui quadrans dicitur, & ex eo tempore duplicato numiſmate exactio publicorum tributorum grauiùs poſtulabat, cum verò erogandum aliquid eſſet, leuiùs diſtribuebatur.* Hæc ille. Eadem ferè Cedrenus, Zonaras, & alij. Ex quo illud antiqua obfirmatũ conſuetudine; vſuq; apud Imperatores receptum eſt, vt pro indicti penſitatione tributi, certũ, ſiuè grauius, ſiuè leuius, Imperatoris arbitrio, numiſma præſcriberetur, quod in primo Annalium tomo, ex Lampridio Baronius ſatis luculentèr ediſſerit.

Curopalates in Nicephoro Cedrenus Zonaras. Aucta duplo a Phoca, tributa.

Baronius tom. 1 Annalium.

65. Porrò & illud potiſſimùm Nicephoro in cauſa fuit, cur inſenſos ſibi Ciuium animos reddidit, opus videlicet noui Imperialis palatij ædificandi, cui manus admouerat; tunc

Eiuſdem in palatio amplificando ambitio.

enim

enim non abſque ingenti publicarum ſubſtructionum,quas demoliri oportuit, iactura, vt res ſibi ex voto, & regia,vt par erat, maieſtate procederet, conſpicua, ac nobiliora, quæ adiacebant, florentiſſimæ Vrbis ædificia dirui, ac ſolo æquari contigit: hæc enim Curopalates: *Offendit eum* (inquit) *præter alia ſuperius numerata, muri palatiorum conſtructio; Multis enim circa palatium magnificis, & pulcherrima arte elaboratis ædificijs euerſis, artem tyrannicam contrà miſeros ciues condidit, officinis intùs, ac horreis, & equorum ſtabulis, & fornacibus extructis, cibarijſque completis. Ei enim prædictum fuerat, intra palatium ipſi moriendum eſſe, ignorabatque miſer, niſi Dominus cuſtodiat ciuitatem, fruſtrà vigilare, qui cuſtodit eam. Nam perfecto muro, ipſe eadem die interijt, quando claues is, cui hæc cura commiſſa fuerat, ei illatas tradidit.* Hæc Curopalates, dum conflatam aduerſus Nicephorum ab amarulentis ciuium animis inuidiam, odiumque edocet, quibus Cedrenus iſthæc addit: *Quo tempore* (inquit) *murus palatij condebatur, nocte quadam per mare ſubuectus aliquis ita vociferatus eſt: O Imperator, erigis muros? & tamen ſi vel ad cælos eos educas, intus cùm ſit malum, vrbs captu facilis eſt; qui hæc dixit, diù, multùmque quæſitus, non tamen inuentus.* En tibi quæ, & quanta homini in ſtabiliendis manuum ſuarum operibus, munimentorumque ad ſe contutandum machinis ſollicite extruendis deliranti impenſa, etſi fruſtrà, vt ſe à malo corrigeret, monita è cœlo affulſerint; ſed quis effrænem Principis cupiditatem ſiſtere, & exlegem à ſceleribus, intéperantemq; cohibere animum potuiſſet, cùm Ioſue, ad cuius imperium Sol ſtetit, improborum hominum, ne ſerperet, auaritiã ſiſtere nequiuerit? Ex quibus compertum ſit, hominem malè ſibi conſcium, inuſitato timori addictum, optimis ſe non tàm moribus, quàm muris aduerſus hoſtes præmunire conatum, ſolidiſque ad regium tutandum caput propugnaculis erigẽdis, ſtabiliendiſque inſtitiſſe. Ad quod Imperator ex eo maximè permouebatur, quòd præoſtenſo ſignis haud ambiguis diuinitùs oraculo, ſe in palatio periturum didicerat; hoſtili videlicet manu, quemadmodum vir ſceleribus obnoxius, nec parum ſibi a ciuibus, nec minùs ab hoſtibus timens, ſeriò coniectabat; ſed cùm illud diuinarum ſcripturarum oraculum decantatũ ſit: *Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia*, haud mœnijs, haud murorum præſidijs probè impio homini conſultum fuit; eadem enim die, qua ſuprema recentibus muris manus à cæmentarijs fuit impoſita, infelicem muri ruina Dei nutu opprimi contigit. Non tam igitur muris, quàm ciuium moribus Vrbs, ac domus aduerſus hoſtes tutelare præſidium ſortitur, vt illis diuinitùs Nicephoro verbis prænunciatum vidimus: *O' Imperator erigis muros! Et tametſi vel ad cælos eos educas intùs, cum ſit malum, Vrbs captu facilis eſt*. Ita planè; *Mors quippè aſcẽdit per feneſtras*: & vbi iuſta Dei vlciſcentis indignatio exigit: *Calamitas opprimet portas*. Regiæ autem calamitatis, quæ ſub illiberali homine cunctis vberrimè malis redundauit, intẽperantis auaritiæ ſtudium, immenſaque auri coaceruandi cupido, cauſa extitit. Quibus vt nõnulla ad perſtringendam Nicephori auaritiam adijciamus; quantum in viro Principe vitiũ inualuiſſet, vel ex eo palam fit, quòd cùm inter cætera, quibus Orientale tenebatur Imperium, malorum incommoda, ingens frugum exorta eſſet caritas, auarus Imperator publicam in ſuum

Curopalates in Nicephoro

Tyrannidis arcem fruſtra munijt.

Prædictum illi in palatio moriturum.

Cedrenus in Nicephoro. Præmonitus fruſtra erigere muros cũ intus malum lateret.

Morum magis quàm murorum munimenta valuiſſent.

Sap. 17. 10 Quo die murus perfectus eſt ſua ruina illum obruit.

Baron. an. 694. n. 36. & 37.

Ieremiæ 9. 1

Publicæ penuriæ calamitatem in ſuum lucrũ verterat.

ſuum lucrum penuriæ deriuans calamitatem, & ac ſi ferrei eſſet cordis, nil prorſus ad miſerandum commotus, acerbiſſima in ſe ciuium odia concitauit, vt Curopalates his planè verbis enarrat: *Flarunt etiam venti menſe Maio, eadem vndecima indictione ſæui, & æſtuoſi, qui fruges vna cum ipſis vitibus, atque arboribus corrupere, ita vt inde, vſque ad duodecimam indictionem ingenti fame laboratum ſit, cùmque habenda eſſet ratio Imperatori ſalutis eorũ, qui ſibi ſubiecti erant, ille verò regium frumentum ſordidè, & illiberaliter vendens, ſtudenſque ciuium ſuorum calamitati gloriabatur, quaſi aliquid præclarè geſſiſſet, quod cùm modius numiſmate venderetur, ipſe duobus vendi imperaſſet, haud imitatus Baſilium Macedonem Imperatorem, qui nona Dominica ingreſſus in magnum Sanctorum Apoſtolorum templum, conſpicatuſque quoſdam ciues decoris veſtibus indutos, & graues, alios autem triſtes, & mæſtos ad ſe accedere iuſſos: Cur non etiam ipſi die feſto ſplendidas veſtes geſtarent, interrogabat, ſed velut in Vrbis magna calamitate lugerent? Cui vnus ex illis reſpondit: Te, ò Domine, eoſque, qui tibi proximi ſunt, decet ſplendidis veſtibus indutos gaudere, quibus verò iam mors imminet, eos talia dedecent. An ignoras, duos frumenti medimnos numiſmate venire, propter ventorum aſperitatem? Ad hæc altè ſuſpirans Imperator, miſericordia motus collacrymauit, eoſque multis verbis conſolatus in regiam redijt, ibique accerſitos ad ſe, qui ciuilia negotia, & regia munera obibant, infinitis probris, ac maledictis affecit, quod ſibi nihil de frumenti inopia indicaſſent, ſtatimque expoſito regio, & publico frumento, duodecim medimnos numiſmate vendi iuſſit. Cuius bonam mentem Deus approbans impertitus eſt multam hominibus abundantiam. Verùm ad illius laudem hæc dicta ſunt. Nicephorus autem magis gaudebat, quàm opitulabatur, cùm Ciues videret oppreſſos; Neque ipſe ſolus, ſed & Leo frater eius cibariorum mercaturæ addictus multis, varijſque calamitatibus orbem terrarum vexauit.* Ex quibus certè lector vides oculis, necdùm aure percipis inhiantem lucro, & à miſericordia abhorrentem Imperatoris, imo potiùs tyranni animum, & ſemetipſum, ſuamque inexplebilẽ pecuniarum cupiditatem, ſuorum iniurijs, & calamitatibus explere geſtientem; Nõ paſtor ille quidem, vt ex Homeri præcepto, eſſe debebat, populi ſui, ſed euerſor, ne dum ab occultis hominum in eius crudelitatem, rapacitatemque conuitijs, ſed a maturo, quod eum breui ſecutum eſt, exitio declaratus eſt.

Curopalates in Nicephoro

Duplicato pretio frumentum vẽdiderat.

Baſilij Macedonis in plebem charitas.

Diuina liberalitate comprobata.

Diſpar Nicephori cõditio.

66. Et cœca quidem habendi cupido, vbi ſemel hominis animum captiuum ſibi reddidit, tandem miſerabiliter in interitum præcipitem facere conſueuit; Quapropter aptis Apoſtolus verbis peſſimam hominis tyrannidem, veluti malorũ omniũ originem deſcribit, cum ait: *Radix malorum cupiditas*; Qui enim eiuſcemodi temporalium lucrorum deſiderijs animũ addixere, prius viuendi finem faciunt, quàm habendi cupiditatem expleuerint. Vt Reginhero contigit inter pecuniarum theſauros extincto, de quo iſthæc Lambertus apud Baronium tradit.

Cupiditas initium omnium malorum.

Ad Timot. cap. 6

Baron. tom. 11. an. 1066. nu. 13.

67. *Reginherus Miſinenſis Epiſcopus, dum ſuſcepto epiſcopatu Groslatiam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, vbi theſauros ſuos, quorum nimis amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululùm requieſcere volens ſeſe includit. Cùmque iam die vrgente in veſperam, præter modum, conſuetudinemque ſuam ſomno indulgere videretur, rem inſolitã mirantes Cubicularij pulſare oſtium cæperunt*

Lambertus Epiſcopus qui theſauros deperibat, inter theſauros periit.

perunt, ſed nec pulſantibus, nec vociferantibus vllum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes inuenerunt eũ fractis ceruicibus, colore tetro exanimẽ, ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem. Hæc Lambertus infelicem viri diuitijs inexplebili cupiditate inhiantis interitum deſcribens; quem non abſque manifeſtis, patentibuſque perditionis æternæ ſignis vitam clauſiſſe conſtat, de quo iſthæc Baronius in ſuis annalibus, poſt narratam ipſius Lamberti verbis rei hiſtoriam ſubtexit: *At quod Deus iuſtus iudex pro cuiuſque vitæ meritis ſtipendia digna perſoluit, quam terribilis ſit in conſilijs ſuper filios hominum hoc eodem anno, diro ſanè valde demonſtrauit exemplo, cùm in vltionem Epiſcopi auariſſimi dæmones carnifices præparauit.* Dæmones igitur acerbiſſimos pro diuitijs immanè congeſtis Epiſcopus iſte, dum plus pecunijs, quàm animabus lucrandis, procurandiſque, vt ſui par erat muneris, intenderet, exactores habuit, à quibus, cùm anima ad Dei tribunal repeteretur è corpore, illud Pſalmiſta oraculum diuitibus inculcaſſe viſus eſt: *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Vtinam ergo miſer cœlo, haud terræ, & virtutibus potiùs, quàm diuitijs animum ſalubriter addixiſſet.

Auarus ſuã tot congeſtis diuitijs ſitim explere nequit.

Baron. vbi ſup.

Dæmones auaris hominibus tortores ſunt.

Pſal.

68. Idem plane, & alteri contigit, dum diuitijs affluerent, eaſdemque deperiret; miſer enim tunc ſe oleum atq; operam in ijſdem coaceruandis perdidiſſe intellexit, cùm iam abiturus è vita diuitias, quas congeſſerat nil ſibi profuiſſe animaduertens, inuitus tamen eas relinquere coactus eſt, vt Lucas Pinellus his verbis tradit: *Diues quidam morti vicinus, diuitijs plus æquo addictus maxima cœpit affici anxietate, quod tantas iam congeſtas videret eſſe relinquendas diuitias, & nunc in hanc, nunc in illam lecti ſpondam ſe voluens ſuſpirabat, nonnunquam etiam leonis inſtar rugiebat. Magiſter Robertus Licius qui tunc ei aderat exhortari eum cœpit, vt animæ ſuæ prouideret. Ille verò, ò quantum, inquit, inſumpſi moleſtiarum ad conquirendas haſce diuitias, & nunc alij illis perfruentur. Robertus nihilominus eum admonere de anima ſua non deſiſtebat. Sed nimium ille erga diuitias affectus aliò eum cogitationes ſuas vertere non permiſit. Quare in priori perſiſtens ſententia: O diuitiæ meæ, inquit, quibus vos relinquo? quis vos poſſidebit? atque ita citra confeſſionem miſerrimè expirauit.* Quo facto illa planè Pſalmiſtæ verba intuẽtium animis proponi videbantur: *Dormierunt viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis;* Nil enim tandem præter labores, iugeſque animi moleſtias diuites ſuis è diuitijs colligunt, & præter reatum a quo ſe inter poſſidendũ obſtrinxere, nil penitus ſecum deferunt. Abeundum igitur è vita eſt, & nil prorſus è congeſtis diuitijs ſecum auferre quis poteſt.

Auarus ſe in coaceruãdis diuitijs operam perdidiſſe intelligit.

Lucas Pinellus lib. 1. de ult. vit. M.S. Robert. de Licio.

Dolet ſe à ſuis idolis moriendo diſtrahi.

Pſal. 76 6.

Diuites ſub mortem omnia perdidiſſe cum diuitijs fatentur

69. Quapropter opportunis (vt dictum eſt) Chriſtus verbis vſus, vt ab amore terrenorum animos diuitum compeſceret: *Vbi eſt* (inquit) *theſaurus veſter, ibi eſt, & cor veſtrum.*) Cupidos quippe homines auaritiæ addictos ſpem ſuam omnem in auro, ac theſauris conſtituiſſe, diuitiaſque pro idolo colere Apoſtolo edocente quis neſciat? *Auaritia* (inquit) *quæ eſt idolorum ſeruitus.* Quod ſanè illo decantato iam apud omnes B. Antonius Vliſſiponenſis exemplo docuit; enimverò poſt diuitis cuiuſpiam obitum, ad honorarias e ſuggeſtu concelebrandas de more laudes, funebrem inter pompam à gentilitibus defuncti euocatus, ſatis tritum ex Euangelicis tabulis Orationi argumentũ præſcribens. *Mortuus*

Matt. 6. 21.

Cur auaritia ſit idolorũ ſeruitus.

Luc. 16. 22.

tuus (inquit) *eſt diues*, & *ſepultus eſt in inferno*: Auarum videlicet diuitem, cuius mox præconia decantari debuerant, ſatis infeliciter deceſſiſſe verbis haud ambiguis affirmando. Sed rem ex eiuſdem geſtis excerptam audiamus.

Surius in vita S. Anton. de Padua n. 29. die 13. Iunij.

70. *In vſurarij cuiuſdam exequijs vir Dei concionaturus, thematis loco accepit illud ex Euangelio. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Sub concione autem inter cætera ait: Mortuus eſt hic diues, & ſepultus eſt in Inferno. Ite ad theſaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius corpore iam humato. Abierunt hominis parentes, & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt.* Et pauendum quidem, portentoſumque in Auaros diuites, atque vſuris deditos affulſit, tūc Dei iudicium; iſte enim infelix, qui excors iam in feretro iacebat, auaritia irretitus, vecors diù ac malè cordatus vixerat, & quia hominis animus diuitijs intemperanter congeſtis inhæſerat, eiſdem, vel poſt mortem cor eius palpitans incubare, certo iam perditionis indicio cernebatur. Cuncta quippe ſcelerum probra ſub vno cupiditatis vitio, ac turpi auaritiæ cæno anguium ad inſtar, ſub herba deliteſcere conſueuerunt, vt illud aptè carmen decantat.

Cor auari in medio theſauri repertum.

O triſte dānationis argumentum!

Monoſt.

Semper Auarus amat mendacia, furta, rapinas.

Quid amet auarus in ſuis nummis diuitijſque.

Auarus enim, qui diuitijs inhiat, crumenam potiùs, quàm conſcientiam curat, reſpicitque, & qui corde durus eſt cæteris, in ſemetipſum quoque crudelis eſſe deprehenditur.

71. Vt quid verò auaris diuitibus cōgeſtæ præſto ſunt diuitiæ? cū ſapiētis ore decantatum ſit: *Auarus non implebitur pecunia*. Et vix vnquam a coaceruandis, exugendiſque pecunijs, auidorum animus, ac manus pariter abſtineant; hi quippe cum inexplebili, vt magis in dies diteſcāt, conflandis nummis deſiderio incubent, dum ad vlteriora iugiter contendunt, iuſto tādem Dei iudicio vitam vna cum diuitijs ſua inter lucra amittunt. Quod Burgenſis auari æquè, ac diuitis exemplo comprobatur; hic enim cùm mutuam Monachis retento pignore pecuniam dediſſet, ac ſacram templi ſupellectilem ſibi oppignoratam ſeruaret, à Monachis, vt pro ſolemni recurrente Deiparæ Virginis die, Eccleſiaſtica, quæ apud illum ſeruabantur, ornamenta concederet, exoratus neutiquam aſſenſit; ſed pijs ſurdus vocibus, atque inexorabilis redditus, ipſemet pro ſacro pignore, quod impiè denegarat Deo, iuſtam ex eo ſcelerum vltionem exigente infelix vitam amiſit. Sed res ex Roberto eius temporis ſcriptore repetenda hic eſt:

Auari Burgēſis ciuis funeſtum exēplum.

Baron. to. 12. an. 1180. n. 1. & 2.

Robertus in hiſt.

72. *Erat quidem prædiues Burgenſis in loco, qui dicitur Rocca Amatoris à quo Monachi Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Amatoris mutuo acceperant pecuniam; tradentes illi in loco pignoris cortinas illius Eccleſiæ: Imminente autem feſto Genitricis Dei, & Virginis Mariæ rogauerunt prædicti Monachi Burgenſes, vt quas habebat apud ſe cortinas, ad ornandam Eccleſiam, tantæ ſolemnitatis completo tripudio ei reſtituendas, eis accomodaret; Ille verò aurem cordis habens obduratam, (vt alter Nabal Carmelus diues iniquus & ſtultus,) nulla quidem prece flexus eſt, ſed reſpondit eis cum tumore animi dicens, quòd eſſent cortinæ illæ, circa lectum coniugis ſuæ, quæ nuper ei puerū pepererāt, nec aliquātulū indè poſſent amoueri. Quid multa? tranſijt feſtiuus dies, & Eccleſia præfata ornatum ſuum feſtiualem non habuit. Sequenti verò nocte B. Maria mater Domini noſtri apparuit in ſomnis vxori prædicti Burgenſis, & dixit ei: Vir tuus* pec-

Sacrum ornatum ſibi oppignoratum denegat pro feſto B. Virginis.

1. Regum cap. 25.

Illi ſtultè vxorem præfert.

peccatum grande commiſit, nec poterit impietatis exceſſus derelinqui impunitus. Tertia enim die infans tuus ſpiritum exhalabit, & vir tuus debitum morti ſoluens in die octaua mutabit hanc temporalem felicitatem ſupplicijs æternis. En tibi quàm inſolens, quàm pertinax impius ſua inter lucra auarus iſte pecunioſus euaſerit, qui ſacram Deiparæ, cui iſthæc addicta erat, ſupellectilem, neglecto ipſiuſmet Virginis cultu, domeſticis, prophaniſq; vltrò vſibus deſtinauerat, atque vxorio excolendo talamo potiùs, quàm Virginis exornando ſacello inſeruire voluerat; Sed ſacrilegæ quantociùs pœnam temeritatis exoluit: Vxori enim, vt hiſtoriam nunc proſequamur, funeſta iſthæc ore Virginis innotuere.

Diuina vltio prænuntiata a B. Virgine filio viroque

73. *Tu autem proficiſceris ad Eccleſiam meam, quæ eſt in Bethleem, & circumſpectis ibi tribus ſepulchris, quorum quidem duo extrema, vacua non ſunt, medium tibi eliges in ſepulchrum. Interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te ſpiritus tuus, & decurret ab ore tuo, & naribus ſanguis multus, & vſque ad horam nonam ſabbati, veluti mortua permanebis. Sabbato hora nona ſpiritu redeunte, duces vtraſque manus tuas ſuper faciem tuam, & continuo priſtinus color, & fortitudo in te remeabunt.* Contigit autem, vt ſic, inquit Baronius, *in mentis exceſſu diuinas acciperet reuelationes.* His enarratis, quæ reliqua ſunt, & ad rei euentum ſpectant, à Scriptore his verbis ſubtexuntur:

Robert. vbi ſup. Et vxori itē ſua ob viri piaculum pœna non defuit.

Baron. an. 1180. vbi ſup. Minus peccāti minor infligitur pœna:

74. *Hæc loquuta eſt Beata Maria, & abſceſſit. Mulier verò præ timore turbata euigilauit, & ruminans ſomniū ſuum, cum magna ſollicitudine illud memoriæ commendauit. Craſtina autem illuceſcente die, cœpit ſomnium ſuum coniugi ſuo per ordinem narrare; miſer ſermonibus ſuis non adhibuit fidem, nec etiam cum videret ſpiritum deficientem in puero, de agenda pœnitentia cogitatum habuit. Sed morte præuentus in die octaua iuxta præoſtenſam viſionem in ſupplicium lapſus eſt gehennale.* Peſſima vtique, vt vides Auari, ac ſacrilegi in Deiparam hominis mors, quæ, licèt multò ante ex præoſtenſis diuinitus vxori renunciata, quo intentatis vir ille abſterritus minis, ſana potiùs mente ſuis rebus proſpiceret. Atqui contemptor virginis, dictorum quoque eius effectus contemptor, cuncta quæ prænunciata fuerant, ſomniorū, ac anilium inſtar fabularum auarus iſte habuit, obſirmatoque in peccatis homini nō tàm animi compunctionē, quàm riſum, quæ ſibi coniugis ore intimata ſunt, excitarunt. Sed quid poſt mariti obitum mulier præſtiterit, Roberto enarrante audiamus:

Robert. vbi ſup.

O ſaxeā hominis duritem ad verbera non reſipiſcentis!

75. *Perturbabatur mulier in alterius nece, & omnia ſicut per ſomnium monſtrata fuerant, in ſe nihilominùs intelligens accidiſſe, Romam ſub feſtinatione proficiſcitur, & rem ſummo reuelat Pontifici; præterea conſtanter aſſeruit, quòd inſequenti anno ab illo maxima fames ingrueret, & quòd ex corruptione aeris innumerabilis hominum multitudo moritura eſſet, & quod Clerum Romanum grauis animaduerſio feriret, niſi ab exercitio doli reſipiſcerent, ſub quo à multis retrò temporibus vſque in hodiernum diem laborauerunt.* Reuelationes quippè diuinitus exhibitæ, ſignis quoque, ac portentis, vt fidem apud homines mereantur, confirmari cœlitùs conſueuere, vt in ſacris paſſim Prophetarum oraculis videre eſt: ſed quo ad lydium veluti lapidem certiſſimè probetur, an quod reuelari cōtigit verum ſit, ex infra enarrandis ſat pio ac ſtudioſo lectori, vt arbitror, palam fiet:

Robert. vbi ſup. Mulier Romam profecta plura vaticinatur de imminente fame & peſte.

Reuelationes ſignis diuinitus præſtitis confirmantur.

At Dominus Papa volens manifeſtiùs

Digitized by Google

ſcire, ſi ſermones mulieris veritati inniterentur: commendat eam duodecim nobilibus matronis, dans illis præceptum, vt cum illa in mortem obdormiret per extaſim, plantis ſuis calentes ſubulas infigerent, nec ob id illa mouetur. Inſuper de ſanguine eius veſtimenta ſua tingunt: ſed omnis infectio facta per ſanguinem, in ſabbato nunquam comparuit, cum ſpiritus vitæ in mulierem remearet. Hucuſque Robertus, quæ ſicut Deo reuelãte præter omnem ambiguitatem per ſe certa, ita quemadmodum mulier numine afflata pridem nunciauerat, ac omninò veritati conſona extitere. Fuit autem perpetuò in Eccleſia (vt Baronius ait) iuxta Ioelis verbum, ad rerum arcanarum edenda myſteria prophetiæ ſpiritus: *Prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Et vt ſuus præſtitis è cœlo oraculis honor maneat, prophetias, quæ hominibus à Deo fiunt, nullatenùs eſſe ſpernendas Apoſtolus monuit; cum autem, quod hominibus Deo ſuggerente, prænunciatum eſt, adamuſsim euenire contingit, haud falſum, ſed veridicum, ſibique in edicendo vatem benè conſtantem fuiſſe, iureque optimo inter prophetas computandum, veluti à Deo miſſum, addubitandum non eſt. Quinimò vbi de prophetis agitur, diligenti priuſquam pro talibus recipiantur, approbenturq; trutina diſcutiendos diuina ſacrarum paginarum monumenta edocent. Propheriſſæ igitur huius ore, quæ ex Gallijs anno Chriſti 1180. ad Alexandrum Romanum pontificem, vt eius Spiritus, an ex Deo eſſet, diligenti ſcrutinio, experimẽtoq; innoteſceret, feſtina in vrbẽ contenderat, ſupernæ vltionis iudicium, quod auari hominis, ac diuitijs plùs nimio inhiantis capiti impendebat, prænunciatum fuit. Verum ſubindè totum, quod prænunciatum eſt, ad vnguem contigiſſe euentus comprobauit: Nam Burgenſis auarus, magiſque cenſu, quàm fide, ac pietate diues, inops tamen conſilij infauſtum viuendi finẽ fecit, vt planè in huius obitu, quod olim de Nabal canitur, adimpleri videretur: *Percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt, quod cùm audiſſet Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal.* Pari itaque iudicij, atque infelicitatis, calculo, ac inſignis alter Epulo: *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Nec vllam ſub vitæ finem, & ſi tempus ad pœnitendũ ſuppeteret, ſibi miſericordiam à Deo, qui miſericordiam alteri non fecerat, conſequi meruit.

Robert. vbi ſup.
Admirandus mulieris morbus.
Euentus rerum prænũciatis à Deo reſpondent.
Baron. vbi ſupra.
Ioelis cap. 2. num. 28.
Prophetæ variis temporibus excitati.
Ad Teſſalonicenſes 2.
Deuteron. cap. 13. 22.
Non ſpernẽda, ſed diſcutienda vaticinia.
1. Regum cap. 25. n. 38
Lucæ cap. 16. num. 22.
Infernus auarorum ſepultura.

76. Huic Caliphus Mahumeticæ ſectæ Magiſter, ac Doctor, iure merito ex annalibus Eccleſiaſticis aggregandus eſt, qui à Tartaris expugnata *an. Chriſti* 1258. Baldach ciuitate, (quæ regia Mahumeticæ ſuperſtitionis erat) ſub Halaono Tartarorũ rege barbarus æquè, ac auri cupidus deſcribitur; cùm enim immenſos ex prædis, alieniſque ſubſtantijs theſauros collegiſſet, infelicitèr demum vita, ac theſauris pariter orbatus eſt. Sed præſtat hic Aytonum iſthæc narrantem audire: *Obſedit* (Halaonus videlicet) *Ciuitatem Baldach, in qua erat Caliphus; qui magiſter erat, & Doctor ſectæ perfidi Mahumeti, fecitque Halaonus ad exercitum conuocari triginta millia Tartarorum, qui erant in regno Turquiæ, & poſtquam congregauit vndique gentem ſuam, inſultari fecit ante litus ciuitatis, quæ velociter abſque nimio moræ diſpendio fuit capta. Caliphus quidem captus, viuus adductus fuit ante præſentiam Halaoni; & inuentæ fuerunt in Baldach tantæ diuitiæ, quod vix credendũ eſſet, eſſe totidem in reſiduo huius mundi.*

Raynald. to. 13. an. 1258. num. 40.
Caliphi Baldacenſis auari mors infœlix.
Ayton. hiſt. Orient. cap. 25. & 26.
Ab Halaono Tartaror. Rege obſidione cinctus.
Ayton in hiſt. orient. c. 25. c. 26.
Immenſæ Barbari auarique hominis in quam congeſtæ manus diuitiæ.

Digitized by Google

mundi. Capta autem fuit ciuitas Baldach anno Domini M.CC.L.VIII. En quot, ac quantas infelix malis ſibi artibus pecunias coaceruarat, ijs eum in modum animo addictus, mancipatuſque, vt eas non tam ipſe poſſideret, quàm poſſideretur ab eis, magiſque ante Vrbis expugnationem iniquarum eſſet ſeruus, captiuuſque diuitiarum, quàm vel vrbs iam capta, poſt captiuitatem, ſuorum poteſtati hoſtium deſeruiret: ſed quæ de auaro homine reliqua ſunt, videamus:

Auari ſunt viua diuitiarum mancipia.

77. *Poſtquàm Halaonus de Ciuitate Baldach fecit omnia, quæ volebat, iuſſitque Caliphum ante ſe adduci, & præcepit, quòd ante ſe totum eius theſaurum poneret. Tunc verò Halaonus interrogauit Caliphum dicens: Cognoſcis ne totum fuiſſe tuum, quod vides? vtique, ait ille. Halaonus dixit: Quare in tanto theſauro non conuocabas ſtipendiarios, & vicinos, vt te, & terram tuam tuerentur à potentia Tartarorum? At ille reſpondit: Quoniam credebam ſufficere gentem meam. Tunc dixit Halaonus Calipho: Tu diceris doctor omnium credentium in falſa ſecta Mahumeti, & à tuis numeraberis. Talis ergo Magiſter, & tantus alijs cibis cibari non debet: vnde tibi damus in cibum iſta omnia pretioſa, quæ tantùm dilexiſti, & cum magna auiditate cuſtodiſti. Et præcepit ponere Galiphum in vna camera, & ante ipſũ proijci margaritas, & aurum, vt de illis comederet quantum vellet, & præcepit ne aliquis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem; & ſic morte peſſima miſer ille, & auarus vitam miſerabiliter finiuit, nec vnquam Caliphus poſteà extitit in Baldach.* Nam & cõdigna planè auaro homine pœna, vt auro ſuam miſer famem expleret, qui aurum inexplebilitèr eſurijſſe viſus fuerat, ac inter diuitias, quibus affluebat, Tantalicam famem, ac ſitim pateretur. Inexplebilis igitur homo fame enectus perijt: ſed quid poſt huius cladẽ in actis tradatur, audiamus:

Capitur vna cum theſauro.

Aytonus hiſt. orient. vbi ſupra.

Iuſſus veſci auro, & gẽmis.

in aceruo opum perit fame.

78. *Poſtquàm Halaonus ſubiugauit Baldach, & terras alias circumcirca, prouincias diuiſit per Duces, & Rectores, ſicut ſuæ placuit voluntati, & præcepit, quòd vbique Chriſtiani tractarentur benignè, & quod eis Caſtrorum, & Ciuitatum cuſtodiæ traderentur, Saracenos quidem iuſſit ponere in magna ſeruitute. Halaono quidẽ erat vxor Chriſtiana nomine* Doucaſaron, *& fuit de progenie illorum regum, qui venerunt ab Oriente, viſa ſtella Natiuitatis Domini, & iſta Domina deuotiſſima Chriſtiana in perpetuum licentiam diruendi templa Saracenorum petierat, & inhibendi, ne ſolemnitas fieret in nomine Mahometi, & fecit Saracenorum templa funditùs deuaſtari, & in tanta ſeruitute poſuit Saracenos, quòd non erant auſi vlteriùs apparere.* Magna profectò in religionis cultum Tartarus iſte præſtitit, ac feliciter Chriſtiana fides ſub illo propagata eſt, quæ dudum ſub Calipho auaro homine ſuccubuerat. Verùm iſthæc inſuper de propagata Chriſtianorum religione, ac de Calipho miſerrimè interempto, & haud alio mortis genere, quàm liquati auri in os eius, ac viſcera per vim ingeſti proculo Sanutus his verbis edocet:

Aytonus lib. hiſtor. Orient. vbi ſup.

Saraceni obtriti a Tartaris.

Imperatrix Doucaſaron Chriſtiana.

Religio propagata apud Tartaros Perſidis & Aſſyriæ domitores.

79. *Capti* (inquit) *Caliphæ gutturi liquatum aurum iuſſit infundi, auaritiam exprobrans, quia cum immenſis afflueret theſauris cupiditate detentus, pro ſalute ſua eos expendere renuit? Poſt mortuum autem Caliphum Halao totam regionem obtinuit.* Hæc ille, ex quibus par, promeritumque, vt vides, auaro homini ſupplicium, tyranni quidem iuſſu, ſed iuſto Dei vlciſcentis nutu illatum eſt, vt qui viuens aurum ſitierat, moriens propinatum ſibi infeliciter aurum biberet, ac ſi illud (quod

Marin Sanutus lib. 3. p. 13 cap. 7.

Infuſum ardens aurum auari viſceribus.

& alteri æque poſſidendi cupido ingeſtum eſt ori, auribuſque tacito ſuggeretur: *Aurum ſitiſti, aurum bibe.* Non ferro igitur, ſed auro, auri cupidus, & ferrei alioqui cordis homo perire debuit; ſpecioſo namq; huiuſcemodi ſupplicio expetitus, diuinũ illud iuſtæ animaduerſionis iudicium ſubijt: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur:* & illud: *Auarus ſibi ipſi crudelis eſt.* Ita planè condigna Caliphus ſibi ex diuitijs ſupplicia intentaſſe, pretioſumque tormenti genus ſuis faucibus propinaſſe viſus eſt, adeo vt Tantalicã ſitim perpeſſus, carnificinam ſubinde, etſi auream intolerandam tamen expertus ſit.

Gregorius in moral.

80. Verùm quia malè ſana iugiter ſitis auri ſerpit, quæ ſibimet contumelioſa eſt, effera quoque in cæteros, ac crudelis ſemper extitiſſe comprobatur, triſtem, ſæuumque meritò in ſuis denique ſectatoribus finem ſortitur: nam vt exemplis inſiſtamus; Quis diuinas ſacrorum Oraculorum paginas attentè recolens, quod in illis decantatum eſt, ignorat, pupillorum, videlicet ac viduarum iniurias vlciſci è cœlo Deum, & quorum præcipuus tutor eſt, eorumdem, ſingulariter adeſſe vindicem? *Orphano* (inquit Pſalmiſta) *tu eris adiutor:* & alibi, *Deus orphanorum, & Iudex viduarum*, aptato huiuſcemodi titulo appellari ſe voluit; Quapropter infelici eos exitu ſuperna animaduerſio è vita abſtulit, qui pupillis, viduiſque moleſtiam; eorum bona auferendo, expilandoque faceſſere non dubitarunt, vt Mieſciſlai Polonorum Ducis exemplo liquet. Hic enim, dũ pauperum ſubſtantiam auida manu per vim abradit, muribus adhuc viuus diuino nutu corrodendus, vorandusque traditus eſt: ſed rem planè lugubrem Petrus Longinus, & Rainaldus ſubinde ab eo mutuatus, in Eccleſiaſticis annalibus his verbis narrat:

Auaritiæ crudelitas ſocia.

Pſal. 9. 15.

Pſal. 67. n. 6.

Poloniæ dux arroſor pauperum arroſus a muribus.

Rainaldus to. 13. Annal. Eccleſ. an. 1237. n. 61.

81. *Mieſciſlaus propter cæſariem capitis parũ ſanã appellatus Koſchiſcko, ducatum Cuiacenſem ex Patris ſui Ducis Maſouiæ Conradi conceſſione inter fratres ſortitus, dùm quaſdam viduas, & orphanos præter æquitatem, & iuſtitiam ſpoliaſſet, & vaccis eorum mactatis, ſubſtantijſque occupatis, conuiuium ſplendidum ex illis optimatibus, & militibus Cuiacienſibus præparaſſet, & in illo opipare eſurus conſediſſet, inter prandendum, & conuiuandum (iuſtiſſima Deo enormia ſua prædicta præſentia, & tranſacta vindicante) Mures infiniti conueniunt, ipſumque deuorare cœperunt. Qui immmens periculum declinaturus nauim conſcẽdens ad aquas, & flumina perrexit, quibus nequaquam ſuffragantibus, à muribus illum per omnes vndas, & maria inſectantibus miſerabiliter conſumptus, & deuoratus eſt; documentum non inutile iniuriæ viduis, & orphanis inferendæ poſteris præſtiturus.* Eadem refert Chromerus, alijque Polonicarum rerum Scriptores. Ex quibus æquo calculo auarum à Deo expetitum videre eſt, adeò vt murium dentibus diſcerperetur, qui iniquis, iugibuſq; rapinarum extorſionibus pauperes corroſerat.

Longinus hiſtor. Polon. lib. 6.

Accubans cõuinctò inuaditur, qui alienam ſubſtantiam abradebat.

Non profuit fuga homini quem iuſta Dei ira fugientem inſequebatur.

Chrom. lib. 8.

82. Et rapacibus quidem hominibus inuſitata plerumque pœnarum genera diuinitus intentari conſueuere. Quapropter haud abſimile inuiſæ vltionis argumentum militi exhibitum eſt, qui cum bona Eccleſiæ temerario auſu, ac ſacrilega manu inuaſiſſet, murium dentibus, & ſi omni adhibito artis ſtudio, beſtiolarum inſectantium impetus ſollicitè declinaret, miſerandum in modum peremptus eſt vt Baronius noſter in ſuis annalibus, diſertis hiſtoriam à Dithmaro verbis acceptam narrat: quoniam verò perditus iſte miles auaritiæ inſuper morbo laboraſſe conuincitur, quippe qui

Exemplum aliud viri nobilis vorati a muribus

Baron. to. 11. an. 1011. n. 2.

Digitized by Google

qui rapinis aſſuetus, a ſacris ne dum rebus manum contineret, non ab re duximus tragicum eiuſcemodi noſtris quoq; paginis ex Ditmaro mutuati exitum conſignare: *Quidam verò miles cùm bona S. Clementis vi tolleret, & inde tectum facere voluiſſet, in vna dierum à muribus intra cubiculum impugnatur ineffabilibus, qui primo fuſte arrepto eos prohibere tentans, poſtquàm euaginato eos aggreſſus gladio, & ſic nil proficiens arca quadam (vt ipſe rogauit) includitur, ac in medium fune ſuſpenditur, & cùm exteriùs hæc plaga ceſſaret, hic qui liber ſolui debuiſſet, ab alijs vſque ad mortem corroſus inuenitur. Tunc cunctis præſentibus, & poſteà venientibus, manifeſtum fit, quod hunc ira Domini vindex prædicti facinoris ſola conſumpſit.* Hæc Ditmarus oculatus rei teſtis, quibus hæc coronidis inſtar, aua. itiam hominis perſtringens Baronius addit: ***Præſtiterunt hoc mures in corpore, quod vermis in conſcientia, ineuitabiles vltores immiſſi diuinitùs, quouſque culpa horum nutrix pœnitentia expiaretur.*** His itaque præter conſuetum morem auari homines tormentorum ſupplicijs diuinitùs deſtinantur, vt ſuo cœteros exemplo ab iniqua habendi, rapiendique tyrannide compeſcant.

Ditmarus lib. 6. pag. 44. Fruſtra ſe gladio tueri niſus.

Fruſtrat arte diuinam iram deſiugere.

Baron. to. 11. Au. vbi ſup. Infelix perditi hominis raptoriſque pœna.

83. Sed his in rem præſentem narratis, auara iam manu congeſtas in malum domini ſui diuitias, pecuniarumque tumulos potiùs quàm cumulos, quæ iam pridem rapinis cumulatæ fuerant, ſanguinis duntaxat impendio regeſtos videamus. Id planè Nicolao Laurentio acerrimo Romanæ libertatis propugnatori contigit, qui pro publica re, ac Romanorum gente in libertatem vindicanda dudum elaboraſſe viſus, tam multa domi, foriſque clarè geſſerat, vbi autem conflandis manum pecunijs admouit, tùm vitam, tùm gloriam, quã hactenus ſibi pepererat, malorum dũtaxat auctuario diues, infeliciter ſublatus amiſit; is inquam, qui ad ſumma iam pertigiſſe videbatur; adeò vt breui Nicolaus in nihilum propè, ac fumos reſolutus abierit: ſed rem hic ipſiuſmet Rainaldi verbis narratam gratis auribus excipiamus:

Nicolao Laurentio auaritia exitium attulit.

85. *Magnam aliarum opum partem quas Monſregalis vel in Vrbe depoſuerat, vel attulerat ſecum, quæ in leuanda egentium inopia erant collocandæ, ad centum aureorum millia, diripuit Nicolaus Laurentius: quocircà cupiditate exercuiſſe iuſtitiam creditus. Cùm verò innoxium etiam cruorem ſecuri feriri iuſto Pandulpho Panduiphuci, magnæ exiſtimationis viro, fudiſſet, ac noua vectigalia Romano Imperio imponeret, vt milites conduceret, firmaretque aduerſus Sabellos, & Columnenſes potentiam, tantum ſui odium concitauit, vt facilè aduerſarij in ipſum plebẽ commouerint; à qua gladijs confoſſus, tractus, ſuſpenſus, ac demùm à Iudæis exuſtus, redactuſque in cineres fuerit.* Infauſtus planè hominis exitus; vbi enim ſe totum auaritiæ dedit, & qui pro aliena vindicanda libertate totis contenderat viribus, vile diuitiarum mancipium effectus, effræni ſe cupiditati captiuum fecit, non iam beneuolentiſſimam ciuium ſuorum gratiam, ſed indignationem promeruit, nec Romanorum ſibi animos, quos pridem officijs deuinxerat, ſed liuorem, atque odia, cultroſque eorũdem in ſe, iuſtiſſimos ſcelerũ vindices exacuit adeo, vt è ſummo honorum faſtigio ad ima magno fortunæ propudio deiectus, in cineres tãdem, ac fumos, cum toto gloriæ faſtu, diuitiarumque ſuarum lucris recciderit. Sic miſer pecunijs per vim, ac fraudem ditatus ſe ipſo alijs documento, futurus conſilij tandem inops, diuitijſque orbatus vitam finiuit.

Rainald. to. 16. an. 1354. nu. 4.

Plebem impoſitis redigalibus exaſperauit.

Ab ea laniatus exuſtuſq;

CAP.

CAP. XIV.

Auari Bona iniuſtè acquiſita retinentes.

DIVITIAE ſuos tandẽ vel inuitos, vel nolẽtes deſerunt poſſeſſores, à quibus ſollicitè, inſtanterq; malis artibus, ac per nefas coaceruatæ fuerant, adeò vt iniquo ſua ſpe fruſtrato detentore abeant citiùs, quàm aduenerãnt: *Dormierunt* (inquit Propheta) *viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis*. Atqui viuos, ne dum mortuos, exanimeſque ſuos prætereunt diuitiæ dominos, à quibus ingenti eaſdem labore, at paruo ſubinde, nulloque fructu congregari contigit, vt aptè Ieremias auaris, rapacibuſque hominibus obteſtatus, eoſdem conſulto perdicibus comparat, quæ alienis ſubinde ouis furtim raptis incubare, ac alterius perdicis pullos excludere, atq; educere conſueuerunt; Verùm non diu poſt laborem, votis potiuntur, furtiuæque ſobolis nullus eaſdem fructus manet; mox enim, vt pulli maternam naturæ inſtinctu vocem percipiunt, adulterinam auerſantes perdicem, ad ſuam protinus genitricem auolando recurrunt. *Perdix*, inquit, *fouet quæ non peperit. Fecit diuitias et non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, et in nouiſſimo erit inſipiens*. Ad quod aptè, eleganterque inculcandum paucis Caldæus immutatis verbis hunc in modum legit: *Sicut perdix, quæ congregat oua, quæ non ſunt ſua, & fouet pullos, qui eã ſequuturi non sũt, ſic omnis vir impius, qui poſſidet diuitias præter ius, in dimidio dierum ſuorum relinquet eas*. Atqui optimè deriuato a perdicis ſimilitudine ad diuites, qui ex alienis diteſcunt opibus ſymbolo, ſolemne illud apud Nicolaũ Reuſnerum Emblema, atque in rem præſentem his noſtris omnino quadrans paginis extat, quod lectori conſultò delibandum volumus:

Diuitiæ ſuos poſſeſſores inuitos relinquunt.

Pſal. 75. 6.

Diuitiæ ſapientèr in ſcripturis perdicibus comparantur.

Ierem. 6. 17. n. 11.

Perdix congregat oua non ſua, fouetque alienos pullos.

Caldius.

Nicolaus Reuſnerus in ſuis Emblem.

Pulli vbi matrem ſuã cantantem audiunt, perdicẽ deſerũt, ſic & diuitiç

Surripit oua ſalax Perdix *aliena, fouenſque.*
In nido pullos educat inde nouos.
Pullus at eductus nutricem deſerit vltrò
Cantantis pendens matris ab ore ſuæ.
Condit Auarus opes, defoſſoque incubat auro.
Per fas, atq; nefas condit auarus opes.
Vnde habeat nihil is curat: ſed oportet habere,
Et citò vult fieri diues, inopſque manet.
Nam mors, aut vilem redigit communis, ad aſſem.
Eripit aut partas turpe tribunal opes.
Magnis parta malis pereunt maiore dolore:
Quod dat cuique Deus, ſorſque benigna, ſat eſt.

2. Appoſitè autem ad rei propoſitũ à Gregorio Turonenſi in mediũ affertur exemplum, quo teſtatiſſimũ cunctis redditur, opes malè partas, quaſi aues, imò & per aues è poſſidentium manibus auolare, ac dicto citius, vel dum tenẽtur, euaneſcere: hæc autem in rem præſentem in ſuis ille paginis tradit: *Quidam apud Lugdunenſes vix multo labore trientem vnum acquiſierat, quem cùm multiplicare vellet, de eo vinum comparat, admixtiſque aquis iterum per argenteos venundans duplat pecuniam. Hoc iterum, atq; iterum agit, & tandiù turpis lucri ſecutor eſt factus, donec centum ſolidos de hoc triente lucraretur. Poſt alterius negotiatoris nundinas adit, extractoque triente, quaſi aliquid negotiaturus colloqui cum ſocio cœpit. Erat autem ſacculus ex*

Quaſi aues, & per aues diuitiæ è manibus auolant.

Greg. Turon. de glor. confeſſ. caſ. 109.

Qui aquam vino miſcens lucrum fecit totum duarum in aquis perdit.

lus ex pelle phœnicia: & ecce ſubitò adueniens miluus rapit eum, atq; decerpere tentat, putans à colore partem carnis eſſe. Sed cùm nihil pinguedinis ſentiret in eo, volans ſuper alueum fluuij Araris (è quo fluuio hic aquam, quam vino miſcuerat, hauſerat) laxatum ſacculum deiecit in flumen, quo conſpecto alter triſtis & mærens exclamabat: Væ mihi ſicut feci, ſic recepi, qui è fluuio eos habui, ad fluuiũ rrdijſſe video. Sic itaq; è poſſidentis manu pecuniæ malis artibus in vnum congeſtæ quantociùs auolarunt, & ex aquis, è quibus lucrum emerſerat, in aquas tandem, homine ſua ſpe fruſtrato rediere. Diuitiæ igitur, quæ iniqua manu conflantur, vitijſque plerunque coaleſcunt, ipſas inter manus dicto citiùs ſoluuntur, & non in bonum domini ſui (vt ſapiens ait) congregatæ, certam poſſeſſoribus cladem, & tum animi, tum corporis denique diſpendium afferunt.

Diuitiæ fluunt e manibus, & facilè ſoluuntur

3. Et maximi quidem inſtar portenti homines diuinæ potiſſimùm vocis oraculo cenſentur, qui priuatorum duntaxat commodorum gratia, diuitijs iniuſte coaceruandis, vel retinendis intenti, nullum inde emolumentum, niſi maxima quæque, tum animi, tum corporis detrimenta conſequuturi, fruſtrà tandem pro auro laboraſſe, certaq; pro lucris diſpendia incurriſſe comprobantur. Quod adeò verum eſt, vt meritò admirari quis poſſit noxias plerunque ſuis diuitias dominis, ac poſſeſſoribus extitiſſe, triſtemque pro lucris tandem exitum peperiſſe, & vt ſapientis hic vtamur verbis: *Diuitias cõſeruatas in malum domini ſui*. Ita planè Græcis nimia ſeruandarum opum cupiditate detentis accidit, qui ſalutem, libertatemque miſerè tandem prodidere, eaſque Turcis victoribus, quas in comparandis ad propulſandum hoſtem præſidijs impendere detrectarant, fortè malè partas, vel nimis cupidè ſeruantes ad malorum cumulum viſi ſunt reſeruaſſe, vt S. Antoninus hunc in modũ, funeſtam tam diuitiarum, quàm poſſidentium aleam, iacturamque his verbis deplorat: *Anno Domini* (inquit) *M.CCCC.L.III. Ciuitas Conſtantinopolitana cùm eſſet obſeſſa à Turcis, Oratores miſerunt Græci ad Nicolaum Papam, implorantes auxilium gentium, & pecuniarum, quos non exaudiuit Nicolaus, indignum ducens* Italiam *exhauſtam pecunijs propter expenſas guerrarũ, grauare impoſitionibus, maximè cùm eos ſciret ſe ſuis pecunijs poſſe iuuare, ſi exponere vellent, conducendo gentes; ſed nudati omni amore rei publicæ, & tantum priuatæ rei ſuæ conſeruandæ intenti in hoc inciderunt iudicium, vt victi, & capta ciuitate ſerui effecti, res priuatas ſuas, & publicas perdiderint: & quòd habuiſſent modum, ſi voluiſſent ſua exponere, patuit, quia magnæ diuitiæ, & theſauri reperti ſunt apud plures perſonas, etiam & mulieres, ſed cupiditas excæcauit eos.* Quid enim miſerius miſeris ſui ipſorũ nõ miſerantibus; quid inſuper libertate, quæ auro pretioſior eſt, orbatis, tyrannidiſq; intolerandæ iugo vna cum ſua poſteritate addictis diuitiæ profuere, quæ aureos eiſdem duntaxat compedes, ſæuoque tyranno pretioſiorem capiti fecere coronam, totamque ſimul Græcorum Chriſtianorum gentem miſeræ irreparabiliter ſeruituti deuouiſſe leguntur? Verum de immenſis Græcorum theſauris Phrantzes adſtipulator accedit, dum Lucam Notaram Megaducam, Conſtantinopolitana capta vrbe, ingentem theſaurum, quem Mahometo reconditum, ſeruatumque à ſe, illius demulcẽdi gratia, aiebat, aſperrimis ſubinde à victore increpitum verbis, quod ſuo non ſuccurriſſet Imperatori, & domino, &

Fruſtra laborant, qui diuitias congregant ob priuata cõmoda.

Eccleſ.5.12.

Græci quia nimium ſtudebant ſeruandis opibus, à Turcis expoliati ſũt Rinl.an.1453 nu. 1.

Rainaldus an.1453.n.4.

S.Anton.3.p. tit.22.c.13. §.14.

Conſtantinopolitana Vrbs ſuis diuitijs inops facta.

Pro denariis iugum ferreum Græci ſubiere.

Phran.c.3. lib 3.c.18.

no, & Vrbi, & patriæ cum tantum thesaurũ poſſideret; Funeſtum quippe diuitiæ malè partæ ſuiſmet poſſeſſoribus exitum pariunt, nec vllum pro impenſis in auro coaceruando laboribus emolumentum prouenire conſtat.

4. Haud dubium igitur, quod auaros plerumq; homines, præter multiplices, quas viuendo contrahunt calamitates, infelix quoq; è vita deceſſus excipit, ac certa, condignaq; apud tartarũ, vtpotè nũquã ſatis pecuniarũ auidos, rabidoſque tum Eccleſiæ, tũ pauperum prædones pœna expectat, *Si enim iudicium ſine miſericordia erit illi* (vt Iacobus ait) *qui non fecerit miſericordiam, quale iudicium erit illi* (inquit Fulgentius) *qui fecerit rapinam,*) nec qualemcunque, ſed nec homines, nec Deum veritus, ſacrilegis explendæ auaritiæ manibus deſeruiẽs, Eccleſiaſticorum inſuper bonorum rapinam fecerit, vt ſequenti legentibus exemplo palam fit; quod à Petro Damiano diſertè his planè verbis exponitur:

Iacobi c. 2. Fulgentius orat. in Matt.

Si plectendus immiſericors, quanto magis raptor?

5. *In Teutonicis partibus Comes quidam diues, ac præpotens, ſed (quod in illo ordine hominum prodigium eſt) bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum de eius æſtimatione erat iudiciũ: ante decennium verò defunctus eſt. Poſt cuius obitum quidam religioſus vir per ſpiritum ad Inferna deſcendit, præfatumque Comitem in ſupremo gradu cuiuſdam ſcalæ poſitum vidit. Aiebat namque, quia illa inter ſtridentes, & crepitantes vltricis incendij flammas videbatur erecta, atque ad ſuſcipiendos omnes, qui ex eiuſdem Comitis genealogia deſcẽderent, conſtituta. Erat autem tartarum imma ne, & infinitè patens, atque in profunda diuerſum, vndè ſcala prædicta ſurgebat. Hoc igitur ordine ſuccedenti vni ſibimet ſeries texebatur, vt cùm quis eorum nouus accederet, primum interim ſcalæ teneret gradum, is autem qui illic repertus erat, alijque omnes ad proximorum ſibi graduum ima deſcenderent. Cùmque alij, atque alij ex eodem genere homines poſt carnis opera ad præfatam ſcalam per temporum interualla confluerent, alij protinùs cedentes, ineuitabilis neceſſitate iudicij ad inferiora migrabant. Planè cùm vir, qui hæc contemplabatur, cauſam huius horrendæ damnationis inquireret, & præſertim cur ille Comes ſui temporis puniretur, qui tam iuſtè, tam honeſtè, tamque decenter vixiſſet, audiuit, quia propter prædij poſſeſſionem Metenſis Eccleſiæ, quam Beato Stephano proauus eius abſtulerat, cui videlicet iam iſte decimus in hæreditate ſucceſſit, omnes iſti non diuerſo ſupplicio deputati ſunt. Et ſicut eos non diſpar auaritiae culpa ad peccandum coniunxit, ita nihilominùs ad perferendas atrocis pœnas incendij, commune ſupplicium copulauit.*

Petrus Damianus epiſt. ad Dominicum cap. 8. Comitis rapita poſſidentis ſupplicium viro pio oſtẽſum.

Malè parta hæredibus creant hæreditarios cruciatus.

Manifeſtum vtique diuinæ in Comitem, qui ſciens, volenſque bona Eccleſiæ à ſuis per manus accepta iniquè apud ſe retinebat, vltionis iudicium Chriſtiano orbi affulſit, dum pari ſupplicio tã ipſe, quam hi, qui per traducem in bonorum poſſeſſione ſucceſſerant, gehennalibus ignibus addicti leguntur; ob Metenſis videlicet Eccleſiæ prædium, quod malis artibus occupauerant, apud ſe iniquè retentum.

Par pœna raptorem retentoreſque inuoluit.

6. Ab horum autem hominum, pœnarumq; conſortio Matiſconenſis Comes, qui militi, & vitam, & bona ſimul auara manu abſtulerit, nullo pacto ſecernendus eſt; huic enim occiſus, vel poſt mortem ſe videndum exhibens, vt dominis, quæ per vim retinebat, quamprimum redderet, monuit, abſterruitque reluctantem; & quoniam apud auaros nulla iura vigent, valentque, cum homine qui non

Vbi monita minæque nil proſunt flagella ſuccedunt.

iuribus

iuribus, vt par eſt, non acquieſceret; miles, qui apparuit, equo inſidẽs pro ſuis validè pugnans decertauit: ſed Petrum Cluniacenſem iſthæc enarrantem audire præſtat.

Petr. Ab. Cluniacenſis lib. 2. miraculorum.

Vincentius lib. 29. cap. 120.

Matiſconẽſis Comes virum nobilem necat rapitq; eius bona.

7. *Comes Matiſconenſis cùm militem quemdam iniuſtè occidiſſet, & bona eius occupans heredes eius exheredaſſet, apparuit ei miles occiſus terribiliter ſemel, & iterùm admonens, vt ſaltẽ ablata heredibus reſtitueret. Quod cùm dixiſſet aliquibus de ſuis, illi hoc ſomnium, & friuolum reputauerunt. Tunc tertia vice terribiliùs apparens occiſus aſſignauit ei diem, quo vellet, nollet, traheretur alibi reſponſurus. Tunc tertius vocauit magnam multitudinem armatorum, viſa exponens, & rogans, vt ſi aliquam violentiam ſibi viderent fieri, ſubuenirent. Cùm ergo aſſignata die in proprio palatio reſideret, multis militibus diuerſi ordinis conſtipatus, repente ignotus homo inſidens equo per oſtium palatij ingreſſus, cunctis videntibus, & admirantibus, vſque ad ipſum peruenit, dicens ſe velle ei colloqui, imperans ei, vt ſurgeret, & ſe ſequeretur. Qui inuiſibili potentiæ non valens reſiſtere, ſurrexit, & vſque ad oſtium domus proceſſit, vbi equum paratum inuenit, quem iuſſus ſtatim aſcendit, cuius habens illæ accipiens, qui propter illum venerat, velociſſimo curſu per aera cunctis vidẽtibus ferri cœpit. Ille autem miſerabiliter clamans: ſuccurrite ciues, ſuccurrite, totam ciuitatem commouit. Omnes autem eum currentem per aera conſpexerunt, quamdiù naturali oculorum acie potuerunt. Sicque tandem ſubtractus viſibus hominum, factus eſt æternus ſocius Dæmonum.* Congruè igitur, qui haud ſanguini parcẽs violenter aliena rapuerat, inuiſibili manu, ſub hominum oculis in Orcum rapi, nec auxiliari cuiuſpiam manu iuuari meruit, quippe qui auidas, cruentaſque in alienam ditionem manus iniuſte protenderat.

Juſſus ea reſtituere vi humana ſe munit.

Cunctis inſpectãtibus rapitur à dæmone.

Pro diuitiarum lucris animi diſpendiũ incurritur.

8. Quoniam verò hic de diuitibus mentio fit, quorũ inexplebilem auri ſitim, vel immenſæ, quas iniqua conflarunt manu, diuitiæ reſtinguere nullatenus queunt, quid de auaro homine, & iam iam morituro, ſed ſuas inter diuitias ſpei proculdubio deperditæ Cæſarius referat, audiamus. Hæc enim ille: *In Ciuitate* (inquit) *Metenſi, ſicut mihi narrauit Abbas quidã ordinis noſtri, vſurarius quidam defunctus eſt auarus nimis. Qui cũ moriturus eſſet, ſupplicauit vxori ſuæ, vt crumenam denàrijs refertam iuxta ſe poneret in ſepulchrum, quod cùm illa feciſſet, quantò ſecretiùs potuiſſet, tamen latere non potuit. Accedentes aliqui ſepulchrum latenter aperuerunt, & ecce duos ibi conſpicantur bufones, vnum in ore crumenæ, alterum in pectore. Ille denarios in ore de crumena extrahebat, iſte ſuſcipiẽs extractos cordi eius immittebat, ac ſi diceret: Nos pecunia ſatiabimus cor tuũ inſatiabile. Quibus viſis, illi timore perculſi terram reijcientes fugerunt. Quid putas animam huius pati in inferno à vermibus immortalibus, ſi tam horrenda in eius corpore demonſtrata ſunt in ſepulchro?* Improba igitur auarorum hominum ſitis non tàm auro, quàm iugibus apud tartarum pœnis reſtinguenda, vnam duntaxat cum Epulone diuite, aquæ guttulam æternum ſitiet.

Fœnerator marſupium nummis refertum ſecũ iubet infodi

Cæſarius lib. mirac. 11. cap. 39.

Ijdem à bufonibus eiũs cordi immitti viſi.

9. Haud abſimile eſt, quod de altero admodum pecunioſo, ſed inopiã ſimulante, ſuiſque met pecunijs, quas deperibat, & quibus animum fruſtrà explere cupiebat, ſub vitæ finẽ crudeliter præfocato rem veluti condigno virorum teſtimonio comprobatam narrans Ioannes Nider his verbis refert: *Fide dignorum relatione didici, noſtro tempore fuiſſe virum*

Simulati inopis miſera mors.

Ioannes Nider. lib. 5. Formic. cap. 5.

quemdam pecunijs antiquis refertum, & infectum, receptum pro Deo in hoſpitale Ciuitatis Conſtantienſis. *Qui cùm dudũ ſibi occultaſſet ex auaritia magnam multudinem denariorum puri argenti, & veterni, deuenit ad extrema, & de farina auenæ ſibi pulmentum impatientiſſimè clamabat præparandum;. Quod cũ factum eſſet, ſedit ægrotus ſolus more ſolito in lecto, & loco micarum panis, minutatim ſpargere cœpit denarios, quos occultauerat in pulmentum auenæ, & cũ cochleari auidiſſimè ori imponebat. Sicq; miſer ſuffocatus eſt illicò.* Ex quo infelicisſimam cupidorum hominũ ſortem videre eſt; vbi enim inſana auri, argentiq; cupido, immane, nulliſque circumſcripta terminis in eorũ corde excreuerit, ſiccis, aridiſque faucibus, Tantalicam immenſos inter Mydæ theſauros ſitim ſitijſſe conuincitur.

Ingeſtis ori nummis ſeipſum ſtrangulat.

10. Et profectò diuitiæ vtpote, quæ cum labore acquiruntur, cum amore poſsidentur, & cum dolore tandem relinquuntur, non exiguam ſuis ſub vitæ finem poſſeſſoribus, moleſtiam ingerunt, quoniam ſecum eaſdem auferre nequeunt, ſed alijs poſſidendas, vel volentes, vel inuiti relinquere compelluntur. Quapropter ſolemne illud futuræ argumentum calamitatis, auari illius ſub vitæ finem auribus intimatũ eſt: *Hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Cui aptè perditi alterius ſuas inter diuitias miſerè abſcedentis calamitas, ac nobili deſcripta elogio conſonat, de quo iſthæc Robertus in ſuo quadrageſimali refert: *Vidi* (inquit) *quemdam in extremis laborantem, qui ditiſſimus erat, & diuitias non ſine peccato congregauerat. Cùmque monerem eum, vt ipſe iam animæ ſalutem quæreret, non libenter audiebat huiuſmodi verba. Quin imò in lectulo, in quo iacebat, ſe voluens ſuſpirabat, gemebat, imò rugiebat dicens. O' quantùm laboraui, vt theſaurizarẽ, & alij gaudebunt de theſauris meis. O' diuitiæ meæ, ò pecuniæ meæ, ò iocalia mea, quis vos poſſidebit, & quibus vos relinquã? Et in his vel ſimilibus retinẽs cor, & animum miſerrimus expirauit.*

Partæ labore opes, amore poſſeſſæ, cum dolore relinquuntur.

Luc. 12.20.

Robertus de Licio in quadrageſimali.

Auari opes relinquentis funebre rugitus.

Congruè igitur *viri,* (vt Pſaltes diuinus ait) *diuitiarum,* pecunijſq; impotenter addicti, intolerandum in eis iugiter tormentum patiuntur, quas ſuis in Deum votis cõtumelioſi ſibi conſtituiſſe idolum comprobantur. *Maiore enim tormento* (vt ille moralis aiebat) *pecunia poſſidetur, quã quæritur.* Et quiuis in diuitijs comparandis certo ingentique inter labores animæ impendio fruſtrà deſudaſſe conuincitur. *Laborauit diues* (inquit Sap.) *in congregatione ſubſtantiæ.*

Pſ. 75.6.

Seneca in queſt. moral. Maiore tormento ſæpe poſſidetur pecunia quã quæritur. *Eccleſ. 31.3.*

11. Sed quoniam triſtem, deplorandamque in primis iniquè poſſidẽtium ſortem amarulento hic orationis ſtylo proſequimur, ac infelices eorumdem exitus ex inſtituti propoſito recenſemus, his pari infelicitatis conſortio Eccleſiaſticus ille adſcribendus eſt, de quo iſthæc apud Cœſariũ habes: *Antè paucos* (inquit) *annos, Romæ quidam Cardinalis defunctus eſt, nomine* Iordanus, *qui de ordine quondam Ciſtercienſi aſſumptus fuerat, ſed vita ordini in eo minimè concordabat. Erat enim auarus valdè, ſicut à quodam Abbate audiui, habebat autem Notarium, nomine Pandolphum, hunc cùm pro quodam ſuo negotio, neſcio quo miſiſſet, interim expirauit. Eadem hora, cùm ille expleto negotio rediret, mane ante lucem cateruam miſerabilem in agro contemplatus eſt. Sedebant homines in iumentis, in ore caudas habentes, verſis ad capita illorum: quos* Iordanus *cuculla indutus nudis pedibus ſequebatur, duobus dæmonibus ſe deducentibus; in quorum aſpectu dum notarius nimis horreret,*

Iordani Cardinalis auari mors. *Cæſarius miracul. lib. 12. cap. 22.*

Viſa à Notario Pandolpho caterua dæmonum ſtipatus.

clamauit

Digitized by Google

clamauit Cardinalis: Pandolphe, Pandolphe; Subſiſtente Clerico, & dicente. Quis es, aut quid clamas? Reſpondit ille. Ego ſum Iordanus *Dominus tuus, & mortuus ſum.* Dicente *illo: Quo ducimini? Reſpondit; Antè tribunal Chriſti. Et ille. Noſtis quid de vobis ſit futurũ? Non noui (inquit) Deus ſcit; ſed cùm illuc venero, B. Petrus de Cardinalitia mea pro me redditurus eſt rationem, Sãctus verò Benedictus de Cuculla: quòd ſi illam mihi obtinere poterit, ſaluabor, ſin autem damnabor; ſicque oculis eius ſubtractus eſt.* Infauſta planè cuncta ſibi auarus iſte Eccleſiaſticis infulis præfulgens, prauis verò moribus inſordeſcens, & iàm iàm ad terrificũ Dei tribunal ſiſtendus, malorumque ſuorum prænuncius, è proximo auſpicabatur; ipſo quippè tumultuantis animi, ac malè ſibi conſcij teſtimonio, inſana, effrænisque in congerendis, retinendiſque pecunijs cupiditas, earumdemque haud in pauperes, vt ſui erat muneris, ſed in malos iniquè vſus expenſarum adminiſtratio hominem fore protinùs tartaro deuolvendum certiſſimè prænunciabat.

Redditum de ſalute incertum reſponſum.

12. Huic demum iure merito alter Eccleſiaſtici ordinis aggregandus videtur Mons Regalis videlicet, Prouincialis Eques Hoſpitalarius, vel potiùs Apoſtata, et latronum princeps, qui vilem, perditamque ſub ſpecioſi nominis pallio præ ſe tulit, abiectaq; religioſæ diſciplinæ teſſera, ſe totum vitijs in præceps dans, non tam virtutibus, quàm pecunijs iniquè coacervandis intentus miſerrimè vitam finiuit. Enimuerò ex inſtituti religioſi, & clauſtri ſectatore, dux armatorũ factus, plurimiſque collectis ſicariorum, ac ſtipendiariorum militum turmis, barbarico furore percitus, Piceno vaſtitatem intulit, alioſque inſigniores æmulatus tyrãnos, vniuerſæ ingentem ſui Italiæ metum, ac terrorẽ incuſsit, illudque ſuo demum exemplo admonuit, quod & ſacræ paſsim ſcripturarum paginæ docent; vnumquemque videlicet facilè ex optimo peſsimum fieri, diuitiaſque ſuis plerumq; certum poſſeſſoribus exitium afferre. Quod ſanè perditus iſte, ac mortalium nequiſsimus verum, ac conſtans eſſe intellexit. Cùm enim iam ex religioſorum Caſtris trãsfuga, & latronum ſignifer Romam ſe contuliſset, & à Nicolao Laurentio, qui tunc primum Tribunus plebis à Romano populo renunciatus publicam plenario quodam iure rem adminiſtrabat, impacto illi ſeu vero, ſiue falſo proditionis crimine, capi, ac torqueri iuſſus, tormentiſque ſubinde reorum inſtar excruciatus, rapinas, incendia, cædes, latrocinia, aliaque id genus immania, quæ patrarat, crimina faſsus, ac capite damnatus, iamque moriturus, opes, quas tot, tantarumque rapinarum cumulo conflarat, iuſtiſsimè ſibi (vt Villanus tradit) mortem attuliſſe conqueſtus eſt. Carnificis igitur manu eques inglorius, ac perẽni notatus infamia perijt, qui Italiam, & Eccleſiaſticam præcipuè ditionem vaſtarat, neque his contentus, longinquis item prouincijs ſui metum incuſſerat, ac tot, tantaque flagitiorum, & crudelitatis argumenta ediderat, vt ijs Holofernem, ac Totlam exæquaſſe, vel potiùs viciſſe ipſemet Romanus Põtifex Rainaldo in ſuis annalibus teſte, tranſcriptis ad Raimundum S. Nicolai Abbatem, ac Apoſtolicæ Sedis apud Venetos internuncium litteris, palam, conſtanterq; hunc in modum affirmet:

Vilis ſub ſpecioſo nomini quanto terrori cũctis inſignis prædo fuerit.

Rainald an. 1354. n. 4.

Capite dãnatus etiam proximus patibulo de ſuis diuitijs incaſſum queritur.

Matt. Villan. lib. 4. c. 13. 15. 16.

Alter Holofernes & Totila iure credi potuit.

Rainal. vbi ſup.

tom. 5. ep. ſecr. pag. 125.

Non poteſt (inquit) *latere te, cùm longè ſit, lateque notorium, qualiter infelix ille quondam Mons Regalis de Albarno hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani,*

Ingenti aliorum detrimento fuit.

tani, deſertor obſeruãtiæ regularis ſe totũ ſceleribus præcipitanter immergens, congregatis equitibus, & peditibus, quos par ſceleribus, & flagitijs ſimilis voluntas, & affectio inquinabat in multitudine copioſa, diù per multas Italiæ, ſed præcipuè per terras Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubiectas, velut leo rugiens, & rapiens omnia deuorare quærens, diſtinuit hoſtiliter: & quaſi Holofernes, immò illo crudelior nulli parcens, hos peremit gladio, hos carcere macerauit, hos afflixit incendio, hos rapina vexauit, & ſpolijs, hos depopulatione vaſtauit, hos in exiliũ egit, hos orbauit filijs, hos patribus, matribuſque priuauit: viduauit nuptas virgines, rapuit, coniugatas abduxit, & tot viduas, pupillos, & orphanos, clericos religioſos, & laicos calamitatibus, et preſſuris attriuit, & laceſſiuit iniurijs, et ipſam Romanam, & alias Eccleſias in bonis, & iuribus, & rebus earum dãnis affecit, vt impium illum, & flagellum Dei Totilam in Chriſtiano populo debacchantem impietate, & ſæuitia ſuperarit, &c.

Omni reſperſus ſcelere cunctis inuiſus, malorumque fax

Hæc quidem Romanus Pontifex im barbarum, & apoſtatam hominem, truculentiſque moribus tyrannum, qui impietate, ac ſæuitia duntaxat præditus, cædibus iugiter, ac rapinis intentus, publico Italiæ, totiuſq; Eccleſiaſticæ ditionis detrimẽto emerſiſſe in lucem viſus eſt: Sed non multo poſt iuſto Dei iudicio, ipſa infelix luce orbatus, opibuſque iniqua manu cõgeſtis expoliatus, velut quid abortiuũ perpetuæ ignominiæ tenebris iure merito addictus eſt. Verùm poſt illatã homini necẽ id ſapiens vigilantiſsimi ſuper gregem dominicũ Apoſtolici Præſulis pietas, ac zelus præſtitit, vt bona videlicet, iniquis artibus parta haud Pontificio addicerentur ærario, ſed ad reſtaurãda, quæ alijs perditus intulerat dãna, conuerterentur. Quapropter Apoſtolicæ Sedis Internuncio iniunxit, vt ſexaginta aureorum millia, ad id opus apud Patauinos trapezzitas exhibenda curaret. Magna verò aliarũ pars, quas prædo ferus, vel in vrbe depoſuerat, vel certè ſecum deuexerat, quæ leuandæ egenorum inopiæ inſeruituræ erant, alterius rapacitati præda effectæ, velut malè partæ diuitiæ quantocyùs dilapſæ ſunt; Nicolaus quippe Laurentius ad cẽtum aureorum millia, vt ſcriptores tradunt, iniqua manu abraſit, ob quod miſer ſubinde cæca auri cupiditate abductus, etſi in prædones exercuiſſe iuſtitiam creditus, dum diuitiarum amore captiuus publicum in Vrbe gladium, ſuumq; ad libitum in viros inſontes perſtringit, nouaque in dies populis tributa indicit, ipſe quoque funeſto, vt vidimus, exitu è medio ablatus eſt.

Eccleſiaſticæ ditionis infenſus,

Congeſtæ ab eo pecuniæ malis artibus fiſco cedunt.

Alter ingẽtem auri ſũmam ab eo abraſit. *Corneſ. hiſt. lib. 9. cap. 12. Matt. Villan. lib. 4. cap. 23.*

13. Enim vero homines cupidi, diuitijſq; coaceruãdis intenti vix vnquã expleri queunt. *Inexplebilis enim eſt,* (vt Auguſtinus ait) *ſola auaritia diuitum: ſemper rapiunt, & nunquam ſatiantur.* Vbi verò multa congeſſerint nil ſe profeciſſe rati, nouis, aſsiduiſque mercimoniorum, ac fœnorum lucris inſiſtunt; adeò vt cæno potiùs, quàm auro malis artibus conflando addicti, ex aliena inopia diteſcere cupiant, quibus illud eleganter, poetæ auaros hoſce deſignãs carmen arridet.

Aug. ſer. 15. de temp. Auari ſemper ſitiunt diuitias.

Ore trahit, quodcumque poteſt, atque
addit aceruo.

Horat. lu car.

Ita planè dum luto potiùs, quam auro lutei homines pertractando, cõgerendoque incũbunt, haud dubiam pro lucro animæ iacturã incurrunt, vt diuiti ſub anno redempti orbis M. D. XXXIII. Coſterus accidiſſe narrat, his planè verbis: *Cùm pænitentiæ admoneretur, moribundum vultum auertit, & de pecunijs tantùm audire voluit. Ideoque præcepit, vt ſcutella*

Moribũdus nõ vult niſi de diuitijs ſibi loquentes audire. *Franciſcus Coſterus ſer. Dominica ſexag.*

au-

Matt. Fab. ſtr. Dom. 9. poſt. Pent.

aureis plana ſibi afferretur; his verbis ſuas diuitias, tanquam idola alloquens: Tu pecunia mea, in te auxilium meũ, dicant, quod volunt ſacerdotes. Quæ cũ diceret, inummiſq; præſentibus vultum admoueret, caput impactum eſt ſcutellæ, & ſic miſer expirauit. Miſer planè, qui priùs viuendi, quàm habendi finem fecit, in cuius immenſa cõgregandæ pecuniæ ſiti illud Bernardi oraculum verum affulſit, quo nullum auarorũ hominum cupiditati modum, terminumque præſcribi affirmans: *Non prius ſatiabuntur* (inquit) *corda hominum auro, quàm aura corpora ſatientur.* dumq; immane hominum cupiditas creſcit, in inferni barathrum ſuos tandem ſectatores impingit.

Ber lib. de concor. cler. cap. 21.

14. Porrò huic pecunioſus alter æquè auri cupidus iungendus eſt, cuius ex Pinello hiſtoriam Paulus Zehenner in ſuo promontorio excerptam his verbis tradit: *Diues quidam ad extrema venerat, quem vt varie in lecto iactauit triſtis cogitatio relinquẽdarum diuitiarum, erigere ſtuduit vir religioſus, & apertè monere: nunc reliquis omnibus, quæ terram & lutũ olerẽt, quam longiſſimè remotis à corde, vnius ſalutis curam ſolerter ſuſcipiendam eſſe; annos priores recogitaret in amaritudine animæ ſuæ, graue peccatorũ pondus ante pedes ſacerdotis abijceret, Deoque ſe offenſo reconciliare ſatageret, ſed ſurdo hæc cantilena: miſer inter longa ſuſpiria ſe in omnem partem circumuoluens, leonis more altum rugire cœpit: mox opes ſuas ſic affari: Diuitiæ meæ tot ſudoribus collectæ, & hoc momento, heu! æternum deſerendæ, quo nunc ambulabitis? quæ vos hæres excipiet arca? Ah! maior luctus quàm gaudij eſtis materia; ſicut enim longis vigilijs, ſollicitudine perenni, labore non interrupto vos perperi; ita vltrà frui conceſſum non eſt, miſerum me! parta tueri non poſſum. Inter has mixtas lacrymis querelas expirauit infortunatus homo.* His planè vocibus querulis auarus homo opes, vitamque pariter, ſemel, perpetuoque amittens, eaſdem ſub finem compellaſſe legitur; qui ſuis illud Sapientis oraculum veriſsimum comprobauit: *Multos* (inquit) *perdidit aurum, & argentum:*

Paulus Zehen. in ſuo prom. malæ ſpei lib. 1. S. 12.

Auarus relicturus diuitias eas ſub finẽ alloquitur.

Aegre diuitias coaceruatas relinquit.

15. Et auari quidem homines adeo impensè aurum, nummoſque ſua velut Idola colunt, vt vix ad momentum ab oculis diuelli nimio eorumdẽ amore detenti, metuq; abſterriti patiãtur. Quapropter Ianuæ ſenex quondã quintum ſupra nonageſimum ætatis annũ agens ex horum numero, dum graui oppreſſus morbo decumberet, ſuas in lectulo, in quo iacebat, pecunias ſollicitè intra crumenam ſeruandas incluſerat; quas ſubinde frequẽter contrectando, grato earum, iucundoque tum manus, tũ oculos amplexu oblectabat. Verùm piè à ſacerdotibus monitus, vt immodicum, quo ſuas deperibat pecunias, affectum comprimeret, abſcinderetq; ni certum pro auro, animæ pati diſpendium vellet, ſe à pecunijs, quas congeſſerat, ac vnicè diligebat haud cor, haud manus diuellere, haud oculos auertere poſse reſpondit. Quo dicto ſuis miſellus tenaciſſimè Idolis inhærens, & corde vna cum iiſdem plus quam tumulo viuens adhuc conſepultus, è lecto ad Tartarum præda dæmonum factus præcipitem ſe dedit, compleuitq; illud Euangelicum: *Repetent animam tuã à te, & quæ paraſti cuius erunt?* Sed iam ab auaris hominibus, & lucri, plus quam par eſt, cupidis, ad perditos vſurarios ſermonem conuertimus.

Sanctius Cistellus in vit. Camilli de Lellis lib. 3. cap. 9.

Pecuniæ cupidus ſub vitæ finem pecunias à ſe congeſtas contrectat.

Auarus oũmos in morte idola ſolet.

Pecunijs corde & manu tenaci inhæret.

Suis fruſtratus diuitijs auro præda euadit.

Lucæ 12. 20.

CAP.

CAP. XV.

Auari vſuris rem familiarem augentes, ac pauperes expilantes.

1. IAM à noxijs funeſtiſq; hominum auarorum fœnoribus; ad eorumdem funera ſermonem conuertimus. Et paucis quidem, ſed aptis, condigniſque verbis, cœca hominum in conflãdis, augendiſque opibus auiditas, ſemel, & ſuo numquã pro merito ſatis proſcripta; totique terrarum orbi Apoſtolico ore proclamata eſt: *Auaritia* (inquit) *radix eſt omnium malorum*.

Ad Timot. 6. 10. Cupiditas malorum radix, & fax

Innumera quippe ſunt, quæ ex vno hoc vitio toti humanæ proſapiæ, ac poſteritati malorum iugiter detrimẽta proueniunt; adeò vt ſanctiſſimi quique patres amarulẽto ſinguli certatim ſtylo inuiſum Chriſtiani orbis portentum inſequi non deſtiterint. Ambroſius enim haud alio auaritiam nomine, quàm, *iniquitatis fomitem*, nec alio Hieronymus titulo, *quàm malorum omnium carybdim* appellandam volunt; & prophani paſſim ſcriptores dum in hanc iuſtiſſimè ſtylum intorquent, totis eiuſcemodi à mortalium corde peſtem, viribus extirpare conati, quantumuis aptè plura, parum tamen, ac fere nihil ſe dixiſſe rati, in perditam, funes tamque auri ſitim, cuncta emergẽtium in vniuerſo orbe ſcelerum probra coaceruantes reijcere non dubitarunt. Hinc Satyricus ille auaritiam plus vitijs, quam diuitijs refertam, locupletemque illis eleganter carminibus, ac ſi digito demonſtrans viſus eſt adumbraſſe:

Ambr. in pſal. 81. *Hieron. ad Ruſtic. ep. 4.*

Quibus titulis diuitiæ male partæ à ſanctis nũcupantur.

Eſt quando vberior vitiorum copia, *Iuuenal. in ſatyr.*
quando maior auaritiæ patuit ſinus.

Quoniam verò auaritia multiplicium non tam pecuniarum, quàm ſcelerũ auctuario in dies, alienoque tantum diues detrimẽto excreſcit, cũ maximè ſuam auide, inſtanterque rem prouehit, certam, ſupremamque alienis infert domibus, rebuſque vaſtitatem, ita vt vno duntaxat immutato inter legendum apice *fœnus*, Ambroſio teſte, ac *funus* abinuicem diſtent, expeditusq; ac facilis ſit *tandem à lucris ad damna perditionẽq;* auaris, cupidiſque hominibus tranſitus.

Diuitiæ ſcelerum ſunt marita ſunt.

Ambr. lib. de Tobia.

2. Quamobrem ſolemnis illa Apoſtoli in iuſto cupidiores diuitiarum homines, egregiaque vox eſt. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis*. Diuitiæ quippè fœcunda ſunt vitiorum, malorũque germina, & dum abortiuam ingenitis Chriſtianorum abolendis virtutibus vim præſeferunt, certum deniq; animi interitum parere, tum ſacrarum paginarum teſtimonio, tum ipſomet rerũ humanarum experimento compertũ ſatis eſt. Cõgerẽdis enim auida manu pecunijs intenti, odibiles tã Deo, quã hominibus, inter ipſa pecuniarum, ac fœnorum incrementa, infelicem vitæ peſsimo tandem fine vſuram numini exoluunt. Enim verò cùm auara hominum crudelitas in tantum excreuerit, *vt nihil* (vti ſupra Ambroſio teſte dictum eſt) *interſit inter funus, & fœnus, nihil inter mortem, ac ſortem diſtet*; rapaces, efferoſq; lucri cupidos, crebra funera, ac frequentes, plerumq; vna cũ animæ diſpendio clades expetunt.

1. ad Timoth. cap. 6. n. 9.

Cupiditas virtutum præfocatrix radixq; vitiorum.

Parùm intereſt inter fœnus, & funus *ſortem* & mortem.

Ad

Maior vis ineſt exemplis ad docendum, quã verbis.

3. Ad aſſertionis autem noſtræ propoſitum, quoniam ad conuincendum exemplis vis maxima ineſt: *homines* enim (vt philoſophus ait) *magis, oculis, quã auribus credũt*, & ſi multa ex antiquis non deſint, quæ ad rem faciunt, apud ſcriptores exempla, nonnullis tamen, ac recentioris dũtaxat memoriæ excerptis; hominem auarũ æquè, ac crudelem, rapinisq; duntaxat inhiantem, ſi libet in mediũ proferamus, qui quotidianis fœnorum extorſionibus ſat diues, inhumanus tamen in pauperes, ac ferrei cordis, diuitiarum vſũ, ac vitæ, qua non niſi ad crudelitatem vtebatur, vſuram iuſto Dei iudicio amiſit, vt Bouerius in Chronologicis Cappuccinorum Frãciſcanæ familiæ tabulis, rem veluti notiſsimam his verbis recenſet:

Crudelis fœneratoris exemplum.

Aliud quoque (inquit) *Velitri, quæ Latij Vrbs eſt antiquiſſima, hoc tempore memorabile accidit. Cùm enim fames totam regionem occuparet, eaque maximè pauperes depaſcerẽtur, Velitrani Ciues pietate in pauperes commoti, publicas in Vrbe eleemoſynas ad pauperum inopiam ſubleuandam colligere cogitãt. Quare Epiſcopum adeuntes, vt cum eo conſilium conferant, cum eo Fr. Hieronymum Camerinenſem noſtri Ordinis offendunt; qui cùm Ciuium erga pauperes pietatem intellexiſſet, opus apud Epiſcopum maximè commendat. Ciues verò viri ſtudio allecti, Hieronymum in hoc officio Collegam, ac Comitem ſibi ab Epiſcopo poſcunt: qui cum eorum votis vltro annuiſſet, ſi Guardiani quoque Velitrani conſenſus accederet; Hieronyimus hominum, qui in ea Vrbe opulentiores erant, ſibi cathalogum dari poſtulat.*

Velitranorũ in pauperes famis tempore pietas. Auctor in Chronicis Cappuc. tom. 1. an. 1563. pag. 607. n. 12 & 13.

Cui cùm Ciues notulam præbuiſſent, inter alios quemdam Ioannem Colam omnium ditiſſimum commemorant: qui tamen vſque adeò auarus, atque in pauperes crudelis erat, vt nullas non modò ijs eleemoſynas erogaret, ſed auidiùs quoſcunque poſſet, expilaret: ita vt cum ſuis mercatoribus, quos ad varia merciũ genera vendenda ſibi plures in Vrbe vendicabat, occultum pactum iniſſet, vt cũ primùm Religioſi ab ijs eleemoſynas peterent, panis Manticæ, vel Lecytho olei ab eis acceptis, quaſi eleemoſynã daturi, ab alijs clam panis, vel olei partem ſubriperent. Quam poſteà ſecum diuiderẽt. Atque hoc pacto ſub eleemoſynæ ſpecie, etiam quæ pauperum erant, ſuffurabatur.

Ioannis Colæ prædiuitis rapinæ.

Commiſſæ doli ſpecie eleemoſynæ.

Quid autem homine iſto ſceleſtiùs, qui pauperes per vim, fraudemq; opprimens expilabat, nedum eorumdem inopiam releuabat; ſed quid inde?

4. *Accidit ergo,* (inquit) *vt dum Ciues cum Hieronymo in pium opus incumbunt, ac Vrbem circumeunt, in Ioannẽ Colam incidant. Confeſtim Ciues Hieronymum admonent, virum adeſſe, qui nullam vnquã eleemoſynam pauperibus erogare ſoleat. Accedit Hieronymus, ac Ioannem Colam humaniſſimis verbis ſalutat; cui cùm publicam pauperũ inopiam expoſuiſſet, cui ſubleuandæ plurimam illi Deus bonorum copiã vltrò elargitus fuerit. ſuadet, vt Domino, pauperibus tribuens fœneretur. Is cùm Hieronymum audiſſet, cuidam tabernario, qui ipſius nomine oleum vendebat, obtruncatis verbis, ait: His dimidium olei. Exiſtimabant ciues à Ioanne Cola dictum eſſe, vt medium olei pondus ab eo illis daretur, maximèque ob rei nouitatem admirabantur. At Tabernarius, qui Ioannis Colæ obſcurum dictum perceperat; cũ à Hieronymo olei lecythum poſtulaſſet; interiorem Tabernæ ſinum ingreſſus, ab eo mediam olei libram detrahit: quam in ſuo vaſe oleario reponit, lecythumq; Hieronymo reddit: qui cùm nihil in eo fraudis interceſſiſſe ſuſpicaretur, cum ciuibus ad aliorum tabernas pergit. At vix paululum proceſſerat, cum Tabernarius poſt eum à tergo clamat: Pater, heu Pater ſubſiſtit*

Rogatus ab Hieronymo de eleemoſyna, adminiſtro furtum imperat.

Diuina in furẽ vltio.

ſiſtit Hieronymus: Tabernarius verò lachrymis perfuſus. Heu me (inquit) alios fallere putabam: miſer, me ipſum feſelli. Deumque iuſtum mei ſceleris vltorem experior. Pro venia obſecro, ò Pater: Oleum pauperibus ſuffuratus ſum, fateor: hoc enim mihi à Ioanne Cola præceptum fuerat, vt libræ medietatem à veſtro lecytho ſubriperem: iuſſis parui, auaritiæ manum dedi, oleum ſubripui. Verũ ecce Deus iuſtus pauperum vltor, ſtatim præ foribus adfuit: vix enim ſubreptum oleum in ingens vas olearium, quod oleo mihi plenum erat, infuſum fuit, cùm vas totum percrepuit, oleumque in ſceleris pœnam effuſum. Iam Dei vindictam agnoſco; iam ſcelus deteſtor; ac futuram Deo Opt. Max. emendationẽ ſpondeo. Rogo, Pater, vt Deum pro me exores, ne deteriùs mihi aliquid contingat. Fraudem quippe, quam auarus pauperum Chriſti ſarcinulis, & eorũdem alimoniæ parauerat, ſuis inſtitiſſe mercibus, ſuamque pariter rapinis perditum iuiſſe annonam ſenſit, ſed rẽ proſequamur:

Vas ingens diſrumpitur in quod effuſũ fuerat oleum raptũ pauperibus.

Veniã poſcit & culpam fatetur

5. *Obſtupuere vniuerſi. res verò cũ Ioanni Colæ renuntiata eſſet, protinus animo expauit, ac diuinum in ſe iudicium præſentiens, poſtridie in grauem morbum incidit. Germanus verò Ioannis frater, quandoquidem de ſpirituali Ioannis ſalute, quam maximo in diſcrimine verſari non ignorabat, ſollicitus erat, Hieronymum ſtatim accerſit, qui cùm ad ægroti lectũm accedens, multis eum verbis ad aliena reſtituenda, ad pœnitentiam, & peccatorum confeſſionom hortaretur; Iis Ioannes nihil reſpondens, horrendos duntaxat, ac terribiles, tauri inſtar, mugitus edebat; quibus adſtantibus pauorem incutiebat. Sæpiùs verò cum oculos in arcam quamdam nummariam defigeret, rei cauſam Hieronymus à germano ſciſcitatur: Reſpondet ille, ſeptuaginta millia aureorum ibi occluſa contineri: Mox Hieronymus ad Ioannem. Quid (inquit) Ioannes de tot nũmis acturus? Cui ægrotus, qui eò vſque tacuerat: de ijs (inquit) cùm primùm à morbo conualuero, diſponam. An non conſultius eſt, inquit Hieronymus, vt ad fænorum tuorum damna reſarcienda, dũ ſupeſtes es, nummorum partem pauperibus eroges? Cui cùm Ioannis ſolis duntaxat rugitibus reſponderet; animaduerteretque Hieronymus ſe cum Ioanne oleum, & operam perdere, alios ſibi fratres à Guardiano adiũgi poſtulat, qui ægroto alternatim aſſiſtãt, ac ſalutaria monita adminiſtrantes Ioannis animum ad pœnitentiam prouocent. Accedunt fratres, ac pia erga Ioannem officia præſtant. Quibus tamen cũ nihil proficerent, nihilque ægrotus, præter formidabiles boatus redderet, ruẽte iã nocte, iubet Hieronymus plures faces in aula accendi, quæ adſtantibus metum, quo ob horrendas Ioannis voces terrebantur, leniant. Iam quinta noctis hora eff luxerat, cũ ventus vehemens in domum repentè irruens, ligneis feneſtrarum cancellis comminutis, aulæ feneſtras, ac fores ingenti ſtrepitu patefacit, faceſq;, quæ in aula ſplendebant, extinguit. Fratres verò, qui in aula erant, penè timore exanimati, inter tenebras humi iacebant; cùm Hieronymus cæteris animoſior familiam accerſit, lumenque afferri iubet. Adfuit confeſtim cũ lumine Ioannis germanus, qui cũ aulã ingreſſus fuiſſet, cuncti lectũ ægroti combuſtum, Ioannemque à dæmonibus raptum, ac per aulam raptatum, ex ſignis, quæ in pauimento reliquerat, deprehendunt. Solarium quoq; quod extra feneſtram prominebat, vnde Ioannis corpus aſportauerant, igne exuſtum intuentur. Hoc pacto infelix, æterna ſua damtione, pauperum, quos deuorabat, pretiũ exoluit. Diuitias, quas malè parauerat, inuitus deſeruit: mortuuſque eſt diues; & ſepultus in Inferno.*

Ioãnes Cola morbo oppreſſus

Monitus vt expiet ſcelera rugitus immanes dat

Abnuit elargiri pro vſuris expiãdis eleemoſynas

Dæmõn in eum irruit.

Præſentibus omnibus rapit & lectũ exuſtum relinquit.

6. Vides, quem exitum auarus iſte

vitijs

Digitized by Google

vitijs æquè locuples, ac diuitijs ſortitus ſit, qui pœnas pro illicitis, quas extorquebat, vſuris, & pro pecunia, quam pauperum ſubleuandæ inopiæ denegabat, æternas incurrit.

Ex relatione P. Fr. Baſilij Nolani ex Cappuec familia.

Luculentã horũ, quæ diximus, fidẽ facit id, quod apud Veronam Vrbem Ciſalpinæ Galliæ imprimis nobilem accidiſſe fertur. Hic annis præteritis infimæ quidem plebis homuncio cũ artificio ſarciendi calceos, quod à parentibus loco hæreditatis acceperat, non exiguam vitæ partem toleraſſet, impotens vlterius ferendæ paupertatis, quod tenuis ex moleſtiſsimo labore fructus caperet, ad fœnus exercendum animum, & induſtriam adiecit, eam compendiariam ad parandas breui magnas opes futuram Iudæi cuiuſdam familiaris conſilio ſibi perſuadẽs. A paruis igitur profectus initijs paulatim procedendo, mox creſcente lõgiora per interualla aceruo, maiores lucri acceſſiones in cumulum aggregando, intra decem & octo annorum ſpatium ad cenſum aureorum milliũ ſummam peruenit; nulla enim omiſſa deteſtabilis artificij machina, qua huiuſmodi improborũ auiditas, inopia, & anguſtiis miſerorũ ad quæſtum immodicum abuti ſolet. Namque peſſimum magiſtrum ſolers ad hauriendam iniquitatem diſcipulus breui ſuperauerat.

Vſurarij celebris funeſta narra-

Ex inopia ad ingentes opes arte fœneratoria peruenit.

7. Cùm autem infamiæ, quæ eiuſmodi induſtriam ſequi ſolet, ferendæ ſatis obfirmatam frontẽ non haberet, iniuit rationem, qua cum impuriſſima vita, rarò ſociabilem bonæ opinionis odorem coniungeret, Pietatẽ, animumque diuino cultui impenſe deditum aſtute ſimulat, aſſiduè in ſacris ædibus conuerſando, affectata de rebus diuinis colloquia miſcendo, habitum, vultumque ad grauitatem componendo, & ſacramenta pœnitẽtiæ, atque Euchariſtiæ ſingulis menſibus, prima cuiusque Dominica die religioſè admodùm, vt exterius videbatur, obeundo. Cũ interim leuia quædam peccata ad ſacerdotem conſcientię arbitrum illius, aures minime offenſura deferret; grauiſsima verò flagitia, quibus animam ſuam quotidie iniquiſsimo latrocinii genere obſtringebat, omninò reticeret, quaſi tã falli diuina prouidentia immani illo ſacrilegio poſſet, quã improuida miſerorũ ſimplicitas ab incredibili quadam eius induſtria fallebatur, qua illos ad immania rei familiaris, quæ accipiebant vulnera, ſtupidos, & indolentes effecerat; Et habet hoc peculiare aſtutiſsima fœneratorum natio, vt præcipua ſuorum conſiliorum momenta conferat, quò præſentis commodi lenocinio, verborum etiam illecebris condito, obnoxios ſibi eorum animos faciat, quibus maximè pernicioſa eſt.

Pietatem dolo ſimulat.

Diteſcit crudeliter ex inopibus.

Abradit prædas à locis pijs.

8. A' manibus tot ſordium fœditate pollutis, cor quoque facili negotio vitium contraxit in ſuperſtitionẽ teterrimam lapſum, quod veteri illi à Pythagora ortę de animarum trãſmigratione vanitati pertinaciter adhæſiſſet, quæ vacillantem in ſuſcepto pridem malæ conſcientiæ propoſito animũ penitùs obdurauit, & ad verba ſalutis, quæ vel inuitis eius auribus interdum accidebant, obſurdeſcere fecit. Commouit nihilominùs deteſtabilem hominis duritiẽ flexanima facundia Baſilii Nolani, è familia Capuccinorum, egregii noſtra ætate verbi diuini præconis, cũ fortè in Eccleſia de praua peccandi conſuetudine, ac difficili conſuetudinarij peccatoris ad ſalutem acceſſu verba faceret, ſimulque de Euangelico illo Villico mentionem inferret, qui fraudãdis Domini ſui facultatibus indebita

Tranſmigrationem Pytagoream animarum aſtruit.

Baſilius Capucinus inſignis Euangelij præco.

ſibi compendia, & commoda compa-rauerat; Quod fortè locus ille diuini codicis commodum ea die in miſſæ ſacrificio legebatur, & præcipuum concionis argumentum erat. Intelligebat probè omnem illam orationis grauitatem, omneſque ſententias ad ſe potiſſimùm pertinere, vtque illum cœleſtis eloquentiæ dulcedo attentũ, ac in audiendo defixum habebat, non potuit pauliſper non emollire, ac de m utanda vitæ ratione ſtrenuo, & homine Chriſtiano digna conſilia agitare, quæ tamen omnia vix à limine templi egreſſo, non ſecùs, ac ſemen bonũ arenti aruo cõmiſſum, cõtinuo excidere, vt nihilo ſegnior in perſequẽdo ſuo rapinarũ incæpto, tẽporario illo ad pietatẽ impetu factus ſit.

Concionem iuſſu Epiſcopi habet de villico iniquitatis.

Suſcipit auditor auarus reſipiſcendi conſilium, ſed poſtea abijcit.

9. Tandem ad vitæ finem cõtracto letifero morbo deductus eſt, cùm biduo ante infeliciſſimum ſui exitus nuncium accepiſſet, quo ad quintam decimam diem de morte, & animæ ad inferos deturbandæ ſupplicio admonitus eſt, à quodam typographo, quẽ ob impreſſos contra Iudaicam perfidiam libellos petulantibus verbis increpitum, ac minis territum contra ſe irritauerat; nec ſecùs ac innocens ille diuino forſitan admonitu prædixerat, factum eſt: Ipſa decimaquinta die poſt exitialem acceptam denunciationem extinctus eſt. Interim affixus lectulo, ac vitæ diffidens; nihilo meliorem vltimum inchoatæ fabulæ actum egit, ac cæteros egerat: ſalutare pœnitentiæ, ac Dominici corporis pabulum næ per ſimulationem ſibi admoueri paſſus eſt, omni Confeſſarij ſui, virorumque religioſorum, qui rei nouitate commoti frequentes ad illũ adibant, cohortatione, precibuſque contumaciſſimè repudiatis, præcipuè Fr. Iacobi à Cadoro Capuccinorum Cœnobij præfecti, qui cũ blanda, &

Dies illi ad diuinum tribunal indicta eſt.

Morbo implicitus de æterna ſalute deſperat.

charitatis plena oratione hominem aggreſſus eſſet, & ad veniam peccatorum conuerſo, & pœnitenti non defuturam, à Deo petendam admonuiſſet, conſumptum eſſe aduerſus ſe omnem diuinæ miſericordiæ fontem reſpondit; maiora eſſe ſcelera, quæ per omnem vitam cõmiſerat, quàm, vt veniam expectaret: elapſum eſſe omne ſpatium, quod ſibi ad corrigendam impietatem, & gratiam diuinam promerendam tributum eſſet: imminere ſibi certum æternæ perditionis ſupplicium, proinde omitteret intempeſtiuam ſollicitudinem erga perditũ, & deſperatũ, ſeque vana & nihil profutura curatione fatigare ne pergerẽt. Cumq; impia hęc, & diuinæ bonitati cõtumelioſa eſſe Frater Iacobus ſubiiceret, omnique ope miſerum à tã vecordi perſuaſione abducere niteretur, nihilo ille in conſilio ſuæ deſperationis, remiſſior. *Noui* (inquit) *inuitum te procurationi tui cœnobij impoſitum; id porrò ex gratia potiſſimũ factum eſſe ſcito, vt eſſet in hac Vrbe, qui huius meæ calamitatis ſpectator ſimul, et non infacundus ad multas gentes narrator homines à ſceleribus, quæ me huc adduxerunt, meo exemplo deterreret*. Hic alia ex alijs à ſe per omnem vitam patrata flagitia ordine exequi inſtituit meliore aliquanto fide, quàm quæ in confeſſionibus proprio ſacerdoti factis ad reconciliandam ſibi cœleſtium pacem narrare ſolitus erat; Nihil enim quàmlibet enorme, ac nefarium omiſit, vtque inhorreſcentem, quæ præſens erat, turbam ſubmouere Frater Iacobus tentauerat inhibuit ille participes tam miſerabilis ſpectaculi quamplurimos eſſe cupiens, nec verò diuina id paſſa prouidẽtia eſt, cuius occulto nutu fiebat, vt recedere volẽtes pedem efferre à limine vi quadã arcana prohiberẽtur.

Ad ſacerdotum pia monita obſurdeſcit.

Recenſet ſua grauia ſcelera ſine ſpe veniæ.

Profitetur pœnitentiæ tempus ſibi elapſum.

Itaque

Digitized by Google

Pœnitere iam non posse etsi maximè vellet.

10. Itaque vniuerſis audientibus incœptum horribile acroama exequi perrexit, cùm ſuper ſcelera,& flagitia contemptum à ſe non ſemel profeſſus eſt neceſſarium diuinæ gratiæ donũ, ac ſalutarem cœleſtis auxilij medicinam repudiatam, quæ ſibi offerri à manifeſto Dei numine ſæpiùs intellexerat, nominatimq; motum illũ animi, quo ex Baſilij Nolani concione ad mutandum vitæ inſtitutum affectus fuerat, teſtatus eſt. Quin & coniugem, quaſi receptricem furtorũ,criminumque ſociam, nec imminentis ſupplicij immunem futuram, adeoq; iam mortuam prædicabat; & ne ſe quiſquã alienatum à mente, vi morbi eſſe crederet, præſentem famulum identidem admonebat fraudum,quas illo miniſtro in mercibus detrahendis adhibere ſolitus erat, nec ille conſciẽtia factorum quaſi conuictus, quorum arguebatur, inficiari auſus eſt. Multa ille de ſua miſeria,de fugienda vitæ ſuæ imitatione,de rerum humanarum vanitate, de æterna vita, æterniſque ſupplicijs ad vnicum filium, quem ea gratia accerſiuerat, facundè, ac ſapienter diſſeruit, auctorque illi magnoperè fuit, vt partas per flagitiũ opes, quas in hæreditate reperturus erat,quaſi dapes noxio medicamento infectas à ſe remoueret, neue candidiſsimum alioquin animum ſuum peſtiferis, quas inde cõtracturus erat, inquinamentis fœdaret; vt mirum videri poſsit,quid ita fieret,quod codẽ ipſe conſilio vti nollet,cuius in altero neceſsitatem adeò ſolerter intelligebat, tantaque eſſet mẽtis cœcitate,vt in comparanda cũ humanis peccatis inexhauſta Dei clementia veterem Caini impietatem inflexo,obſtinatoq; animo imitari pergeret. Poſt multa, denique in hanc ſententiam miſerabili voce, trucique vultu non ſemel perorata, aquæ poculũ ad ſedandam ſitim popoſcit, hauſtaque auidè potione, criſtallum,qua ea ſibi porrecta fuerat, crebris contriuit morſibus, & cũ ingenti omnium admiratione ſic contritam, comminutamque deglutijt. Mox quaſi in rabiem, furoremque verſus,proprias carnes dentibus appetere inſtituit, multiſque alijs argumentis declarans vecordiam animi, inuſitato quodam cladis genere oppreſsi,atque obruti, omni ſacerdotum certatim illi ſpiritualia remedia ingerentium ope repudiata: itaq; immundum,& omnibus auaritiæ, cæterorumque vitiorum ſordibus inquinatum ſpiritum infelicisſimè nõ emiſit, ſed proiecit, terrore vniuerſæ Ciuitati non mediocri iniecto; quippe ſtatim vulgata per omnium ora res eſt,& frequentibus per omnes circulos celebrata ſermonibus, nemine, quid actum eſſet, dubitante, poſtquã cadauer non ambiguis æternæ damnationis diſtinctum notis,nullo conſueto Chriſtianis cineribus honore affectum eſt,ac tumulo,quo infideliũ corpora condi ſolent, tanquam brutæ cuiuſdam belluæ humatum, ac ne filius quidem ex paterna hæreditate quidquam capere ſuſtinuit, niſi quod ſubductis piorum,ac prudentium iudicio rationibus,ab omni illiciti quæſtus contagione liberum, & immune viſum eſt.

Vxorem mortuam iam diu cõtendit, quæ vſurarum particeps fuit.

Famulum ſceleris conſcium obiurgat.

Suadet filiõ vt opes male partas abijciat

Dei gratiam ſibi denegatam exclamat.

Rabie, ac ſiti moriturus tabeſcit.

Deſperans de Dei miſericordia moritur.

Cadauer impij Iudaico ſepulchro mandatum.

Filius hæreditatẽ patris adire non auſus.

11. Tragicam vero hiſtoriam publicis, (vt par erat) tabulis conſignatam, & complurium fide dignorum teſtimonio comprobatam, nobiſque iſthæc conſcribentibus exhibitam, apte his noſtris paginis, vbi de peſſima auarorum hominum morte agitur, iureq; merito inſerendam voluimus. Opportune autem ſubtexendum hic eſt, quid auaro homini, Chriſtianæ fidei cultori, ac

Diuinæ vltionis exemplum in Chriſtianũ auarum, ac blaſphemũ.

Digitized by Google

prædiuiti,ſed vſuris apprime dedito, & plus auri,quàm ſalutis cupido contigerit, qui in Beatam Virginem,poſt ſanitatis,quæ eius ſibi patrocinio præſtita fuerat,beneficium blaſphemus, ſoſpitatem denique, ac vitam deſperatorum inſtar amiſit; Cũ enim pro obtinenda corporis ſanitate, certam pecuniæ ſummã Deiparæ Lauretanæ Virgini nũcupato ex voto ſpopondiſſet,vbi priſtinæ eſt incolumitati redditus, votiuã à ſe abdicaſſe pecuniam ægrè ferens,haud gratis acceptam,ſed redemptam auro ſanitatem, mẽbrorumque ſibi caro ſteriliſe vſum aſſerendo conqueſtus, lepra iterum reſperſus, acerboque dolore excruciatus,totis exclamans viribus infeliciter deceſſit, quod veluti rem nouiſſimo geſtã ſæculo Auguſtinus Mannus noſtræ Congregationis presbyter in ſuis ſelectis hiſtoriis hunc in modum deſcribit.

Auarus à Deo punitur,

Theatinus diues lepra percuſſus. *Auguſtinus Mannus in ſelect. hiſtor. cap. 94.*

12. In Ciuitate Theatina (inquit) *quæ eſt apud Brutios, erat quidam vir ditiſſimus, qui penè maiorem partem facultatum ſuarum fœnore comparauerat. Hic Deo vlciſcente in corpore, quod in ære malè quæſierat, lepra percuſſus eſt. Cũ autem quadam die grauiſſimè hoc morbo torqueretur, B. Virginem inuocans, deliberauit mittere eleemoſynæ gratia centum aureos ad domum Lauretanam, vt ipſa impetraret ei ab eius filio ægri corporis munditiem, certòque confidens ipſam ſibi hanc gratiam eſſe praſtituram, & à lepra eſſe mundandum. Quamobrem centum cæpit aureos, & in crumena abſcondit, deditque famulo ſuo ad ſanctiſſimam domum perferendos. Profectus eſt famulus, et pecuniã domini attulit, numerauit, recepta ab actoribus fide de numerata pecunia: Et ad dominum ſuum reuerſus, inuenit (mirabile dictu) terribili lepra liberatum. Quamobrem diues accepto cœleſti munere, & tanta ſalute lætatus cæpit exire de domo, & conuerſari cum hominibus, qui videbant eum, & ſtupebant.* En tibi efficax, præpotenſque Deiparæ in patrocinãdo ſuffragium; vix enim miſer ore, manuque ſupplex auxiliarem ab ea opem implorat, votiuamque pecuniã tranſmittit, cũ lepra è corpore conſeſtim auolat, atque eiuſdem caro, velut caro pueri priſtinis officiis redditur. Sed quid homo pecuniæ auidus pro nobili accepto ſoſpitatis munere, Virgini,quæ gratiarũ diues extiterat, impie,illiberaliterque præſtitit,eodem narrante Scriptore excipiamus.

Concepta de Virginis ope ſpe centum aureos ad ædem Lauretanam mittit.

Diuinitus à lepra mundatur.

13. *Quadam autem die comitabantur eum duo nobiles viri, qui de impenſa ſibi à Virgine gratia, gratulabantur ei, cùmque illis præ gaudio monſtraret manus ſuas mundas ſicut pueri, tunc alter ex illis, qui ei amicitia coniunctiſſimus, dixit ad eum cum magna animi benignitate: Domine admoneo te, quanta poſsũ charitate, vt poſtquàm tam magnum beneficium, tã incredibili miraculo conſecutus es, manus tuas ampliùs ſolitis fœnoribus non coinquines, ne lepra, quæ te ob fœnora percuſſit, iterũ reuertatur in idipſum, aut deterius aliquid tibi forſan contingat. Hæc autem verba magna animi modeſtia ab illo in fœneratorẽ prolata ſunt. Tunc diues ille ad eum ſubridens: ſi fœnerari peccatum eſſet, Beata Virgo mecum fœnus non exercuiſſet. Oportuit enim pro ſanitate recuperanda centum aureos me mittere ad illam. Quod cùm audiſſent nobiles viri prorſus ſcandalizati ſunt, & acriter increparũt illum, quoniam tam nefanda verba, & ingratitudine plena dicere auſus eſſet; videnteſque illum in ſua opinione pertinaciſſimum receſſerunt ab eo. Diues autem totus iracundia commotus, & viris illis infenſus, reuerſus eſt in domum ſuam, & facto veſpere poſtquã cœnauit, turbatus it cubitum: Media autem nocte expergefactus, & clamor ab eo factus eſt tã grandis, vt totam domum eiulatu impleret*

Monetur ne amplius fœneratoriam artem exerceat.

Blaſphemat ſibi Deiparam ex fœnore valetudinem reſtituiſſe.

Pios monitores deridet.

Diuina vltione opprimitur media nocte.

impleret dicens: Hei *mihi, hei mihi, ferte queſo opem, quoniam morior: hei mihi, quoniam euadendi remedium non inuenio. Vxor autem eius tã magno clamore perterrefacta ſurrexit, & iuit ad virum ſuum dicens, quænam tanti clamoris cauſa eſſet? Cui ille: Hei mihi quoniam lepra iterùm percuſſus ſum, & magis torquet, quàm priùs, ita vt moriar: actum eſt de vita mea: En ſubter renes meos ſentio, quaſi titionem igneum, cuius ardore nimis crucior. Tunc vxor miſeratione mota, cùm videre voluiſſet locũ, in quo cruciabatur, ibique crumenam cũ centum aureis, quos ad Lauretanam domum tranſmiſerat, inueniſſet, eamque cum oſtendiſſet viro, exclamauit ille dicens: Veh mihi miſero, quia damnationẽ expecto, & video qui rapit, & non eſt qui eripiat; clauſit Virgo aures, ne ampliùs audiat vocem meam.* Cùmque ita *loquutus fuiſſet, iuſto* Dei *iudicio miſerabili morte conſumptus eſt.* Hæc Mannus de auaro homine, ac fœnerandi arte præcipuo, qui in Deum impius, in Deiparamque blaſphemus extitit, lepra primũ, diraque poſtmodum clade mulctato in ſuis paginis narrat, qui cum magis crumenam, quã conſcientiam, aurumque potiùs, quam Deum coleret, manifeſtum à Deipara, quæ miſericordiæ mater eſt, cunctiſque miſericordiam exhibet, perditionis iudicium expertus eſt. Qui enim illiberaliter ſe, nedum impie, alter veluti Nabal, erga Sanctiſsimam Dei matrem ob pecuniam, quam deperibat, hactenus geſſerat, haud diu gratiarum muneribus, ſupernaque eius liberalitate perfrui, ſed vltricem eius pro blaſphemia manum ſentire promeruit, quo illud Sapientis, quod virgini congruit, oraculũ adimpleretur: *Qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam.*

Crumena cum centũ aureis quos dederat illi reddita cũ lepra & grauiore ſupplicio.

Sine ſalutis æternæ ſpe moritur.

Prouerb. cap. 8. 36.

14. Vt ſuſceptæ autem de Auaris hominibus narrationi finem faciamus, alterum vel obiter ex gentilibus poſt reſecitos hactenus è Chriſtianis, qui nimio conſlandarum diuitiarum cupiditate detenti diem ſubito, inopinoque fine clauſere, hic ob oculos lectori recolendum offerimus. Poſtremo igitur loco improuiſus Senecionis viri opulentiſsimi exitus à Seneca eleganti ſtylo, & ad Chriſtianos item mores inſtruendos compoſito contemplandus proponitur, ex quo, haud obſcurum mortalibus, diuitibuſque rerum fluxarum, humanæque inſtabilitatis argumentum ſuppetit. Gratis itaque auribus excipiamus. *Omnis* (inquit) *dies, omnis hora, quàm nihil ſimus, oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cũ æterna meditantes reſpicere cogit ad mortem. Quid ſibi iſtud principium velit, quæris.* Senecionem Cornelium, *Equitem Romanum, ſplendidum, & officioſum noueras; ex tenui principio ſe ipſe promouerat, & iam illi decliuis erat curſus ad cætera. Faciliùs enim creſcit dignitas, quàm incipit: pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dũ ex illa ereptat. Hic etiam Senecio diuitijs imminebat, ad quas illũ duæ res ducebãt efficaciſſimæ, & quærendi, & cuſtodiendi ſcientia, quarum vel altera locupletem facere potuiſſet. Hic homo ſummæ frugalitatis, non minùs patrimonij, quàm corporis diligens, cũ me ex conſuetudine mane vidiſſet, cùm per totum diem amico grauiter affecto, & ſine ſpe iacenti vſque ad noctem aſſediſſet, cũ hilaris cænaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, angina vix compreſſũ arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergo horas, poſtquam omnibus erat ſani, ac valentis officijs functus deceſſit. Ille, qui & mari, & terra pecuniã agitabat, qui ad publica quæque nullum relinquens inexpertum genus quæſtus ac-*

ceſſerat,

Seneca ad Lucillum Epiſt. 101.

Senecionis auari deſcriptio.

Fortunæ inter diditias adblandientis deſcriptio.

Modici ſeris penuria ingentium opum Dominus emoritur.

Digitized by Google

Diuitiæ tandem hic relinquuntur.

ceſſerat, in ipſo curſu benè cedentium rerum, in ipſo præcurrentis pecuniæ impetu raptus eſt. At quid homine iſto diuitiis, honorumque faſcibus tam ſplendidè aucto,& ad maiora quæque adblandiente ſibi fortunæ alea benè currenti felicius? Quid autem iſto ſuas inter diuitias, infulaſque præcluſis tādem faucibus ſubito,inopinoq; exitu è viuis abrepto infelicius? qui ſuis ſe nihil profeciſſe diuitiis, ſuos nil ſibi profuiſſe faſces, inops conſilii, citaq; morte præuentus intellexit.

Baron. tom. 1. an. 69. n. 44.

15. Hic verò Baronium Chriſtiano digna Philoſopho, aureaque prorſus ſuper huius obitu lectori ſuggerētem verba audire operæ pretium eſt. *Quàm ſimilis hic diuiti illi*, (inquit) *ad quem ſententia illa ex Euangelio:* *Stulte nocte iſta animam tuam repetent à te: et hæc, quæ congregaſti, cuius erunt?*

Lucæ 12. 20.

Iſthæc autem de Senecione ea potiſſimum occaſione in ſuis Annalibus Baronius meminit; quia dum ipſe hęc conſcriberet, ſepulchralis eiuſdem lapis è tenebris in lucem veniens, huius ſupra modum diuitis memoriam altius intuentium menti refricauit. Quoniā verò hic & nos quoq; opportunè meminimus, eius item epitaphium, perpetuæ futurum ignominiæ titulum, monumentumque diuiti vna cum cæteris nunc apud Inferos ſepulto ſuggeſſiſſe haud ab re duximus: ſed ipſum hic loquentem Baronium conſulamus: *Vt hæc tibi*, inquit, *de gentili homine adderemus, illud impulit, quod accidit, vt Romæ his diebus è ruderibus effoderetur eiuſdem Senecionis, cognomento Cornelij, lapis ſepulchralis inſcriptionis, quam tibi hic videndam curauimus; ſic enim ſe habet:*

Eiuſdem Epitaphium poſt plura ſæcula refoſſum. Baron. to. 1. vbi ſup.

D. M.
CORNELIAE PROCVLA.
ET PLACIDA. FECER.
Q. CORNELIO. SENECIONI. PROCVLO. PRAETORICIO. LEGATO. PROVINCIAE. ASIAE. FRATRI BENE MERENTI.

16. At Ethnici hominis exemplo, quod à gentili ſcriptore excerpſimus, enarrato, his interim de auaris hominibus, ac in Deum, & homines contumelioſis, quorum cupiditati nullus eſt modus, nullus eſt finis, dicendi finem faciamus.

Auaritiæ nullus eſt finis.

CAP. XVI.

Aſtrologiæ Iudiciariæ, ac Genethliacæ artis Sectatores.

1 IMproba, curioſaque Aſtrologorum ars, infida ſemper, fuiſque fallax extitiſſe conuincitur; adeò quippe nugis, mendaciiſque redūdat, vt mirum, ſi Aſtrologus poſtquam orbes cæleſtes dimenſus eſt, atq; aſtra de more inſpexit, conſuluitque, vbi ad ferendam de humanis actibus, moribuſque ſententiam venit, verbum proferat, quin ſtatim aperti reus mēdacii non arguatur. Huic enim longæuam vitam, feliciſſimos dies, alteri honores vltrò, atque opes, ſecundos rerum euentus, fauſtum belli exitum, læta cuncta, cuncta proſpera, dum ex aſtrorū proſpectu enunciant, repromittuntq;, repentina, quæ præter ſpem, expectationemque obrepit infelicitas, omnimodam Aſtrologorū dictis fidem, aſtriſque infallibilem, quam hi ampullanti ore iactant, vim adimit, vt elegāti olim carmine Martha Marchina Virgo Partenopenſis, miræque

Aſtrologorum ars nugis, ac mendacijs plena fidem nullā meretur.

Miles Aſtrologus imperitus, æquè in conſulendis aſtris, ac in bellis gerendis.

miræque pietatis, & eruditionis inter huius noſtri ſæculi poetrias iure merito ſuſpicienda, de milite Aſtrologo, qui mendaciis duntaxat ſuffultus, ſuis non tam fidem nugis, quàm riſum promeruit, aptè in rem præſentem cecinit:

Martha Marchin. in lib. Carminum pag. 141.

Miles, & Aſtrologus, qui nunquam prælia vidit,
Sidera, ſed forſan cum ſine nube forent.
Omnia prædicit, quæ ſunt ventura, ſed aſtra
Decipiunt vatem non benè viſa ſuum.
Hic, inquit, viuet felix: huic auferet omnem,
Parca diem: at contra viuit hic, ille perit.
Non verum hoc fuerit, quod Phœbi oracula dicunt,
Id verum eſt, noſter quod negat Aſtrologus.

Martha Marchina rem ſuis carminibus elegãter cecinit.

2. Cuncta igitur vana, irritaque prædicentis verba, & Aſtronomorũ oraculis prorſus contraria, ſcientiam, quã delirus iſte iactabat, futilẽ omninò habendam, deridendamque magis, quàm prædicandam, conſulendamque ſatis apertè demonſtrant. Et ſiquidem optimè Ieremias diuino afflatus lumine iudiciariam Aſtrologorum ſcientiam, veluti mendaciis immane redundantem ſugillans ait: *Et à ſignis Cœli nolite metuere*. Aſtra quippe, ac ſolem, & Lunam Deus ad deſignanda mortalibus tempora conſtituit, & vt diuinæ teſtantur paginæ, *Vt ſint in dies, menſes, & annos*, & vt ſint inſuper in ſigna pluuiæ, æſtus, ac frigoris, quæ orbi obuentura ſunt, rerum verò coniecturalia dũtaxat, quæ ſæpè prædicentem ſub ipſo aſtrorum proſpectu, enuntiantemque fallunt. Iuxta quod lepidum nobis, argutumque Aſtrologi illius ſuppetit argumẽ-

Nil certi ex aſtris, quo ad humanos mores affirmari poteſt.

Ierem. cap. 10. n. 2.

Gen. c. 1. 14.

Coniecturis tantũ Aſtrologorum ars nititur, proficitque.

tum, qui à principe, dum ad venationem iret, de die, an ſerenus, an nubilus è contra futurus eſſet, interrogatus, haud dubiam aeris ſerenitatem edixit: cui ruſticus ſubinde obuiam factus, coniectandique arte ſuffultus, certã pro ſerenitate pluuiam intimauit. Atqui princeps probè à ruſtico rei veritatem edoctus, pluuialibus ſubinde aquis, vt prædixerat, obortis, ruſticum ſuum fecit, renuntiauitque Aſtrologum, Aſtrologum verò rurali operi, aſtriſque abdicatum raſtro deſtinauit. Quod arguto ſatis epigrammate, quiſquis ille auctor eſt, expreſſit.

Aſtrologus ſuis nugis principem fallit contra ruſticus bene coniectare aſſuetus.

Dixerat Aſtrologus cælum ſine nube futurum,
Principe ſyluarum luſtra petente ſuo.
Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem,
Vertere conſuetus bobus arator humum.
Vix ingreſſus erat princeps nemus ilice denſum,
Cùm ſubitò pluuiæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem princeps, illumque docere,
Aſtra, ſed Aſtrologum ſumere raſtra iubet.

Cornelius à Lapide c. 10. Hier. n. 10. Aſtrologus ab Aſtris ad raſtra principis iuſſu transfertur.

3. Ab aſtris igitur ad raſtra facilis, expedituſque præter ſpem homini tranſitus fuit, vtpote qui aſtris haud benè perſpectis, conſultiſque, ac mendaciis ſuffultus, conſulentes non tam veritatem, quàm vanas nugas edocebat. Itaque philoſophus, qui pridem ſe, nimiumque ſuſpiciens terrã dedignabatur, quam calcabat, aſpicere, oculiſque cœlum perluſtrans, perſcrutandis duntaxat aſtris mentis aciem, atque obtutum defixerat, alter velut Icarus præceps extemplo factus, certũque lucratus exitium, non tam

Aſtrologus aſtris defixus miſerè perit.

tam hominis, quàm Dei imperio, humi, vt ſeipſum agnoſceret, meritò affixus, addictusque eſt. In quam rem aptè illa Alciati in ſuis emblematibus carmina conſonant, quæ hic vel obiter lectori delibanda offerimus.

Alciat. in Emblem. pag. 103. apud Corn. in c. 10. Hierem. pag. 118.

Icare per ſuperos, qui raptus & aera, donec
In mare præcipitem cera liquata daret.
Nunc te cera eadem, feruenſque reſuſcitat ignis.
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Aſtrologus caueat quidquam prædicere: præceps.
Nam cadet impoſtor, dum ſuper aſtra volat.

Homo igitur, qui ſuam ob humo originem, nominiſque ab imo deriuationem trahit, ab aſtris nimis curioſè perluſtrandis abſtineat, præcipiti alioquin ſuam curioſitatem lapſu obteſtaturus, & certum ſuæ cunctis daturus cladis, ac ruinæ argumentum.

4. Quapropter hic, vbi opportunus de Aſtrologis ſermo incidit, ne gratis, ac temerè eos, eorumdemque artem proſcripſiſſe, ac infelici inſuper exitu prænotaſſe videamur, nonnulla vel obiter præmittenda, ac illud in primis expoſuiſſe operæ pretiũ eſt, quã noxia videlicet, & quam funeſta, haud ſuis duntaxat ſectatoribus, ſed toti etiam publicæ Chriſtianorũ rei, ac religioni orthodoxæ Aſtrologia potiſſimum ſit, quã Iudiciariã dicunt; hãc enim paucis Auguſtinus verbis, ſed aculeatis viſus eſt perſtrinxiſſe, qui vt conſcientiæ, ac conſultantium item ſaluti conſulat hæc ait: *Nil tàm contra Chriſtianos, quam ſi arte matheſeos, Aſtrologiæ adhibeant curam; hæc enim inimica dignoſcitur Dei, ipſam aſtutia, & ſubtilitas inuenit diaboli.* Quibus ille præmiſſis cunctos ſalubriter admonitos voluit, ne curioſitate illecti huic ſe diſciplinæ dedant, adſcribantque diſcipulos, cuius inuẽtor, atque auctor non abſque magno religionis propudio, animarumque diſpendio cacodæmon extitiſſe conuincitur.

Exitialis Aſtrologiæ judiciariæ ſcientia tum ſibi, tum cæteris.

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſtiana cap. 11. Dæmon author aſtrologiæ iudiciariæ.

5. Neque iſthæc vnus præ cæteris ſapientiſſimus doctor in rem preſentem peroraſſe contentus, Genethliacos preſertim acrioribus inſectatus verbis: *Genethliaci*, inquit, *quamuis veram ſtellarum poſitionem, cum quis naſcitur, conſecteutur, & aliquandò etiam perueſtigent, tamen quando indè conantur, vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere nimis errant.* Quibus item conſona ſunt, quæ paulò infra, inſtituti propoſito inſiſtens hunc in modum ſubtexit: *Ex hac* (inquit) *notatione velle naſcentium mores, & actus, euenta prædicere magnus error, & magna dementia eſt.* At ſubinde rem altius deriuando, noxiam omnino artem hanc, ſacrilegis vtpote ſuperſtitionibus redundantem enũtiat: *Omnes* (ait) *huiuſmodi artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitiones, ex quadã peſtifera ſocietate hominum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.* Hæc Auguſtinus.

Auguſt. vbi ſup. cap. 21. Ex aſtrorũ themate euenta conſjici nequeunt.

Aug. vbi ſup. Ea velle prædicere furoris eſt.

Aug. vbi ſup. c. 22. & 23. Aſtrologis mutuum vna cum dæmone fœdus.

6. Diabolo igitur, qui mendaciorũ pater eſt, Aſtrologi ſocietatis glutino iuncti, à recto veritatis tramite aberrare longius, certoq; patere perditionis periculo euincũtur, vt magnus præ cæteris Leo his planè verbis affirmat: *Ille (ideſt Dæmon) mendax eſt ab initio, & in ſola iugiter arte fallendi, vt humanam ignorantiam falſæ ſciẽtiæ oſtentatione decipiat: ſitque eorũ malignus impulſor, quorum poſt futurus eſt improbus accuſator. Anni vitæ noſtræ, & actionum temporalium qualitates e*

S. Leo ſer. 6. de paſſione Domini. Peritum in arte fallendi dæmonẽ ſectantur.

neque

neque in natura elementorum, neque in ſtellarum effectibus, ſed in ſummi, & veri Dei poteſtate conſiſtunt: cuius auxilium, & miſericordiam, in omnibus, quæ obtinere cupimus, implorare debemus: ſicut enim illo offeſo, nihil eſt, quod nobis valeat ſuffragari, ita eodem propitio, nulla nobis nocebit aduerſitas: Itaque cùm impia Aſtrologorũ delirantium ars, Deo, eiuſque prouidentiæ apprimè detrahat, atque aduerſetur, haud alium, quàm cacodæmonẽ ſubdolum, humanæ adblandientem curioſitati, ac ſeducendi maximè cupidum, ſuis facilem votis, fautoremq; ſortitur: Quoniam verò multimodis vna hæc ars ſubdiuiditur: Aſtrologiã potiſſimùm, quam Iudiciariam dicunt, peſſimam veluti luem, qua cuncta ſubindè malorum incommoda inuehuntur, Chriſtiano ex orbe eliminandam, ſapientiſsimis verbis Picus ille Mirandulanus ingeniorum apex, diuinoque veluti calculo aduerſus perditos ſectatores ſententiam ferens, hunc in modum ediſſerit: *Sane luſtrantibus vndique omnia, & Eccleſiæ hoſtes exploranti, non video vndè omnibus plus copiarum, plus armorum aduerſus veritatem ſuppeditetur, quam ex iſta profeſſione; Hinc enim ad impietatem, hinc ad malam religionẽ, hinc ad hæreſes, hinc ad vanam ſuperſtitionem, hinc ad perditos mores, irreuocabilemque malitiam præceps, & facillimus lapſus.* Quibus in perfidos Iudiciariæ profeſſores validè eiaculatis, vnuſquiſq; modò nõ excors, amenſq; perditum inde, inſperatum, deſperatumque eiuſcemodi hominibus è vita exitum impendere, expeditumque ſubindè ad Orcum patere aditũ probè intelligit. Illud enim hic vt cætera ſileantur, vſu frequenter euenire conſueuit, vt funeſtus tandem vitæ finis, non ſecus, ac ſuprema aleæ, infelicitatiſque linea, impiorum delirantium felicitates abſoluat, abſorbeatq; quibus iſtorum quiſque in maxima quæque ſcelera, laxatis curioſæ impietati frænis, ſenſim prolabitur: Enim verò pulchram Aſtrologi, ſpecioſamque ipſa inter aſtra ad perditionis barathrum cæcutientes ſibi viam ſternunt; Quandoquidem aſtris iam bene perſpectis, conſultiſque, ſuis ſubindè diuinationibus, & nefandæ ſuperſtitionis crimen ſubſternunt, ac Fati, nec non hæreſeos, ac turpiſſimæ demùm cum Satana ſocietatis, nouo antiquam ſcelerum impietatem auctuario cumulantes, dum mortalium ſpes eludendo in immenſum adaugent, certam denique certiſſimis, vt aiunt, vaticiniorum oraculis, conſulentium marſupijs cladem, ac præſentaneum tum ſibi, tum ſuis interitum pariunt.

Peſſimę ſunt ſimplicium peſtes, & innumera, quę curioſis mala obueniũt.

Picus Mirandulanus lib. 2 de Aſtrolog. cap. 5.

Pronus eſt ad hæreſim aut ethnici ſmum, aut atheiſmum aſtrologis lapſus.

Aſtrologorũ felicitas infelix.

7. Vt vana igitur, ac futilis Genethliacę artis ſcientia, ac fallax omnino eiuſcemodi Aſtrologorum conſultatio ex his, quæ ſiniſtros exitus ſortita ſunt, comprobetur, ingentes quidẽm Orbi clades ex hiſtoriarum tabulis obtigiſſe conſtat, dum cæli aſtra curioſis ante oculis explorantur, quã ſacræ votis, hoſtijſque aræ deuoto, vt par eſt, mentis obſequio honorentur; & vt exemplo res eluceat; Aſtronomus quidam Pancratius nomine, qui aſtrorum dumtaxat aſpectu cuncta, quæ hominum ſunt regi, ac dirigi cuncta aſſirmabat, cùm ſub redempti orbis anno 791. Conſtantinus Romanorum Imperator, in Bulgaros armis decreturus, rem in conſilium adduxiſſet, vnus præ omnibus iſte aſtris, armiſque ſuis æque fidẽs, prælium vltrò, conſtanterquè Imperatori aggrediendum, certam illi palmam repromittens edixit. Bello igitur inito, immiſſiſque vltrò Romanorum co-

Aſtrologia iudiciaria aut vana, aut dæmonum præſtigiis inquinata.

Baron. tom. 7 an. 574. n. 1. Cõſtantinus Imp. fidens aſtrologorũ pollicitis funditur.

copijs, vbi fauſtum, optatumq; aſtra exitum portenderent, Imperatorem, qui malè ſibi, ac publicæ rei cõſuluerat, Aſtrologos conſulendo, valida pugnantium Bulgarorum vi vna cum ſuis deiectus, terga hoſtibus vertere compulſus eſt, arreptaque turpiter fuga, ſuo proſpiciens capiti, cõfuſione reſperſus, ingloriuſque Conſtantinopolim redijt. Funeſto autem in bello complures hoſtili manu cecidere, & vt ſuus aſtris honor cederet, ipſe præ cæteris, qui rem conſuluerat Aſtronomus, in caſtris gladio trucidatus abſceſſit; is inquam, qui aſtris malè conſultis, bellum temerè adoriendum exhortatus, Romanis deplorandam militibus, infida aſtronomorum arte in arma concitatis, vaſtitatem parauerat; ſed hic rem ex Baronio ſi libet excipiamus.

Aſtrologia [illegible] *meſuax.*

8. *Quo item anno malè propugnatum eſt aduerſus Bulgaros, cùm ſcilicet, (vt idem teſtatur Theophanes) Imperator à pſeudoprophetis certam victoriam pollicentibus deceptus, dũ minùs cautè bellum gerit, ab hoſtibus ſuperatus, fugatuſq; redijt Conſtantinopolim, compluribus deſideratis ex primoribus magiſtratibus: occiſus pariter Pancratius Aſtronomus pſeudopropheta, qui certã ipſi victoriam vanè prædixerat*. Hæc Baronius, futilem, nugacemque aſtronomorum in conſulendo peritiam, merito carpens, eorũdemque conſultantium oracula infelici exitu ſuggillans.

Theophanes in Conſtãtino Baron. tom. 7 an. 791. nu. 1.

Pancratius aſtronomus pſeudouaticinij pœnas luit.

De hac item, quæ infeliciter Conſtantino obtigit, belli Bulgarici expeditione Ioannes Baptiſta Egnatius hæc habet: *Indè Bulgaris Thraciam vaſtantibus bellum indictũ: quod fœliciter ſanè Phocæ ductu ſucceſſerat, niſi caſu quodam conſternati milites iã victores in fugam conuerſi fuiſſent.* Hęc ille, ex quibus victos ab hoſtibus, quos hoſtium fore victores inſanus aſtrorum perſcrutator edixerat, & probè item vnuſquiſque intelligit, haud in rebus, cũ opus eſt, aggrediendis quidquam aſtris, aſtronomiſque fidendum, ſed Deum potiùs aſtrorum principem, cuius nutu, haud aſtrorum impulſu, victoriales pugnantium caſtris arrident palmæ, & cuius potiſſimùm imperio inuicti quique hoſtes facili negotio vincuntur, proſternunturque, opportunis piè, ſolliciteque precibus conſulendum, promerendumque.

Io. Baptiſta Egnatius lib. 2. Rom. pri. c. p.

Non aſtris inanimis, ſed aſtrorum conditori honos deferendus.

9. Porrò opportunè hic, vbi de Aſtrologis ſermo eſt, ex Baronio repetẽda videtur, quæ in Aſtrologos iſtos, ille in ſuis Annalibus his planè verbis inculcat: *Porrò æquè, & Magia execranda viſa eſt Chriſtianis, illa per aſtrorũ aſpectũ fieri ſolita diuinatio, quæ ex Iudiciaria, quã vocant, aſtrologia emanare conſueuit: quamobrẽ Aquila Ponticus eruditione interpretãdi celeberrimus ab Eccleſia eſt eiectus, quod (vt Epiphanius tradit:) geniturarum inſpectionibus, & natiuitatum horoſcopis Vacaret: Sed hæc non ſolùm apud Chriſtianos, verùm etiam apud Gentiles: nã (vt Dio tradit) Auguſti temporibus Aſtrologi, ſicut & præſtigiatores, ſunt ab Vrbe (quod anteà diximus) expulſi: ſanè quidem de Mathematicis Vrbe pellẽdis atrox Senatus Conſultum factum iã anno ſuperiori ex Tacito vidimus*. Verùm quàm malè ſemper apud principes Aſtrologorum nomen oleret, & quàm diſtrictis in eoſdem legibus hi animaduertere conſueuerint, hiſce rem verbis proſequitur: *Quod tamen cùm irritum fuiſſe dicat, non aliud ſignificat, quàm quod alibi de his ait: Genus hominum potentioribus infidum, ſperantibus fallax, quod in Ciuitate noſtra vetabitur ſemper, & retinebitur; hæc idcircò, quod ſæpiùs ijdem legibus Imperatorum*

Baronius to. 1. an. Chriſti 56. num. 41.

Aquila Ponticus ob aſtrologiæ ſtudium ab Eccleſia.

Epiphanius lib. 1. de ponderibus.

Aſtrologi principum edicto proſcripti, atque ex vrbe eliminati.

Dio. lib. 49.

ratorum

Digitized by Google

ratorum inueniuntur eſſe proſcripti, iidē-que rurſus in Vrbe ſemper inuenti: ſed enim quod pertinet ad Epheſios, de quibus eſt ſermo: genus hominum Magiæ addictiſſimum fuiſſe teſtatur S. Hieronymus, in ea enim Ciuitate artium magicarum præſtigiæ admodum viguerunt: Equidem nullibi cariùs, quàm Epheſi Apollonius Tyaneus magiæ ſuæ merces eſt nundinatus, ſi Philoſtrato credimus. Nam & ipſe cum circa hæc tempora Epheſum veniſſet, incredibilem ſanè apud illius Vrbis accolas æſtimationem aucupatus eſt, adeò vt (quod idem ait) ſtatua donatus ab illis, inter diuos relatus ſit, Hæc de Aſtrologis, quorum nomen ſemper apud antiquos, tùm Ethnicos, tùm Chriſtianos, ob perditā iſtorum, nugacemque iactātiam malè audiuit, aptè in rem præſentem Baronius ediſſerit, & nos hic, vbi opportunè infelices Aſtrologorum exitus recenſentur, in mediū proferre haud ab inſtituti propoſito alienum duximus.

Hieronymus in præfation. Epiſt. ad Epheſ. Epheſii magicis artibus contaminati ab Apollonio Tyanæo.

Quanti facerent Epheſii magos.

10. Et quidem Aſtrologi, qui ex inſpecta hominum geneſi alienas calamitates, & dedecora ſe probè nôſſe ampullanti ore iactant, haud tamen, quæ ſuo impendent capiti clades, ac probra, quę domū, ac ſuos attingunt, expetūtque, plerumq; ſub ipſo aſtrorum lumine cœcutientes non vident; Hinc iure merito Leonidas, *Aſtrologiæ matrem audaciam, obſtetricem ſtultitiam* appellat; *ridens mœchæ maritum iactantem ſe, gnarum probè alieni infortunij, domeſticum dedecus cū ignoret*. In quē ſanè Aſtrologum lepidiſſime aliquando Thomas Morus, Anglorum tū pietate, rùm ſapientia præcipuus, ac Martyrum laurea in Eccleſia clarus, veſanam Aſtronomorum iactantiam deridens carminibus hiſce luſit: quē nos lectori non iniucūda fore arbitrantes, hic ſuggerimus.

Martinus Delrius lib. 2. diſquiſit. Magic. lib. 4. cap. 3. Aſtrologiæ mater audacia, obſtetrix ſtultitia.

Thomas Morus de Aſtrologis.

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati,
Omnibus, & quæ ſint fata futura monent:
Omnibus aſt Vxor, quod ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla docent.

Licet omnia ſydera videāt aſtrologi dedecora nulla monent.

Quibus ſanè carminibus futurorum, quam paſſim Aſtronomi obtendunt, peritiam, vt par eſt, deridēs eruditiſſimus vir acutè perſtrinxit, & cùm innumeris horū inſania exēplis retundatur, vel vno ſaltē Aſtronomi illius ſatis euincitur, qui cū Galeatio Mediolanenſium Duci iam præ foribus adeſſe fatum prænunciaſſet, ſibi verò diuturnam, vt aſſerebat, vitam ex aſtris benè viſis repromitteret, infelix eiuſdē Ducis iuſſu Aſtronomus, quo vaticinium ſibi benè ominantis eluderetur, fractis laqueo ceruicibus, è vita abſceſſit: Verū, qui plura cupit, Martinū Delrium hac ſuper re prolixiùs in ſuis magicis diſquiſitionibus ediſſerentem conſulat.

Aſtrologus à Galeatio egregiè con uictus men dacii.

11. Aſtrorum igitur ſcientiæ, ac directioni in ijs, quæ ad animos, moresque hominum ſpectant, non plus iuſto inhærendum, actuſque humanos, qui liberæ duntaxat mentis arbitrio diriguntur, ac res futurorū euentuū, tāquā aſtris vim inferentibus, neceſſitati nequaquam ſubijciendas, tritum illud ſapientis oraculum cunctos præmonet: *Sapiens* (inquit) *dominabitur aſtris*. Etſi enim aſtra in hominum mentes influant, haud tamen homines ad ſua opera per vim trahūt, violenterq; impellūt, adeò vt per ſe liberos in opus exire cogāt, ac libertatis, qua Deo largiēte donati ſunt, iure expolient. Quapropter ineptiſſimi homines ingenij comprobātur, qui nil rerum agendarum inconſulto Aſtrologo, aſtriſq; prius nō benè perſpectis

Non ſeruit ſyderibus humana libertas.

Digitized by Google

ſpectis aggredi audent: Et quidem mendacij Aſtrologorum plerumque ars refertiſſima, ingentibuſque deliramentis obnoxia ex orbe proſcribi meruit, quippè dũ ipſe aſtrorũ aſpectus propitius aliquandò contemplanti arriſit, & proſpera indè philoſophus renũciaret, aduerſa cũcta, ſiniſtraq; obtigere, & è contrà ex triſti ſiderum proſpectu, læta cuncta, ac fauſta præter expectationem adfuere; & vt exemplo res pateat: Alexius Græcorum Imperator ſuos curioſè nimis Aſtrologos coluiſſe, eorũdéque pro oraculis habenda ſibi monita propoſuiſſe legitur; quippè qui cùm operis quidpiã manu arrepturus, vel præſtiturus eſſet, vix vnquam manum operi admouebat, ni ſuas priùs Aſtrologo, conſilium ab eo accepturus, aures adhibuiſſet; cùm igitur aliquãdo Chalcedone Blachernas petiturus, dictum illi ab Aſtrologo, renunciatumque fuiſſet, vt oportunũ tẽpus ad iter, & ad ſe loco mouendũ expectaret, dictis omnino acquieuit, ſed citò pœnas luit; ſuperſtitioſam enim hominis, curioſamque in cũctis rebus obſeruantiam temerè ab eo vſu receptam, ac ſollicitam nimis tàm in conſulendo, quàm in rebus aggrediendis induſtriam Deus iuſtiſsimè eluſit; namque ipſius nutu, cũcta, quę homini obueniunt, dirigi, eiuſq; dũtaxat poteſtati, ſubeſſe, neq; vllam ab aſtrorũ aſpectu vim deſumere, adeò vt eorum, vel motu, vel impulſu ad quid certi omnino, infallibiliterque coarctentur, ſuo tandem miſer experimẽto probe edoctus intellexit; infelicem quippe adhibita inter expectandum mora, haud fauſtum, proſperumque, vti Aſtrologus renunciarat, exitum ſortita eſt; Extemplò enim magnoque (vt Croniata inquit) hiatu terra de ſub pedibus dehiſcente, ipſe in periculum ingens adductus, Eunucus verò viuus infoſſus, ac terræ hiatu obſorptus miſerè periit; Sic igitur mendacem Aſtrologorum artẽ, fallacemque, ac futilem omninò, imò vbi ſuperſtitioni adiungitur, exitialẽ ſectatoribus, ſupremamque tùm animabus, tũ corporibus perniciem afferre delirus iſte conſultor æque ac curioſus, triſti ſuorũ exitio, ac certo ſui periculo didicit; hæc enim auctor: *Deo (inquam) monſtrante, ſe eſſe horarum, & terrarum, & temporum Dominum, & à ſe itinera hominum vel proſperari, vel impediri.* Quapropter Innocẽtius Papa, huius nominis tertius Imperatorem inter vana ſuorum Aſtrologorum conſilia altiùs delirantẽ, ad arma capeſſenda, bellumque Saracenis inferendum excitauit, hortatuſque, vt diuino potiſſimũ patrocinio, eiuſque auxiliis fideret, cunctantem, reluctantemque Pontificijs pro ſuo munere dictis erigere, ac in ſacri belli opus monitis inſtanter vrgere, & his quidem verbis confirmare non deſtitit:

Aſtrologorum prædictiones mendaciſsimæ inuentæ.

Rainaldus in annalib. tom. 13. ann. 1199. n. 62.

Alexius Imp. deluſus ab Aſtrologo.

Croniata in Alexio.

Deus horarũ & temporũ Dominus. Nicetas Croniata lib. 3.

12. *Eſt igitur in tanta neceſſitate populi Chriſtiani, vel potiùs Ieſu Chriſti, tàm tibi, quàm vniuerſis ſacri baptiſmatis vnda renatis libero vtendum arbitrio, ac ſubueniendum exuli Crucifixo.* Hæc Innocentius ad Alexium plus nimio in religionis negotio torpentẽ ac ſuperſtitioſo Aſtrologiæ artẽ cultu ſectantem, qui aſtrorum ſcientia præditis tantùm deferebat, vt cuipiã manus operi daturus, perquirendis aſtris ſemper, Aſtrologiſque conſulendis intentus videretur: At cõgruè, dum moras ſuperſtitioſo ritu delirãs nectendas moroſus, prophanuſque aſtrorum cultor, vt res proſperum ſortiretur exitum, comperiſſet, & aſtris interim morem gerens, conſultoribuſque, opportunum tempus expectat,

Deo potiùs quàm armis fidendum.

Monitus Alexius ab Innoc. vt Aſtrologis repudiatis arma Chriſto conſecraret.

Conſulenti aſtra tellus dehiſcit ſub pedibus.

tat, terra de ſub pedibus, ſubitò repentinoque motu dehiſcit, quo tum ipſe metu exanimatus, tū ſui malè habiti, inter quos vnus deperiit, inſidam, infauſtamque ſibi aſtrorum faciem experti ſunt.

13. Cœterùm de Alexio Græcorum Imperatore, qui ſic aſtris, atque Aſtrologis operam dabat, Nicetas ſermonem inſtituens, & de malè, ac turpitèr ab eo adminiſtratis Imperij gubernaculis, dum mores illius leui penicillo adumbrat, hæc refert: *Eum videlicèt in bello timidū, ignauumque fuiſſe, atque in pace ad res gerendas parum idoneum, cæterùm ſuauitate morum, aditus facilitate, & clementia commendatiſſimum, adulatorum quoque, quorum ingentem alebat numerum, vocibus corruptum, calumnijs in aures admittendis procliuem, ob ereptum autē fratri vnà cū* Imperio *oculorum lumen conſcientiæ facibus arſiſſe, ac inſignē aliquam calamitatem ſemper extimuiſſe, atque ita cum hoſtem ſentiret in pectore, tùm quaſi deploratis rebus Debeltum fugiſſe, cum à nemine fugaretur*. Ferus enim homo, male ſibi conſcius, ac timiditati addictus diuinum illud in ſe oraculum comprobauit: *Fugit impius nemine perſequente*. At poſt varias Orientalis Imperij conuerſiones, Alexio Iuniore, & Murſiphilo tyrāno extinctis, Imperator Aſtrologorum cultor, iuſto Dei iudicio, licet Adrianopolim occupaſſet, recuperare imperiū nō potuit, infelicique exitu è vita abſceſſit. Maiorē quippe aſtris, Aſtrologiſque ſuperſtitioſæ religionis obtentu, quàm Deo, ac præſtitis eidem Sacramentis fidem vanus, irreligioſuſque Princeps abhibuit, Romanorumque Pontificum imperia, ſupremamque itidē Apoſtolicę Sedis auctoritatē temere proculcans, latronū, perditorumq; hominū more, quin imò peſſimi proditoris inſtar, à ſuis ad malorum cumulum proditus, & laqueo remuneratus vitam finire cōpulſus eſt.

Rainaldus to. 3. an. 1203 nu. 16. 17.

Alexij mores.

Timoris cauſa fuit hoſtis latens in pectore. *Prouerb. 28. Alexius lib. 6 epiſt 21.*

14. Huic Fridericus Secundus Romanorum Imperator iungendus eſt, qui Aſtrologiæ deditus, ipsoſmet Chriſti Sacerdotes ſacrilegus contēpſiſſe deſcribitur: Inſanis quippè Aſtrologorum pollicitationibus dementatus, aſtrorumque aſpectu deluſus, ipſius Dei ſacrilego ore contemptor extitiſſe deprehenditur; & blaſphemas quidem Friderici voces ex Gregorii literis audire hic præſtat: *Iſte Rex peſtilentiæ à tribus blaſphematoribus (vt eius verbis vtamur) ſcilicet Chriſto Ieſu, Moyſe, & Mahometo, totum mundum fuiſſe deceptum, & duobus etiam in gloria mortuis, ipſum Ieſū in ligno ſuſpenſum manifeſtè proponens &c.* Hæc Gregorius, & alia blaſpema Friderici deliramenta retexens.

Odericus Rainaldus tom. 13. an. 1239. n. 28. n. 29. Fridericus ſecundus Imper. Aſtrologiæ ſuperſtitioni addictus.

Horrenda eiuſdem impietas.

15. Porrò quoniam verba iſthæc apertam hæreſim ſapiunt: hæreſim quidem à ſchiſmaticis, & Saracenis, quos ſibi intimæ familiaritatis glutino obſtrinxerat, Fridericus hauſit, vt Gregorij vitæ auctor, his verbis aſſerit: *Hoc quidem ipſe de Græcorum, atque Arabum conuerſatione ſuſcepit, qui cuncta eius applicanda dominio ex conſtellationibus mentientes, in illū immerſere gentilitatis errorem, vt homo reprobatus à Domino, iam ſe Deum in hominis ſpecie ſuſpicetur, aperta aſſertione proponens tres truffatores in eluſionē hominum proceſſiſſe*. Blaſphemas autem, quas petulanti ore à Friderico iactatas, Pontifice narrante, voces accepimus, idem auctor meminit: *Cùm eos (inquit)* (de Chriſto autē Domino, propheta Moyſe, & impio Mahometo loquitur) *genere, prudentia, viribus, & honore præcedere proteſtatur publicè, qui nationes varias deceptio-*

Lib. 13, pag. 150. & ſeqq. extant apud Pariſium.

Greg. in vita Frederici.

Ab Arabibus faſcinari ſe ſiuerat.

Anonymus in vit. Greg. XI. papa.

ptionibus traxere diuerſis, facilè reputat nouis ritibus eos ſuperare, alterum in cumulum erroris adijciens, Apoſtolicæ ſedis truſam ab hominibus mundi ſimplicibus toleratam ſua ſuperſtitione demere. His munimentis defenſor fidei fidem impugnaturus armatur: his Chriſtianus Princeps principijs dogmatizat. Audis quàm contumelioſas Fridericus voces è Saracenorum, Arabumque prõptuario blaſphemijs redundãtes hauſerit, quibus numen ad expetendam de ſe vltionem prouocaret. Vir quippè popularis auræ ambitioſiſſimus, aſſentantium ſibi blanditijs, atque inanibus, friuoliſque Ariolorũ, atque Aſtrologorum ſuorũ pręſagijs, ac dictis irretitus eum in modum inſaniebat, vt vniuerſum ſibi Orbem ſubigendum, priſtinoque Romanorum Imperium ſplendori à ſe reſtituendum, Vrbem inſuper, Romano amoto Pontifice, à ſe funditus euertendam delirando crederet, aſſereretque. Quamobrem complura tunc tẽporis falſa à nonnullis, adulterinaq; vaticiniorum oracula, callida aſſentãtiũ arte, ingenioq; conficta, ore ſimul decantata ſunt, inter quæ impium illud, vt ſcriptores referunt, epigramma ad excitandas inuidiæ, ac perfidiæ faces, Pontificio cubiculo iniectum eſt.

Digna Atheo vox.

Vana oracula iactata ab Aſtrologis de Eccleſiæ exitio

Pariſius hiſt. Angliæ atque alij.

Fata docent, ſtellæque monent, auiumque volatus,
Totius mundi malleus vnus erit.
Roma diù titubans varijs erroribus acta
Totius mundi deſinet eſſe caput.

Verùm prophanis hiſce, atq; execrãdis perlectis carminibus Pontifex, ad inſanos audaciſſimi, & malè ſibi pręfidẽtis principis conatus retũdẽdos aculeatum hoc diſtichon, carminibus benè cõſtãtibus, ac certis futurarũ calamitatũ pręnũtiis elaboratũ intorſit:

Fama refert, ſcriptura docet, peccata loquuntur.
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Reſponſum Pontificis veridicum.

Infelicem quippè impio Imperatori, & inter Aſtrologorum nugas deliranti exitum, ac poſt breuis vitæ momentum, perennium infelicitatẽ tormẽtorum, ob immania, quę patrarat facinora, ſat perſpicuis Pontifex nihil cogitanti verbis præſagiſſe viſus eſt.

16. At quoniã de impijs Aſtrologię Iudiciariæ ſectatoribus adhuc ſermo recurrit, qui magicis inſuper dediti artibus, mira quæque Dæmonum ſe miniſterio præſtare poſſe gloriantur, pręſtat hic, quę Rainaldus in ſuis annalibus tradit meminiſſe, qui iſthæc habet:

Nefarijs eiuſmodi artibus imbutum Franciſcũ Aſculanum Aſtrologũ Florentiæ flammarum ſupplicio traditum hoc anno ſcribit Ioannes Villanus; In tantam enim veſaniam proruperat, vt in ſpheræ tractatu à ſe Bononiæ compoſito affirmaret, in ſuperioribus orbibus cæleſtibus ſpiritus generari, qui incantatoria arte ad opera admiranda conſtringi poſſent: aſtra in hominum voluntates influere, eaſque ad neceſſitatem cogere: Chriſtum Dominum certo aſtrorũ concurſu natum inopem, atque in Crucem ſuffixum: diſſimilique ſyderum conuerſione naſciturum Antichriſtum, ac ſummas opes potentiam, & orbis imperium adepturum. Quam pernicioſam hæreſim cùm à fidei cenſoribus euomere iuſſus eſſet, iterùmque reſorbens, quæ vomuerat, damnato libro vteretur, vrgente Epiſcopo Aurſano Minorita, Ducalis ſcrinij Præfecto, qui nefarium hominem in ſcelera, & libidines effuſum, in Caroli Calabriæ Ducis clientela, et vſu verſari dolebat, flammis exuſtus eſt. Plura vera Franciſcum prædixiſſe, vt de Ludouici

Franciſcus Aſculanus Aſtrologus idemque magus.

Odericus Rainaldus tom. 15. Annal. an. 1327. nu. 46.

Io. Villanus lib. hiſt. ann. 1327.

Ab hoc Chriſti natiuitas & geſta ſyderum fatali comerſioni aſcripta.

Sumptum de eo flammarum ſupplicium.

Ba-

Digitized by Google

Bauari Romam vſque ſecundis proceſſibus refert memoratus Villanus. Quæ quidem Dæmonum opera præſagire facile potuit, cùm ſolemne ſit huiuſmodi hominibus, Dæmonum conſortio inquinatis ad ſcelus tegendum inanem Aſtrologiam obtendere. Flammis igitur vltricibus infelix iſte, qui aſtrorum nutu futuros humanarum rerum euentus, cordiumque arcana trutinabat, addictus eſt.

Aſtrologia Magiç plerumque velamen eſt.

17. Verùm enim verò quàm immane in malis capeſſendis conſiliis aberrent, qui Aſtrologos non ſecùs ac diuinorum interpretes conſiliorũ conſulunt, ſectanturque, triſtis plerumque rerum euentus, quem deliri homines incurriſſe leguntur, ſerio conſtanterque cunctos edocet: & vt exemplo aſſertionis propoſitum magis elucеſcat: Ezelinus famoſus apud Italos tyrannus teſtis accedit, qui cũ in vanis ſubdoliſque Aſtrologorum vaticiniis explorandis totus eſſet, demum pro triumpho cladem, pro gloria contumeliam retulit, ſuiſque perpetuam apud poſteros ignominiam comparauit, vt Rainaldus in ſuis Annalibus hunc in modum tradit:

Conſulentes Aſtrologos funeſtos exitus ſortiũtur

Ezelini tyranni exemplum.

Intereà Cremonenſes, Mantuani, aliíque ſocij, coniunctis armis inſequũtur Tyrannum, qui Aduam Fluuium vado traiecerat, cùm pontem ab hoſte occupatum fruſtrà tentaſſet, acceptoque vulnere propulſatus eſſet: Tumque Marchio cum Mantuanis, & Ferrarienſibus, ingenti animorum ardore in eũ proſiliere. Nec diu tanti prælij molẽ Ezelini exercitus, partim à cruceſignatis cæſus, partim fuga mox diſſipatus, ac direpta fuere impedimenta. Sed inter præclariſſima ſpolia Ezelinus ipſe captus ſuauiſſimum imbelli multitudini videbatur ſpectaculum, vinctum illum intueri, qui ſui anteà terrorem aſpectu ſolo armatis incuſſerat: atque ad id, vndique populi, velut ad immane monſtrũ, ac ſæuiſſimum carnificem aſpiciendum, qui neque prægnantibus, nec lactentibus pepercerat, concurrebant. Adductus Succinum à Cremonenſibus, delibatis iã in hac vita futurorum ſuppliciorum doloribus, tũ ex accepto in oppugnando Aduæ ponte vulnere, iacta temerè à Milite ſagitta, ſed à nummis vltrice manu in eius pedem directa, tũ mærore, ac ſenio ſeptuaginta annos emenſus exaxaruit. Infelix quidem mortis genus, ſi humana ſpectentur; at eò longè infelicius, ac funeſtius, quòd qui viuus Dei erat oblitus, moriturus ſuæ ſalutis immemor extitit: quique ab Eccleſia ob ſcelera anathemate ictus, Pontificiã auctoritatem ſpreuerat, moriens Eccleſiaſtica Sacramenta execraretur. Addictus erat ineptis Aſtrologorum vaticinijs, & quendam Ariolum Saracenum Babylonium, velut alterũ Balaam in ſumma veneratione habuit, qui tamen imminentem diuinam vltionem nunquàm ipſi præſaginit. Sic igitur ab Aſtrologis tyrannus deluſus eſt, qui aſtris potiùs, quàm aris totus inhærebat, nec tàm diuinarum oraculis paginarum, quàm vanis, futilibuſque Aſtrologorũ nugis, fabuliſq; fidẽ præſtiterat. Deceptus itaque ab aſtrorũ cultoribus, in hoſtium manus condigno mulctandus ſupplicio venit, ac ſe ipſum, ac Aſtrologos pariter, quibus nimiũ pręfidebat, proſpera annũciantes fabulam hoſtibus prębuit.

Rainaldus tom. 14. anno 1259. n. 9.

Ezelinus captus ab Eccleſiæ clientibus.

Ferox monſtrum ſpectantibus ludibrio eſt.

Miſerè perit.

Oblitus eſt moriens ſui qui viuus Dei oblitus fuerat.

Saracenum Aſtrologum coluerat.

18. Conſimilem luctuoſam pariter inſida Aſtrologorum, quibus cõſulendis operam dabat, vaticinia, vanæque eorumdem voces Manfredo cladem peperere, qui cùm ſuperſtitioſe Saracenorum moribus deliraret, ſinguloſque rerum bellicarum euentus priùs aſtris maturè proſpectis, quã reddito ſibi Deo votis propitio dirigendos, prouehendoſque

Manfredus tyrannus Aſtrologiæ addictus.

ſata-

Digitized by Google

ſatageret, pugnæ à ſe ineūdę, Aſtrologo proſpera renūciante horā præfixiſſet, funeſtam ipſe vna cū ſuis benefico ſiderum aſpectu vaſtitatem retulit, adeò vt turpem, dedecoramque cunctis ad internecionem deletis pro triumpho necem ſortitus fuerit: ſed tragicam apud Rainaldum ex annalibus rem excipiamus.

Infauſta aſtris bene ominātibus reſpondent.

19. *Penetrauit mox Carolus interiora, per Aliſanos aſpera montium tranſgreſſus, atque vbi in hoſtis conſpectum venit, cū ſuis conſilium militare contulit, an mox committendæ acies forent, & certantibus alijs feſſum militem recreandum, alijs contendentibus ex eo animos hoſti auctum iri. Gilo Comeſtabilis palàm edixit, quidquid decernerent alij, ſe cum Roberto, Flandriſq; in hoſtem ducturum: ſe benè de Deo ſummo Eccleſiæ præſide, cuius erant defenſores, ſperare. Vicit ergò illius ſententia, inſtructiſque agminibus, promotus in hoſtem exercitus. Ferunt Manfredum ſibi metuentem de pace Carolū interpellaſſe, idque reſponſum elicuiſſe Oratores.* (Referte hęc Sultano Luceriæ: vel ego illū hac die detrudam ad Inferos, vel ille me ad cælos euehet.) *Et quidem Carolus Manfredum iure Sultani nota perſtrinxit, cùm Saraceniſ eſſet addictiſſimus, eorumque ſuperſtitione in conſulendis Aſtrologis, & ariolis inquinatus;* Vt & Sicularū rerū auctor Anonymus obſeruat. *De hora* (inquit) *pugnæ Manfredus conſilio cuiuſdam Aſtrologi regebatur: Sed cùm iā deliberatione præhabita compertum per artem eſſet, quòd felici omine pugnam poterat aggredi, quidam ex comitibus ipſis proditoria obſtinatione corrupti, & machinationem nequiſsimam moliti, diſſimulantes ſibi diſplicere prælium, ſolum commodum ipſius Manfredi fore, prætendentes ipſum Mãfredum fore, ſi non confligeret, pro dignitate ſpurij derelinquendum: quidam etiam, quos idem Manfredus ad ſe tūc temporis fecerat accerſiri, ſumpta cauſa, vel occaſione potiùs, quam quærunt volentes recedere ab amicis, ſubſtiterunt in locis primis futuros ſucceſſus morantes potentiæ vtriuſque, ſed qui pares cenſeri poterant in crimine, inde fines ſimulabant ſe ad terrarum ſuarum cuſtodiam remanere.* Impium igitur hominem ab aſtris, Aſtrologorumque vaticinijs belli exitus auſpicantem, præſtolantemque ſuis met ſtudijs, vt par erat, interceptum, votiſque fruſtatum, hoſtili mox vna cum ſuis gladio contrucidandum, portentoſa ipſius cōcuſſio aeris haud dubiè prçſagire viſa eſt. Sed belli eiuſdem exitum curioſo nimis aſtrorū aſpectu directum videamus.

Rainaldus in Annalib. ann. 1266. nu. 10.

Reddituṁ illi à Carolo Andeg. generoſum & pium reſponſum.

Manfredi ſuperſtitio in conſulendo de hora pugnæ aſtrologos.

Deſeritur à ſuis miſer.

20. *Cùm in huiuſmodi voluntatis examinatione perſiſterent, & Militiæ agmina, nec non agminum præpoſiti deceſſiſſent, clamor æthere tantus inſonuit, quod, ſicut fertur, vſque ad Aliſim ventus impulit murmura, & veluti, cū freta feruent, valida ventorum concita tēpeſtate omniū perturbabat auditū &c.* Hæc ille. Pergit Auctor pugnæ ordinem, ſinguloſq; rei euentus deſcribere; nobis verò rē paucioribus verbis perſtringere ſat eſt. *Vbi* (inquit) *cū hoſte ferro conſertū ardentiſſimis animis, primæ aduerſæ acies, magna vi ſanguinis vtrinque fuſa pugnauere; cumque ſuos penè fluctuantes videret Carolus, inuocato diuino Numine. cum circumfuſis globis in hoſtem præuolauit, oppoſitos hoſtium cuneos impulit, euertit, diſſipauit. Cūque fuſi hoſtes Beneuentum profugerent, inſecuti eos Galli permixti fugientibus, ingreſſi Vrbem cepere, atq; euertere; quæ cū iuris eſſet Pontificij, grauiter id à Clemente acceptum, vt infrà viſuri ſumus. Capti innumeri, inter quos Manfredi vxor Comneni*

Rainaldus vbi ſup.

Rainaldus vbi ſup.

Cæditur à Carolo non aſt a, ſed aſtrorum conditorem implorante.

Grę-

Digitized by Google

Græcorum Principis filia, dum audita viri morte, vna cũ filijs fugam ornabat, abducta in vincula, atque arce munitiſſima iuſſu Caroli incluſa. Tanta vero fuit cæſorum ſtrages, vt terra eorum maderet ſanguine, & campi occiſorum cadaueribus conſtrati cernerentur. Cecidit in tertio agmine inter medios Manfredus, qui flagitiorum ſuorum ſatellites eo, permittente numine, collegerat, vt pari ſupplicio delerentur: ac poſt biduum, inter ſuorum cadauera illius corpus repertum, Eccleſiaſtica ſepultura caruit, cum infelix Princeps anathematis vinculis irretitus occubuiſſet: illud tamen Carolus in pontis Beneuentani capite terræ mandari iuſſit.

Orbatum Eccleſiaſticæ ſepulturæ honore cadauer.

Hic planè Principis, qui Pontificio anathemate innodatus, non tàm diuini impulſu numinis, quàm vaniloquis Aſtrologorum conſultationibus adductus arma hoſtibus intentarat, exitus extitiſſe deſcribitur. Cui illa congruè funeſta propheticorum carminum oracula conſonare viſa ſunt: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem, vt te ad pænitentiam prouocarent.* Ab aſtris enim in caſtra concitus, & ab Aſtrologis libens, volenſque, in aciē princeps directus, non tam ad prælium, quàm ad cladem, carnificinãque proſiliiſſe viſus eſt.

Hieremiæ threnor. c.2.14
Diuinam in pſeudoprophetas ſententia perpende.

21. Atqui iuſto Dei calculo homines, plus quàm par eſt, in futuris perſcrutandis euentibus curioſi, ſollicitiq; infortunatos plerumque inter aſtra, quæ conſulunt, vitæ caſus, exituſque, quos maximè metuebāt, enunciātibus aſtrologis planè funeſtos incurrũt, vt Zehetner in ſuo malę ſpei promõtorio hũc in modũ cõfirmat. *Audiui* (inquit) *relatione minimè dubia atq; ex ipſo velut oculo teſte: noſtra memoria in Bohemorum Metropoli fuiſſe Iuriſconſultũ, qui præter Bartholũ, et Baldũ, continuò horoſcopũ inſpiciebat, quidque alijs nunciaret, edicebat: Tandem, & quid ſibi âſtra promitterent in dies proximos, tũ ſignificauit, cũ nihil tale opinantibus collegis, publico in conſeſſu, vltimum vale fecit: ità Natalis ſui tabulas, certis ſignatas ſtellis affirmare, non ſe ampliùs ad ſubſellia, vnde ſententiæ coguntur, redriturũ. Et quidem iſta talia aſſeuerabat viribus integris, neque vllius morbi indicio ſuſpectis. Sed ſicut ipſe ſibi Vates fuit, ità intra dies pauculos domi ſuæ expeditus eſt: repetente quaſi illud Deo: ſicut credidiſti, fiat tibi. Vbi non excludo* (inquit auctor) *naturã; habent enim etiam hoc ferè incommodum, qui credũt ſiue cælo, ſiue Genethliacis, triſtia, atque atrocia vaticinantibus, vt facilè melancholicas contrahant apprehēſiones, vnde quidquid eſt boni ſucci in venis, degenerât in noxium phlegma, vehiculum præproperæ, & immaturæ mortis. Certè ſicut alibi caſum facit imaginatio; ità fides adhibita diuinantibus Aſtrologis non ſemel vitam accidit. arbitror in pænam vaniſſimæ credulitatis, inculcante iterũ Deo ſuum illud: ſicut credidiſti, fiat tibi.* Fides quippe Aſtrologis, nõ tam diuinantibus, quàm delirantibus adhibita, vitam haud ſemel, in perditæ credulitatis pœnam præcidit: Quod, & altero prælaudatus ſcriptor exemplo confirmat.

Conſulentes Aſtrologos funeſta accipiunt reſpõſa, & funeſtos exitus.

Zehetner in ſuo malæ ſpei Promont. lib. 2 §. 14. nu. 4.

Inſigne exēplum Iuriſconſulti Bohemi horoſcopiorum ſuperſtitioni addictiſſimi.

Sibi exitiũ prædicit interitque ex fera melancholia.

Infida res eſt fidei vatum fidere.

22. *Et habeo* (inquit) *nouum augendæ fidei teſtimonium, quod mihi Pruſſia ſubminiſtrat. In ea Regione ante annos nõ adeò multos, homo artis Genethliacæ peritus, ipſe ſibi cautũ voluit ex eadem ſcientia. Nã quia ſidera certum ei diem monſtrabant, quo periculum imminebat fatalis ictus inferendi, domi ſe continuit: vxorem obteſtatus, neminem vnum illa luce admitteret, ſuæ quietis interpellatorem: ſeu potiùs authorem ſuſpecti mali: Paulò*

Zehetner vbi ſup. n. 5.

Monſtratum ab aſtris exitium metuēs illud acceſſit.

Digitized by Google

poſt, qui inter amiciſſimos eius numerabatur, adeſt, & quamquã negari intelligeret ea vice acceſſum ad fidiſſimum ſibi Achatem; tamẽ quia per omnia familiaritatis iura rogauit, vt liceret breuiſſimo congreſſu in re maximi momenti chariſſimum ſibi caput, conſultiſſimumque conſulere, admiſſus eſt: Itaque *cupit, vt horoſcopum (quem modo ei quiſpiam ante deſcripſerat) examinet. Nam ſi ſuis conſtaret legibus, actũ eſſe de honeſto mortis genere, futurum ſe patibuli longam appendicem.* Cũ verò, *nihil vitij appareret, & qui calculum ſubduxit, rationemque horoſcopi, affirmaret ſuſpendij certitudinem, nempè bilem mouit animo. Et tu (inquit) nihil tàm triſtis fortunæ augur ſis, ego vaticinio tuo inter cœlum, & terram aliquandò, infaunis ſtipes pendeã? Dixit, ſimulque nudato enſe lethalem alteri ictum inflixit. Mox & ipſe raptus à magiſtratu ad quæſtionem, capitiſque ſententia damnatus, laqueo facinus, expiauit: Ità, quod vtrique horoſcopus dixit infortunium, quod vterque timuit, ſimul experti ſunt. Credo in pœnam ſuperſtitionis, iuſtitia deſuper intonante: ſicut crediſti, fiat tibi.* Ad vnguem, profectò, quod curioſus vanè, futiliterque homo crediderat, quodque ab Aſtrologo in curioſæ duntaxat indaginis pœnam renunciatum fuerat, illi obuenit. Aſtrologi enim imprudentes æquè, ac futurarum, quas enuntiant, rerum ignari, ea, (vt Auguſtinus aſſerit) quæ occultè à Deo edocti, iuſtique ſunt palàm edicere, vel cum manifeſto ſui periculo, detrimentoque enunciant. *Tu Domine* (inquit Auguſtinus) *iuſtiſſime moderator Vniuerſitatis, conſulẽtibus, conſultiſq; neſcientibus, occulto inſtinctu agis, vt dum quiſque conſulit, hoc audiat, quod oportet eum audire, occultis meritis animarum ex abyſſo iuſti iudicij tui.* Hæc Auguſtinus.

Cumulata geminato ſcnere Aſtrologorum duorũ infamia.

Auguſtinus l. 7. Confeſ. c. 6. Diuina vltio in conſultores aſtrorũ, conſultoſq;

25. Verùm quo ad futurarum rerum euentus mortalibus vltrò expetentibus, expectantibuſque reuelandos interdicto iam dudùm Apoſtolicis verbis inſenſorum Dæmonũ commercio Aſtrologi, qui vaticiniis conſarcinandis, prædicendiſque intenti ſunt, adnituntur, ſapientiſſimè enim Gentium Doctor olim præcauens aiebat: *Nolo vos fieri ſocios dæmonum.*) Nam inde interdictam, execrandamque latentium ſibi rerum notitiam aucupantes, haud mirũ ſi Aſtrologi, vt Zehetner ait, multarum rerum habere peritiam poſſint, beneficio videlicet malorum dæmonum, & partim quidem earum, quæ alibi, geruntur, partim verò tam rerum, quæ geſtæ iam ſunt, quã quę procul ab oculis fiunt, notitiam aſſequi valeãt. Ità credibile eſt Traſyllum Aſtrologũ non niſi à dæmone olim accepiſſe cũ Tyberio Cœſari, mortem ſibi ab eo imminere dixit, quã alter nemine conſcio moliebatur. Malus etenim genius futura quoque homini prænunciare conſueuit, quæ ipſemet facere interdum cogitat, & quia celerrimi motus eſt ea, quæ in remotioribus regionibus fiũt, mox ad abſentes noua iſthæc, tanquã futura, defert: ex clandeſtinis quoque conſiliis, verbis, ſcriptiſque, ac rerum, quæ exterius apparent, ſignis occultas, arcanaſque hominum cogitationes, deſideria, voluntates, deliberationeſque, tam præſentes, quàm futuras præſagire, ſolertiſſimaque coniectãdi arte ſuffultus, aſſequi multoties valet.

1. ad Chorinth. c. 10. 20. Aſtrologi iudiciarii ſocii dæmonum.

Zehetner vbi ſup. n. 9. Vt iis interpretibus vtantur.

Facta in remotis regionibus, vt futura vel præſentia prædicunt.

26. Huc verò ſpectat, quod quidam Aſtrologus, vt Zehetner ait, religioſo viro, & Aſtrologiæ artẽ bene edocto,

Zebetner lib. 1. §. 14. n. 9. & 10. Aſtrologiæ velamen ſibi magica ars aſciſcit.

edocto narrauit: *Magiſtrum videlicet ſuum ita ſe, alioſque in hac diſciplina inſtruxiſſe diſcipulos, vt cuiuis eorum auxiliarem adiungeret familiarẽ ſpiritum: vnde rerum, quas ſcire vellet, extemporaneam hauriret cognitionem. Sanè cũ homine illo id actũ, peractumque fuit, vt domeſticum ſibi inimicum, Angelum atrum, cuius non probè fuerat vſus magiſterio, repudiaret.* Hæc auctor.

Vt Dæmones ſtudeãt inferre exitium, quod prædixere.

Enim verò mali in id vnum totis dæmones viribus contendunt, vt Genethliaco futura prænuntiãti omnimoda fides non deſit, nec eidem apud curioſè conſulentes auctoritas pereat: ac proindè, prouidè ſatagũt, vt res, quas hi palàm enunciant, verbis conſonent, dictiſque, quantùm fieri poteſt demũ facta, reſpondeant, ipſoque obfirmentur euentu. Quod certe Aſtrologo, qui Galeatio Mediolanenſium Duci funeſtum diem prædixerat, triſtiaque item ſibi fata proſpexerat, prælaudatus his verbis auctor contigiſſe affirmat.

Zebetner in promont. malę ſpei lib. 2. § 14 n. 11. Inſigne exẽplum in Aſtrologo ducis Mediolanenſis.

25. *Quas inter, id eſt diuinationes maximè plauſum habuit ea, quæ à Iudiciario quodã Aſtrologo facta eſt Galeatio Mediolanenſium Ducis, nempè illum ex vulnere per ſubditum quempiam ſuum infligendo occiſum iri. Grauiter accepit vaticinium Galeatius: iamque mortem meditans homini vano, ac* Reipublicæ *peſtilenti, perturbatori etiam tranquillarum mentium, & tu (inquit,) quo infortunij genere hãc vitam claudes? cũque animosè reſponderet, ſe in via publica, ex caſu ſuper lapſuræ trabis hinc exceſſurum. Erras (ait Dux.) Nam gladius, & caput tibi improbum ſimul; & linguam mẽdacem demetet. Iamque ducebatur ad fatalem ictum Aſtrologus, effuſa omni ciuitate ad ſpectaculum. Cum ecce tibi tranſeuntem in platea reum trabs ſupernè delapſa ex ædificio, cũ carnifice eliſit:* Inde *complures, male ominari cœperunt Duci, neque omen fefellit euẽtus, nã vt ei pronunciatum fuit ab Aſtrologo, ipſe feſto Sancti Stephani, in eiuſdem Protomartyris Eccleſia vniuerſo adſtante populo, præſentè quoque omni Aula à Vaſſallo ſuo multis vulneribus confoſſus eſt. Stupentibus vniuerſis, Aſtrologicam prædictionem duplici cataſtrophe comprobatam fuiſſe.*

Iuſſus feriri gladio à dæmone impulſa trabe obruitur.

Galeatius dux dęmonis euentum tentantis opera cæſus

Quibus ſcriptor, ne gratis rem aſſeruiſſe credatur, ad aſſertionis propoſitum validis item rationibus ſuffulciendum, ſtabiliendumque hæc aptè ſubtexit: *Nunc ſi quæritur, qua via Iudiciarius ille verũ attigerit vaticinando? aio vno illorum modorum, quos iam ſupra allegaui, ſcilicet, aut caſu, aut fortuna, aut à Deo ipſo permittente triſtium a liquãdo vaticiniorũ exitus, ſiue in pœnam vanæ, ac ſuperſtitioſæ credulitatis; ſiue ob alias ſibi, ac prouidentiæ ſuæ perſpectas rationes, aut certè opera, ſtudioque cacodæmonis plurima cognoſcentis naturaliter futura: imò etiam adlaborantis, vt ea partim neceſſariò, partim liberè fiant, quæ ſuperſtitioni fouendæ, & regno ſuo amplificando iuuant.* Hæc ille.

Zebetner vbi ſup.

Cur magorum prædictiones funeſtæ plerumque eueniãt

26. At verò hic, vbi opportunus adhuc de Aſtrologis ſermo eſt, duplex quidem hominum genus ſub vno, eodemque nomine contẽplandum nobis occurrit. Vnum quidẽ eorum, qui Aſtrologicæ diſciplinæ vanitatem ſectantes, ac palàm profitentes, haud vulgarẽ ex vaticiniis tũ quæſtum, tùm famam ſibi repromittunt. Alterum verò iſtorũ, qui Genethliacis diuinantibus, & tanquàm arcana verba, imò vti diuina potiùs ſibi oracula inſuſurrantibus, ſuas faciles, promptaſq; feſtiuè adblandiendo aures accomodant, ſuamque datis vltrò pecuniis ruinã nũdinantur.

Aſtrologorũ fraudes.

Digitized by Google

Aut vana, aut ſceleſta ſunt Aſtrologorum præſagia.

Quantùm verò vtrique ex his ſuæ ſaluti incommodent, illi nimirũ dicẽdo, iſti autem auſcultando, vel ex eo palàm euincitur; quod deliri homines cælo iugiter inſpectando, aſtriſque perpetuò contemplandis intenti, & quid benè conſulta ad vnum, quodque vitæ momentum aſtra velint, iubeantquè: ex horoſcopo, velut altiori è ſpecula meditantes, qui aliis adeò lyncei ſunt, immanè ſibi cœcutientes, triſte ferè ſemper, quod ſuis ceruicibus mortis imperium, momentumque inſtat, incurii maximè vel dum pro ſe curioſi magis videntur, non vident, aduertuntque: *Cælum quippè,* (vt Zehetner ait) *non vnus amiſit, qui cælo ſuper affixus, & aſtris, ac futuris ſibi caſibus, quem maximè debebat, caſum vltimum non præuidit, non cauit.*

Zehetner vbi ſup. n. 15.

27. Porrò, vt ſuis ſcriptor aſſertis fidẽ ſubinde augeat, grauiſsimi alterius in rem præſentem ſcriptoris teſtimonium, certoque comprobatum experimento, Cornelii videlicet à Lapide, hunc in modum aduerſus Aſtrologos rem ediſſerentis verba in mediũ profert: *Sanè* (inquit) *paucis annis quibus Romæ fui, vidi plures viros magnos ab Aſtrologis deceptos, dũ huic vitam longiorem, illi Cardinalatum, alteri Papatum prædicunt, & promittunt, quos omnes vana ſpe, & mendacio deluſos fuiſſe, euentus docuit, magno eorum periculo, & damno:* Dum *enim ſe non credũt morituros, niſi priùs adepti ſint prælaturam, quam promiſerunt Mathematici, etiam letali morbo ictì, ad mortem ſe non parant: quare imparati, & improuidi moriuntur. Quæ ſanè aperta eſt diaboli fraus, qui per diuinationes haſce, animabus ipſorum inſidiatur.* Illi igitur perditè nugigeri, ac mortalium infelicisſimi, Aſtrologorum nugis intercepti, occultoque cacodæmonum faſcino dementati, certum pro lucris, quibus, quiſque inhiat, animę diſpendium, lucrantur: mors enim repentè improuidis obrepens, etſi maximè alioqui prouidos, prudentes, præuidenteſque, ſui tamẽ omninò oblitos, inopino in alium orbem, improuidoſque exitu transfert, ac ſęculo huiè abreptos perpetuo valere iubet, cogitque, quemadmodũ vnius quondam Archimedis exceſſus cunctos palàm edocuit, qui cum circulis in puluere efformandis totus eſſet intentus, miſer gladium, qui ſuis iam conuicibus impendebat, defixis humi oculis pręſentiens, vitę circulum, periodumque confoſſus abrupit.

Cornelius à Lapid. poſt. leſu in cap. 9. Act. Apoſt. ver. 19.

Plane Aſtrologorum inani ſpe letali ſalutis ęternæ curam omiſere.

28. *Contigit* (inquit), *vt Marcellus ſupremus Romanæ militia Dux in expugnatione Syracuſarum interdiceret, ne Archimedes vnus necaretur: nempè viſa eſt hominis eruditio digna, quæ immortalitati ſeruaretur, etiã apud poſteritatem, magnis vſibus futura: Et tamen cũ iſta quoque cautione interijt, Vbi enim Syracuſas iam captas hoſtis diripuit, Archimedes defixis humi oculis ad formas geometricas, quas in puluere tũ ingenioſè, aut deſcripſit, aut ſignandas concepit, à milite ignaro quis, quantuſque eſſet, gladio confixus occubuit.* Quibus aptè enarratis, hæc ſcriptor appendicis inſtar in ſtudioſi, ac pij gratiam lectoris ſubtexit: *Et mihi quidem illud ſemper mirabile viſum eſt, potuiſſe Archimedem in ea tã miſerabili Ciuitatis neceſſitate, inter ferales turbarum ſtrepitus: quin etiã victoris inſultãtis vociferationes, & pereuntis eiulatus patriæ, vicinum ſibi ferrum non perſentiſcere: hæc nimirùm ſapientis animi, ac literati eſt felicitas, vt quantumuis.*

Zehetner vbi ſup. lib. 2. nu. 17.

Archimedes matheſi adeo intentus, vt qui aliorum præuidebat exitia ſuum ignorarit.

Plutarchus in Marcello.

Zehetner vbi ſup. n. 17.

Horatius lib. 3. ode 3.

Fractus illabatur orbis.
Impauidum feriant ruinæ.

Cer-

Digitized by Google

Certe Archimedes merſo ſuauiſſimè in Geometria animo, neſciuit vrbi hoſtem dominari, priùs quàm hoſtilem gladium excepit. tã ſeriò ille occupatus fuit ducendis in terra lineis, atque Romanus miles faciendis funeribus. Tandẽ inſcius totius tragœdiæ, ibi cecidit, vbi conſedit, ex puluiſculo fabricaturus machinas, ipſe breui puluis futurus. Quapropter, opportunè ab vno Archimedis exemplo, ad Aſtrologos ſermonem deriuantes id vnũ, vt ex enarratis probe innoteſcit, potiſſima cauſa eſt, cur mortales conſulendis Aſtrologorum oraculis, ac vaticiniis auſpicandis intenti, de ſincera cordis pœnitẽtia, & de cõparãda chriſtiano ritu morte vix vnquã cogitent, ac de beata inſuper æternitate nil ſecum ſeriò meditantes, vel tũc maximè, cùm fixum in cœlo vultum habent, animũq; in horoſcopo tenẽt, aſtris reuoluendis defixi, iã iã è proximo morituri, cùm futura ſibi cuncta lynceis perſpiciãt, proſpiciantque oculis, id vnum, quod totius momenti negotium eſt, non videant, ſplendidè videlicet ſe ad aſtrorum lumen perire. In huius autem fidẽ teſtatiſſimum eſt, quod Zehetner his verbis adiicit exemplum:

Aſtrologorũ ineptiæ inanes.

29. *Noui ego vnam ex Illuſtrium portione fœminarum, cùm circà ætatis ſuæ annũ quinquageſimum, ægritudinis malo conclamata iam eſſet, nec tamen quidquã ſeriò pro ſalute ageret, vbi defuncta fuit periculo, & morbo expedita, dixiſſe palàm: Certum ſibi fuiſſe, eo ſe tempore non morituram, quòd horoſcopus ſuus octoginta annos promitteret extrahendæ vitæ: Hoc nimirũ fuit, ſuperſtitioſæ prætextu fiduciæ, totum cælum incertiſſimæ mortis aleæ committere; atque animam in fauces Draconis Stygij, heu! quàm delicatum bolum inſerere.*

Zehetner in ſuo Promont. lib. 2. §. 14. n. 19.

Fœmina ab Aſtrologo longioris vitæ ſpe deluſa ſuæ ſaluti nõ conſulit.

Quoniam verò ingens curioſorũ hominum non tam inſania, quàm furor, haud vno duntaxat exemplo euincitur, aliud quoque in præſens domeſticæ infelicitatis ab eodẽ ſcriptore, & his planè verbis delibandũ ſuppetit argumentum: *Infelicior fuit alterius* (inquit) *hominis exitus, cuius meminit Medicus, Aſtrologiæ gnarus: Nam anno 1637. Friburgi Briſgoiæ conuenerant eo loci, ambo illi, olim in liberalibus ſtudijs familiares amici. Et quoniam alter à febricula proſtratus fuit in lectum, veterem ſocium per nuncios rogat, adeſſe ſibi velit, & decumbenti longas moleſti temporis horas fallere, alloquio diù intermiſſo: neque ille tantũ voluit ægrum ſermone recreare, ſed verò etiam conatus eſt conſilio prodeſſe, & ſuadere è medicinæ diſciplina, ea, quæ pellendo morbo faciebant, antidota. Sed nihil perſuaſit intento ſemper ad horoſcopum, quẽ ipſi Medicus Argentinẽſis quidam conſcripſerat: Metiebatur enim inde, quid ſequens dies ei, aut promitteret, aut minitaretur circà alexipharmacum. Et quidem iam Saturnus illũ toruo aſpiciebat oculo, iam arridebat Iupiter ſtans in recto: paulò poſt occurrebat ſidus aliud in tranſuerſo: Hæc verò, & ſimilia, cùm præſens amicus tanquã nugas exploderet, & ipſe exploſus fuit ab infirmo. Sed non diù: nam ea in ægritudine haud multò poſt animã efflauit, ideò miſeram, & miſerabilem, quia miſerrimus homo, non tanquam Chriſtianus Chriſtianè, ſed Atheus planè hinc abijt, vt diſcerent ex eius interitu alij, quantũ officiat fidei, religioni, piæque morti, ſemper ad aſtra, & horoſcopos affixum ſedere.* Vides hominis miſerè decedentis è vita ſortem planè infeliciſſimam: Atheus profectò, qui inter horoſcopos, ac vltrò conſulentes Aſtrologos, futurorum iugiter cupidus, prouiduſque ver-

Zehetner vbi ſup. n. 20. Aſtrologiæ deditorum inſania.

Pharmacum recuſans Aſtrologus interit.

Curioſa Aſtrologorum ars facile in Atheiſmum proſilit.

Digitized by Google

verſabatur, ſed miſer tandem nouiſſima ſua nil præuidens, improuiduſque omnino abſceſſit. Vtinam verò non tā Aſtrologos, quàm diuina Moyſis verba, rem tunc temporis ſuam ſapienter acturus conſuluiſſet: *Vtinam ſaperent*, inquit, *et intelligerent, ac nouiſſima prouiderent*.

Deuteron. cap. 32. 29.

30. Atqui ad prænotandos, ſugillandoſque iſtorum funeſtos impiorum exitus Mirandulani, Delphici inſtar oraculi verba legentium inſculpenda animo, iugiterque ob oculos habenda ſeſe offerunt, quæ nobis operæ pretium noſtris hiſce inſcribere paginis, tranſmiſſaque ad poſteros perennare viſum eſt: Quid igitur vir ingenio oculatiſſimus Aſtrologos malè ſanos capite docturus ediſſerat, audiamus: *Poſſem ego*, inquit, *etiam Aſtrologos doctos, & mihi familiares adferre nominatim, quibus fides iſtius vanitatis, ad quam ſcilicet vitæ rationem inſtituerant, vel exitio fuit, vel detrimento non medioćri. Sed nolo homines alioquin bonos infamare, & in re veritati non admodùm neceſſaria, ſanctæ amicitiæ iura violare. Sed vtinam huic quidem patrimonium non abſtuliſſet, illi patriam & vitam: multos ſpe vana ſtolidos, & inſanos, multos timore miſeros non effeciſſet. Ita mea delicta Deus non videat, vt nullos vidi earum rerum magis egenos, quas ſuis hominibus Aſtrologia promittit: quam qui Aſtrologiæ penitùs ſe deuouerunt, & per eam cæli fauorem in horas ſingulas aucupantur*. Hæc ille, dum amarulento in Aſtrologos ſtylo inuehitur.

Picus Mirandula lib. 2. in Aſtrologos cap. 2.

Prudentes & probi Aſtrologi curſus ſyderum obſeruant vaticinia ſpernunt.

31. Quoniam verò ſolidior dictis fides, aſſertis exemplorum argumentis ſuppetit, quæ nuper rationibus Mirandulanus edixerat, infortunato Genethliaci cuiuſdam deceſſu, cæteris ſilentio obuolutis, his planè verbis comprobare non deſinit: *Obijt morte* (inquit) *valdè miſerabili, quam nec à cælo ipſe præuiderat. Parabat enim multa, & magna moliebatur, vt qui ſibi adhuc longos viuendi fines conſtituiſſet. Poſſem multa hoc genus connumerare, ſed refugit animus narrationem earum rerum, quàm vix ſine lacrymis poſſum meminiſſe, & quoniam inciderunt in homines amiciſſimos, commiſerationem potiùs, quàm reprehenſionem à me exigunt. Sed vtinam hæc diſſimulatis nominibus veterum amicorum, inuiſa redargutio amicis viuentibus proſit; quos per omnia, quæ mihi cum illis amicitiæ iura intercedunt, per fortunas eorum, per vota felicitatis admonitos, et rogatos etiam, atque etiam velim, ne vnquam in ſuis rebus vanitatis iſtius conſilio ſe committant, habeant eam (ſi ita libet) quaſi poeticam fabulam, ſuper qua rideant, ludant, iocentur: pro duce, pro magiſtra vitæ non habeant*. Hæc Mirādulanus. Malus igitur omnino Dux eſt, (vt prçlaudatus auctor ſubdit,) cuius veſtigia ad inextricabilem labyrintū ducunt, ex quo te aut nūquàm, aut difficulter expedieris. Peſſima illa fuerit addiſcendi cupidis magiſtra, quę nihil, nihil inquam docebit, meliùs, veriuſque, quā interire, & fortunas, & vitam, animamque ſimul reparabiliter perdere.

Quidam ab Aſtrologis deceptus perdite è vita deceſſit.

Picus Mirandula lib. 2 in Aſtrologos c. 2.

Aſtrologi ſuos cultores ad exitiū adducunt.

Zabetater vbi ſup.

32. Ad ſubdola autem iſthæc fallentium Iudiciariorum vaticinia Chriſtiano ex orbe proſcribēda, imò, & è Chriſtianorum tū auribus, tùm cordibus ablegada, illis ſemel, at ſemper vtiliter, ſapienterque rē verbis Gellius viſus eſt peroraſſe, cū ait: *Nam* (quod Phauorini dilemma eſt) *aut aduerſa euētura dicūt, aut proſpera: Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtrà expectando. Si aduerſa dicunt,*

Phauorini dilemma acutiſſimū contra vates inanes.

Aulus Gellius Lib. 14. cap. 1.

cuius, & mentiuntur, miſer fies fruſtrà timendo? Si vera reſpondent, eaque ſint non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequàm è fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura ſunt, tùm planè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iã defloraurit; nullo igitur pacto vtendum eſt eiuſcemodi hominibus, res futuras præſagientibus. Ratio autem palmaria, quę omnimodam recenſitis hactenus auctoritatem conciliat, ac rem argumentis omnino euincens, delirã planè, tam eorum qui conſulunt, quàm qui conſulentibus arrident, vanitatem oſtentat, vna quidem eſt, quòd ſemper calamitoſa ſit mens futuri inſcia, incertaque ambiguis rerũ euentibus inhærens, quæ dum proſpera quæque exambit, aduerſa tamen iugiter refugit, ac pertineſcit.

Infelix Aſtrologorum expectatio,

Aſtrologi vel ſperant vel timent.

33. Demum ad infelices præcauendos curioſorum hominum exitus, hic Coronidis inſtar, ipſius Eccleſiaſtici verba ſubtexenda ſunt: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper; & in pluribus operibus ne fueris curioſus: non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & pluribus operibus eius non eris curioſus: plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi, multos quoque ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Curioſi igitur conſulentes diuina iſthæc potius oracula, quàm Aſtrologorum nugas, ac verba, Deumque magis Aſtrologi, quàm aſtra, ſi ſuis benè rebus conſultum velint, conſulant neceſſe eſt: quibus interim pio Lectori delibatis, ſupremam primo huic libro manum imponentes, ab Aſtrologis, quos iuxta alphabeticũ ordinem Auaris præmiſiſſe oportuerat, nũc ad Blaſphemos orationis ſtylum conuertimus.

Eccleſiaſtici cap. 3. vers. 22. vſque ad vers. 27.

Non ſcrutanda quæ caligine immenſa ſunt oblita,

Deus cœli potius quam Aſtrologus conſulendus

MOR-

MORTES PECCATORVM PESSIMAE.

LIBER SECVNDVS.

Infelices Blaſphemorum exitus.

1 IVNESTAS hactenùs perditorũ hominũ clades prolixiori, (vt ſuſcepti inſtituti ratio exigebat) ſtylo recenſuimus. Et primũ quidem à gulæ vitio deditis, atque in orthodoxam, religi[illegible]ſamque abſtinentiam iniurio[illegible]

Narratarũ hactenus rerũ catalogus

monem auſpicati, ad Adul[illegible] bitioſos, Antipapas, Ap[illegible] Aſtrologos demùm, ac implo[illegible] ciariæ Aſtrologię ſectatores, Au[illegible] que ſordidos, eorumdem exitus de[illegible] ſcribendo, orationis ſtylum contraximus. Nunc verò, vt tragicis aliorum mortibus recẽſendis, alphabeticum ſeruantes ordinem, inſiſtamus, hic de blaſphemis hominibus narrandi primò ſe nobis offert occaſio. Quod haud caſu, & præter rem omninò accidiſſe quiſpiam arbitretur. Immane quippè piaculũ iſtud, tũ Deo, tùm hominibus adeo inuiſum eſt, vt ſacræ diuinarum ſcripturarũ tabulę palàm eiuſcemodi nomẽ vix vnquã vſurpare ſuſtineant. Hinc Sapiens ſupremi Numinis, cuius honori maximè conſultum volebat,

Cur de blaſphemis hic primo agitur.

Blaſphemãrum exitus infelices.

Horrenda eſt adeo blaſphemia vt ſacri vates nomen ipſũ horreant.

[illegible]magiſterio edoctus, ad blaſphemiã, [illegible] proprio ex nomine nuncupa[illegible]s non eſt, deſignandam, peri[illegible] loquendum vſus fuiſſe. [illegible] *Eſt*, inquit, *alia loquela* [illegible] *morti*: nempè blaſphemia, [illegible] iudicialibus Leuitici tabulis [illegible]d Iudęos olim nonniſi pœna capitis mulctabatur.

Eccleſiaſtici cap. 23. n. 15. Leuitici cap. 24. n. 16.

2. Enim verò ipſemet Archangelus Michael (vt res conficiatur exẽplo) vel ab ipſo blaſphemiæ nomine adeò abhorruit, vt vocabulum ſacrilegum ſilentio cautè ſupprimendum cenſuerit, ne angelica prophanis vocibus lingua fœdaretur: Cũ

Mi-

Digitized by Google

Iudas epiſt. Canon. nu. 9.

Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Quæ aptè, eleganterque in rem preſentem Hieronymus verba ediſſerẽs:

Hieronymus in c. 3. epiſt. ad Titum.

Merebatur (inquit) *Diabolus maledictum; ſed per Archangeli os blaſphemia exire non debuit.* Nedum verò Angelus lucis, ſed nec ipſemet inſuper diabolus, dum ad Iobum tentationum iaculis impetendum à Deo ſibi facultatem expoſceret, blaſphemiæ aliquando vſurpare vocabulum ſuſtinuit:

Horret & illud dęmõ pſe.

Iob. c. 1. n. 11

Tange (inquit) *cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Quæ quidem ad abolendam, elimi nandamque prophani ex hominum ore vocabuli, ac tam ſacrilegæ vocis ignominiam, diabolo adnitente inducta ſunt, quod & Didymus egregiè adnotauit.

Dydimus in Catena græca

Verbum, inquit, *adhibuit ſpecioſius, ne Deum, vel verbo aſperiore figere videretur.* Et ne *Scriptura diceret* (Olimpiodorus inquit) *blaſphemauit, honeſto vſa vocabulo dixit, benedicat, ſicut de Naboth ſcriptũ eſt: Benedixit Deum, & Regem.* Quo item Chriſoſtomus, dum condignis eximiam, inuictáque Iobi patientiam laudibus extollit, viſus eſt alluſiſſe.

Olimpiodorus ibidem.

3. Regum cap. 21. n. 10.

Chriſoſtomus hom. 4. de patientia Iob.

Benedixerit (inquit) *id eſt malediverit; etenim ſcriptura benedictis maledicta velauit.*

3. Is quippè honor, ac tantus diuino debetur nomini, vt illud Iudæi piè olim, ac, vt par eſt, vſurpantes, nil prorſus, quod tanti maieſtatem nominis offenderet, eiuſque ſanctitatem dedeceret, ſubtexere aliquãdò voluerint. Maledictionis igitur, ac blaſphemiæ conſultò nomen amouent, appoſitèque benedictionis vocabulum auribus ingerunt. Quam ſanè diuini vſurpandi nominis conſuetudinem, dum de Nabuthe loquitur, his Ambroſius quoque verbis tradit:

Benedicere pro maledicere in ſcriptura frequens.

Ambroſius lib. de Nabuthe c. 11.

Ne diuitem (inquit) *maledicti nomen offendat, & ſermonis ipſo lædatur ſono, benedictum pro maledicto vocatur.* Cui paribus & ipſe Hieronymus in rem noſtram alibi ſententiis conſonat. Quoniam ergò vnum prę cunctis, apprimèque deteſtandum, cũ & proprio careat nomine, blaſphemiæ piaculum agnoſſcitur, congruè ipſiuſmet Dei calculo condigna blaſphemis hominibus ſupplicia decernuntur:

Hieronymus cap. 34. ad Iulianum.

Blaſpemi diuina lege, morte damnati.

Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur; lapidibus obruet eum omnis multitudo. Nos itaq; opportunè hic intentatas iuſtiſsimo Dei nutu, atq; imperio blaſphemorũ ceruicibus clades in luce collocemus.

Leuitici c. 15

CAP. I.

Blaſphemi, Deo, ac Sanctis contumelioſi infeliciter pereunt.

1 Blaſphemæ quidẽ, ac ſacrilegæ impiorũ voces, iacula potiús eſſe, quàm verba deprehenduntur, ſi iuſto iudicii expendantur, quæ in primis iacientem ipſum, eiaculantemque intimè feriũt, peruaduntquè, ac funditus perdunt, neutiquam verò illum, in quem rabido intorquentur ore, pertingunt. *Quam enim iniuriam,* (moralis inquit Philoſophus) *Deo ſacrilegus inferre poteſt: quem extra ictum ipſa diuinitas proſuit?* Quapropter, vt acerbioribus Deus portentis blaſphemorum ſcelus compeſceret, mortis calculo

Seneca lib. de clem.

Auguſt. c. 26. in Matthæum

Blaſphemorum cũ crucifixoribus Chriſti comparatio

culo ſacrilegos eiuſcemodi homines ab eo notatos, multatosq; Moſaicæ legis tabulę palàm demonſtrant. *Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur.* Immane quippè piaculi genus blaſphemia cenſetur, cùm in ipſummet rerum opificem, conditoremque temerè proſiliat; *adeò vt non minùs* (vt Auguſtinus docet) *non minùs, inquam, peccent, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Nam ſi quis probè aſſequi cupit, quàm ſeuerè hoc genus hominum vindicet Deus, prolatoq; rē exemplo ediſcere; Hebræum iuuenem illum recolat, qui in caſtris cum altero ſuæ gentis viro rixatus, eo quòd nomen Domini blaſphemaſſet, ad Moyſen perductus, eiuſque iuſſu, donec innoteſceret quid Deus ſtatueret, vinculis mancipatus eſt. Diuinum autem è cælo oraculum ſuper impii hominis piaculo in hæc verba conſulenti inſonuit: *Educ blaſphemum extra caſtra, et ponant omnes, qui audierunt manus ſuas ſuper eum, & lapidet eum populus vniuerſus.* Impius ergo ille, qui ob id millies, haud ſemel perire dignus fuerat, cunctorum manibus inter lapidum ictus mori compulſus eſt: Atqui Philonis hic quæſo, non tàm lapidibus, quàm dictis blaſphemum ſuo acriter ex more perſtringentis verba excipiamus, qui aptè iſthęc in perditi hominis infeliciter decedentis monimentum, tituliq; ad inſtar in rem præſentem tumulo inſculpſit:

Leuitici c. 24 verſ. 13. & 14

Auguſt. c. 26 in Matth.

Leuitici c. 24 v. 13.

Blaſphemus ſaxis iuſſus obrui ab ijs quorum aures inquinarat.

2. *Et Moyſes quidē* (inquit) *amentiam perditam, & immanem audaciam efferueſcentem miratus, quamuis generoſa indignatione cuperet manu ſua ſceleſtum conficere, veritus tamen eſt, ne is ad hunc modum leuiore, quàm pro merito defungeretur ſupplicio; par enim tantæ impietati pœna ab hominibus inueniri non potuit, cū impius ille polluta lingua, voceque auſus ſit eum execrari quem nec honoris quidem gratia fas eſt nominari ab omnibus. Ideò Moyſes, dū vinctum ſeruari in carcere præcepit, ſuppliciter à Deo flagitabat, veniam daret oculis, auribuſque non ſpontè pollutis, ſimulque rogabat, quid opporteret pati inuentorem ſceleris nefandi, & inauditi ad eam diem. Deus ſic conſultus lapidari iuſſit, quod haberet blaſphemus duriſſimam, & planè ſaxeam animam, atque manibus totius gentis in vltionem auidè ſumeretur ſupplicium, quā non poterant aliter, quàm eminus ferire tot millia, & vt ſanguis ipſe illic ſparſus honori eſſet omnibus, doceretq; blaſphemiam deteſtari. Sumpto itaque ſupplicio de blaſpema lingua homine, decretum diuinum audiente omni populo, iuſſu Dei proclamatum iſtud*: *Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum. Et qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus eum obruet omnis multitudo populi, ſiue ille ciuis, ſiuè peregrinus fuerit. Qui blaſphemauerit Nomen Domini morte moriatur.* Et quidē repetita ſētētia, geminatoq; veluti calculo blaſphemus morti addicitur; vtpote perimendus ſimul, tumulanduſque ſaxorum turbine, tanquā inuiſū cæli, terræque probrū, atque portentum.

Phil. lib. 3. de vita moyſi.

Cur moyſes nec eo conſuluerit numen.

Decretum diuinitus homini ſupplicium.

Blaſphemia nunquā ſatis puniri poteſt.

Repetita in blaſphemos à Deo ſententia.

Leuitici c. 24 verſ. 16.

Sunt ij cœli terræque odium ac probrum.

3. Vides hinc pœnā, & quidē duriſſimam in procacem, blaſphemumque nebulonem Deo vlciſcente decretam: *Aequo autem iure homicidij pœna, & morte* (vt Theodoretus inquit) *punire vult Deus blaſphemiam; blaſphemus enim, cū conditorē nequeat perimere ferro, lingua ferit, ergò qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur.* Haud enim vita dignus eſt, qui Deo viuenti iniurius exiſtit.

Theodoretus Gracanic. q. queſt. 33.

Ferit Deum lingua blaſphemus quia ferro ferire nequit.

4. Verū enim verò immane adeò facinus,

facinus, ac ſacrilegij genus blaſphema vox cenſetur; vt quod olim de luxuriæ vitio Apoſtolus, ipſummet de blaſphemiæ noxa hic nobis libera aſſerendum voce videatur; nec nominatim quidem rem, veluti indigniſſimam, hominum ore vſurpandam: quod vel improba patientiſſimi quondam Iobi ſuo vxor exemplo edocuit, dum nefas hoc nominare verita, virum alloquens: *Benedic* (inquit) *Deo, et morere: Bona ſcilicet mulier* (vt Drexelius ait) *religioni ſibi duxerat dicere: Maledic Deo*. Verùm de prophana ſtultæ, ac ſacrilegæ itẽ mulieris religione, dum virum in blaſphemiæ crimen pelliceret, cõcinnè Gaudentius Brixianus, blaſphemorum hominum ſupplicia ingerens hæc inſonat: *Stultiſſima fœmina* (inquit) *maritum in remedium ærumnarum ſuadet, mortem blaſphemiæ debitã: ſed heu blaſphemantis furor, non medelam doloribus præſtat, ſed cruciatum mortis accumulat, & illius quidẽ mortis, quæ finem non dabit, miſerijs, ſed exordium erit ad ſupplicia. Aeternitatis, qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur*. Satius enim eſt momentaneam ſubire, quàm blaſphemando æternam mortem incurrere.

Iobo vxor ablatis cæteris relictã ad patiẽtiæ luctam.
Iob c. 3. ver. 9
Hieremias Drexellius de vitijs linguæ c. 6. pag. 12

[illegible] Brixianus in lib. [illegible] ribuudæ conſilium.

5. Lingua igitur blaſphemans, Deique nomini, ac maieſtati contumelioſa iuſtiſſimæ animaduerſioni addicta eſt, & hæc vna, publica veluti lues communem plerumque, tum regnis, tũ principibus cladem, vaſtitatemque afferre conſueuit. Enimverò ſat longus, prolixuſque ſacris in paginis blaſphemorum cathalogus texitur, exſcribiturque, quorum omnium Cainus dux, & Coriphęus poſt fraternum impiè profuſum ſãguinẽ, perfidæ in Deum linguæ iacula intorquens, ſacrilegam illam emiſit vocem: *Maior eſt* (inquit) *iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. Hanc verò lapidibus alioqui dignã Bernardus haud mellifluis ſuo ex more, ſed aculeatis proſequutus verbis, parricidã, Deoque inſuper contumelioſum, hunc in modum perſtringit: *Mentiris* (inquit) *ò Cain, maior eſt enim Dei pietas, quàm quæuis iniquitas: Culpã benè exagerabat, ſed malè confitebatur, nec veniam flagitabat, ſed ſcelus addens ſceleri deſperabat, quod blaſphemia eſt in Spiritum Sanctum*. Putabat enim Deum, aut nolle reo ignoſcere, aut non poſſe: de quo crimine diſertè Chriſtus: *Qui autem* (inquit) *blaſphemauerit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Sed non vno mortaliũ iſte infeliciſsimus mortis genere abſumendus, diutius viuere, imò tardè ad malorum, pœnarumque pariter augmentũ mori compulſus eſt; vt diuinam blaſphemorum impendentem ceruicibus vltionem ſatis amplo infelicitatis exemplo comprobaret.

Cain blaſphemorum princeps.

Geneſis cap. 4 verſ. 13

Bernardus ſer. 21. in Cant.

Marci cap. 3. v. 29.
Deſperatio blaſphemia eſt in Spiritum S.

6. Itaque poſt Cain, qui perditorum anteſignanus æquè in Deum, ac in fratrem impius fuit; Pharao, Holofernes, Antiochus, eiuſque ductor in bello Nicanor hunc ſceleris principẽ nacti, ſuæ ſub tanto magiſtro impietatis vexillum erexere. Nicanor enim, cũ Iudæos in arma petulanter laceſſeret, ab ijſdem vero, vt Sabbato parceret, ac Sabbati cultu Deũ, qui Sabbati religionem in orbẽ primum inuexerat, piè obſequioſus coleret, vltro enixèque rogaretur, rogantibus in hæc verba reſpondit: *Quis ille Sabbati Dominus, à quo hoc imperium?* Illis autem vltrò reſpondentibus Deum eſſe, qui potens in cælo, & cui ſacra Sabbati dies conſtituta eſt. Tunc mortalium nequiſſimus tàm in ſacrum diem, quàm in Deum ipſum ſacrilegus, prophanæ men-

Blaſphemorum hominũ catalogus.

2. Macabæorũ *c. vlt. v. 2. & 30.*
Nicanoris politici Regẽ Deo præferentis blaſphemia.

Digitized by Google

2. Macab. vbi ſupra.

mētis ſupercilio, inſanoq; elatus imperio: *Et ego (inquit) potens ſū in terra, qui impero ſumi arma, & negotium Regis confici*. Verū petulantes per impij iugulum voces rediere, vt ſacrę libri Machabæorū tabulæ teſtantur, cùm enim in prælio armis duntaxat, atque impietate ſuffultus triginta cæſis ſuorum millibus, valida tandem & ipſe hoſtium manu concidiſſet, infame, ac perditū nebulonis caput, nec non ſacrilegæ proditoris, qui ſuam iactabat potentiam, manus vna cū humero hoſtilibus gladiis præciſæ, nobili Hieroſolimam propudio delatæ ſunt. Vt condignum autem religio, vt par erat, de impietate triumphum ſortiretur, putidam blaſphemi hominis linguam, quæ ſerpentino ex ore execrandos mortis ſibilos eructauerat, Iudas ille Machabæorum fortiſſimus radicitus è ſede auulſam, diſcerptamque, ac minutatim conciſam cœli auibus depaſcendam tradi præcepit: manus verò impia, ſed iam imbellis ad perenne inuiſę impietatis monimētum, teſtatiſsimus poſteris calamitatum, contemptique numinis index futura, altiori è loco pependit.

Diuinitus caſtigata.

Lingua blaſphema à Iuda Machabæo conciſa & auibus data.

7. At huic Nicanori Rex Sennacheribus, alter blaſphemorum ſignifer, iure merito adnumerandus eſt, qui ducenta pene millia in militum caſtris miſit, quos noctu, ac vno, eodemque temporis momento, vniuſque duntaxat Angeli dextera ad internecionem deleuit; mucro enim ab Angelo perſtrictus in id potiſsimū deſeruiſſe viſus eſt, vt blaſphemantiū linguas, ſupremo inſultantes numini, ex orbe ſuis è radicibus auulſas demeteret, abriperetq; nec nō cruentis, quæ per cauillum iocando, exprobrandoq; prophanus dixerat, notis expungeret, reſecandoque è medio tolleret; blaſphemus quippè dixerat: *Hebræorum Deus tantum eſt Deus montium non vallium*. Impio autem homini non iam verbis, ſed gladiis ſtetit, ceſſitque verborum iocus. Nec impiorum duntaxat nece, vltionis, quæ in blaſphemos exarſerat, modus, ac rigor conſtitit; Cæſorum quippè (vt Lyranus addit) cadauera in cineres protinus gehēnali, addictis incendio animabus, redacta ſunt. Nec verò Sennacheribum pari irretitum ſacrilegio, par pręteriuit, imò acerbior numinis ad pœnas vltio expetiit, quippè qui funeſtiore abſumendus fato, ipſiuſque Dei nutu ampliori reſeruatus, addictuſq; ſupplicio, & qui Angeli mucrone, ac manu periret omninò indignus à ſuiſmet filiis, à quibus parētes maximè pietatem, ac pro beneficio gratiā adinuenire par eſt, in ipſius Meroch templo crudeliſſimè mactatus, Deo, ac Religioni, cui impiè inſultarat, triumphus, ac Orco victima ceſſit.

Lib. 4. regum c. 19. ver. vlt. Sennacheribi Regis blaſphemia centum octuaginta quinque millium hominum morte punita.

4. Regum c. 19. verſ. vlt. Quā acerba blaſphemo homini pœna illata.

Lyranus in lib. 4. regum vbi ſup.

In Deum impius à filiis pietatē nō meretur.

8. Et blaſphemorum quidem hominum os, ſi Dauidem conſulas, haud aliud, quàm patulum, fætidūque ſepulchrum eſt; *Sepulchrum* (inquam) *patens eſt guttur eorum*; quod vti adſtantium naribus intolerandū, putentium inſtar cadauerum fœtorē ingerit, ita cædes, flagella, funera, ac triſtia cuncta præſagiendo impiorum capiti è proximo exitium intentat. Sed ne lōgiùs noſtra abeat oratio, id patentiſſimo Olimpij Ariani hominis in præſens exemplo palàm fit, qui dum putido blaſphemas in Deum ore voces eructat, tartarei ignis incendia, non tàm poſt mortem eidem addictus, quàm iuſtiſſimè pœnis dū adhuc viueret, in hoc præuentus ſæculo, acerbiores illas blaſphemis reſeruatas hominibus

Pſal. 5. n. 14.

Digitized by Google

nibus prægustare meruit: Sed rem à Theodoreto hiſtorico, ſiue iuniore excerptã, qui longè alius eſt à Theodoreto Tyri Epiſcopo, cuius Theodorus lector, & S. Damaſcenus meminit, hic ſtudioſo Lectori delibandam volumus.

Baron. tom. 6 an. 464. n. 61

9. *Hoc conſulatu* (inquit) *octauo Kalendas* Ianuarij *res admiranda, terribilis, & ſingularis, qua aures audientium obſtupebant, euenit. Olimpius enim quidam nomine, cum Enthymius*

Ioannes Damaſcenus de imaginibus orat. 3.

Olympius Arianus blaſpemus in S. Trinitatem.

Arianæ factionis defenſor curſorem ſaltantem videns citaret in balneis Pa*latij Heleniani, accedens ad eum, qui præmolliebat, & quoſdam, qui lauabantur* ὁμοούσιον *hoc eſt eiuſdem ſubſtantiæ de filio dici comprobantes conſpicatus, iſtiuſmodi verbis eos compellauit. Quid enim eſt* (inquiens) *Trinitas? aut quo non pariete inſcripta eſt? membriſque corporis neceſſarijs apprehenſis. Ecce* (inquit) *& ego Trinitatem habeo*. Audiſtin ſacrilegum hominem petulantioris linguæ iaculo Diuiniſsimæ Triadi inſultatem, obſcęniſque venerandam ineffabilis miſterii maieſtatem verbis, iociſque proculcantem; adeò enim hic vnus inter loquendum procax extitit, vt cui ipſimet mali dæmones, metu adacti obſeruantiæ cultum deferunt, is è contrà prophanus fœdam pro obſequio contumeliam inferret: Sed homines, ne dum impuris Deum ad vltionem vocibus excitauit, vt ſcriptor proſequitur:

Metu dæmones Deũ honorant, quẽ blaſphemi homines proculcant.

Qua re(inquit)*qui illic aderãt commoti, illum erant interfecturi; ſed in valli ambitu prohibiti ſunt à quodã magno ſanctorum Apoſtolorum presbytero, viro admirando, Deique ſtudioſo, qui ſic eos eſt allocutus: Iuſtitiæ non latet oculum cuncta ſpectantis, & punientis. Cùm igitur hominis veneratione queuiſſent: ſurrexit Olympius, blaſphemus ille Arianus, & calidarum aquarum balneo lotus (vt fit) ad illud, quod frigidas continebat, ingreditur, (ſuſcipit enim aquas è terra medium venerandi altaris ſãctæ ædis Stephano Prothomartyri dicatæ, quam Aurelianus inter veteres præcipuis dignitatibus illuſtris exædificauit, ex quo diuinis aquam ſpectaculis fieri dignam exiſtimo). In hanc ille cùm deſcendiſſet, confeſtim egreſſus eſt clamans: Miſeremini, & carnes ſuas vngulis dilanians, ab oſſibus diuellebat.* Et digna prorſus retributio, vt qui impiam in Deum linguã exeruerat, vngues in ſemetipſum impius, ad carnes dilaniandas exereret; iuſto quippè Dei calculo rabidiſſimus iſte Arianæ perfidię canis expetitus, canina modo plusquã rabie cõtabeſcit, qui ſacrilego numen iam pridem dente proſcindere auſus eſt: At reliqua nunc proſequamur.

Mortis periculo elapſus non reſipiſcit.

Theodoretus iunior vbi ſup.

Diuinitus plectitur ſeque dilaniat

Iuſta pœna blaſphemi hominis.

10. *Hunc illum, qui circumaderant comprehenſum linteo obuoluerunt, & præ frigore animo deficientem reclinauerunt. Rogantibus autem, quidnam illi contigiſſet? Reſpondit Olympius: Hominem vidi candidis indutum veſtimentis, qui ſuper Nerophorum incedens, tres mihi calidæ ſiclas infudit: Ne maledixeris (inquiens). Qui igitur erant illi neceſſitudine coniuncti, ſublatum in aliud balneũ, quod Arianorum hærebat Eccleſiæ, geſtarunt. Verùm, cùm ex linteo vellent illum eximere: omnes illius carnes dilacerarunt: atque ità moriens animam efflauit. Quæ quidem res per totum ferè peruagata regnum eſt. Prodiderunt autem quidã, Olympium, cui id contigerat, quodam tempore ab eorum, qui filium Homouſium, hoc eſt eiuſdẽ eſſentiæ cum Patre fatebantur, cœtu ad Arij partes defeciſſe*. Ex quibus certam ab orthodoxorum fide deficientibus perniciem Deo vicißim intentari cõſtat; adeò vt

Theodoretus iunior vbi ſup.

Horrendo perit exitio

Digitized by Google

vt vnum, idemque miſero homini fuerit à diuina conſubſtantialitatis fide, atque è vita infeliciter excidiſſe, iuxta illud. *Antè faciē eius ibit mors, et diabolus ante pedes eius.* Verùm portentoſus iſte Ariani hominis, ac blaſphemi exitus haud parum impiorum audaciam compreſſit. Sed quę Theodoretus ſubtexit, audiamus.

Habacbuc. 3. 5.

Mors & dæmon blaſphemi comites.

11. *Verùm cùm ad aures regias perueniſſet* (erat autem Rex Anaſtaſius *iuſſit miraculum in tabula coloribus expreſſum ad Nerophorum collocari. Ioannes autem quidam aedis illius, de qua ſuprà mentionem fecimus, Stephano Protomartyri ſacræ Diaconus, & curator, vir qui (vt ſi quis alius) decreti illius, quo filius eiuſdem cum patre eſſentiæ declaratur, ſe perpetuò ſtudioſiſſimum oſtendit, ipſe quoque rem, pictura, ſed non ſimpliciter promulgauit unà eorum qui illic lauabantur ſpectatoreſque fuerant, quique in balneo miniſtrabant. nomina inſcripſit; & vbi eorum ſinguli habitarent, indicauit. Quæ quidem pictura ad hoc vſq; tempus rem ipſam teſtatur in fronte quartæ porticus, quod ſæpè vocatum eſt Oratorium, affixa.* En tibi laudabilis, qui adhuc viget in Eccleſia mos, vt quæ portentoſè Deus aliquando in impios exhibet, perpetuis, vt cuique innoteſcant, monimentis tradantur. *Sacramentum enim regis abſcondere Deo reuelante*, quis audeat? Sed reliqua proſequamur. *Cæterùm, quando res admiranda rem admirandã conſecuta eſt; cũ eiuſdem argumenti ſit, nephas eſt eam contemnere. Itaque licet præſens ſubeat tempus, illam non grauabor commemorare. Cũ enim illi, qui ebrij partibus ſtudebant, triumphũ progredi conſpicerent, precibus impulerũt eum, cui Palatij Helenianorum cura fuerat demandata, vt tanquàm balnei adminiſtrationis præfectus imaginem auferret, & abſconderet. Hic facili inuenta excuſatione, quod ob aquarum humiditatẽ eſſet corrupta, ſuſtulit eam (vt aiunt) inter diſputandum, & abſcondit. Verùm cũ Rex ſingula loca regia obiret, atque inuiſeret, ad hunc quoque peruenit; & imaginem inquirẽdam, & parieti rursùs affigendam curauit: At Eutychianum (miniſtro enim illi id erat nomen) diuina quædam ſic inuaſit indignatio, vt dexter oculus ei difflueret, peſſimèque reliqua item mẽbra conflictarentur, quo ad ſacrum Oratorium, vbi beatorum Pantaleonis, & Marini pars reliquiarum conſeruatur, accederet, quod quidem Oratorium Concordia vocatur, quoniam illic Epiſcopi centum & quinquaginta Imperatore, Theodoſio magno regnante concordes in eam ſententiam conuenerunt, vt diuinæ Trinitati eamdem eſſentiam conſtituerent, & Dominum ex Virgine humanam aſſumpſiſſe carnem declararent.* Is enim, tantuſque eſt diuinę veritatis fulgor, vt tenebras, anguloſque refugiat, & nil adeò timeat, quam (vt ille ait) abſcondi; veritas enim humanis technis adulterari nõ poteſt: ſed reliqua nũc videamus. *Verũ cũ ſeptem circiter dies illic commoratus nihil acciperet alimenti, quin etiam gemini exederentur: Media quadam nocte miniſter, cuius erant panes, vt totam noctem inſomnis duceret, ſecundum quietem vidit quemdam Regem aſtantem, manuque illum, qui ægrotabat, oſtendentem, dicentemque: Quomodò hunc ſuſcepiſti? Iſte cum illis ſentit, qui in me maledicta conijciunt. Iſte miraculi abſcondit imaginem.* Enim verò ſigna, quę Deus è cælo præſtat terris nullatenùs occultanda, ſed cunctis palàm mortalibus faciẽda ſunt, vt vel ipſi Religionis, ac fidei hoſtes, ſup-

Theodoretus iunior vbi ſupra.

Miraculum Regis Anaſtaſij iuſſu depictum

Tobiæ 12. 7.

Theodoret. vbi ſup.

Ioannes Damaſcenus de imag orat. 3.

Eutychianus ob amotarũ diuini miraculi ſignum plexus.

Ara Concordiæ cur ita dicta.

Non occulẽda ſunt diuina miracula ſed promulganda.

Digitized by Google

ſupplicijs expetiti miram Dei potẽtiam agnoſcant, cæteriſque ſuo impii homines prænotatam capiti vltionem portendant. Conſors igitur iſte alterius, vt vides, blaſphemi hominis pœnæ accedit, qui rem geſtã, viuisque in tabula coloribus adumbratam occultare ſategerat; ſed quid inde audire hic præſtat.

12. *Clericus igitur ſomno ſolutus, quod in quiete viderat, enarrauit, negans fieri poſſe, vt is ab ea calamitate liberaretur: At Euthychianus eadem nocte cum doloribus ſubactus obdormiſſet, adoleſcentem quendam Eunuchum aſtantem vidit, ſplendido indutum veſtimento, ſeque ſic alloquentem: Quid habes? Cũ autem ille: Vi morbi conſumptus pereo, nec curationem vllam inuenio, reſpondiſſet: audiuit eũ dicentem: Nemo tibi poteſt opitulari: rex enim vehementer iratus eſt tibi. Ipſe verò: quem (inquit) mouebo, aut quid faciam? At ille. Si vis (inquit) curari, ad Helenianorum balneum contende, & propè combuſti Ariani imaginem quieſce. Protinùs is experrectus vnum è miniſtris vocauit. Admirati ſunt autem, quoniam testium iam diem vocis vſu caruerat; Se igitur, vt fuerat imperatum, adduci iuſſit: Verùm cũ ad locum perueniſſet propè imaginẽ collocatus expirauit. Is enim, quem in ſomnis viderat, per animæ ſeiunctionẽ à corpore, morbi curationem ſignificans, vera prænunciauit.* Hactenus ex præmemorato auctore Damaſcenus ſuo luculenter ſtylo narrat. Hęc item de Olympio ſacrilego, ac blaſphemo homine Ado Viennenſis, & Miſcellæ auctor refert:

Iniuria fit Deo dum eius opera non reuelantur.

Occultator diuini miraculi miſerè perit in loco in quo alter diu initus perierat.

Ado Viennenſis Miſcella.

13. Ex quibus intorta aduersùs blaſphemum Arianum diuinitùs iacula, manifeſtiſque obteſtata portentorum ſignis, toti terrarum orbi ad alios abſterrẽdos innoteſcunt, vt res publicis inſculpta tabulis perenni poſteris monimento deſeruiat, & ne de his poſt hac, velut dubiis de rebus, ambiguiſque, quemquam ampliùs titubare contingat. Vtinam verò qui blaſphemiæ vitio detinentur cautè iſthęc perlegẽtes mẽte ſecũ peruoluant, quam citò blaſphemos irati, contemptique numinis vltio à tergo ſequatur; cultrum enim ſibi in gutture ſtatuentes, effrænẽ proculdubio ab impiis in Deum, ac Sanctos dicteriis linguam compeſcent. Sed vt aliud hic exemplum ſubtexamus.

Dei flagella documento ſunt.

14. Stedinghi impii dæmoniorũ in Germania cultores, atque hæretici omnium teterrimi, blaſphemis vocibus Dei in ſemetipſos iram prouocantes, dum Pontificis ter maximi, atque ipſius Romanæ Eccleſiæ clauium poteſtati petulanter inſultant, attriti prelio Deum Eccleſiæ propugnatorem experti ſunt: Bremenſis quippè Archiepiſcopus, qui Henrico Brabantiæ duce, ac Florentio Comite Hollandiæ, aliiſque nobiliſſimis cruceſignatis ſuccinctus, nefarios dęmonum cultores armis contriuerat, magna in eoſdem animi alacritate ſigna mouens, Deo pro ſuis dimicante, perditos homines ſuperno orbatos auxilio peſſundedit; rem autẽ Albertus Stadenſis oculatus teſtis his verbis tradit: *Itaque Bremenſis Archiepiſcopus, Dux memoratus, & Comes, peregrinorumque non modica multitudo, VI. Kal. Iul. die Sabbati, proceſſerunt vnanimiter contra ipſos, tamquã diuinæ potentiæ, & patientiæ abuſores, parati occumbere, vel ipſos cũ eorum nefandis operibus, ad honorem, et gloriam Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ penitùs abolere. Illi è conuerſo tanquàm ferinis vberibus enutriti, ad hoc crudeliùs ſæuiebant, & in ſuo Aſmodet ponentes fiduciam, non diffidebant ſe*

Stedinghi blaſphemi dæmonum cultores.

Rainaldus to. 13. Annal. an. 1234. nu. 42. 43.

Deus pro ſuis cælo dimicat.

Stadiſis cron. an. 1233.

Conſcripti in eos cruce ſignata.

poſſe

poſſe reſiſtere potenti brachio Domini *Sabbaoth,* & *tantæ multitudini ſignatorum. Et mira,* & *miſeranda pertinacia obſtinati non ceſſabant adhuc claues Eccleſiæ ſceleſtis labijs turpiter blaſphemare.* Infenſi quippè Dei hoſtes, non tàm armis in Chriſti fideles, quã blaſphemis in Chriſtum iaculis ſuis pręfiſi viribus in aciẽ proſilierãt. At Deus è cælo non ſecus ac contra Babelicam turrim, ad retundendam perditorum procaciam, confundendasq; impiorũ linguas præſto fuit, vt ſuis ipſi blaſphemiis, potiùs quã armis confoderentur, orthodoxorũq; triumpho cederent: Sed quid de triſti eorum clade auctor ſubtexit, hic excipiamus.

Blaſphemi Deo, & Eccleſię contumelioſi.

15. *Stedinghi, vt amentes effecti,* & *quadam inſania ventilati non timuerunt ſignatorum multitudinem, nec ſpiritualem, nec materialem gladij poteſtatem, ſed ordinata quadã acie, inordinata autem mente, tanquàm furibundi canes proceſſerunt obuiam peregrinis. Dux Brabantiæ,* & *Comes Hollandiæ primò congreſſu peſtilentes illos ſuper a rum Oldeneſche, vbi conuenerant, viriliter inuaſerunt,; ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim Comes de cliuo cũ ſuis à latere iraſcens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipauit. Clerus, qui eminùs aſtans rei exitum expectabat, media via,* & *alia miſerationis carmina cũ mærore cecinit, et pro crucis victoria ſupplicabat. Nec mora: illi inſipientes,* & *maligni euanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ab exercitu* Domini *opprimuntur, haſtis perfoſſi, gladijs percuſſi, equorum pedibus conculcati,* & *ita manus* Domini *inualuit ſuper eos, vt in breui ſpatio eorum VI. millia interierint.* Plurimi *ex eis fugæ præſidium poſtulantes, in proxima fouea,* & *in Vusiera ſe ſubmerſerunt; ſi qui euaſerũt ſub cæli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum,* & *in retributionem,* & *in ſcandalum. Comes Henricus de Oldenborg ibidem cecidit,* & *cũ eo peregrini aliqui circiter noui: ſed Comes Hollandiæ domum veniens torneamento, apud Nouimagiũ eſt occiſus.* Portentoſa igitur Stedinghis blaſphemis illata eſt diuinitus clades: *De cælo enim,* vt ſcriptor ait, *contrà eos dimicatum eſt.* Huius item victorię Pariſius, ac alii meminere: At accepta tàm lugubri clade, qui reliqui fuerant, Stedinghi Deo cordis aurẽ ſalubri conſilio reſerantes, ſuumque reatum agnoſcentes, ab Apoſtolica ſede abſolutionis beneficium humiliter poſtularunt, vt Pontificiæ epiſtolæ lectorem admonent, quibus Gregorius Bremenſi Archiepiſcopo, vt eoſdem rite expiaret facultatem benigne indulſit: Sed qui rem probè noſſe cupit, Rainaldũ in ſuis annalibus in hunc annum conſulat.

Stadenſis vbi ſup.
Audacia hoſtilis in amẽtiã deriuat.

Parta de impiis orante Deũ Clero victoria.

Cæduntur ad ſex millia.

Iud. 5. 20.

E cęlo adeſt victoria.
Pariſius lib. hiſtor. Anglic.

Reliquiæ cõciliatæ Eccleſiæ.
Extant inter priuileg. Eccleſiæ Bremenſ.

16. Atqui blaſphemos haud vnquam ira Dei inultos præterit; Inter quos doctor Pariſienſis, qui contumelioſas in Chriſtum voces in publico auditorũ cœtu eiaculabat, vix rabidum ex ore venenum effudit, cũ repentino perculſus morbo humi alliditur, ac poſt tres dies, nullis præſtitis pœnitentiæ ſignis impiam infeliciter animam exhalauit: rem verò Thomas Cantipratenſis hunc in modum in ſuis monumentis tradit: *Quàm vera* (inquit,) & *quàm efficax ſit ſententia Iſaiæ: confundentur omnes plectentes,* & *texentes ſubtilia: exemplo euidentiſſimo ſub noſtro ferè tempore videamus. Magiſter Simon de Tornaco Pariſiis in Theologia regebat,* & *erat excellens ille ſuo tempore: ſed contrà decentiam talis officij ſuprà modum incontinens,* & *ſuperbus: hic*

Thomas Cãtipratenſis lib. 2. cap. 48. num. 5.
Iſaia, cap. 19.
Simon Tornacẽſis pſeudotheologus

cum

Digitized by Google

cũ ſuper omnes Doctores Ciuitatis auditores haberet, & in ſchola coram omnibus de humilitate altiſſimæ doctrinæ Chriſti quæſtionem, diſputatione præhabita terminaret, in fine tandem datus in reprobum ſenſum, in execranda contrà Chriſtum blaſphemiæ verba prorupit: Tres ſunt (inquit) qui mundum ſectis ſuis, & dogmatibus ſubiugarunt, Moyſes, Ieſus, & Mahometus: Moyſes primò Iudaicum populum infatuauit: Secundò Ieſus Chriſtus à ſuo nomine Chriſtianos. Tertiò gentilem populum Mahometus: Nec mora euerſis oculis pro humana voce mugitum emiſit, & epilepſia ſtatim eliſus, in terram die tertio eiuſdem morbi vindictã accepit: Plaga ergò inſanabili eum percuſſit Omnipotens, & omni ſcientia vſque ad prima litterarum elementa priuauit, & grauiori quidem in anima cũ hac plaga percuſſus eſt: cũ vſque in diẽ mortis ſuæ, quaſi mutus comparatus eſt iumentis inſipientibus, & in luxuriæ fœditate permanſit, & vide ſupremæ admirationis miraculum, Aleydem fornicariam concubinam ſuam nominare poterat, & ſciebat, Boethium verò de Trinitate, qui iuxtà eum ad ſpectaculum ponebatur, quem olim corde tenùs ſcierat, poſt inditam plagam, nec nominare poterat, nec valebat. En diuinæ in perditum, indoctumque Doctoré vltionis gladius, qui hominem omni protinùs ſciẽtia orbatum, amentiaque inſuper mulctatum diræ neci addixit, vt cæteri eius exemplo blaſphemare dediſcant.

Horrenda huius blaſphemia.

Diuinitus poſtquam omnium ſcientia plectitur.

Omnium repente fit immemor

17. Quid vero nõ abſimile narratis hactenus, alteri inter ſacræ Theologiæ Doctores præcipuo blaſphemas in Deum voces euomenti contigit, qui ſi non actutum, vt merebatur, ſublatus fuit, lingua tamen acerbè mulctatus eſt: fuit hic eiuſdem planè nominis, ac doctrinæ, Simõ Chunai, qui humana pluſquã par eſt, ſciẽtia elatus, ac de ſe nimiũ præſumens, dũ Theologicis de rebus coram aliquãdò differeret, quæ de Chriſti gloria luculenter edixerat, à ſe contrariis omninò, ſi vellet, argumentis conuelli, ac facillimè retorqueri poſſe affirmauit: at impiam ille perfido vix ore vocem protulerat, cũ ex ſapiẽte inſipiens, & ex diſertiſsimo totum ignarus, ac ſciolus euadens, in apertamque reſolutus mentis caliginem, riſum adſtantibus mouit, qui priùs ſui admirationem cunctis pepererat: ſed res à Pariſio ſic narratur:

Superbus doctor blaſphemus riſum aliis mouet.

18. *Acceſſerunt quidam ipſius familiariores, & ad diſcendum audiores, poſtulantes à Magiſtro, vt eo dictante quæſtiones litteris commendarent: dixerunt namque indignum eſſe, & iacturam irreſtaurabilem, ſi memoria tantæ ſcientiæ deperiret; quibus ipſe elatus, & maior ſibi, ſed ait, oculis ſubleuatis, temerè ſolutus in cachinnum: O' Ieſule, quantũ in hac quæſtione confirmaui legem tuam, & exaltaui, profectò ſi malignando, & aduerſando vellem fortioribus rationibus, & argumentis, ſcirẽ illam infirmare, & deprimendo improbare, & hoc dicto elinguis penitùs obmutuit, non tantũ mutus, ſed idiota, & ridiculosè infatuatus, nec poſteà legit, vel determinauit, & factus eſt in ſibilum, & deriſum omnibus, qui hoc audierant. Vt igitur intrà biennium didicit litteras cognoſcere, & vltione aliquantulùm mitigata, à filio ſuo quodam diligenter edocente vix potuit Pater noſter, et Symbolum diſcere, retinere, & balbutiendo pronunciare: Hoc igitur miraculum multorum ſcholariũ ſuppreſſit arrogantiam, & iactantiam refrænauit. Hæc vidit Magiſter Nicolaus de Tulij vir magnæ auctoritatis, qui poſteà Epiſcopus Dunelmenſis factus fuit, ex cuius relatu, & certo teſti-*

Pariſius in hiſt. Anglorũ.

Inſana eius in Chriſtum amentia.

Inſipientia percuſſus.

Nn

teſtimonio, hæc litteris commendaui, ne vetuſtas tantum miraculum aboleret eodem Epiſcopo ſuadente, & eſt ſermo omni acceptione digniſſimus. Hęc Pariſius de Theologo ſuperbiēte, & nedū diuinis inflato turpiter ſciētiis, ſed delirāte, qui etſi haud morte diuinitus; (vt meruiſſe videbatur) perculſus eſt, mirabiliter tamen, vt eius cæteri exemplo proficerent, cunctis exorbatus ſciētijs extemplò eſt, & qui pridē ſciētiſſimus fuerat, raſa veluti tabula redditus, in ſtuporem cunctis, atq; in deriſum extitit iuxta illud prophetæ: *Stulti facti ſunt Principes Taneos &c.* Quid item ſimile viro quondam apprimè erudito, ſed parum ſapido, pioque contigit, qui dum publicè ad populum è ſuggeſtu proclamaret, ac S. Franciſcum Aſiſinatem ſua inter verba, hominem veluti rudē, imperitumque contemnēs, ſubſannāſque apud Auditores deriſiſſet; En tibi ex improuiſo inter perorādum, ipſaq; inter contumeliarū verba obmutuit, adeò vt elinguis paulo poſt, ac totus confuſione reſperſus, mutuſque è ſuggeſtu, Deo ſerui ſui vlciſcente iniuriam, exilire cōpulſus ſit.

Iſaiæ 19.13.

Contumelioſus in S. Franciſcum concionator obmuteſcit.

19. Aliud quoque blaſphemo homini, ac portentoſum ſuperiori ſęculo ſupplicium diuinitùs illatū Auguſtino Māno Cong: Oratorij Preſbytero in ſuis ſelectis hiſtoriis narrāte comperimus, quod illi à religioſo viro omni fide digniſſimo (quippe qui oculatus fuit rei teſtis) expoſitū feriò legentes admonet, quas petulāter blaſphemi in Deum contumelias intorquent, in blaſphemantis caput retorqueri, inſanaſque impiorum voces, dum nubes excurrendo penetrant, inde fulmina, quibus ſuo impius quiſque iudicii calculo impetatur, extrahere: Sed quid in rem præſentem, Mannus enarret, audiamus.

Auguſt. Mannus in lib. ſelect. hiſt. c. 41.

Cōcionator blaſphemus vocis vſu priuatus.

20. *Religioſus quidam ex Capuccinis ex Siciliæ Inſula cū ſocio ſuo redibat in Italiam. In ea naui, qua vehebatur erat homo, neſcio an vnus ex nautis eſſet, qui mala quadam valetudine affectus eam patienter ferre non poterat, maledictionibus, & blaſphemijs ergà Deum, & Virginem Dei matrem iaculatis quærebat ægritudini ſuæ ſolatium.* Perditum ſanè hominem, mentiſque haud ſanæ conſilium, dū ſuum blaſphemis dolorem ſibilis lenire ſatagit, vt eo magis anima lethaliter ſaucia fieret, quo miſer ſuperos blaſphemando, ægroto leuamentum corpori quærebat: Sed hæc infrà:

Impii ex blaſphemiis malorum quęrunt ſolatia.

Hoc cū indignè ab omnibus, qui in naui erant audiretur, & propterea timerent, ne nauis, blaſphemias vlciſcente Deo, mergeretur in profundum, primū religioſus ille Pater hortabatur eum, vt ceſſaret à blaſphemijs illis, & linguā effrænem compeſceret, ne illum Deus exterminaret: ipſe tamen huiuſmodi correptionibus magis exacerbatus fortiùs blaſphemabat. Cæteri quoque circumſtantes acribus verbis virum obiurgantes, & comminantes ei, niſi deſiſteret, ira percitus, & diabolo ſtimulante in furorem verſus, in maledicta execrabilem linguam vehementiùs accendit: En quā difficilè ſacrilegis blaſphemiarum ſuſurris, cantilenisque aſſueti reſipiſcant, adeò vt vel iuſtè flagellis attriti vix ad meliorem frugem aliquandò redeant: calamitatibus quippè diuinitùs impetiti non ſecùs ac rabidi canes, vbi iacientem remordere nequeunt, in ipſoſmet, quibus impetuntur lapides petulantiores effecti inſiliunt: At Deus nefandis vocibus perculſus, irritatuſque condignam homini vltionem intentabat. Quæ igitur eumdem mala iuſtiſſimè inuaſerint, videamus.

Auguſt. Mannus vbi ſup.

Correpti canum inſtar magis ferociunt.

Ad-

Digitized by Google

21. *Adhuc os contumelioſum eru-ctabat dira verba, & tanquàm iacula contorquebat in cælum, quando fumus ater, & nebuloſus egreditur ex quadã ſpelunca, quæ erat ex aduerſo, iuxta loca, vnde (ſicut ex Veſuuio Monte contingit) ignes nonnunquam erumpere ſolent, & eleuatus in altum cogitur in grandem nubem, quæ per aerem pergens cæpit deſcendere ſuper nauim; cũmque ſuper illam incubuiſſet, omnes, qui illa vehebantur, trepidare metu, percutere pectora, emittere vota, fundere orationes, clamare ad Dominum:* Salua nos, *perimus; ſentiebant enim repentinum illius nubis aduentum ſuper nauigium aliquid portendere. Vix horrenda nubes aliquàntulũ ſuper nauem incubuerat, quando rurſus in aerem tollitur, & auditur in eam clamor hominis blaſphemantis, & petentis auxilium, qui ab inuiſibilibus dæmonibus raptus intrà nebulam ferebatur. Mox prodigioſa nubes æthera ſecans, in tenebroſum antrũ ingreditur, vnde egreſſa fuerat, ſecũ ferens miſerabilem hominem, qui vlciſcẽte numine traditus eſt crudeliſſimis tortoribus, vt per vias mortis ducerent illum ad igneam, & æternam carnificinam. Religioſus ipſe, qui interfuit, retulit hæc aliquibus ex patribus ſuis, à quibus hæc accepimus.* En quã dira blaſphemos homines ſupplicia manent, qui dum petulanter Dei abutuntur patientia, de longa fiunt impunitate ſecuri, nec à verborum iaculis, in ipſammet diuinitatem contumelioſi linguam compeſcere didicerunt; atræ etenim nubes ex impuris, ſacrilegiſque, quas eructant, vocibus conflatę ad os loquentium iniqua obſtruendum præſto ſunt: Quẽadmodùm enim ex ſpiſſis, condenſiſque vaporibus, qui ſublimè in aera tolluntur, gigni fulmina, ac coaleſcere ignes conſueuere ità ex tetris blaſphemi vocibus diuinæ fulmen animaduerſionis ad impium plectẽdum, perdendumque extemplò cõpactũ, ſacrilegos mortales exterret, admonetque, ne linguam in cælum ponant, ac numen, ſanctũque, quod ipſiſmet cacodęmonibus tartaro addictis timori eſt, nomen reuerentes paueant, atque, vti par eſt, colant, & venerentur.

In blaſphemos contumelioſa verba reſiliunt.

Blaſphemus nauita raptus à dæmonibus.

Defertur ad æterna incendia.

22. Sed iam à perdito iſto Catholico, ad hominem praua vitiatũ Caluiniſticę hæreſis labe orationis ſtylum conuertamus, in quo illud pſalmiſtæ oraculum adimpleri contigit, quod deriſores deriſui pariter, ac contemptui futuros eſſe denũciat: *Dominus autem è cælo deridebit eos, et ſubſannabit eos.* Sed tragicæ narrationem hiſtoriæ ex Cronacenſi oppido à Bambergenſi Epiſcopo, cuius ditioni illud ſubeſt, ad Clemẽtem octauũ Pont. Max. anno 1601. fideliter tranſmiſſam, quæ portentoſa planè hæreticis hominibus cacodæmonum manu illata ſupplicia exhibet contemplanda, eã quę ab Auguſtino Manno noſtræ Congregationis presbytero in ſuo ſelectarum hiſtor. libello recenſitam, exactè deſcriptã, digeſtamque ipſiuſmet Epiſcopi verbis hic repetimus:

Caluiniſta blaſphemus.

Auguſt. Mannus lib. ſelect. hiſt. c. 25.

23. Rem (inquit) *narrabo auditu mirandam, & incredibilem ferè, ni totius huius patriæ publicata nòtitia comprobata foret. In famoſo, ac celebri Caſtro noſtro Bambergenſis Epiſcopi, Roſemberg nominato, arte non minus, quã loci natura munito, quod in prealti ſupercilio montis ad celebrem einſdẽ ditionis Oppidum Cronach ſitum eſt, ab aliquo iam tempore horrenda ſpectra audiebantur, & viſebãtur, tã de media luce, quàm de nocte: Apparebant nonnumquã hirci, aut feroces tauri, non rarò in forma equorum, vel Aſinorum,*

Ex libello relationis Epiſcopi ad Clem. Octauo.

In arce Roſembergẽſi ſpectra dæmonum viſa

Digitized by Google

Simiarum itidem, atque aliarum beſtiarum, aut flammis circumdatæ equitum turmæ, ſubindè quoque in forma tetrici cuiuſdam, ac nigri viri, & ſæpiſſimè ſub ſpecie nobilis fœminæ, cuius tamen facies, aut luto, aut alterius generis ſordibus eſſet conſpurcata. Et Omnes quidem in Caſtro degentes, tā diurnis, quā nocturnis terriculamentis infeſtabant: neminem verò penitùs lædebant, aut percutiebant (quod ità ſæpè factum fuit, vt numerus ſciri nequeat) niſi hæreticos, neminemque prorſus, niſi hæreticos interfecerunt: Duo è gradibus deiecti, qui cū retuliſſent ſe a nigro quodam ingentis ſtaturæ viro ad lapſum impulſos fuiſſe, paulò poſt animas exhalarunt; Alius ſimili ferè mortis genere interijt: Quartus, qui a pedibus erat Capitaneo, cū idem ſpectrum in gradibus obuiā habuiſſet, illud fugiens, ſibi viſus eſt crinibus ab ipſo apprehendi, ex indè ad inſaniam redactus poſt tertium diem illicò, ac miſerrimè quidē, in Deum, ac Sanctos eius ſtupendas eructans blaſphemias, expirauit. Quintò Ancillæ cuidam domeſticæ meridiano tempore aquæ vas è puteo hauſtæ humeris geſtanti occurrit, ſtatura immani, aſpectuque ſupra modum formidabili, forma verò ignotum, an humana, an beſtiali: quin etiam litteras porrexit, quæ an veræ fuerint, an apparentes, ego quidem neſcio: verò tamen ſimilius alterum iſtud dixerim: ancillæ autem litteras acceptare recuſanti, dextrum femur apprehendit, ſtrictiſſimèque preſſit, territa ipſa, dolore percita, aquam ex humeris deiecit, remque domeſticis omnibus expoſuit, oſtentans enormes quinque plagas, quaſi totidem cādētibus ferramentis inuſtas, è quibus cum vſque ad viſcera caro putreſcens decidiſſet, tertio ſimiliter die è vita deceſſit. Vides hinc orthodoxæ fidei præſidio deſtitutos in omnimodam cacodæmonum poteſtatem cedere; quos enim hi in amplectendis, diſſeminandiſque prauorum dogmatum deliramentis duces, anteſignanoſque ſortiuntur, eos poſtmodum in pœnis expetendis tortores, carnificeſque perſentiunt. Vbi igitur Catholici diuino viuificæ crucis ſigno muniti tartareis legionibus pauori ſunt, hæretici iiſdem homines contemptui, atque, vt ex narratis liquet, ludibrio extitere: Sed quid de alio hæretico homine crucis irriſore peractum ſit, videamus.

Interficiunt hæreticos.

Tres præcipites côiecti.

Quartus in furorem actus.

Ancilla à ſpectro miſerè necata.

Auguſt. Mannus vbi ſup.

24. *Sextus, atque vltimus ſub finē menſis Auguſti huius anni a Virgineo partu 1601. a ſpectris interemptus, Caluiniſta erat inſignis, qui vbicumque ſalutiferæ* Crucis *ſignum aſpectui occurriſſet, illud cachinnis, & irriſionibus exhibilabat, & quoſcumque vidiſſet Cruce ſignantes ſeſe, aut ſtultos, aut ſuperſtitioſos criminabatur: quin etiam ipſo eodem Veſperi, quo à dæmone, ſeu ſpectro illo è turri 86. cubitis alta præcipitatus eſt, cū à quodam pio viro, & bene Catholico, (qui quod nunc recenſeo, cū multis alijs præſentibus conteſtatur, grauiterque aſſeuerat) quandò mentio fiebat Dæmonis, crucis expreſſionem fieri cerneret in hæc verba procaciſſimè erupit: O' ſtulte quid te iuuat iſthæc geſticulatio? tantumdem eſt (præfata tamen ex me reuerentia) ac ſi plena manu vaccarum ſtercora tibi in faciem injceres.* Impius planè, ac vnus ex illorum numero, quos Apoſtolus manifeſto olim perditionis calculo præſcripſerat dicens: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Sed triſtem hominis, qui dominicæ Crucis ſignum deridebat; ſubſannabatque, exitum videamus.

Caluiniſta crucis oſor præcipitatus è turri.

Blaſphemat in Crucem.

Ad Philip. cap. 3. 19.

Quam

Digitized by Google

25 *Quàm impietatem, cũ alij deteſtarentur, ille conuitia conuitijs accumulabat, nec diuina vltio tantum, atq; inſanum adeò S. Crucis contemptum diù impunitum voluit. Eodem veſpere, cũ ipſe vna cum nobili quodam iuuene, cuius ante paucos annos pædagogus, nunc verò Oeconomus erat, cubitũ conceſſiſſet ad lectum vnum, eumdemque, pœnas dedit impietatis ſuæ.* Dormiebant in eodem cubiculo, alio tamen in lecto duo famuli, & candela nondũ extincta in medio cubiculi lucebat. Intrà decimam, ac nonam horas veſpertinas, crepuſculo vixdum finito præſidiarius miles, qui tunc excubias agebat, extrà arcem interiorem in vallo ſtans, è regione turris, in qua decumbebat blaſphemus iſte cum ſocijs ſubitaneum audiuit impetum vehementiſſimi turbinis, ac ſurſum reſpiciens vidit globos, quaſi flammeos miræ magnitudinis turrim circumuolitantes, & in medio quemdam lacrymabunda, querulaque voce gemẽtẽ, atq; altiſſima ſuſpiria ducentẽ, hinc inde in diuerſas reptari partes: proindè rei nouitate attonitus benedictum nomẽ Ieſu, ac Deiparæ Matris Mariæ (erat enim Catholicus) inclamauit, & in momento impius ille cũ fragore deiectus eſt: Caſu facto ingens flamma, non minore ſtridore indè auolauit, verſùs ſyluas, quod & alij plures tũ in oppido, tũ in agris degentes conſpexerunt. Exindè non parum timore perculſus, omnibuſque tremens artubus, bonus ille præſidiarius corruit & ipſe in terrã: Sed aliquantulùm ſeſe recolligens, ſignoque Crucis muniens, ſocios alios inclamauit: Quibus accurrentibus cum lucernis, inuenerunt è turri deiectum blaſphemum illum, ac iam enectum: & quod admirationem huiuſce caſus non parũ auxitu, nulla pars corporis exceptis pedum ſoleis, læſa fuit. Extractus verò eſt à dæmonibus per anguſtiſſimam feneſtram, quæ nec longitudine, nec latitudine palmum vnum aſſequitur, atq; à pauimento tã altam, vt quis eam vix collo tenus poſſit attingere, ſi indè extrà arcem ſit proſpecturus, murus inſuper craſſitiei duorum cubitorum, eoque amplius. Hærebant adhuc in feneſtra hinc indè, & in muro detractæ præ foraminis anguſtia cutis, & ſanguinis reliquiæ. Vt videlicet blaſphemi in Crucem ſacroſanctam hominis perfidia cruentis in pariete notis adumbrata, nullis quidem tutum præſidiis qui potenti, ac viuifico Redemptionis ſigno non fuiſſet ab Angelo lucis prænotatus, nulliſque improbitatẽ murorum ſubſtructionibus vallatã, periculis reddi immunem præſignaret: ſed cætera proſequamur:

Auguſt. Mannus vbi ſup.

Rapitur à Dæmone

Inclamato nomine Ieſu & Mariæ fugati dæmones.

Portentum dæmonis arte in blaſphemum hominem præſtitum.

26. *Dæmones quoque, qui nimirũ (vt æſtimare licet) inclamatione nominis Ieſu, cadauer illud maledictum, ne auferrent, præpediti ſunt, vna cũ anima blaſphemi ſecum aſportarunt, & feneſtrellam, quàm dixi, nullibi enim locorum hactenùs ea reperta fuit: Ergò Arcis Capitaneo, aliiſque cuſtodibus excitatis, etiam ad cubiculum prædictũ accurrerunt vna omnes, ardebat adhuc candela, & nobilis, à cuius latere abreptus erat, ac duo ipſius famuli altiſſimo ſopore merſi ſuauiter dormiebant, ſeſeque nihil penitùs inaudiſſe affirmabant.* Percrebuerat adeò rumor iſte *in tota hac patria, vt nemini ferè amplius in Caſtro habitandi ſufficeret animus:*

Cadauer maledictum relinquunt.

Auguſt. Mannus vbi ſup.

Signo crucis dæmones abſterriti.

Quin & ipſe Capitaneus ad Reuerendiſſimum, & Illuſtriſſimum Epiſcopum Bambergenſem conquærendum, conſilijque petendi cauſa venit: ac ne præcipuum iſtud munitiſſimum Caſtrũ Epiſcoporum Bambergenſium in diſſentionibus, ac bellorum motibus certiſſimum præſidium, omninò deſerendum eſſet compellati, permulti Sacerdotes, vt

eo

Digitized by Google

ro ferendæ opis cauſa ſeſe conferrent, & omnes rei grauitate perterriti hoc onus à ſe reiecerunt. Fateor culpam meam, ac diffidentiam in eorum numero, & ego fui, nec vltimus quidem. ſed Illuſtriſſimo noſtro ità grauiter, inſtante, ac pro auctoritate fere mihi demandante, vt ſi quid in me conſilij eſſet, id perſanando huic malo adhiberem, morem licet valdè inuitus geſſi, vtpotè in huiuſmodi arduis rebus planè rudis, & imperitus. Præmiſſis ergò ieiunijs, & orationibus, vt fieri par eſt, vnius, ac dimidiæ diei itinere (tantùm enim Bamberga diſtat) ad locum perueni, omniaque, vt recenſui (omiſſis tamen infinitis propemodum alijs non minori admiratione dignis) ità ſe habere cognoui, adhibitis etiam ad pleraque iuratis Notario, ac teſtibus. Iuſſi ergò mihi in infeſto illo cubiculo, vna cum Monacho Dominicano, quem ſocium viæ adhibui, & aſſiſtentem in hoc negotio tã arduo conficiendo (nemo quippè alius induci poterat) eumdem ſterni lectum, è quo blaſphemus ille ſublatus fuerat. Facilè eſt æſtimare, quantum quietis illa nocte captare licuerit. Summo mane de licentia Reuerendiſſimi noſtri ſpeciali, aram ſtruxi ad feneſtram illam, quam dixi, & oblata itidem ſalutis noſtræ hoſtia, in quo S. Auguſtinum Magiſtrum meum habeo; Dæmones coniuncti protinùs abſceſſere. Peracto ſacrificio, & luſtrali, alijſque conſuetis cæremonijs expiaui. Quo factum eſt virtute diuiniſſimi Sacramenti præſertim, & Eccleſiæ ſanctæ ritibus, ac precibus, vt totus locus ſit ab huiuſmodi terriculamentis liber, vt nulla omninò infeſtatio malorum ſpirituum ampliùs ſentiatur. Vides præſentaneam diuiniſſimi huius Sacramenti aduerſus tartari monſtra phalangeſq; potẽtiam; ſtygij quippè hoſtes, hoſpiteſque, qui infame cubiculũ, blaſphemiarũ ſibi dicatum latratibus incolebant, cum dominicũ panem, *Qui panis eſt fortium*, ferre non valerent, præſidiario cubiculo terga vertere, è loco protinùs abſcedere, atque in Orcum agni immaculati carnibus, ac ſanguine abſterriti dicto citiùs diuertere compulſi, Deo honorem dedere, ſed vndè quæſo tanta cacodæmonum in locum, quẽ hactenùs memorauimus, occupãdo, retinendoque poteſtas, vt eos domus veluti inquilinos haberet?

Saçerdotes locum expiant.

Spectra virtute Sacramenti depulſa.

Dæmones ſacramento altaris fugantur.

27. *Compertum eſt* (inquit) *inter alias cauſas, & noſtro multas, & pondere ſuo graues, infeſtationem iſtam à Deo dæmonibus permiſſam eſſe, tùm propter intolerabiles blaſphemias, ac diras, quibus incolæ ſibi mutuo dæmonem imprecabantur, eidemque ſe leuiſſimè ad vnumquodq; verbum pro Germanorum execrando more deuouebant: tũ, & propter ſanctæ Crucis contemptum ibidem factum. Hæc geſta fuerunt Kalend. Septembris anni huius M. DC. I.* Paucis itaque originariã tartareæ tũ inuaſionis, tum infeſtationis expreſſam verbis causam, & moleſtiarum, ſuppliciorumque item promerentibus Deo permittente cataſtrophem ex eo potiſſimùm deriuaſſe, auctoris teſtimonio comprobatur: nõ niſi praua videlicet blaſphemiarum, inoliaque prophanos apud homines, ſatiſque nunquàm deploranda conſuetudine: *Poſuerũt quippè in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra*: Quapropter ſatis decantata Apoſtoli verba opportunè hic aduerſus nebulones perditos repetenda ſunt: *Ideò inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi.* Immane quippè piaculum, diuina actutum ſupplicia, & maxima quidem conſequuntur: His illud inſuper ad malorum cumulum accedebat, quod idẽ ſcri-

Exciti eo fuerant dæmones cum habitatores leuiter ſe mutuo dæmoni deuouerent.

Pſ. 72.9.

1. Ad Corinth. 11.

ſcriptor enarrat, iugis nimirum viuificæ Crucis, qui impiorum cordibus dæmone inſtigante obrepſerat, atque altiùs inſederat contemptus; ob id enim malæ crucis ſupplicio cõtemptores deſtinati videbantur iuxta id, quod de his propheticè quondam loquutus Apoſtolus dixit: *Multi quidem ambulabant, quos ſæpè dicebam vobis inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus eſt.* Ita planè Crucis dominicæ contumelia interitum ipſiſmet inſultantibus, ac pius è cõtra eiuſdem cultus, vitam, ſoſpitatemque cultoribus afferre conſueuit. Sed quã immanè dæmon impiis hominibus, ac hæreſi potiſſimùm labe reſperſis ad illudendum, torquendũque inualeſcat, ex eo potiſſimùm liquet, quod complures ex his, qui in eodem Caſtro degebant, mirificè deluſit, vt auctor, qui ſuprà tragicis ludicra permiſcens, his planè verbis exequitur:

Deſcripti ab Apoſtolo notatores. Ad Philip. c. 3. 9.

28. *Sed vt ſerijs hiſce alia non minùs ſeria, aliquantulù tamen ridicula adiungam: Stabularios nonnunquam media die, vel noctu, turpes cantilenas cãtillãtes, aut ſcurriles horrẽde verberibus ſpectrũ excepit, tametſi ipſi nihil viderent: nonnullos etiam lapidibus petijt è tabulato nemine ſciente vndè lapides prodirent. Illud verò ſatis lepidũ & iocoſum, quod eo veſperi, quo eo deueni, accidit. Erat audaculus quidam tubicen, homo leuis, & perfrictæ frontis alioquin, qui pignore cum quouis certaturum ſeſe profitebatur, quod media nocte, quicumque tandem dæmon in arce habitaret, impune, et abſque vlla læſione totam arcem vellet perambulare. Inuentus ergò qui daleros quatuor depoſuit pignoris loco, conſtituti quoque arbitri, & obſeruatores, qui an condictum exequeretur, ſatis audax facinus teſtatum facerent. Erant ij partim vigiles, partim præſidiarij milites. Media ergò nocte poſt duodecimam, cũ aliquot iam conclauia peruagatus eſſet, inclamabat medio ſtans in atrio eos, qui tum excubias agebant, hoc eſt: Io, vah, depoſitos quatuor lucratus ſum daleros. Vix verba ea finierat, & ecce aſpectantibus quoque, quos iam dixi, excubitoribus, ſpectrum, ſeu dæmon infeſtans in forma villoſi, ignitiſque flammis circumdati Hirci, magno impetu facto in terram eum proſtrauit, & verberibus totum ferè exanimauit. Inclamarunt vigiles nomen Ieſu, quo audito ſpectrũ euanuit illicò.* Hęc illè. Ex quo vides ſub diuiniſſimi nominis Ieſu auſpicio, ſtygiorum protinus hoſtium vim concidiſſe, illuſorias euanuiſſe imagines, ac supernum inuocantibus prȩſto fuiſſe auxilium, adeò vt ſolus duntaxat ille, qui de ſe cõtrà diabolũ inaniter prȩſumpſerat, condigna præſumptionis præmia retulerit; Sed rem proſequamur: *Exindè miſellus ille pro lucro reportauit inſolitum tremorem artuum omniũ, præter enormes plagas. Facies eius inſuper ità erat liuida, ac ſi toto liquato ſulphure perfuſa eſſet, diſtillatis quaſi liquefactæ picis hinc indè guttulis. Cũ ergò conſilij, & opis petendæ gratia, quàm primũ ibidem appuli, ad me veniſſet, adhibito ſacrorum amuletorum, vt agnorum Dei, Paſchalis cerei, & aquæ benedictæ vſu, paulatim tremor membrorum cum illa faciei fœditate euanuit. Plurima alia prætermittuntur, ne iuſtam hæc narratio breuitatem excedat.* His planè verbis totã tragicæ rei hiſtoriam auctor deſcripſit, quibus Auguſtinus noſter iſthæc pauca Coronidis inſtar ſubtexit:

Auguſt. Mannus vbi ſup. ex relatione Clem. Octaui. Stabularij dũ ſcurriles nęnias canerent ſæpè dì verberati.

Ab hirco flammis ſuccinto vexatur.

Inclamato nomine Ieſu liberatur.

Auguſt. Mannus vbi ſup.

Sacris præſidiis reſtitutus valetudini.

29 *Huiuſmodi contingentis caſus enarratio ad Clementem VIII. Pontificem Summum tranſmiſſa eſt, qui tunc*

Auguſt. Mannus vbi ſup.

eam

Tranſmiſſa ad Clementem VIII.

eam Cardinali noſtro Baronio legendã tradidit. Baronius autem miſit illam ad Patres noſtros, apud quos, dum cœnaretur pro menſæ lectione recitata eſt anno M.DC.I. Menſe Decembris. Hactenùs ille. Ex quibus veſanos dæmonis aduerſus blaſphemorum petulantiam debacchãtis impetus probè quis legendo intelligit, dum iiſdẽ inferre necem adniteretur, ac portẽtoſis, multimodiſque Boreales apud regiones, in quibus perfida tunc hæreſum lues inualuerat, Deo in criminis pœnam id permittente ſæuiret; conatus autem eiuſcemodi, Crucis duntaxat virtute, ac Sanctiſſimi nominis Ieſu potentia irriti, ac futiles extitere. Quò ab orthodoxa fide alieni, & in media cæcutientes luce experimento diſcant, ipſoſmet dæmones, impiorum hominum tortores, ſola duntaxat catholicorum voce ad Chriſti imperium religatos ſiti, nec contumeliam vllam detrimentumque crucis ſigno validè præmunitis extimeſcendam, adeò vt orthodoxi non ſecùs, ac inuicti pugiles, victoreſque de captiuis hoſtibus, reuinctiſque mancipiis nobiles Deo aſpirãte triumphos ſẽper vbiq; reuehant, concinantque, quod Tertullianus ipſiſmet diſertè quondam gentilibus infirmã dæmonum, quos propenſiori ſtudio colebant, vim obiectans, inſultare haud ſemel conſueuit, dum his planè verbis Scapulam perſtringit: *Dæmones non tantùm reſpuimus, verũ & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt &c.* Implacabiles quippè, ſæuique hominum tortores, Chriſtianorum non tam verberibus, quàm verbis torquentur, eorumque ſolo nutu, (vt Tertullianus tradit) abire in Orcum cõpellũtur; Idem autẽ vtpote perantiquus rerum Chriſtianarũ cõpilator, traditam Chriſtianis hominibus à Chriſto primũ in dęmones poteſtatẽ his alibi verbis inculcat: *Edatur aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet: iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tã ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo. Aequè producatur aliquis ex his, qui de Deo pati exiſtimantur, qui aris anhelantes numen de nidore concipiunt, niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes; ibidem Chriſtiani procaciſſimi ſanguinẽ fundite.* Hæc in rem præſentem Tertullianus.

Dæmones impiorum tortores.

Tertullianus ad Scapulam c.4.

Torti à Chriſtianis.

Tertullianus in Apolog. c.23.

Fatentur ſe dęmones, qui apud gentiles ſe iactabant Deos.

30. Ipſorum verò dæmonium vim redditam ſub Chriſto debilem, captiuáque eorum fortitudinem, nec non attritam eorumdem omnem penitus ſolo dominicæ Crucis ſigno, ac virtute potentiam paribus Cyprianus verbis inſinuaſſe viſus eſt, dum in Gẽtiles acriùs inuehens, his quidem Demetrianum Africæ Proconſulem verbis perſtringit: *O! ſi audire velles (inquit) & videre, quandò à nobis dæmones adiurantur, et torquentur ſpiritualibus flagris, et verborum tormentis, de obſeſſis corporibus eijciuntur: quando eiulantes, & gemẽtes voce humana, & poteſtate diuina flagella, & verbera ſentientes venturũ Iudicem confitentur. Veni, & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Et quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis crede, aut ſi volueris, & tibi credere, de ſe ipſo loquetur audiente te, qui tunc tuum pectus poſſedit, qui tunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit: Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas, timeri ab eis, quos tu adoras: videbis ſub manu tua ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis, & veneraris, vt Dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris, quando con-*

Quanta vis Chriſti, ac crucis in dęmones.

Cyprian. ad Demetrianum

Coacti ſe ipſos produnt.

Digitized by Google

conſpexeris, et audieris Deos tuos, quid ſint interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas, & fallacias ſuas non poſſe celare. Hæc aptè in rem præſentem Cyprianus, qui & alia in hanc planè loquendi formam, ad dæmonum reuincendam, retundendamque fallaciam, ad Donatum ſcribens inculcat: *Facultas* (inquit) *datur immundos, & erraticos ſpiritus, qui expugnandis ſe hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur occulta plaga, pœna manifeſta.* Hæc Cyprianus, dum vel inuitas, nolenteſque tartareas Chriſtianorum imperio ſubijci poteſtates, coactaſque ad nutum parere diſertis verbis affirmat; ſed alia interim ſilētio prætermus. Si quis autē plura in rē præſentem noſſe cupit, Baronium in ſuis iſthæc annalibus diſertè, ac prolixiori ſermone exequentem cōſulat, vbi pulchra, quæ ad eiuſmodi rem pertinēt, ab eruditiſſimo viro in ſtudioſi lectoris gratiam concinnata ſunt. Nobis autem, dum blaſphemorum exemplis inſiſtentes, cacodæmonū in Germanorum ditione hæreticis inſultantium, ac illudentium mentionem fecimus, Lectori hic nōnulla vel obiter haud omninò alienum à propoſito ſuggeſſiſſe viſum eſt.

Dæmones Chriſti imperio capti-ur

Cyprianus epiſt. 2. ad Donatum.

Poteſtas in Eccleſia aduerſus dæmones.

31. Verùm enim verò, vt illuc, vndè diſceſſit, oratio reuocetur; blaſphemos hic hæreticos, ne piorum aures, pluſquam par eſt, fatigentur, ſilētio prætetire maluimus; hi enim ipſo condignas pœnas numini exoluerūt, quorū in ſuis Eccleſiaſticis annalibus opportunam Baronius cataſtrophem texit: Hæreſeos enim, ſicut, & Idololatriæ genius ille gratus, acceptuſq; eſt, petulātiori pcū lingua contemnere, cultū violare, proſcindere; nam, vt deliras paſſim impiorum (de quibus ſuo nobis loco ſermo erit) blaſphemias hæreticorum ſileamus, vnus præ cæteris. Manes, ac hæreſiarcharū peſſimus, vt pleriq; rerum ſcriptores docent, Spiritum Sanctum ſe eſſe dictis palā aſſerere nequaquā veritus eſt. Dauid Georgius Hollandicus Sartor, ab ipſa conſuendorum pannorum officina, ad dogmatū fidei palęſtrā diuertens forſice duntaxat, atq; acu inſtructus, linguam in Deum impius pro mille forficibus exacuit, & cū præter vernaculum idioma vix aliud noſſet, è bibliis tamen, quorum paginas nedum oculis ſalutauerat, immania quæque deliramenta eructans, ſuam eo vſque impietatē prouexit, vt ſartorem, viliſque plebeculæ homunncionem, quem agebat, oblitus, ingēti planè delirantiū propudio ſe Dei filium non dubitaret aſſerere: Manetis ſubindè diſcipuli panem in altū iacientes insanis ipſum, eiuſque conditorem verbis impio auſu execrabātur. Porrò hæretici, qui certatim ſubdolis Chriſtum linguis, ac perfidis orthodoxam fidem dictis, dicteriiſque prodidere, tandem proditorum inſtar è medio ſublati ſunt. Arrius enim vaferrimus orbis impoſtor pari, ac Iſcariotes Chriſti proditor mulctatus exitu, exoſam Deo animam euiſceratus effudit, putidāque illam Arrianiſmi vocem, in publicam vna cū viſceribus latrinam, inter fœces proiecit: Atqui contumelioſas, blaſphemaſque nonnullorum hæreticorum voces, quibus Deus vltor non defuit, nobis recenſere non piget, vt ex infra dicendis lectori luce clarius patebit.

Baron. tom. 2 an. 277. n. 13

Manes ſe pro Spiritu S. venditabat.

Dauid Georgius Sartor pro Chriſto

Arrius viſcera in latrinā effudit.

32. *Angelus quidam, Tendatus*

Digitized by Google

Angelus Tēdatus Dęum ęque peccati ac gratiæ authorem effutiens ſibi gulam elidit. Florimund. Ram. lib. 7. de ortu hæreſ. c. 15. n. 3 apud Drexelium c. 6. de ling. blaſph.

nomine, vt Florimūdus enarrat, *Deū æquè cauſam eſſe proditionis in Iuda, quàm conuerſionis in Paulo aſſeruit; non multò poſt in pœnam dicti, ſuus ipſe Carnifex in ſuo cubiculo gulam laqueo præfocauit.* Idem planè alteri inter ſacerdotes ſacrilego accidiſſe fertur, qui cùm captiuus apud Gothos detineretur, blaſphemias in ſuperos intorquens, vocem, ac vitā pariter vno, eodemque momento, mortis falce reſectus amiſit, vt ex Turonenſi rē deſcribente his planè apud Drexeliū verbis adnotatur: *Aurelia* (inquit) *ab hoſtibus obſeſſa Anianus Vrbis præſul cū omni Sacerdotum numero intra mœnia obijt, ac litanias decantauit. Audiens hæc Sacerdos apud Gothos captiuus: Fruſtrà hæc* (inquit) *Aniane: ſi tu putes hoſtem cantibus arceri poſſe: hæc eadem nec alijs vrbibus quidquam profuerunt. Audierunt ſuperi ſe rideri nec impunè tulit has voces miſer, quas morte ſubita luit.* Huic Olimpius Arrianorum Epiſcopus, Drexelio teſte, adnumerandus eſt: *In balneo enim impudentiſſimus cū ſceleſta lingua ſanctiſſimam Triadem violaret, mox eos dolores ſenſit perindè, ac ſi triplici telo confoſſus animam ageret, atque ita defluente carne expirauit infelix, Anno Chriſtiano quingenteſimo decimo.* Quis hinc ſuperna vltionis blaſphemorum capiti impentem mucronem non videat; quos breui quidem, ſed graui, ſed acuto, aculeatoque Apoſtolus ſtylo perſtringens, illis planè verbis adumbraſſe viſus eſt: *Rurſum* (inquit) *crucifigentes ſibimetipſis filiū Dei, & oſtentui habentes.* Quorum inſuper ſcelus haud vulgari interiecta comparatione Auguſtinus luculēter exaggerat: *Minus eſt* (inquit) *offendere Chriſtum in cruce pendentem, quàm in cœlo ſedentem. Nam illi crucifixerūt eum, quē non agnouerunt, hi maledictis configunt illum, quem optimè agnoſcunt. Ideò tales proximè abſunt à damnatis, quorum hoc vnum negotium eſt, & diriſſima pati, & aſſiduè conditorem execrari. Horum regnum factum eſt tenebroſum, & commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, et blaſphemauerūt Deum cœli præ doloribus, et vulneribus ſuis.* En tibi odioſa ſcelerū collatione inuiſi criminis facies viuis in tabula coloribus ob oculos hic adumbrata.

Greg. Turon. apud Drexelium vbi ſupra.

Olympius blaſphemās in Triadem triplici telo confoſſus. Paulus Diac. lib. 15. in Anaſtaſio.

Hebr. cap. 9. v. 6.

Auguſt. ſer. de blaſph. m. Cur blaſphemi crucifixoribus Chriſti ſint peiores.

Apocal. 16. ver. 10. & 11.

33. Verùm, vt argumentis res magis, magiſque innoteſcat, cùm acerbiſſimis alioqui pœnis, qui contumelioſe in viros principes linguam exerunt, exacuuntque, eorumdē iuſſu impetantur, æquo item iure, vt Sanctorum oraculis, dictiſque honor ſit, Sacroſancti numinis, ac nominis perduelles quibuſuis pęnis diuinitùs ſubiici, percellique par eſt: *Si regē terræ* (inquit Chriſoſtomus) *blaſphemantes puniri oportet, multò magis regem cœli contumelia afficientes.* Hinc factū eſt, vt cū Rupertus Imperator anno milleſimo quadringenteſimo electus Romanorum Rex, illibatę conſcientiæ, ac religionis princeps, & zelantiſsimus iuſtitiæ cultor, æmulatorque ſubditas ditioni Vrbes reuiſeret, proſcriptis, quorū non exiguus ſuppetebat numerus, ob atrociora delicta veniam benignè oxoratus indulgēs, eis tamen, qui ob blaſphemiæ ſacrilegium patriis é ſedibus exulabat, reditum nullatenùs permittendū cenſuerit: Sed rem eleganti ſtylo à Ioanne Niderio digeſtam habes:

Si Reges terræ blaſphemare piaculum eſt, quāto magis Regem cœli blaſphemari. Chriſoſtom. con. blaſphem.

34. *Proſcriptorum* (inquit) *cauſas priùs audire voluit, quàm eis reditum exorare. Varia hic crimina allata, ob quæ ciues illi ſolū vertere iuſſi eſſent. Inter hos fuit ciuis Spirenſis vir infimæ familiæ. Huic redditum in Vrbē Vrbis Proceres, & magna cognatorum*

Io. Nider. lib. 4. Formicar. c. 3. prope fin.

caterua

caterua impetratum voluit. Imperator quænam exilij cauſa fuiſſet, ſciſcitatus; reſponſum eſt, hominem ludo incaleſcẽtem aliquoties impias voces in Deum ieciſſe; Huic *religioſiſſimus Imperator in diuinum honorem exardeſcens; Pro omnibus (inquit) rogauerim, vt recipiãtur Vrbe, hoc ſolo in exilium remiſſo. Nam alij, ò viri, deliquerunt in homines potiſſimũ, iſte verò in Deum: cæteris igitur omnibus, ſi placet parcite, hic in locum, quo dignus eſt, denuo exulatũ abeat. Iure merito hic vnus rigidiore, quàm alij cenſura notatus eſt.* Hæc ille. Sapienti quippè vſus conſilio optimus Princeps præſentaneã Vrbi, ac Ciuibus timebat, blaſphemo iterũ in lares patrios remeante, vaſtitatem, cunctorumque iugulo ob inultum vnius duntaxat ſcelus mucronem diuinitùs intentandum ſeriò viſus eſt præcauiſſe.

Ruperti Imper. in blaſphemum vindictæ exẽplũ inſigne.

35. Blaſphemorum igitur lingua ni quantocyus, vt par eſt ferro præcidatur vrbibus cladem inferre, arietate muros, domos ſubuertere, perdere ciues, rem familiarem abſumere, cunctaque triſtia, funeſta cuncta portendere conſueuit. *Quapropter conuentum olim* (vt Drexelius ait) *blaſphemorum præmium fuit, maledicam linguam aſſerculo clauis affigere, & vna cultrum dare reo in manus, quo ſe liberaret, vt poſſet.* At quo Iudicij calculo blaſphemi homines expetendi ſint videamus. *Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Argentorati duo milites præſidiarij in vincula rapti, horum alter Deum, alter Ducem conuicijs inceſſerat: & huic quidẽ nulli, illi verò plurimi erant deprecatores. Cauſa tamen diſcuſſa, ille qui Deum execratus eſt, lingua prius extracta, capite plexus eſt; mitiùs actum cũ altero.* At æquo res tanta iudicio peracta eſt: blaſphemi quippè publicæ perniciosiores hoſtes dicendi, recenſẽdique ſunt, quàm cæteri, qui manifeſtam tũ Ciuitati, tũ ciuibus cladẽ è proximo intẽtãt, quorsùm enim hi pacem, ſecundoſque rerum à Deo prouentus impetrare queãt, qui Dei hoſtes, blaſphemis in ipſum iaculis deſæuiẽtes, luem omniũ acerbiſſimã ſua intra mænia, ſinuque fouent, vt apud Drexelium his verbis decantatum eſt.

Maledica lingua olim confixa clauis.

Drexel. lib. de ling. blaſphem. n. 4.

Iuſtum in blaſphemos iudicium.

36. *Robertus Galliarum Rex laudatiſſimus Hugonis Capeti filius, Regni ſui pacem à Deo petijt; Huic Chriſtus videndum ſe præbens: Pacem (inquit) non impetrabis Roberte, priuſquã blaſphemias, & flagitia omnibus nota Regno extirpaueris.* Diuino igitur calculo funeſtus blaſphemis hominibus interitus portenditur, & Apoſtolicæ itidẽ vocis oraculo in eos, qui eiuſcemodi labe detinentur adeò deſæuitũ eſt, vt duo blaſphemię pręnotati crimine in iudicium adducti, ad iuſtã exoluendam pœnam, non iam carnifici, ſed diabolo traditi fuerint. Enim verò in ea, quã Paulus ad Timotheũ ſcripſit Epiſtola, cõdignã in blaſphemos ſententiã præſcribens, his verbis intonuit: *Ex quibus eſt* (inquit) *Hymmeneus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Sed vt recẽſito impiorũ exitu, exitiale interim crimẽ ſugilletur, duo hic blaſphemorum ex Drexelio exempla proponimus, quibus Ciuitates, quãuis militari præſidio, viribus, armiſque optime inſtructas, in hoſtium tandem manus prouenire, & vbi ex aduerſo in bellatorum caſtris blaſphemia militat, victoriæ palmam, irritis ſubindè militum, armorumq; niſibus procul infeliciterque auolare, palàm legentibus ſit ex his, quæ nos modo dicturi ſumus.

Chriſtus Roberto Regi ſignificat nõ prius potitu rum pace, quam blaſphemos excidere.

Drexell. c. 6. de ling. blaſphem.

Blaſphemi ab Apoſtolo traditi ſatanæ

1. ad Timoth. c. 1. o. ver. 20

37. *Anno (inquit) milleſimo quin-*

Digitized by Google

genteſimo octogeſimo Oliuerius Tempeſius, vir militiæ gnarus, & acer, Bruxellæ præerat, quæ tunc quoque in alias partes ierat, non capta, ſed decepta. Iſte imminebat oppido Hallis aſſiduè, quas cum Hannonia, & Arteſia, reſtitutas iam Regi audiebat. Bis igitur tentat eò audaciùs, quòd, & finitima oppida ſuæ poteſtatis eſſent. & in ipſis Hallis vix quadraginta nouelli milites, qui tuerentur. Præſidiariis quippè militibus deſtituta, & iàm iàm in manus hoſtium dedenda Ciuitas videbatur, ſed Deus aduersùs blaſphemum, petulantemque eiuſdem exercitus militem, ſuiſque armis præſidentem è cælo viſus eſt dimicaſſe. Vt belli igitur exitum proſequamur: *Primo die* (inquit) *repellitur, & callidè, quaſi omiſſo incœpto abit, ſed in animo aliud verſat, & dum conductis in vnum præſidijs vires auget, & inopinatus ſub noctem ſequentem redit. Etiam cũ ſcalis, & reliquo apparatu in via, vt fit, incedunt alacres, mutuò ſeſe adhortantes. Erat inter copias Ioannes Suuchius, homo non religionis ſolũ, & vitæ improbus, ſed etiam linguæ. Is canere iam triumphum, & iactitare palàm, ſe ſuis manibus Hallenſi mumuliercule (Deiparentem intelligebat) naſum abſciſſurum. Itur porrò peruenitur; quid factum? Diua audierat, et quaſi talionis pœnam machinata procurat glande plumbea inter primas excuſſa, illi ipſi ſcurræ naſum auferri. Pœnam habuit, & irriſum inter ipſos commilitones perpetuum meruit, qui itidem hominem monebant, porrò Hallas iret, & naſum ſuum reciperet.* Verè etenim Deus de cælo nebulonem nequiſſimum irriſit, ac ſuę inſultantem Matri ſubſannauit. Porrò alter quoque in Deiparam contumelioſus, illatæ pœnam contumeliæ in ſuum recidiſſe caput perſenſit, vt Drexelius his verbis narrat: *Sed, & alter* (inquit) *in eadẽ expeditione Ioãnes Ryſtelmannus immaniore etiam ſæuitia, & ore tetriore effuderat: Sacratam ſe ſtatuam Bruxellam adducturum, atque ibi igne ſubiecto publicè crematurum. Deus reuera Deus (mitiſſimam Virginem hic omitto) audijt, & illi impio blaſphemum os, ac mentum tormenti ictu abſtulit, & paulò poſt ipſam vitã.* Atqui aliud interim blaſphemi, etſi non morte, vt par erat, tamen cæcitate, quo cæcus ad mentis lumen rediret, diuinitus mulctati ſubtexere hic hiſtoriam volumus.

Hallæ cliẽtelæ Virginis commendatę.

Drexel. vbi ſup.

Hæreticus iactans Virginis imaginis nares præciſurum nares amittit.

Miſer ridiculus fit.

Drexel lib. cit. n. 1.

Alterius blaſphemi in Virginem ſupplicium.

38. *Triginta anni ſunt* (inquit Drexelius) *ex quo Batauì Beatiſſimæ Virginis Sichemienſis ſacellum expilarunt, ab eo tempore plurima illorum retro ferri cœpere. nàm Oſtendam, ac Bredam oppida munitiſſima amiſerunt, & multa geſſerunt infeliciter: inter illos autẽ Mariani Sacelli prædones, eques erat in equo cæco, qui vbi iàm ſacello vicinus, per riſum, & contumeliam dixit:* Si *Maria hic miracula facit, oculos reddat equo meo. Audijt Virgo blaſphemũ, et mox viſus reſtitutus eſt equo. Eques verò excæcatus. Id ante mortẽ, et in morte ipſa confeſſus eſt equitis illius commilito, qui ob aliud crimen Vuertenti extremo ſupplicio affectus eſt, quod ipſius Vuertenſis* Prætoris *litteræ teſtãtur.* Vtinam miſer cæcitate perculſus ad orthodoxos conuolans veritati vel ſero mentis oculos reſeraſſet, ſuoſque ex corde errores pertæſus condignam numini gloriam reſipiſcendo dediſſet.

Drexel. cap. 6. de ling. blaſphem. nu. 5. ver. 99.

Exemplum aliud inſigne in Batauum.

39. Opportunè igitur Apoſtolus blaſphemias, quę certam tũ animabus, tũ corporibus vaſtitatem inferunt, perditoſque exitio deuouent, à Chriſtianorum laribus eliminandas præcepit: *Nunc autem* (inquit) *deponite, & vos omnia, iram, indignationem,*

Ad Coloſſen. c. 3. n. 8.

Drexel. vbi ſup.

Tarditas pœnæ in blaſphemos cõpenſatur grauitate.

tionem, blaſphemiam. Quibus vt Drexelij verba coronidis inſtar ſubtexamus; *Blaſphemos* (inquit) *plerumque non ſua morte defungi, præcipitata ſæpiùs funera nos docuerunt. Lento, ac laneo pede graditur vindicta diuina, ſed tarditatem pœnæ grauitate compenſat, & ſubitò ferit, quos diù tolerauit impunitos.* Chriſtus enim, & ſi contumelias à blaſphemis, ac vulnera plerumque accipit, frequenter etiã proborum contumeliis laceſſitus in eiaculantes vulnera intorquet. Quod, vt rẽ concludamus exemplo, ex his, quę ipſemet auctor refert, terrarũ orbi teſtatiſſimum redditur: *Duo* (ait ille) *vnà luſerant, alter vbi aduertit inauſpicatiſſimum ſibi luſum eſſe, & omnem à ſe pecuniam ad alterum abire, contumelioſam linguam in Deum cœpit ſoluere. Hunc ſocius maligniori ſidere afflatus ioco compeſcens: Sile* (inquit) *artis huius magiſter non es, & velut præiret voce, Deum, Deique matrem horrendis blaſphemijs cœpit inceſſere: Illico vox ruit: Iniuriam meam diſſimulaui, Matris meæ vlciſcor. Et repentè miſer ad metam lethali vulnere afflictus, ſpumans euomuit animam; nec multò poſt mitiùs punitus eſt vir nobilis. Hic quotidianam aeris intemperiem nimis intẽperanter tulit, cumque alias iterũ procellas imminere cerneret, grauiter excãdeſcens: En illic, ait, diabolus ſe denuò attollit. Vix verbum ore abijt, & cælũ omne mugire, fulmen cælo ruere, & filiolum blaſphemi in nutricis ſinu ferire, ac extinguere, incolumi nutrice: Sed & alia eiuſdem viri nobilis edificia vi cæleſti quaſſata, & iumenta miſerè vexata ſũt, vt diſceret nõ blaſphemare.* Huic & aliud ſimile blaſphemi acerbo mortis genere abrepti exemplum conſonare videtur, quod recenſitus auctor his verbis meminit:

Drexel. loc. cit.

Cæſarius Heiſterb. lib. 7 hiſt. c. 44.

Chriſtus ſuã diſſimulans iniuriam, matris vindicat in blaſphemum.

40. *Comes Fulhenſis hæreſeos fidelis patronus, cum Caſtrum quoddam quereretur amiſſum, in eam erupit blaſphemiam (ita nimirùm gratias agebat) vt dicere non vereretur: Velit, nolit Pontifex, velint, nolint ſuperi omnes, ego terras meas recipiam. Mox equo lipſus miſerum in modum torquebatur. Ita domum delatus, cruciari ſe dicebat pedum dolore incredibili, qui certis incrementis augeſcens ad ipſum vſque pectus cœpit ſerpere: ſola ſupererat lingua, quæ officio ſuo fungi poterat: Sed tam alienus erat miſer ab omni exomologeſi, vt malis ſuis tabeſcens infeliciſſimè expiraret.* Factum igitur, vel potius miſeri hominis fatum planè funeſtũ his verbis à ſcriptore concluditur: *Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.*

Cæſar Heiſterb. vbi ſup.

Fuldenſis cõcitis blaſphemi mors miſera.

Drexel. vbi ſup.

Nos vero interim portentoſo ſacrilegi alterius, blaſphemiq; hominis exitu, quem Guillelmus Baleſanus deſcribit; ſuſceptæ enarrationi velut appendicem apponimus, quo condignas blaſphemorum linguis diuinitùs intentari clades innoteſcat: *Superioribus* (inquit) *annis vir religioſus, & grauis mihi narrauit, in Mediolanẽſi prouincia iuuenem fuiſſe, vt genere ſic vitijs nobilem: Hic cũ in contentionem cũ ſocio veniſſet, gladio rem decernere voluit, in ipſo congreſſu impium aliquid in Matrem* Dei *effutit. Mox adfuit vltor, & à tergo, & à fronte Deus. Nam iuſtiſſimus* Iudex *permiſit, vt os illud in diuinæ Matris iniuriam apertum, eo ipſo temporis articulo interciperetur aduerſarij gladio, ad punctum vibrato ictu, vt ipſius linguæ radicibus conuulſis, & transfixo palato conciderit mortuus.* I nunc, & diſce (inquit auctor) quod Paulus monet, neminem blaſphemare: *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.*

Guillelmus Baldes lib. 3. ſerm. vlti. c. 21

Blaſphemãs mox in lingua transfixus.

Ad Timoth. cap. 3. Eccleſiaſtici c. 27. v. 28.

41. Porrò tragicum, funeſtumque

que

que portentum, quod hactenùs recenſuimus, hendecaſyllabis à Poeta concinnè, eleganterq; expreſſum, vbi de blaſphemis agitur, ſtomachum legenti moueat, metumque audientibus ingerat, ſed carmina gratis nunc, attentiſque auribus excipiamus:

Rixari duo cœperunt Ephebi,
Et iam mutua fecerunt in hoſte,
Strictis vulnera luculenta verbis:
Blaſphemam intereà mouere linguã
Et magnam nihil alter in parentem
Horret frendere: non inulta Virgo
Hoc tulit, iuuenem relinquit hoſti,
Hoſtis ſacilegam volante telo
Figit ſtirpitus, eximitque linguam
Credo hæc impia lingua poſt ſilebat.

Ioãnes Hieſis Alpha diab. ver. blaſph. Miſeri clades carminibus decantata.

Hæc in monimentum ſacrilegę impietatis hic deſcripſiſſe voluimus, quibus ea, quę Drexelius poſt rem funeſtã adijcit, ſubtexẽda à nobis hic sũt: *O! miſer* (inquit) *cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? Contrà quem exaltaſti vocem tuam, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? contrà Sanctum Iſrael, contrà Matrem Domini; Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium. Tibi ad Chriſti tribunal rationem redditurо iure meritò dicetur illud: Condemnabit te os tuũ, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi. Ità nunquã habuit claudicantem blaſphemia vindictam.* Sed acerbiſſimum hic impiæ intentatum mulieri ſupplicium prętereundum non eſt, quæ immanibus in Deum blaſphemiis linguam exerens, inter tædas funebres potiùs, quã conuiuales à cacodæmone abrepta infelix Orco victima ceſſit, vt Tympius in ſuo theatro rem ob oculos contemplandam proponit, cuius hæc ſunt verba:

Drexel. lib. 7 de ling. blaſph. n. 1. pag. 110. Inuectiua in blaſphemũ hominẽ Deiparæ contumelioſum

Mulier blaſphema

42. *In die S. Ioannis Baptiſtæ in pago Oſter, qui* (vt ait Andreas Hordorffius hęreticus, in ſuo exemplorum promontorio) *eſt ſub ducatu Magnopolenſium, nuptiale celebrabatur conuiuium, cui mulier quædam effrenatæ malitiæ intererat, quæ horrẽdis ſuis execrationibus per totos continuoſque dies durantibus, diabolo ſeſe in adoptionem, quaſi mancipabat, nihil ſibi cũ Deo commercij eſſe clamitãs, ſatanæ, & corpore, & anima ſe eſſe mancipiũ. Quam furialem eius inſolentiam, & viri, & fœminæ, Parochus ipſe, & Prætor cum duobus, qui aderant fratribus grauiter reprehenderunt, eamque, vt ab huiuſmodi execrationibus deſiſteret ſedulo hortati ſunt: ſed nihil illa nec admonitiones, nec increpationes curans, tãdiù in ſua impietate perſtitit, donec Satanæ plena in ipſam à Deo daretur poteſtas: Cùmque ergò omnes animo eſſet ſecuriſsimo, totaque atria lætitiæ perſonarent vocibus, Satanas præſto fuit, arreptamque mulierem, & corpore, & anima cũ horriſono mugitu ſublimem abduxit, eoque clamore, ac lamentis circũ pagum circumuexit, vt omnes pagi incolæ terrore perculſi proſternerentur, & quidam ſubitò anxietate, & metu quaſi ſuffocati extinguerentur. Cũque aliquandiù cum miſero eiulatu, atrocibuſquè tormentis eam in aere circumegiſſet Satanas, in quatuor deindè partes corpus diſcerpſit, eaſque per quatuor circum pagum vias affigit, vt omnibus, qui præterirent, punitæ blaſphemiæ exẽplo eſſent. Deindè ad conuiuas reuerſus inteſtina mulieris in menſam, cui aſſidebat Prætor, proijcit, En* (inquit ad Prætorem) *hæc tibi debentur fercula, te eadem cum iſta muliere manent fata, niſi ab execrationibus, ſubditorumque expilationibus deſtiteris.*) Iuſto autẽ Dei iudicio impia, ac procax mulier diaboli, cui ſe deuouerat, miniſterio viuẽs abrepta, diſcerptaque in tartarũ condignis afficienda pœnis ſub omnium oculis auolauit, vt euiſcera-

Matthæi Tympius in teatr. diu vindictæ pag. 534.

Haud vulgaris blaſphemorum pœna.

Omnes oppidani rei teſtes.

Diſcerptum miſeræ corpus in quatuor partes.

Inteſtina proiecta à dæmone ad prætorẽ.

ſcerata iàm, ſuis conuiuantium fercula, non tam viſceribus, quàm viſcerum pœnis reſpergeret, condiretque vel ſuo prophanos homines, qui blaſphemas in Deū linguas exerūnt, calamitatis exitio.

43. Dēmū execrando blaſphemi hominis exitu ſuſceptā hāc de blaſphemis narrationem abſoluimus: hominis videlicet, qui inter blaſphemos iure ſibi primas vindicaſſe viſus eſt, eo quòd in Deum, ac ſanctos omnes pari impius dicacitate inueheretur, & ad hoc vnum Sanctorum catalogos edidiciſſet, vt in ſanctorū ſingulos propria blaſphemiarum iacula, conuiciaque refunderet, ſed triſulcis, ſerpentiniſque tandem morſibus infeliciſſimè abſumptus, blaſphemæ pœnas linguæ exoluens, non priùs viuere deſiit, quàm blaſphemare deſtiterit. Rem igitur à Marco Bonciario in ſuis opuſculis elegāti ſtylo digeſtam audire hic præſtat; *Fuit homo menſes aliquot apud Gryphonem, & Carolum Balionics fratres in magna gratia, propter mirificam aucupij peritiam, & ſagacitatem, cū eſſet alioqui tātorum virorum contubernio, et conſuetudine indigniſſimus, propter nefariam, atque ſacrilegam dicacitatem. Horreſco ſcribere, quæ de blaſphemijs, & maledictis impuriſſimi hominis referuntur; nemo erat illi tàm præſens, atque amicum numen, in quod procaciter inuehi non ſoleret. Beatos viros memorabat memoriter, & ſingulis propria conuicia gaudebat inurere, vt videretur in hunc vſum catalogos edidiciſſe Santorum, quo maiorem haberet copiam execrandi, & identidem noua formula inprecationis occurreret. Hinc illi cognomen Miſotheo fuit, quod paulatim in nomen tranſiit, vt vitium tranſierat in naturam: hanc propter cauſam exſtruſerant illum domo Principes Balionij paucis ante diebus, quàm hoc illi obtingeret, quod iàm exequar.*

Blaſphemus à Deo plectitur.

M. Antonius Bonciarius lib. opuſc. pag. 67.

Impiis maledictis Deū & ſanctos figere gaudentis triſte exitium.

44. *Exierat homo cū auiculis, & vno tantū, vel altero puero aucupatū, circa* Idus Octobres, *in vallem minimè præruptam, aut ſilueſtrem, cùmque accipitrem prædandi auidum emiſiſſet in turdulos: illi commodum ſeſe ſubſubducunt,* & *celeri flexu hoſtem fallunt. Spe fruſtratus accipiter, quaſi ad dominum reuertere inanis non auderet, ſtudio delendæ ignominiæ proceſſit longiùs, & alias ſubindè aues ſollicitabat captabundus; illum Miſotheus elatis in ſublime oculis, pedes ſequebatur: et auē quidem omni blanditiarum genere compellabat, in cœlum verò atrocia, & nefanda iactabat conuicia, cùm repentè decurrens labitur in puteum; arentem illum quidem, ideòque non margine vllo, nec ora munitum, quæ ruenti poſſet opponi: cæterùm bufonibus, ceraſtis, aliiſque ſerpentibus refertum. Inclamat miſer pueros, amicos, colonos, ſi qui in proximo: Cælites etiam, & B. Virginem aduocat, ſerò pœnitens iniuriarum, & execrationum, quas meritò ait in ſuū caput recidiſſe. Puer vnus non longulè aberat: caſum tamen non viderat, ſed vocem, & queſtum hauſerat. Vocat igitur comites, & agreſtes ad ferēdā opem domino laboranti, quem ille tamen vbi eſſet, aut quid quereretur, ignorabat. Os quippè putei rubis, ac vepribus obſtructum rem occultabat, & collis circà horridus, incultuſq; denſis virgultis, atque iuniperis omnem propè ademerat perueſtigandi facultatem.* Præceps quippè in puteū, at iuſtè mortaliū infeliciſſimus cecidit, qui præcipiti ſanctos omnes lingua feriebat, nec iiſdem, ac Deo parcens, nullam de ſe bene ſperandi anſam haberet, ſed quid miſero acciderit videamus:

Decidit in puteum ſerpentibus plenum dum blaſphemaret.

Sero Sanctos implorat

Iā comites, agreſteſq; conuenerāt, ſed herum fruſtrà oculis requirebant. Mox repe-

Digitized by Google

repetiti queſtus, & eiulatus aures verberant, locum indicant, & caſum docent. Extemplò funes, perticæ, aliaque ad extrahendum machinamenta properari: partim vepres, & virgulta ſuccidere, locumque expedire: partim quærere, & conuocare adiutores ad rem moliendam: nonnulli ex alto conſolari vociferantem impatientiùs, iubere ad Dominum vota facere, totum ſe diuino præſidio, miſericordiæque permittere; mox ſaluum, atque incolumem extractū iri: Iàm, & multa colonorum turba confluxerat, & pro ſua quiſque copia rem adiuuabat. Fortè fortuna ilex annoſa, & valida circiter quinos, aut ſenos pedes à puteo aberat, robuſtis ramis, quaſi brachijs intranſuerſum ità protenſis, vt non natura, ſed induſtria comparati eſſe viderentur ad partem ponderis ſubeundam: his igitur crediti funes demittuntur in puteum, ad quos impigrè appplicat ſe Miſotheus, hortaturque commilitones intimis precibus, & pollicitationibus, & obteſtationibus, ad ſe celeriter, ac ſtrenuè ſuſtollendū. Illi cum fidelibus ramis onere communicato, per eorum terga ſtridentia funem reducunt, ſibique inuicē gratulantur, quod feliciter procedere opus videbatur, & certè procedebat: eccum ipſum ſublime ad marginem propè putei renatum Miſotheum, ſed (heu miſerum, horrendumque ſpectaculum) tot vndique ſerpentibus implicatum, cruentum, lacerū vt perterriti agreſtes, qui ſubſidio venerant, alius aliò fugam arriperent, & vix pauci de comitibus reſiſtere auderēt qui coniunctis viribus funem trahebāt. Factum Laocoontis in mentem venit, cùm recogito: Nàm hūc quoque, vt referunt, iàm iam exiturum immanes duo angues

Quanto labore miſer è periculo extrahitur.

Succinctus ſerpentibus effertur.

Virgilius Aeneidos ii.

——— ſuffecti ſanguine, & igni,
Sibila lambentes linguis vibrantibus ora,
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus, & iàm,
Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum
Terga dati, ſuperant capite, & ceruicibus altis,
Ille ſimul manibus tendit diuellere nodos,
Perfuſus ſanie veſtes, atroque veneno,
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.

45. Nihilominùs fidi comites promptè, atque alacriter operi incumbebant, cùm de improuiſo repentes per funē angues, trahentium nudas manus petebāt. Tùm verò nihil propemodùm abfuit, quin ab incœpto deſiſterent, funemque deſererent: Sed vicit formidinem miſericordia, tantùm rogant Villicum eius incolam regionis, qui falcem domo extulerat, ad ſepem, ruboſque dudum rūcandos, propinquum manibus ſerpentē feriat, abigatque. Ille non auſus propè accedere, falcatum ſparum altè ſublatum, totis viribus in ſerpentem funibus implicitum librat: ſed angue ictum declinante (ò rem miſeram! ò acerbū fatum!) funis ipſe reciditur; & infelix Miſotheus præceps relabitur in profundum. Biduo poſt Decurionum iuſſu, loco expurgato, & exuſtis, fugatiſque ſerpentibus exeſo corpore, nuda oſſa reperta ſunt. Incredibile eſt quantū ea res terrorem omnibus circa oppidis, pagiſque incuſſerit: maximè autem exterrefecit Sabinates, Paſſinianenſes, alioſque Traſſymeni accolas, concionatoribus vltrò admonentibus, illorum in primis cauſa tantū extitiſſe prodigiū: Miſer ſuprà omnes miſeros Calatinus, qui viuens colubros, & deterrima beſtiarum ſuis carnibus ſaturauit. Sed eò mihi miſerior eſt viſus; quòd in ſpem propè certam ſalutis emerſerat, minùs miſerè periturus, ſi protinùs deſperaſſet.

Præciſo fune iterū recidit.

Viuus à ſerpentibus voratur.

Nunc

Nunc crudelem cum illo ludum luſit fortuna, quem ideò paulum exepit, vt lapſu graniore concuteret; Sic auxilia conuerſa ſunt in tormenta, & ſpes viuendi in rabiem moriendi. Minùs fortaſſe truculenta mors erat futura, ſi ad vitam regredi neglexiſset: certè infamiam, hoc eſt mortem ſecundam vitare potuit per ſilentium. Sed nimirùm ità oportuit, ità æquum fuit, vt ſcelere tàm infando damnatus, haud ſimplici mortis genere mulctaretur, & qui conatus erat diuinam iuſtitiam verbo ſubuertere, confirmaret exemplo. Mortem igitur haud tritam, vulgaremque vir iſtè omniũ nequiſſimus, qui diu, nec vulgariter blaſphemando aſſueuerat, omniumque memoria longè funeſtiſſimam incurrit, vt eius cũctis infelicitatis exemplo haud procacem in ſuperos linguam exerere, ſed à contumelioſis abſtinere verbis diſcant; nã qui Deo, ac ſanctis cõtumelioſus eſt (vt ſacræ edocẽt paginę) *hic diſsipat ſepè, et mordebit eũ coluber:*

(Digna Sauterum contemptorum mors.) (Ecclef. 9.10.)

Blaſphemorũ itaq; hominũ ſupplicia conſulant, qui ſacrilegas eorumdẽ voces vſurpãt (neq; vt par eſt) immanè ſcelus refugiunt, abhorrentque: Caueãt ſibi inſuper vnius edocti exemplo Chriſtiani exleges lingua, paueant ſacrilegi; perditi enim ijſdẽ, quos in Dei maieſtatem rabidorum inſtar canũ latratus emittunt, eius in ſe iugiter vltionem expetũt, vt illud Leuitici monet Oraculum: *Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum.* Et quidem tã alieno, inſenſoque viri Sancti in blaſphemos animo extitere, adeòque petulantiorum dicta, quæ ſuperos vel leuiter attingunt, probraque execrati ſunt. vt Sanctiſſimus ille Apoſtolorum æuo recolẽdus inter Martyres Policarpus Smyrnẽſium Epiſcopus, blaſphemę linguæ iacula ſurda interdũ aure obaudiens, in illa confeſtim verba indignabũdus erumpere conſuuerit. *Quibus mi Deus temporibus reſeruaſti? vt talia ego in te dici audiam?* Inſuper cum iàm fuiſſet igni Prætoris iuſſu addictus, dareturque optio, vt ſi vitam ſaluã vellet, probris, ac maledictis Chriſtum impeteret, tyranno nefas ſuggerenti, in hæc verba reſpondiſſe fertur: *Octoginta & ſex annis ipſi ſeruio, & nihil me vnquàm læſit, quomodò ergo poſſim maledicere Regem meum, qui ſalutem mihi dedit?* Ità vir ſenio confectus, qui blaſphemas ferre haud vnquàm voces potuit, flammas conſtantiſſimè tulit; O' vocem, quam cunctę Chriſtiani Orbis Nationes, vel procul obaudiant! O' linguam planè auream cœlis dignam, ac verè Apoſtolicam, quæ cœleſti blaſphemorũ omnium linguas calculo perſtringit, & ſuam ſacrilegis hominibus impietatẽ altiùs refricat! Quapropter Tobias inter antiquos Iudæorum proceres laudatiſſimus, ſuis quidem verbis disertè vnus prę cunctis Dei apud homines cauſam hic ſub finem viſus eſt peroraſſe, cùm ait: *Maledicti erũt, qui contempſerint te, & condẽnati erũt omnes, qui blaſphemauerint te.* Pars eorum erit cum reprobis, & ſors eorum gladio firmabitur. Et hæc de blaſphemis, contumelioſiſque in Deum dixiſſe ſufficiat.

(Leuitici cap. 24. v. 15. Blaſphemi non impune crimen ferunt.) (Euſebius lib. 4. hiſt. Eccleſ. c. 15.) (Flammas potius ſuſtinet quam blaſphemiã. In eius geſtis apud Surium, & apud Baron. in Annal.) (Tobiæ c. 13. v. 15.)

CAP. II.

Blaſphemis vocibus, Chriſtum Dominum, Deiparam Virginem, Sacroſancta Euangelia, ac Sacros Eccleſiæ Ritus impetentes.

1 MAnifeſta nomẽ Dei blaſphemãtibus ex ipſius Moſaicæ legis, (vt iã vidimus) præſcripto ſunt intẽtata ſupplicia; adeò enim immanè, oris ſacrilegi piaculũ cæleſti calculo comprobatum eſt, vt Moyſes accuſatũ olim, vt ſupra meminimus, hominẽ, quod nomẽ Dei blaſphemaſſet, re ad Dei tribunal delata, vt quid de eo agendum, conſuleret, lapidibus populo coram impetendum, ac diro palàm deuouendum exitio intimatum ſit. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus.* Acerbiſſimum quippè prę cunctis noxæ genus computatum eſt, ad quod cõdignè plectendum nõ vnus dũtaxat, ſed plures ſimul ipſius Dei imperio carnifices deſtinarẽtur, cũ ſolus alioqui, vt in cœteris plectendis criminibus mos eſt, carnifex ad pœnam ſufſeciſſet. Vnius autem exemplo, vel tunc Dei bonitas præcauebat, vt blaſphemiæ culpa, cui ille obnoxius erat, ab Iſraelitico populo procul fieret. Tota igitur gens vnius, eiuſdẽque criminis vltrix deſtinata eſt, vt omnes ab vno, in quod Dei imperio ſæuiebant, ſollicite abhorrerent, totque adeſſent crimini teſtes, ac ſimul punitores, quot homines præſentes aderãt, quorũ valida tunc impius ille, vt Saluianus ait, manu peribat. *Punitus ſub teſtimonio eſt* (inquit), *vt dãnare ſcilicet videretur reum iuſtitia, non poteſtas: exemplo ſcilicet ad cunctorum emendationem proficiente. vt nequis poſteà admitteret, quod omnis in vno populus vindicaſſet.* Cunctorum igitur manu ſacrilego homini ſupplicium Deus intentari voluit, vt æquo cunctorum calculo, quæ publicè inferebatur, vltio comprobaretur, in quã totus pari, tùm animo, tũ opere populus cõſpirabat: & ne quis poſthac piaculum, quod in altero vlciſcendo damnarat, incurreret. Quã itidem ob cauſam eum, qui ligna in Sabbato collegiſſet, hac item Deus ſententia mulctauit: *Morte moriatur homo ille, obruat eum lapidibus omnis turba extrà caſtra.* Vt quid enim totus in vnum homuncionem exercitus inueheretur, cũ eũdem mitiùs pauciorum manu cadere contigiſſet? verũ vt omnes eiuſcemodi exemplo à noxa, quã vnanimes plectendo dãnarant, prohiberentur, turmatim omnes in perfidum, exlegemque Deo iubente proſiliunt: *Vt illi,* (inquit Theodoretus,) *qui ſuis manibus de nocente ſupplicium ſumpſerant, deindè legem tranſgredi formidarent.* Ex intentatis igitur à Deo ſuppliciis, cuncti, ne blaſphement mortales admonentur.

Leuitici c. 24 n. 14. Diuina lex in blaſphemos.

Saluianus lib. 3. de prouidentia. Cur à populo iuſſi ſaxis obrui.

Leuitici cap. 24. 16.

Ex alieno ſupplicio omnes edocti. Theodoret. in lib. Leuitici.

2. Enim verò hominum blaſphemorum impietas, nec terræ, nec pelago tuta aliquando conſiſtit, inopinumque, dum tuta magis, ſecundiſq; flantibus ventis nauigat, naufragiũ, etſi nullum ſit naufragandi metus, ac periculum, certiſſimè incurrit. Quod Othomanica olim claſſis triremium ſexaginta, dum Danubium victrix

excurreret, ſuo infelix damno experta eſt. Prætoria enim Turcarum triremis, dum perfidis, blaſphemiſq; Chriſto, & Chriſti cultoribus illuderet, inſultaretque vocibus, iacto ab hoſte ingēti ſaxo, ipſa extemplò irreparabiliter pelagi vndis demerſa eſt, vt Ioannes Taliacotianus, his verbis narrat: *Venit ſemel ornatiſſima galea plena vexillis, ſonis, & nobilibus Turcis, & cum eorum actibus ridens Chriſtianos quaſi dicerent:* Iam *eſtis in noſtris manibus, iam* Deus *veſter non poteſt vos iuuare: iā euadere non poteſtis: Iā Hungaria eſt noſtra: cum ſimilibus:* O Deus *omnipotens! quidam terribiliſſimus lapis è maioribus bombardis exiens, ac caſtrum, ac ciuitatem trāſcendens præter voluntatem emittentis decidit ſuper illam illudentium, ac iactantium galeam, quæ mox nemine euadente partim ſubmerſa eſt, partim ſubmergenda contracta ſuper aquas natabat:* At *præſto fuerunt ciues, qui ad eam nauigantes omnia vexilla, veſtimenta, & ea, quæ tā citò ſubmerſa non fuerant, interfectis ijs, qui viuebant, rapuerunt; quem lapidem, honorande Pater per manum* Domini, *qui ſe ſpernentes non ſuſtinet, emiſſum fuiſſe puto.* Scelus quippè adeò graue blaſphemię piaculum eſt, vt neutiquam impune diuinitus ferendum, vbi vindex manus deeſt, quæ puniat, ſuis ipſimet blaſphemi vocibus ſe ipſos gladio, exitioque deuoueant, & ſyrtim, ad quā nauigium impingat, Ipſi non tam incurrant, quam teneant.

T rcarum claſſis diuinitus attrita Rainald. an. 1456. n. 27

Extant eius litt. apud Vuading. nu. 43

Blaſphemiarum claſſis aquis ſubmerſa.

3. At claſſis Chriſtianorum è contra diuini numinis ſuffulta præſidio, & cruceſignatis inſtructa, conſerto certamine nobilem ſibi in medio mari palmam reuexit; cū illic ſacroſanctum Chriſti nomen pro munitiſſimo clypeo adeſſet, & fides cōtra Ottomannicam perfidiam B. Io: Capiſtranēſi adhortāte decertaret: vt idem Ioannes è Taliacotio, his verbis proſequitur: *Beatiſſimo* (inquit) *Patre orante manibus iunctis, ac oculis ad cœlum eleuatis, vt ipſe Deus cauſam ſuā tueri dignaretur, inuocando nomen Ieſu in auxilium Chriſtianorum, (oratio autem in caſtro fiebat aſſiduè) ſoluuntur Turcarum galeæ, ſparguntur per Danubium, impetuntur baliſtis, arcubus, atque ſpingardis: ſicque per ſpatium quinque horarum durauit bellum tam atrox in flumine. Quid multis immoror? Finito bello viſæ ſunt tres magnæ Turcarum galeæ ſuffocatæ cum perſonis, quatuor captæ cū omnibus munitionibus, & ornamentis eorum, reliquæ autem galeæ remigantes velociter deſcenderunt ad lacum, vbi prius ſteterant, perſonis ferè omnibus vulneratis ad mortem: ſuffocati ſunt Turcæ vltra quingentos. Quæ autem ſuperfuerunt galeæ, ita debilitatæ fuerunt, quod nūquam ampliùs Chriſtianis obeſſe, nec Turcis prodeſſe poterant.* Hæc auctor de ingenti Turcarum clade, eorumq; claſſe inter medias pelagi vndas deperdita, cui ob blaſphemas potiſſimùm eiaculatas in Chriſtum voces vaſtitas obtigiſſe viſa eſt.

Idem qui ſupra.

Precibus nō armis blaſphemi exitio dati ſūt.

4. Et blaſphemi quidem homines, qui linguam exacuunt, impiiſq; verbis, ac dicteriis Deum impetunt, quem ab ictu immunem ipſa diuinitatis maieſtas conſtituit: *Iniuriam quippè,* (vt ille aiebat) *ſacrilegus Deo quidem nullā poteſt facere, quem extrà ictum ſua diuinitas poſuit, ſed tamen punitur, quia tanquam Deo fecit.* Hi profectò quot verba, tot fulmina, quibus irati numinis dextera percellantur, in ſui tandem perniciem conflant. Quod quidem aleatori cuidam peſſimo contigit, qui blaſphemas in Deum voces, dum res illi ludicra parum feliciter cederet, petulantius

Seneca lib. 7. de benef. c. 7.

Digitized by Google

eructans primò aurum, vitam ſubindè, animamque ſimul infelici detrimento, malorumque compendio amisit; vt historiales Ciſtercienſis ordinis paginæ his verbis teſtantur:

Ex geſtis vir. illuſt. Ord. Ciſterc & Ex lib. vbi exord. Ordinis Ciſterc. & ex cap. 39

5. *Erat igitur in partibus illis homo quidam carnalis, qui dũ aleis aliquandò luderet; & teſſeris ſibi malè cadentibus perderet, quicquid in buccam dementis veniebat, ore furibundo iurabat. Cũque iam penè omnia amiſiſſet, alius nefandus quidam aleator acceſſit, & tumida illum indignatione amouẽs ait: Cede iners, cede; ego ludam pro te, quia tu neſcis ludere, neque iurare. Cũque et ipſe (vt erat filius perditionis) ſimiliter perderet, diabolico furore inflammatus, cœpit omnia Domini Noſtri Ieſu Chriſti membra, tàm exteriora, quàm interiora, quaſi per ordinẽ iurare: nihil omninò iniuratũ dimittere volẽs. Proferebat igitur iurationes quaſdã, ſeu blaſphemias horribiles, atq; inauditas quemadmodũ cordis, & oris eius inſtructor, imò verò deſtructor diabolus excogitabat. At vbi Dei, & hominis Domini omnia membra furioſo, & blaſphemo ore conſumpſit, adiecit ad cumulum ſuæ damnationis etiam venerãdæ matris eius ſanctiſſima membra iurare, terribili nimis ſatagens temeritate vniuerſa ſingillatim, atque ſeriatim venenato dente diſcerpere, ità vt ſanæ mentis omnes, qui aderant à facie blaſphemantis, et obloquentis aures obſtruerent, & pectora tũderent, nedum iuramenta omnia ſacrilegus iurator expleuerat, & ecce repente vltio digna, & diuina, inuiſibili, & quaſi fulmineo ictu feriens, & perforans ſceleratum, maieſtatis iratæ terribile dedit experimentũ. Percuſſus itaque blaſphemus corruit, & putans quod aliquis eum materiali gladio confodiſſet, horrendo gemitu exclamans ait: Heù, heù miſer, quis es, qui me interfeciſti? Cũque diutiùs in terra palpitans, & mortiferos gemitus edens volutaretur, tandem vrgente maligno, cui traditus fuerat, abominabilem animam tartareis ignibus concremandam expuit. Nudato itaque corpore ad lauandum inuenta eſt in dorſo eius plaga recens terribili apertura dehiſcens, ac ſi aliqua ſecuris ampliſsima ibidem immerſa fuiſſet, ità vt penetralia cordis, hepatis, & pulmonis funditùs apparerent. Quo viſo conterriti ſũt iuratores videntes, quia Dominus exercituum tàm graui animaduerſione mulctauit iuratorem impium, atque blaſphemum: Cũque rumor velociùs peruolans tremefactos vndique vicinos traheret ad videndum, quidam de vicinis eius mæſtus accelerabat ad illum. Huic autem itineranti apparuit quidã mortuus homo, quem viuentem ipſe cognouerat, & ait: Agnoſcis ne me?* Ego *ſum ille defunctus olim tibi non ignotus. Noui egò quò tendas, ſed incaſſum te fatigas, iã enim morte abſorptus eſt, quem viuentem inuenire te putas.* Porrò *vnum eſt, quod te latere nolo, quia* Dominus *noſter* Ieſus *Chriſtus à ſuis contumelioſis multas iniurias, & patitur patienter, & expectat, tanquàm patiens creditor, verum immaculatæ genitricis ſuæ læſiones, atque conuitia non facilè ſuſtinet, ſed aut præſenti ſupplicio citiùs punit, aut ſi fortè reſeruat in poſterũ, cæteris malis acerbiùs ferit. His itaque peroratis defunctus ille, qui loquebatur, euanuit. Is verò ad locum perueniens amicum iã mortuum iuxtà mortui vaticinium reperit; & referens quod audierat, terrorem terrori, & miraculum miraculo adiecit.* Hæc ibi.

Aleator blaſphemus aliquandiu toleratur.

Digna blaſphemijs pœna

Dum finem non facit, inuiſibili plaga, ac ſi ſecuri ictus eſſet, percutitur.

Mortui anima per ſpeciem obiecta docet.

6. Diſcant blaſphemi vel hoc vno homines exemplo, quàm diſtrictè Deus Sanctorum, ac Sanctiſsimæ præſertim genitricis cõtumelias vindicet; adeò vt qui ſua proprias lon-

longaminitate quandoque iniurias diſsimulat, quæ Deiparam pertingunt probra, ne ad temporis quidē momentum, in ſuis alioqui vindicādis tàm moroſus ſuſtinere queat: haud enim vult hanc inhonoratā aliquandò in terris præteriri, neque impiorum hominum ore eius proculcari nomen patitur, quæ vtpote dignum Spiritus Sancti ſacrariū, totius ſanctitatis fontē nobis protulit, omnéque à mortalibus cultum promeretur: vt blaſphemi alterius caſu ex Ciſtercienſium paginis excerpto compertum ſit de quo iſthæc:

Dei conſiliū

7. *Item alium quemdam iuratorem impudentem, & execrabilem circa fines Ciuitatis Cardocij fuiſſe, affirmabat venerabilis Abbas Gerebaldus, qui cū beatæ, & intemeratæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ ſacrata membra ore ſpurciſſimo iurare præſumeret, mox immundo Spiritui traditus, duriſſima paſſione diu vexatus, atque diſtortus eſt, ità vt oculis euerſis, & facie tota enormiter intumeſcente, linguam ardentem, atque eiectam longius ab ore porrigeret. Qui cū ità fuiſſet longo, & horrendo tormento excruciatus, tandem miſerabiliter animā dæmoniacis ſpiritibus reddidit, linguamque effrænem, quam extraxerat, nec in morte retraxit.* En hic terribile, manifeſtumque promeritæ vltionis iudicium, quo ſacrilegi lingua ſuis propemodum è ſedibus reſilire compulſa, ac ſemetipſam portentosè adſtantium oculis protendens, oſtentanſque deplorandi ſe cauſam duntaxat interitus prophano homini extitiſſe, vel ſilens cunctis loquebatur. Sed his obiter enarratis ea potiſſimū, quæ ad blaſphemorū in Deiparam diuinitus mulctatorum exempla pertinent, ad huius capitis calcem ab aliis conſultò ſecernentes in medium proferemus.

Ex geſtis virt. Illuſtr. Ord. Ciſterc.

Blaſphemāti in Virginem lingua extra hitur horrendo ſupplicio

8. Interim verò, vt narrationis propoſito inſiſtentes, quæ in blaſphemos homines, & Chriſto Domino contumelioſos deſuper iacula intorta ſunt præmittamus: hæc noſſe qui cupit, Nicolaum Orlandinum Societatis Ieſu iſthæc ſcribentem audiat. *Illud horribilius, & facinus longè tetrius diuinæ ſeueritatis exemplū, dū variè de more loca Emmanuel Nobrega percurrit, (nā & hic ab Anno iā elapſo pergebat propter animas mare, & aridam circuire) templum ingreſſus, vbi Chorus ex vtroque ſexu promiſcuè prophanis canticis colludebat, laſciuos illos ſymphoniacos obiurgauit. Verū tā ſalutari patris admonitione, præ impuris illis neglecta delicijs, inſanis omnia vocibus perſtrepebant. Quidam verò cæteris petulantior, & impietate ſuperior, vt ſtomachum Nobregæ faceret, & ſimul indicaret, quā nihil eius dicta, vocemque perpenderet, ipſū cæpit diuinum numen impiè figere maledictis. Inhorruere pili, aureſque famulo Dei, & fixis illicò in terram genibus properauit auertere diuinas iras. Senſerat, opinor, eas impijs illis imminere ceruicibus. Nec vanus fuit ille ſenſus. Quippè digreſſum indè blaſphemum vna cū ſocijs, & in equo ſedentem, repente lapſum de cælo fulmē vna cū equo intactis, attonitiſque comitibus interemit: Si piaculum fuiſſet occultum, aut maledici verteretur ingenium; auditæ forſitan preces eſſent; nūc verò tā apertum, teſtatumque facinus tā praua, & conſcelerata mens hominis præſenti fuit, teſtatoque item vindicanda ſupplicio; ne aut hæreret apud imperitum vulgus diuinæ prouidentiæ fides, aut ſcelus ſcelere, & ſupplicia ſupplicijs homo maledicus cumularet, ſi dimitteretur inultus.* Fulmine igitur blaſphemus in Deū iuſtiſſime impeti meruit, ne ampliùs in Deū poſthac emu-

Nicolaus Orlādinus lib. 8 pag. 246. nu. 87

Impuro cātu prophanātes Eccleſiam increpat Nobrega.

Repetitur à blaſphemo.

Percutitur fulmine.

ėmutiret,& os immanè ſuperis contumelioſum, aliorum exemplo impoſterum conticeſceret.

9. Et linguam ſiquidem apprimè cuſtodiendam, & ne quandò incautè ſerpens in malum proſiliat, ſuos intrà limites, rationis fręno coercendam, ſi quis vitæ beneficio, ac blando rerum ſucceſſu Deo largiēte perfrui exoptat, concinnè admodùm Pſalmiſta regius ad informandos hominum mores ſermonem inflectens, illis quondam verbis edixit: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe* (inquit) *linguam tuam à malo*. Linguę etenim potiſſimùm vſu, ac miniſterio fugacem tā protrahi,quā corripi hominū vitam aſſiduo experimento ſat didicimus. Quamobrem huc quoque ſapiens alluſiſſe aliquando viſus eſt,dū ait: *Mors & vita in manibus linguæ*. Sed ne longiùs ſermonem protrahamus, nonne blaſphemæ mortalium impiorum linguæ ſuis vitam plerūque auctoribus infeliciter adimunt, hoſtilique mucroni addicunt, adeò vt vbi hoſtis deeſt, qui mactet, vel ipſo numinis, in quod hi temerè, hoſtiliterque proſiliunt, vel iuſtiſſimo nutu tollantur: Quid igitur Clerico in ſacroſanctum Chriſti Euangelium blaſphemo, Petro Damiano enarrante contigerit, audiamus:

Non deſerē dam linguæ cuſtodiam monet Pſaltes

Pſal. 33.13.

Prouerb. c. 18. 21

10. Accidit *in Burgundiæ*(inquit) *partibus, vt quidam Clericus eſſet ſuperbus nimis, & tumidus non modò carnalis vitæ ſæcularibus deditus, ſed contrà ſuū ordinē terribiliter bellicoſus. Hic itaque Eccleſiam Sancti Mauritij inclytam præſidijs, ditionibus ſuis vſurparet, potens autem quidam è diuerſo ſui iuris eſſe non ſine magna liuoris, atque certaminis animoſitate contenderet, tandem belli dies vtroque păciſcente ſtatuitur, à multis hinc indè frementium armatorum agminibus conuenitur. Potens autem ille, quem diximus, nuncium ad hoſtilia caſtra direxit, qui apparatum belli ſolerti ſpeculatione perpenderet, ac ſibi celeriter nunciaret. Fortè tunc Clericus miſſam cū his, qui dimicaturi erant, ſuis fautoribus audiebat. Cūque ad Euangelium veniretur, in fine lectum eſt. Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur: illicò Clericus in hanc ſacrilegam vocem protinùs erupit. Haec, inquit, ſententia vera non eſt: nā ſi ego me meis aduerſarijs humiliter inclinaſſem, hodiè tot poſſeſſionum, atq; Clientum copias non haberem. Reuerſus autem Nuncius Domino ſuo fideliter retulit non modo, quod in belli apparatu conſpexit, ſed hoc etiam; quod ex ore Clerici tumidè loquentis audiuit. Tunc ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad ſpem proculdubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Conglobatis itaque diuerſorum cuneis armatorum ex vtraque parte bellum committitur, vires viribus apponuntur, dēſa telorum ſylua deponitur, & humanis inflicta cordibus arma graſſantur. Habebat autem Clericus equam, quàm videlicet præliaturus aſcenderet, tātæ velocitatis, & roboris, vt nullus videretur, equus, aut mulus ei in dimicando poſſe præferri. Caſu, imò Deo diſponente, contigerat, vt nocte præcedenti iumentum illud ſolutum procul abſcederet, aceruumque ſalis inueniens ex eo plurimum comederet. Clericus itaque cum in acie confligeret, ac ſuper aquæ riuulum deueniret, ibique cominùs aduerſantium armis arma conferret, iumētum, vt erat abſumpti ſalis copia ſitibundū, frænum de manu Rectoris violenter extorſit, ſuiſque totum viribus, vendicauit, & preſto caput aquis ad bibendum inhianter immerſit. Ille verò dum ea manu, qua ſcutum tenebat, con-*

Pet. Damian. ep. 14. ad Deſiderium c. 6.

Clericus Burgundus accuſat mēdacij Chriſti ſententiam.

fligit,

ſligit, hoſtilibus iaculis faciem coactus expoſuit. Et ecce repentè gladius os eius fulminis more transfixit, talique vir reprobus vitam ſuam fine concluſit. Et quam congruè illa pertulit parte corporis vindictam, quia nigri fellis in Dominũ vomuerat blaſphemiam. Et cum Propheta *de talibus dicat: Filÿ hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum machæra acuta.) Qui linguam ſuam, & dentes aduerſus* Deum *gladÿ more vibrauit, dignè per eadem membra materialis gladÿ pœnas exoluit.* Hęc Petrus Damianus. Quid mirùm igitur ſi is linguâ amiſit, qui linguam execrandis in Deũ vocibus, fulminis inſtar petulanter exeruit.

In ore gladio percuſſus.

11. Porrò blaſphemi, qui ſuis cælũ iugiter horrẽdis latratibus pulſant, concutiuntque, adeò ſuperis inuiſi ſunt, vt ob id vnum & iuſtè nobiliſſimę paſſim Ciuitates excidio tradantur, caſtra præſidio deſtituta hoſtibus cedant triumpho, cunctaque ſuo robore, ac ſplendore excidant, & quod multorum interdùm votis à Deo expetitur, vnius tantum impietas ad impetrandum retardet obſiſtatque; quod quidem in militari pugna, quam infra exponimus, ſed non abſque læſi magno, tùm beneficio tũ portento numinis adimpleri contigit. Nam pię hominum preces, quod vnius blaſphemi impietas ante præpedierat, obtinuere. Quid igitur de præliantium Duce blaſphemis Deũ in ſe vocibus prouocante, Orlandinus in ſuis historiarũ paginis hũc in modum deſcribat, gratis auribus excipiamus:

Publicę calamitates in odium blaſphemiæ ſæpius inuectæ

12. *Verùm, cũ bellum longiùs extraheretur, & amiſsæ Arcis obſidio male procederet, ſupplicationes ad* Dei *Matris Aediculam, paſſibus ab Armuzia Vrbe mille quingentis, Gaſpar indixit. Procedebant pueri ſupplicãtes, & ſexus vtriuſque mancipia, nec non magnus Neophitorum numerus, quorũ ad quinquaginta aſperis instructi flagellis ſua terga pulſabant. Sequebantur linteati cum accenſis facibus* Sacerdotes, *& extremum claudebat agmen multitudo promiſcua. Incedebant excalceati omnes, opem cæleſtem, ac pacem conſono ſuo clamore poſcentes; nec vllius fuit tàm ferreum pectus, quod in petenda à* Deo *venia, lacrymis non maduerit: haud in irritum fuſæ preces. Monaianum vt, & armis ad eam diem fruſtrà oppugnatum, acceptis demũ conditionibus, ipſimet hoſtes dediderunt. Adeò ad victoriam exorandam plus pœnitentium preces, quàm armatorum minæ valuerunt. Ea res præter ſpem nunciata ingentem Gaſpari, cũ apud omnes, tũ apud milites gratiã, & reuerentiam peperit. Centurio repertus eſt vnus pellicum amoribus, quas perpetuò tres apud ſe habebat, infamis, & in* Deum *ſuperoſque blaſphemus, qui Gaſparis proteruè monita, & commilitorum derideret exẽpla.* Is *in arcis obſidione de medio repentè ſublatus, grauiſſimas impietatis ſuæ pœnas dedit: Et qua raptus eſt hora, ea ſubitò offundi tenebris cælum, ſæuire venti, mugire tonitrua, mixta grandini pluuia præcipitari, tanto rerum omnium tumultu, horroreque ſunt cœpta, vt alter alterum non agnoſceret. Semihoræ ſpatium tenebræ tenuere, vt vniuerſum crederes ornatum hunc mundi dilapſum occidere, & interire: & quod ſupremo mũdi die futurum credimus, vt tùm igneſcat, & occidat, cũ refrigeſcet* Charitas, *& abũdabit iniquitas, id in vnius hominis obitu factum diceres, in quo vim charitatis omnem abundantia iniquitatis extinxerat.* Hinc lugubrem rerum faciẽ videre eſt, vbi blaſphemo vnius ore cælũ tũditur, ac diuinã cõtumelÿs

Parta de Armuſianis pœnitentiæ virtute victoria.

Nicolaus Orlandinus h. ſt. Societ. Ieſu lib. 9. pag. 292. nu. 144. 145.

In blaſphemi hominis obitu aereę poteſtates horrendam procellam concitant.

Digitized by Google

lijs numen ad vltionem prouocatur: ipſe enim dies obductis extemplò tenebris, dũ blaſphemi hominis vox, velut turbo impellit, inſperato defeciſse viſus eſt, at pœna in perditi duntaxat caput cæteris ſaluis, portentoq; eiuſcemodi abſterritis recidit.

Quanta blaſphemorum perfidia

Et dignè quidem, vt par ſceleri pœna reſpondeat: quo enim intoleranda quandoque impietas blaſphemorum hominum proſilire nõ audet? vt non lingua duntaxat, ſed ſacrilegas inſuper, execrandaſque in Deum manus exerere, ac ipſummet vulneribus ſatis liberaliter noſtri cauſa cruentatum, nouis item plagis impetere, recenteſque ex eodem amantiſſimo Domino riuulos cruoris expoſcere non dubitarit: Atqui atrociſſimum à blaſphemo homine intentatum facinus, infelicemque eius exitum ab Abrahamo Bzouio è ſuis annalibus, hic ipſiusmet verbis recẽſere haud piget:

Quo anno res geſta. Abrahamus Bzouius in Ann. to. 15 an 1383. nu. 19. Serarius Moguntin. rerum lib. 5. in Adolpho I. Rainaldus an. 1384. n° 10

13. *Hoc Anno, ideſt, 1383. cum in Anglia hæreſis Vuileffi vires ſumeret alibi locorum Deus per miracula fidem Catholicam illuſtrabat. Moguntiæ in Germania, ſacra Crucifixi imago vna cũ alijs Diuorum iconibus ab homine ſceleratiſſimo impiè conuulnerata, ſanguinem ex vulneribus ſtillauit. Theodoricus Gretmundus à Trithemio, & Eraſmo Rhoterodamo laudatus narrationem, quæ ſæpiùs edita eſt, de hoc Crucis miraculo ſcripſit, & in eodẽ S. Crucis templo voti cauſa fixit, quæ hodiè etiam legitur hoc tenore:*

Blaſphemi à Chriſti crucis affixi iniuria non abſtinent manus.

Anno ſalutis noſtræ milleſimo, treceuteſimo, octogeſimo tertio, fuit in his regionibus homo quidam, cui nomen Scheltropf; de cuius origine, & patria neque aliquid adhuc compertum habeo; neque magnoperè attinet rimari. Humili certè genere, & ex infima plebe ortum fama conſentit, ſed qui naraliũ obſcuritatem veluti alter Heroſtratus incenſor delubri Dianæ Epheſiæ inſigni ſcelere illuſtrauit, immortali quadam infamia nominatiſſimus. Hic igitur cũ alioquin natura præditus eſſet maligno ingenio, factus eſt etiam vltrò tàm licentia, quàm peccandi conſuetudine deterior: neque flagitijs tantùm, ſed etiã infamia ipſa delectatus, in luſtris, & tabernis ætatem agebat. Fuit autẽ appetentiſſimus ludi, ex quo pleraque vitiorum genera, tamquàm vermes è putri cadauere vbertim erumpunt: præcipuè verò impietas erga Deum inde naſcitur, qua Duce Schelkropf tantùm nefas admiſit, quantùm vix omnibus retro ſæculis auditum eſt. Cùm enim alioquin volens pro conſuetudine ſua fortunam ludo experiri, quoſdam etiam ſui ſimiles ad eius rei coitionem illexiſſet (nam ferè nunquàm in magna ciuitate complices peccaturo defuere) itum eſt ab illis in quoddam diuerſorium publicum, ſiue tabernam ſuburbij Mogũtini, Filtzbach appellati. Nomen verò, & ſignum illius Tabernæ flos erat, dicebaturque vulgo, Onderblumen. Cũque illic aliquandiù taxillis luſiſſent, contigit fortè, vt Schelkropf parũ proſpera fortuna vſus pecuniam omnẽ, quàm habebat perderet, multumque detrimenti (opinione ſua) acciperet: quod per ludi progreſſum nedum non emẽdaret, verũ etiam immodicè augeret, cæpit tandem (vt ſolebat) grauiter ſtomachari, & poſt conuicia colluſoribus dicta, Deum etiam, & ſanctos blaſphemare. Sunt, qui referant eum hac ira, & impietate ſuccẽſum palàm fuiſſe minitatum, quamcumque Crucifixi Ieſu imaginem primùm obuiam habuiſſet, ab ea ſe præſentis damni pænas, & vindictam repetiturum: quod, etſi huius hominis impietati plurimùm congruebat, multùmque credibile eſt, tamen id pro comperto affirmare non auſim. Hæc

Perditi hominis mores

Amiſſę pecuniæ vindictam a Chriſto repetere meditatur.

Bzo-

Bzouius, qui ex Nicolao Serario, & Theodorico Gretſemundo ipſorũmet verbis hiſtoriam proſequitur.

14. Eo enim vſque perdita ludorum commercia, poſt pecuniæ detrimenta proſiliũt, vt homines haud ſibi propitiam inter ludendum fortunæ aleam experti Deo iniurii, ſanctiſque eius tũ lingua, tũ manu, dictis, factiſque contumelioſi, poſt auri, animæ quoq; iacturam ſubeant. Sed blaſphemũ alterum eiuſcemodi piaculo irã Dei in ſe iuſtiſsime prouocãtẽ meritoq; affectũ ſupplicio videamus: Hoc *ſanè conſtat* (inquit auctor) *tum à ſocijs nihil patatiore animo digreſſum perueniſſe ad ſacellum quoddã inter ædem Diui Albani, & hanc Beatiſſimæ Virginis Eccleſiam ſitum, vbi iã olim hæc ſimulacra fuerant repoſita. Plenus erat Schelkropf haud dubiè impietatis, & qui ſcelus abominabile iam dudum animo conceptum mox effundedere concupiſceret. Quàm primũ ergò ad id ſacellũ peruenit, hanc imaginem Crucifixi diſſecuit, ità vt nec vllatenùs hæreret quidem. Mox Diuæ Virginis, aliorumque Sanctorum ſignis cruci aſtantibus, cæſim, & punctim pleraque vulnera inflixit. Haud abſimilis lupo, qui maiore interdũ cædis libidine, quã fame percitus in ouile indefenſum graſſatur. Hactenùs Schelkropf debacchatus eſt. Quæ verò ſequuntur ad vindictam diuinam, & miraculum ipſum pertinent. Terrificus enim, & admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, ſubitò ex vulneribus à crudeliſſimo illo ſicario paſſim illatis effluxit: ceù non lignea ſimulacra, ſed viui homines eam iniuriam forent perpeſſi. Crederes Deum ipſum tanto ſcelere appetitum, quodammodò indoluiſſe, & tàm ſtupendo miraculo, veluti manifeſta doloris confeſſione mortales ad faciendam vindictam animaſſe. Schelkropf autem iã explẽta impietate ſua, ſiue nutu Dei affixus, ſiue ipſo cruoris miraculo exterritus: inde pedem non mouit, donec à ſuperuenientibus in flagranti crimine deprehenſus, & in Vrbem Moguntinã captiuus ductus eſt; non iam ſuæ, ſed diuinæ iræ memor, anxiuſque metu pœnarum, quas paulò poſt dedit, non quidem flagitio ſuo reſpondentes (non enim tantæ impietati par ſupplicium poterat excitari,) ſed quas homini homines infligere debuerunt. Viuus enim in conſpectu totius populi exuſtus eſt non longè ab Vrbe, in eo loco, quem Iudæorum arenam vulgò appellant, quòd Iudæi quondam cadauera ſua illic humare ſolerent. Hac morte impijſſimus infeliciter conſumptus eſt.* Horrendum planè piaculi genus, in quod impius, tũ verbis, tùm factis in Deum, ac Deiparam proſiliens, funeſto animæ, nedum corporis exitu mulctatus pœnas dedit.

Blaſphemus alter fuit.

Bzouius vbi ſup.

Eius furor in ſacras imagines.

Cœleſti prodigio cruor ex ijs manat

Exuſtus Moguntiæ

15. Impietati hominis iſtius, funeſta quoque perditi alterius hiſtoria conſonat, qui arrepto in Chriſti Domini cruci affixi imaginem lapide, poſt eiaculatas blaſphemiarum voces irruiſſe deſcribitur: Blaſphemum quippè cor; quod lapidibus ipſiſmet magis obduruit, perfidorũ inſtar Iudæorum, haud telis, haud iaculis, ſed lingua & lapide inſuper ſacroſanctam Chriſti Domini faciem impetere, ac ferire non timuit: *Quo enim lapidei cordis homines* (vt Auguſtinus ait) *niſi ad lapides recurrunt?* poſt verba quippe, nonniſi in verbera, iactuſque perditi quique proſiliunt. Res autem teſtatiſsima eſt, quã nunc lectori proponimus, & quot hominibus, tot apud illuſtrẽ Lucenſium Ciuitatem teſtibus comprobata; tot enim perpetuum blaſphemi hominis, vſque in diem hanc nobili præ notatum diuinæ vltionis ſupplicia mo-

Alterius ſacrilegi ſaxis Chriſti effigiem petentis exemplũ

Auguſtinus ſtr. in Ioan.

Geſta res apud Lucenſes

monimentum cernitur. In Eccleſia quippè Deo in Diuæ Iuliç honorem dicata Sacroſancta in præſens Chriſti Domini cruce affixi imago aſſabre ex ligno elaborata conſpicitur, quæ ex blaſphemi hominis contumelia præcipuum ſibi apud Lucenſes honorem, ac deuotionis cultum vendicauit; nàm cùm inſignis quidam aleator ingentem ludendo pecuniarum iacturã feciſſet: accidit, vt miſer triſtis, & ob amiſſã ſubindè pecuniam excandeſcens, odioque immane exacerbatus; dum conceptam animo iram coquit, lapidẽ manu præferens Eccleſiam ingreſſus, in venerandam Chriſti Domini ligno affixi faciẽ, nõ ſecus ac ſacrilegis pecuniarũ damna ictibus compenſaturus lapidem, quem manu geſtabat, impetu magno impegerit. At lapis è manu excuſſus, nouis venerandã cruci iàm affixi imaginem contumeliis, vulneribusque inſuper cumulauit, adeò vt portentoſæ illicò cruoris guttæ emanarint, atque lapideum quod luſtrali, (vt oculis res innoteſceret) aquę inſeruit vas reſperſerint, quemadmodum nunc in eadem Eccleſia viſitur: At immani ſacrilegus portento, abſterritus, cum ſe quantocyùs è templo perculſus metu proripere vellet, haud valuit: nã vltio dicto citiùs à tergo adfuit; prægrandis quippè lapis, qui liminaribus templi deſeruit, vbi miſer pedem mouens egreſſum parabat, cõfeſtim de ſub pedibus exiſiliens, latum in ſubterranea loca aditum adaperiens, contumelioſum, ac ſacrilegum viuentem adhuc, palpitantemque hianti velut ore abſorbuit: Quo facto mox lapis, vt priùs validè compactum, conglutinatuſq; imperuis locum reddiditũ, aditque prohibuit: manifeſta tamẽ perenni eiuſcemodi rei monimento, portentoſi hiatus intuentibus ſigna reliquit, quo miſer ille, non ſecus ac Datan, & Abiron ſubitò, inopinoque in tartarũ lapſu proſilierat: *Aperta eſt terra, & deglutiuit Datan, & operuit ſuper Congregationem Abiron.*

Diuino miraculo cruor ex effigie fluxit.

Cũ fugeret in ipſo limine terra viuum abſorbuit

Pſ. 105. 17

16. Verùm quo potiſsimùm ſæculo portẽta hæc contigerint, haud ſatis conſtat: antiquis tamen id accidiſſe temporibus apud omnes indubitatum eſt: vt Cæſar Franciottus in libello, quem edidit, Eccleſiaſticas, ac ſacras Ciuitatis Lucenſium reliquias recenſens ediſſerit: Verò autẽ ſimile fit rem longè ante annum redempti orbis 1363. accidiſſe. Adhuc verò in ſacroſancta Redemptoris imagine vulneris, atque ictus ſigna extant, & lapis inſuper, quem in venerandam imaginem blaſphemus incuſsit, ad Chriſti cruce affixi pedes, velut alter extincti Goliath gladius in Dei Sãctuario appenſus cernitur; Icon autem piis venerandam intuentium oculis antiquitatem redolet: haud enim vno, vt mos eſt, ſed duobus, quod antiqui ſolebant, clauis Chriſtum Dominum pedibus cruci affixũ exhibet. Vas autem lapideum, quod cruoris guttas excepit, manifeſta adhuc veſtigia contẽplantibus exhibet, annuaq; recurrente die, Dominicæ primæ menſis Iulii, quo eiuſcemodi contigiſſe portentum fama eſt, magno populorum concurſu feſtiuè eiuſdem memoria recolitur. Ex quibus miſerãdum blaſphemi hominis, qui contumelioſis, tùm verbis, tùm factis Sacratiſsimam Redemptoris imaginem impetere auſus fuit, exitum videre eſt.

Franc. ottus in libello Eccleſiæ. & Reliq. Lucen. Ciuit.

Certa conſtant miraculi monimenta.

Celebris rei memoria

Hic verò, vbi blaſphemis illata diuinitùs ſupplicia recenſentur, infelix vnius, atque alterius ſacrilegas in diuiniſsimum Euchariſtiæ Sacramẽtum

tum

tum voces eiaculantis exitus ſilentio prætereũdus non eſt; & primò quidem Ioannis cuiuſdam Sartoris in Dominici corporis Sacramentum contumelioſi deceſſum, præter alios ſcriptores Bzouius in ſuis annalibus hunc in modũ narrando ſcriptis conſignat: In *eadem Sinodo (ſcilicet Londini habita) in Eccleſia cathedrali Archiepiſcopus Thomas, aſſiſtente Noruicenſis Eccleſiæ præſule Alexandro, & alijs, pro loco iudicij reſidens in ſede Epiſcopali proponebat quædam cuidam Ioanni Sartori de partibus Vigorniæ deprehenſo in hæreſi de fide Sacroſanctæ Euchariſtiæ. Cùmque impium flectere non poſſet, qui non aliud, quàm benedictum panem, ſanctiſſimam hoſtiam appellabat, & credebat, iuſſit eum reuerentiam exhibere diuiniſſimo Sacramento. Cui blaſphemus dixit: Verè dignior eſt aranea honore, atque reuerẽtia. Tunc illicò de culmine tecti deſcendens ingens, & horrẽda viſu aranea, ad os vſque blaſphemantis peruenit, dumque loqueretur, vt per polluta eius labia penetraret, ſollicitè laborauit. Archiepiſcopus itaque, & reliqui tunc congregati, expoſuerunt populo ibi collecto, quid vltrix manus Dei feciſſet in blaſphemum. Nec mora, qui pretioſiſſimæ carni agni immaculati araneam præpoſuerat, fœtidam carnem ſuã flãmis deuorandam amiſit.* Enimuerò qui petulãtes, blaſphemaſque è præcordiis aduersùs ſaluberrimum vitę antidotum voces eructabat, ab aranea dicto citiùs impeti, repentinoq; animalculi in os inſilientis prodigio dicti falſitas, & dicentis temeritas cõfutari viſa eſt: Sed huic planè ſimilis alterius Angli de altaris Sacramento perperàm ſentientis blaſphemia extitit, qui ignibus traditus, illatæ pœnam contumeliæ exoluit, vt idem Bzouius ad annum 1410. in ſuis annalib. ſcribit, his planè verbis:

Bzouius in Annal. ann. 1396. n. 6. to. 15. Raimaldus eodem an. n. 15

Ioannes Sartor Vuigorniensis blaſphemus in Euchariſtiã.

Portentoſe blaſphemus moritur.

17. *Dedidit pœnas hoc anno aliquis Anglus blaſphemiæ execrandæ, qui pertinaciter hanc hæreſim defendebat, quòd videlicet non eſt Corpus Chriſti, quod Sacramentaliter in Eccleſia tractatur, ſed res quædam inanimata, deterior bubone, vel aranea, quæ ſunt animalia animata. Cùm nollet eam opinionem deſerere, traditus eſt iudicio ſæculari. Conabatur Henricus Regis primogenitus hominem ad mentem reuocare, ſed fruſtrà illi à dæmone ſeducto ſuadebat. Itaque dolio incluſum ſacrilegum, flãmis exuſſit demeritis, ad exemplũ aliorum, ne ampliùs blaſphemarent.* Et cõgruè blaſphemi iſti flãmis adiudicati ſunt, qui noctuarũ inſtar Euangelii lucẽ omnino reſpuentes, nouis, ſubdoliſque dogmatum tenebris addicti, eſſe in ipſummet Deum contumelioſi geſtiebant.

Bzouius in ſuis Annal. tom. 15. ann. 1410. n. 34

Alius blaſphemus Anglus exuſtus

18. Et ſacrilegas quidem blaſphemorum linguas, etſi patienter Deus ad horam ferre videatur, acerbiori tamẽ, ni cõtineant, poſtmodũ ſupplicio expetit, demetitque; & qui illatas ſibi perfido impiorũ ore blaſphemias diſſimulaſſe aliquando viſus eſt, contumelioſa, tamen in Deiparam Virginem, (vt & ſuprà meminimus) verborũ iacula protinùs vindicaſſe deſcribitur. Pro cuius rei argumento nõ vulgare blaſphemi hominis exemplum à nobis recensẽdũ hic eſt: hominis videlicet, qui impias in Chriſtũ iaculorum inſtar voces intorquens, vbi ſacrilegus eiaculatis Deiparam contumeliis laceſſiuit, mox validè è cœlo impetitus infeliciſſimè deceſſit. Portentoſum autem eſt, quod in eiuſcemodi farinæ hominem B. Abbas Geraldus martyrii palma apud Ciſtercienſes clarus intẽtatum diuinitùs fuiſſe iudicium refert, vt in Deiparæ Chronico

Quid blaſphemus in Virginem talit.

Digitized by Google

nico his verbis traditur: *Alium quēdam Iuratorem impudentem, & execrabilem circa fines ſupradictæ Ciuitatis Cardoſij fuiſſe affirmabat B. Gerardus Abbas Martyr Ordinis Ciſtercienſis, qui cum Beatæ, & intemeratæ* Dei Genitricis *Mariæ ſacra, & ſecretiora membra iurare præſumeret, mox immundo ſpiritui traditus, duriſſima paſſione diù vexatus, atque diſtortus eſt, ità vt oculis euerſis, & facie tota enormiter intumeſcente, linguam ardentē, atque eiectam ab ore porrigeret. Qui cū ità fuiſſet longo, & horrendo tormento excruciatus, tandem miſerabilē animam dæmonacis ſpiritibus reddidit, linguamque effrænem, quā extraxerat, nec in morte retraxit.* Et congruè hic mortalium infeliciſſimus ſui pœnā ſceleris luit; qui enim blaſphemans in Sanctiſſimam Virginem, eiuſque mēbra illibata cultu digniſſima, iaculi ad inſtar linguā vibrarat, tartareis eius linguā ambiētibus Deo vlciſcēte flammis, ſe vri perſenſit, adeò vt vel in hoc ſæculo viuens gehennam, in quam mox ob linguæ vitiū iuſtiſſimè prouoluendus erat, in ſuā pariter lingua pateretur. Ex quo pręſentaneam numinis iram aduerſus impios in Deiparam contumelioſos deprehendis, cuius honori Deus ipſe tantùm detuliſſe comprobatur, vt ſuam potiùs, quā Genitricis iniuriā patienter ferat, ſuumque contumelia magis, quàm Virginis nomē ab impiis violcari ſuſtineat. Quamobrem blaſphemorum hominum eiaculatæ in cælum voces, quæ Deiparam quoquo modo tangunt, ſic Deum exaſperant, vt fulmina indè nulla interpoſita mora in impiorum caput intorqueat.

Ex Deiparæ chronico ann. 1177 pa. 189. Blaſphematus in Deiparę membra diſcerptus à dæmone.

19. Sed lubet nonnulla hic blaſphemis, ſacrarumque præſertim imaginum hoſtibus inflicta diuinitùs iacula vel obiter recenſere, & illud imprimis, quod Paulus Diaconus de blaſphemo in Deiparam, his verbis narrat: *Cū Iconomachus quidam conſpecta ſtatua Beatiſſimæ Virginis lapides in eam iecisſet, eamque comminuiſſet, per quietem Virginem ipſam ab eo viſam terribiliter his verbis comminantem:* In *caput tuum hoc feciſti. Deindè paulò poſt eumdem ingenti lapide percuſſum, atque ità contuſum eſſe, vt ipſe ſtatuā comminuerat.* Sed quid de altero Iconomacho Theophanes narret, excipiamus. *Conſtantinus quidam Strator Artabaſdi vidēs imaginem Dei Genitricis ſtantem, apprehenſum lapidem aduersùs eam proiecit, & contriuit, & cum cecidiſſet, calcauit (lapidis ictu deiecit eam, deiectamque peſſumdedit) Et vidit in ſomnis (ſomno ſopitus) aſtantem ſibi* Dominam *noſtram, dicentem: Noſti quàm fortem cauſam in me operatus fueris? Sciſne qualem tu mihi præſtiteris, & quā valenter de me triumphaueris? Verū contrà caput tuum hoc feciſti, haud erit impunita audacia. Poſteà verò dum Sarraceni aduerſus murum congreſſionem facerēt, & ageretur bellum, currens admurū vt fortis miles, infelix ille eijcitur è lapide tranſmiſſo ex Mangone (machina iſta dicta) & contritus eſt, contuſaque facies eius, dignam impietatis ſuæ retributionem percipiens.* Dignum planè blaſphemo homine ſuppliciū, vt venerandæ Sāctorum imagines, quæ virtutis expertes, ac meritis vacuæ ab hæreticis proclamantur, ſuos validè hoſtes debellent, proterantque. Sed alterius Lutherani, qui blaſphemus è ſuggeſtu ingentem Deiparæ imagini contumeliam incuſsit, hic exitum repetamus.

Paulus Diac. in ſuis hiſt. apud Tympium teatr. diu vind. pag. 180. Qui ſtatuam Virginis cōtregerat diuinitus colliſus

Teophanes in ſua hiſt apud Tympium vbi ſup.

Matthæus Tympius in in teatr. diui vli.pag. 201.

20. *Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, cū Lutherani Cathedram Cathedralis Eccleſiæ*

D.Vir-

D. Virginis Erphordiæ vi inuaſiſſent, & ità ad tempus occupaſſent, concionator quidam nomine Ioannes Culſamenſis conſiſtens in Cathedra, ac digito monſtrans ſtatuam B. Virginis ſub maximo Organo conſiſtentem, in has blaſphemas erupit voces: non quieſcam, nec dormitum ibo, antequã Idolum illud (Statuam D. Virginis intelligebat) ex hac Æde Baſilica eiecero. Sed ecce ſubitò ignis ſacer digitum ipſius inuaſit, & eadem nocte ſubita morte extinctus eſt: Statua autem S. Mariæ in eodem loco permanſit. Hæc ibi. Fruſtrà igitur blaſphemi homines in ſuperos iacula intorquent, ſacriſq; inſultando Imaginibus heretici eaſdem abolere, ac è medio tollere adnituntur, ſacrilegaſq; incaſſum operi manus admouent. Perſtat adhuc poſt iuges perfidorum Iconomacorum conatus, fixuſque in Dei Eccleſia impijs extinctis; atque è medio ſublatis, diuinus earumdem cultus perſeuerat.

Inſigne aliud exemplum diuinæ vindictæ in vrbe Erphord.

21. Porrò quam acerba, funeſtaque animarum diſpendia ex alearũ ludo ob pecuniæ iacturã hominibus ad blaſphemiam concitatis proueniant, præter multiplices recenſitas hactenùs clades, opportunè hic repetendum videtur, quod Spondanus in ſuis annalibus de altero in Deiparam contumelioſo, perfidiſque amarulenter verbis obſtrepente, atque infeliciter extincto hunc in modum ſcribit: *Bononiæ in Italia, quæ hoc tempore ſub diſcordi, adeòque duriori tyrannide Vicecomitum gemebat, homo quidam ludens ante Imaginem Deiparæ Virginis, cum amiſſa pecunia efferatus, inceſto ore, numen eius venerabile laceraſſet, extemplò membris captus procubuit, paulòque poſt expirauit. Qua re cognita, quindecim Iuuenes, grauì ſuæ adhibitæ ſæpè in S. Virginem procacitatis pœnitentia ducti, repentè monaſticum habitum induerunt.* Exemplo itaque ſuo perditus iſte aliis profuit; funeſtus enim eius exitus adeò audientes abſterruit, vbi innotuit, vt complures ex perditis vnius caſu edocti, dum is gehennam ſubiret, religioſæ vitæ protinùs inſtituta amplexi, ianuam ſalutis intrarent.

Henricus Spondanus in Annal. Eccle. to 6. an. 1355 pag. 335. nu. 21

Bononiæ blaſphemans in Virginem repentè exanimatus.

22. Atqui viuam, præpotentemque ſacrarum imaginum ad vlciſcendum vim Lutheranus quidam, dum blaſphemius manu audacter Beati Georgij imaginem violat, expertus eſt, vt Martinus Tympius in ſuo theatro, his verbis edocet: *Lubecæ accepi à Canonico quodam cognato Fr. Laurentij Surij Carthuſiani, eiuſdemque cognominis, talem hiſtoriam: Ludimagiſter ſummæ ædis Lubecenſis Lutheranus profectus fuerat ſuperiore menſe in patriam ſuam* Parrhai *(oppidũ eſt ducatus Magapolenſis) vbi dum aliquãtiſper hæret, videt inſolens quoddam ſtratagema* μεγαλομάρτυρι *Sancti Georgij. Curabant prouiſores innouari templum D. Georgio olim ſacrum, pictor minùs benè de Sanctis ſentiens, dũ colores ſuos vult excoquere, accipit ſtatuam S. Georgij, eamque in partes diſſectam ollulis ſuis ſupponit, vix incaluerant ollæ, & ecce tibi tantus incipit in omnibus eius membris ignis ardere, vt videretur ſibi Vulcanum in ventre habere. Volutatur humi, templumque inconditis clamoribus replet: inde domum tranſportatus lento calore duobus ferè continuis menſibus ità crudeliter exuſtulatur, vt necdum mortuus damnatorum cruciatibus exuri videretur, tandem horrendo quodam boatu, ſtridoreque dentium edito animam efflauit. Territus Ludimagiſter tã tetro ſpectaculo, cœpit paulò melius de Sanctis ſentire, quos priùs exiſtimarat ſopitos more glirium, non tangi vlla cura rerum humanarum; indoluit etiã, quod*

Matthæus Tympius in theatr. diui vind. pag. 183.

Pictor qui imaginem S. Georgij exuſſerat vſtulatus tartareo igne in vrbe Lubecen.

quod petulantiùs nonnunquã linguam in eos exerruiſſet, dum vicariam ſuam operam in concionibus verbi miniſtris præberet. Qui igitur nullam ſacris imaginibus vim ineſſe putabat, diuinam igne abſumptus virtutem, vltricemque inde manũ expertus eſt.

23. Demùm, vt blaſphemos homines iuſtiſſimo Dei calculo expetitos vix vnquam abire inultos maniſeſtiſſimum legenti ſit, præter recenſita hactenùs exempla ſub extremã huiuſce narrationis periodum, vno atque altero ex Eccleſiaſticarũ hiſtoriarũ tabulis repetito aſſertionis propoſitum argumento euincitur. Et primum quidem inſanã propter hæreſim Biterrenſibus, qui perfidas, immaneſque in Chriſtum Dominum, ac ſanctos eius blaſphemias iactabãt, ſuprema in ſceleris vltionem, cunctiſque gregatim ad internecionem deletis vaſtitas diuinitus obtigit, ipſomet recurrente B. Mariæ Magdalenę feſto, in quam perfidi horrendas, Chriſtianorumque indignas auribus blaſphemiarum voces eiaculare non dubitabant; adeò vt ipſa ad propulſandas, vlciſcendaſque illatorum dedecorũ e cælo in arenam proſiliiſſe viſa ſit, cum & ſacrum eius templũ, ac tempus pariter illi dicatum ſoléni blaſphemorum hęreticorum carnificinæ deſtinatum fuerit. Et quidem de prauis, corruptiſque hominum, qui diuinam in ſe vindictam prouocabant, moribus, Rainaldus in ſuis annalibus ſermonem faciens, etſi vrbẽ à cruce ſignatorum armis valide præmuniendam ſatagerent, haud tamen diuino orbati auxilio ſe, ac vrbem tutari potuiſſe affirmat. Vitia quippè ac ſcelera, quæ inibi ſedem fixerant, certo vrbem, ac ciues exitio deuouebant; hæc enim Rainaldus: *Confluxerat eo, omnium vitiorum ſentina, nec adductis eorum criminibus ſtylum fœdare libet. Percepto illi impendentis belli rumore, ſe ad excipiẽdos, arcẽdoſque cruceſignatos comparabant, cum Deus ſignificare illis hoc miraculo voluit fruſtrà impios ſeſe contra hoſtes munire, cum ex alto Deus ipſe vindictam, atq; iras effundit.* Enim verò cũ propugnaculis ad propulſandos hoſtes inſtruendis intentius inſtarent, diuino admoniti oraculo, nil ſibi ad vrbem, cui Dei ira iam propè in ianuis, aderat, eiuſque patrocinium inde aufugerat, tuendã, propugnandamque profuturum intellexere, vt in hiſtoria Albigenſium his verbis traditur: *Apparuit quidam ſenex venerãdæ ætatis, qui dixit eis: Vos contra peregrinos ciuitatem iſtam munitis; ſed quis deſuper poterit vos munire? per hoc innuit, quòd dominus de cælo debellaturus eſſet eos; quo audito illi vehementer moti ſũt, & permoti: cùmque vellent in ſenem inſurgere, ſubitò diſparuit, & nuſquam potuit inueniri*. Hæc ibi: Capta igitur ciuitate, vt præoſtenſis diuinitus ſignis ſtaret fides, nullo habito ætatis diſcrimine gregarius miles in omnes ferro deſæuiit, flãmmiſq; iniectis miſeram ciuitatem, quæ Sodomæ merita fuiſſe videbatur incendia, funditùs deleuit: ſed funeſtam Vrbis cladem Rainaldus ipſiſmet Petri Valli verbis hunc in modum deſcribit;

24. *Fuit autem capta ciuitas ſæpe dicta in feſto S. Mariæ Magdalenæ. O iuſtiſſima diuinæ diſpenſationis menſura! Sicut in principio huius libri diximus, dicebant hæretici B. Mariã Magdalenam fuiſſe Chriſti concubinam; præterea in Eccleſia ipſius, quæ erat in ciuitate, ſicut ſupra tetigimus ciues Biterrenſes dominum ſuum occiderant, Epiſcopo ſuo dentes confregerant. Meritò igitur in illius feſtiuitate capti, et deſtructi ſunt, de qua contumelioſa tot dixe-*

Biterrenſes hæretici præ cæteris blaſphemi.

Dum vrbẽ armis munire ſatagunt, diuinitus ſe operam perdere edocētur.

Petr. Vall. hiſt. Albigen. c. 14.

Cæſar. lib. 5. c. 21. Rainald. vbi ſup. c. 21. Petr. Vall. c. 16

Iuſtas pœnas in feſto B. Mariæ Magdalenæ luunt. Rainald. an. 1209. n. 21.

xerant, cuius etiam Eccleſiam ſanguine domini ſui, Vicecomitis videlicet, necnõ Epiſcopi fœdauerant canes impudentiſſimi. In eadem etiam Eccleſia, in qua vt ſæpè dictum eſt, dominum ſuum occiderant ciues Biterrenſes, ipſa die captionis ciuitatis fuerunt vſque ad ſeptẽ millia de ipſis Biterrenſibus interfecti. Notabiliter eſt notandum, quod ſicut ciuitas Ieruſalem 42. anno à paſſione Domini noſtri à Tito & Veſpaſiano fuit deſtructa, ita ciuitas Biterrenſis 42. anno ab interfectione domini ſui per Francigenas eſt vaſtata. Hoc quoque non eſt omittendum, quod ſæpedicta ciuitas multoties deuaſtata fuerit, ob cauſam ſuperiùs memoratam, ſemper in die feſto S. Mariæ Magdalenæ, in cuius Eccleſia tantũ ſcelus perpetratum fuerat, dignam recepit ſceleris vltionem. Hęc ille. Ex quibus condignam blaſphemis hominibus ipſomet recurrente die intentatam vaſtitatẽ fuiſſe conſtat, quo præcipuus ſanctiſſimæ fœminę ab Eccleſia cultus defertur, cui palã per ſummum nefas perditiſſimi nebulones blaſphemiarum probris, ac Chriſto inſuper domino inſultabant.

In Eccleſia perditi trucidantur vbi immane deliquerant.

25. Præcipuas igitur blaſphemorum clades recenſendo, celebris illa, ſcriptorumque paſſim ſtylo decantata ſilẽtio prętereũda nõ eſt, in qua potiſſimùm diuinæ indignationis argumentum Chriſtiano orbi manifeſtum affulſit; Conſtantinopolitanæ videlicet vrbis vaſtitas, quæ Græcis præſertim, totique Oriẽtali Imperio ob blaſphemas in Spiritum Sanctũ voces, quibus eum dẽ à Patre, filioq; tanquam ab vno principio procedere abnegabant, ipſamet die, quæ Spiritui Sãcto ſolẽnis in Eccleſia eſt, funeſtiſſime obtigit; Quã Turco-græciæ auctor lamẽtabilibus notis, ac lugubri ſtylo hunc in modum proſequitur: *Haud ab re fuerit,* (inquit) *hoc loco dicere ſanctum Dauidis:* Deus *venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, Ieroſolymam in formam pomarij redegerunt, cadauera ſeruorum tuorum deuoranda volucribus cœli obiecerunt, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ, effuderunt ſanguinem eorũ velut aquã circa Ieroſolymam, nec erat qui ſepeliret; Probroſi apud vicinos noſtros habemur, illudimur, et ſannis inceſſimur ab illis, qui circa nos habitant. Quouſque iraſceris* Domine? *Nũquam ne finis erit? operæprecium etiam adoleſcentulorũ carmen, qui in medio ardentiſſimæ fornacis dixerunt: Iuſtus es in omnibus, quæ nobis feciſti: Traditi ſumus in manus inimicorum iniquorum & defectorum regi iniuſto peſſimoque nos dediſti, idque propter peccata noſtra. Quomodo contumeliam ferre tantam potuit, quæ de nomine diuinæ logi condita fuit S. Sophiæ? Illud terreſtre cœlum, noua illa Sion, quam conſtruxit ipſe Dominus, non homo, gloria illa vniuerſi orbis terræ, illud decus Eccleſiarum, eminentiſſimum illud omnium per orbem terrarũ ædificiorum. O' rem miram! Nobiliſſimum* Dei *templum factum eſt Iſmaelitarum impiorum, & infidelium. Horreſce ſol, ingemiſce terra, concutere, exclama. Gloria tibi tolerantiſſime malorum* Domine. Hęc ille. Porrò iuſta Dei vltio Oriẽtalium in primis Imperatorem, ac cæteros ſubinde in Spiritum Sãctum contumelioſos expetiit, quam paucis admodũ Rainaldus perſtringens: *Obtritus fuit* (inquit) *in porta* Imperator *Conſtantinus dũ fugam tentaret: eiuſque caput dein præciſum, infixumque haſtæ per barbarorũ caſtra circũmlatum. Exercuere crudelem in Chriſtianos carnificinam Turcæ, omneque ſtuprorum, rapinarum, & in templis ſacrilegiorũ genus.* Hæc ille.

Græci in Spiritum S. blaſphemi feſto eiuſdẽ die cladem ſubeunt.

Rainal. an. 145.3. n. 5. Turco-Græcus lib. 1. pag. 9

Clades græcorum.

Luctuoſa Orientalis imperii, & nunquam ſatis lugẽda vaſtitas.

Rainald. vbi ſup.

Cui

Raynaldus ſupra n. 13. Threnor. 1. v. 1.

Cui & lugubre illud Prophetæ oraculū, quod Hieroſolymæ vrbi quõdam florentiſsimæ occinit: *Sedet in triſtitia domina gentium, Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo*. Cunctarum verò calamitatum id potiſſimū in cauſa fuit, quòd Græci in Spiritū Sanctum blaſphemi extiterint, ideòque eo vlciſcente in barbarorum manus miſerè traditi ſunt, vt Rainaldus ex Turco-Græciæ auctore his verbis: *Vigeſima nona die Maij ſacro Spiritui Sancto, quem procedere ex Patre, filioque tanquam vnico principio*

Idem qui ſup.

profiteri detrectauerunt, vrbs impetu eſt expugnata. Vt Orientales blaſphemi è cœlo contra ſe dimicatum, caſtriſque barbarorum palmam, ac ſe pariter ceſſiſſe eiſdem triumpho intelligerent: Cuius nos cladem ſuo opportunè loco, vbi de ſchiſmaticis ſermo erit, prolixiori ſtylo narrabimus: Interim verò de blaſphemis hactenus dixiſſe ſufficiat.

CAP. III.

Calumniatores infeliciter pereunt.

1 DIſtrictis, cõceptiſq; Deus olim verbis calumniarum luem, omnium perniciosiſſimam ſuggillans, eãque ab vniuerſo terrarum orbe, nedum à mortalium animis proſcribens, iſthęc in Leuitici tabulis luculenter expreſsit: *Non facies calumniam proximo tuo*. Innumera enim hæc vna terrarum orbi detrimenta afferre conſueuit, cũ integras Ciuitates, oppida, Regna, prouincias conturbet, funditùſq; diſperdat:

Calumnia diuina lege vetita. Leuitici c. 14 verſ. 12.

iura quippe fraterni ſanguinis violat, amicitias diſſoluit, ſubuertit domos, patrimonia abſumit, humanas leges abolet, & quæ ſtabili ſubſiſtũt glutino publicas res perdit, peſſundatque, quãobrem tanto, priuſquàm vlteriùs ſerpat malo occurrẽdũ Deus edixit. Calumniam igitur iugibus diuitem, fœcundamque cladibus, concinnè Poeta leui faciem eius penicillo adumbrans, carmino illo expreſsiſſe viſus eſt, dum cecinit:

Quæ ex calumniis mala, & damna.

Ah nocentior veneno quolibet calumnia eſt.

Poeta in ſuis carm.

Quis autem perditam calumniarum officinam, doloſamque calumniantium artem neſcit? quorum hæ potiſſimùm technæ, hæ imprimis fraudes recenſentur: vt dicant bonũ malum, & malum bonum, cunctaque in crimen reuocãtes blando verborum, mendaciorumque quidquid verſipelles effutiũt, fuco obducant, iuxtà quod vetus illud monoſticũ eſt:

Quid calumniator agat.

Nil probat Calumniator, criminatur omnia;

Proindè Sapiens, vt ſuis calũnias concinnantium ſermonibus linguã, in tot mortalium clades, blandiẽdo potiùs, quã ſæuiendo excurrentem adumbret, inter cætera, quæ maximũ vnicuique metum inferre apta ſint, iſthæc præcipuè enumerat dicens: *A tribus* (inquit) *timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam Ciuitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem, ſuper mortem omnia grauia*. Quapropter ſe à calumniatorũ vnguibus Deo propitiante, eripi ac vindicari Pſalmographus quondam Rex inſtanter è cœlo petiit: *Feci* (inquit) *iudicium, & Iuſtitiam non tradas me calumniãtibus*. Enim verò perniciosũm vniuerſo terrarum orbi iſtiuſmodi genus hominum eſt, & niſi pœnis citò

Sacra in calumniatores oracula. Eccleſiaſtici c. 26. n. 6.

Pſal. 118. n. 121.

mul-

Digitized by Google

mulctetur, prohibeaturque, effrænem ſortitur vim, impuneque cuncta peruadit. Calumniantes quippe, ſcurras ſuſurrones, adulatores, atque id genus alia ſi quis ſerò, nec ſeriò plectit, demetitque tardiùs, quã par eſt, incitat quodãmodo, irritatque vehementiùs, vt antiquum illud Poetæ carmen inculcat:

Niſi aſſicis pœna, incitas Calumniam.

2. Hinc Antoninus, Pius ille inter Romanos Imperatores, atque ob id tali nuncupandus nomine, doloſos, calumniam inferentes, impingenteſque alteri crimen, ni probarent, capite confeſtim mulctabat. Veſpaſianusitem, Tituſque Principes inuiſos eiuſmodi farinæ homines habuere, adeò vt fuſtibus in ipſa Theatri paleſtra affectos, adſtantium oculis, in probri contumeliam, deridendos, potiùs, quã miſerandos obiicerent. Ex quo alii eorumdem perterriti exemplo calumnias poſthac in toto Romano orbe inſtruere, eaſque inſontibus impingere prorsùs dediſcerẽt.

Antonini Pij in eos ſeueritas.

Calumniatores igitur, qui falſa plerumque confingunt, emẽtitiſque ſtrophis concinnant, vt ſuo damnũ alteri mendacio inferant, ſibi quoque iiſdem quibus nocent, artibus exitiũ parere certo ſciant. Quod planè ex rerum geſtarum monumentis, tùm ſacris, tùm prophanis compertum redditur. Et in primis Apionis grãmatici exemplo comprobatur, qui vtpotè Iudęis infenſus acerbis eoſdem apud Caium Imperatorem calumniis perſtringere, ac in eos, vt principi, aliiſque exoſos redderet, inuehi apprimè ſtuduit. De impio autem homine dolis, calumniiſque potiùs aduerſus Iudæorum gentẽ, quã æquis dictis ſuffulto hæc Ioſephus inculcat: *Apion verò Alexandrinorũ Legationis Princeps multa in Iudæos iactauit crimina.* Atqui doloſus, cũ pro Alexandrinis aduersùs Iudæos Alexandriæ degẽtes legatus ad Caiũ (vt Philo ait) in Vrbem aduenisſet, grammaticorum arte, fucatiſque verborum aculeis inſtructus, ac ſibi plurimum fidens, Iudæos acriter inſectatus, aduersus eorumdem mores alioqui probatiſsimos coram Caio, ac aliis pluribus luculenter impius perorauit. *Et pro Alexandrinis quidẽ AEgyptijs,* (vt Baronius ait) *aduersùs Iudæos, qui Alexandriæ degebant, ac denique, vt veriùs loquar, commentariũ, conſcripſit, illudque etiã calumniarum mendacijs, & blaſphemijs adeo refertũ ac nihil odioſiùs eo miſeris potiſſimùm Iudæis videri poſſet.* Sed vt antiquã perditi hominis, ac teterrimi nebulonis imaginem vnuſquiſque, ac ſi patulis oculis inſpiciat, inſignemque ab ipſis coaleſcentem incunabulis vna cũ dolis, calumniiſque, ſuis egregiè adũbratam coloribus nugacitatẽ, figmentorumq; artibus diuitem probè norit, hæc ex Baronio repetenda ſunt: *Erat hic* (inquit ille) *Aegyptius extrema eius parte, quæ Oaſis dicitur, oriundus, ac denique Ciuitate Alexandrina donatus, faſtuoſus, ac per omnia arrogans homo, de quo hæc* Plinius ſecundus: *Appion quidem grammaticus hic, quem Tyberius Cæſar Cymbalũ mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potiùs videri poſſet, immortalitate donari à ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.*

Apion grãmaticus Iudæorum calumniator.

Baron. tom. 1. an. 42. n. 2.

Ioſephus antiq. iudaic. lib. 18. c. 10.

Baron. tom. 1 Annal. an. 42 n. 32.

Ioſephus lib. 2. con. Apion. Baron. vbi ſup. n. 32.

Plin. in præfat ad heſt. Plinius ſenioris.

Cur cymbalum mundi dictus.

Apionis faſtus.

3. Ex hoc autem vno arrogantem ſuperbi hominis faſtum, planèq; intolerandum quis non videt? adeò enim ille de ſua eloquẽtia præſumebat, vt à ſe nominis immortalitate donatos perperam diceret, iactaretque, quos ſuis adblandiens ſcriptis, vel ſemel laudaſſet: Sed quid de eodem

Digitized by Google

dem Apione Gellius aſſerat videã-mus: *A vitio* (inquit) *ſtudioque oſtentationis fit, loquacior eſt enim ſanè, quã in prædicandis doctrinis ſuis venditator*. Hæc Gellius. Cæterùm Ioſephus, qui duos aduersùs Apionem libros edidit, & cunctas, quas alter in Iudæos adornauerat, egregiis calumnias cõmentariis cunfutauit. quis, & qualis nugiger iſte fuerit, ſuis aptè coloribus expreſſit; vanã quippè hominis loquacitatem, petulantemque in concinnandis, coaceruandiſq; dicteriis, ac blaſphemiis inſuper effutiendis linguam, & corruptiſſimos item mores, ac miſerandum deniq; interitum his paucis enarrat: *Rectè quidem videtur* (inquit ille) *Apion propter patriæ ſuæ leges pœnas dediſſe blaſphemiæ. Etenim neceſſario circumciſo circà genitalia vulnera ei facta nihil profuerunt, & putrefactis in magnis doloribus expirauit*. Hactenùs infauſtum nebulonis, qui calumniis aſſuerat, exitum Ioſephus deſcripſiſſe viſus eſt.

Gellius de Appione lib. 5. c. 14. Scripſit in eũ Ioſephus

Ioſeph. lib. 2. con. Appion.

Apion miſerando exitu conſumptus

4. Verùm quæ de Apione Scriptorum ore decantata ſunt, hic meminiſſe haud piguit, eo quod impiæ, (vt Baronius aſſirmat) in res Iudęorũ proſeminatę ab eo, concinnatęque calumnię, in Chriſtianos quoque, ac ſi ex Iudæis progenitos ſenſim corriuaſſe videãtur, Gẽtilibus videlicet Chriſti fideles æquè carpentibus, dicteriiſque partim exagitantibus; quod videlicet caput Aſini adorarent, vt Tertullianus, & alii antiquorum, qui diſertis calumniam eiuſcemodi verbis refellunt, ſuis itẽ ſcriptis prodidere. Huius quidem fabulæ cõcinnator, ac ſtrophæ auctor Apiõ extitit, qui hæc inter alia de Iudæis execranda (ſi Ioſepho narranti fides preſtanda eſt) commentus fuiſſe legitur: *In hoc enim Sacrario* (inquit) *ille Apion præſumpſit dicere Aſini caput collocaſſe Iudæos, & id colere, ac dignum facere tanta religione: & hoc affirmat eſſe depalatum*, dũ *Antiochus Epiphanes, & expoliaſſet templum, & illud caput inueniſſet ex auro compoſitum, multis pecuniis dignum*. Hæc Ioſephus, qui aperti hominem mẽdacii redarguit: quam item calumniam, vel certè indigniſsimam ſuſpicionem à Cornelio Tacito idem Tertullianus inuectam exiſtimauit, dum ille egregius in conſarcinandis mendaciis Iudæos effigiem ſylueſtris Aſini, qui ſiti laborantibus aquã in deſerto monſtrauerat, in templi penetralibus tantæ rei monimento futuram conſecraſſe affirmat. Infelix igitur Apion tot malorum exacerbatus cumulo, diuinoque expetitus iudicio, quippè qui immania in Iudæos mendacia congeſſerat, doloribus contabeſcens fætidam in Orcum amarulentus animam efudit.

Baron. tom. 1. an. 41. n. 33. Eius calũnię etiam Chriſtianis affictæ

Tertull. Apol. c. 16.

Ioſephus lib. 2. con. Appion.

Tertull. vbi ſup. Tacit. lib. 21.

Taciti in Iudæos inſignis calũnia

5. Qui igitur alteri calumniam impingunt, ſibimet foueam diuini iudicii calculo inſtruunt: Deus enim linguæ gladium, quem perditi in alios exerunt, in eorumdem caput retorquere conſueuit; vitam ſcilicet iis auferendo, qui calumniis aſſueti bonam alteri famam auferre conantur. Quod ſanè impudentiſsimæ vnius mulierculæ exemplo ab Eccleſiaſticis annalibus excerpto ſatis euinci videtur. Hęc enim, vt Conſtantino Copronymo morem gereret, eiuſque ſibi gratiam conciliaret, Dominam ſuam de inceſtuoſa conſuetudine cum Stephano Monacho, miræ ſanctitatis viro, vt eius famæ detraheret, cœteriſque inuiſũ redderet, ad principis tribunal audacter proſiliens incuſauerat: Cùm igitur mercedis ſpe mulier execrandum facinus præſtitiſſet, adulterinas ſubin-

Calumnia fœda pio monacho ſtructa.

Vindicata diuinitus.

Digitized by Google

Baron. tom. 9. ann. 763. n. 8.

ſubindè in ſceleris præmiũ nuptias ſortita, viperæ ad inſtar, quæ proprię ſobolis inter pariendum dente diſcerpitur, dũ miſera in partu enititur, viperinos mores in mordẽdo egregiè imitata, à ſuis item fœtibus diſcerpta viuendi finem fecit. Nos vero rem Theophane ediſſerente hauriamus.

Theophanes apud Surium die 17. Octob. in vita S. Stephani Monachi.

Nec verſuta quidem illa ancilla, quæ Sanctum virum, & heram ſuam accuſauerat, iuſtum Dei iudicium effugit. Nam cùm trans turbam ad Auli calamum perueniſſet, ſeque fabulam detecturam eſſe confirmaret, et quonã modo, vt ſancto viro calumniam ſtatueret, ſubornata fuiſſet, niſi ipſe, quod promiſerat expleret. Id ille metuens cuidam eorum, qui legendis Bythyniæ tributis præerant, eam in matrimonium collocat. Prægnans autem facta gemellos filios in lucem edit. Cæterùm ſub mediam noctem repentè conturbati infantes illi, arreptis maternis mammillis, horrendumque in modum exeſis, eam protinùs necant; atque vnà cùm ea viperini illi fœtus extinguũtur.

Delatrix calumniæ a filiis laniata.

Hactenùs Theophanes de miſerando fœminæ interitu, quę calumniando impudicæ Beato viro conſuetudinis notam inferre non dubitauit.

6. Conſtantinus quippè cùm in Monachos immani odio æſtuaret, quos in ſua tuenda, propagãndaque hæreſi apprimè infenſos, obluctanteſque ipſomet ſæpius experimento edoctus ſentiebat, vbi in Auxentiano Mõte in Bitynia Stephanum, magni nominis Monachum, portentorumque ſignis illuſtrem comperit; multi enim aduersùs peſtiferam tũc inſurgentem hęreſim audacter in arenam proſilientes ad eum, tanquã ad belli Ducem, omniumque Coriphæum, ac ſi ſub Chriſti vexillo bellũ auſpicaturi confugiebant. Imperator itaque primũ aduersùs hunc ſibi armis enitendum intelligens, viro Dei, ſi quo modo eius labefactare cãdorem poſſet, calumnias malis præfiſus artibus intentauit. Quapropter ſacrilegæ eumdem conſuetudinis obnoxium faciens, Annæ, quæ iàm pridẽ ſe mundo abdicarat, & ſub illius magiſterio religioſas inter fœminas ſanctiſsime in clauſtro viuebat, turpibus irretitum amoribus, non abſque ingenti eius dedecorum nota affirmabat. Sed rem Theophanes his planè verbis enarrat: *Quod mulierem quãdam nobili loco natam, fraude circumuentam, monaſticis inſtitutis initiaſſet, atq; in inferiori monaſterio teneret, cum eaque noctu ad ipſum aſcendente conſuetudinem haberet: Ad hæc ipſius ancillam pecunia corrumpunt, eique tùm libertatem, tũ aulici cuiuſdam connubium pollicentes hoc perſuadent, vt aduersùs eam ſimul, ac ſanctum virum conſentanea ijs diceret, quæ illi in illo calumnijs pleno libello contexuerant.* Porrò quæ, ac quanti meriti fuerit mulier, cuius vel nomẽ gratiã reſonat, & cuius nunc mentio fit, ex eodem ſcriptore hic repetamus, qui digna iſthæc in ipſius laudẽ recenſet:

Dolis res agitur.

Baron. loc. cit. an. 762. n. 7. 8. 9. Theophanes ubi ſup. Calumnia impietati adiungitur.

Theophanes ubi ſup. Anna Cuſſinenſium domina nuntium rebus humanis remittit.

7. *Mulier quædam illuſtris, atque honeſta marito haud ità pridem orbata, feſtinanter ſanctum virum adijt; Cũque ſe viduam, atque liberorum expertem, ac proindè ſolam eſſe ipſi narraſſet: nihil aliud ſibi ſupereſſe dicebat, quàm vt monaſtica veſte, cuius ſe incredibili quodam deſiderio teneri aſſerebat, indueretur. Ille autem eam longa oratione inſtructam, ac ſalutiferis præceptis ſedulò eruditam dimiſit, his verbis ad extremum vtens: Vide cũ quo paciſceris, ac ſi quæ te animæ cura tenet, id quod promiſiſti, mox præſta, nec te cunctantem mora inuadat: Pia igitur illa mulier ad matrem rediens, ac pa-*

Mulier ſæculo renunciat

Digitized by Google

tris ſermonem in intimis cordis penetralibus abditum tenens, facultates omnes ſuas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confeſtim parentes, propinquos, vicinos, amicos relinquens, ad diuinum Stephanum ſe confert, non paruam auri illius portionem ſeorum geſtans. At ille aſperiori orationis genere ad eam vtens: Cùm tu, inquit, ex Saluatore ipſo audieris eius diſcipulum eſſe minimè poſſe, qui non bonis omnibus renunciauerit, quonam modo contempto, ac pro nihilo habito hoc præcepto partem aliquam mundi retines? En quam grauibus verbis Dei famulus ad ſectanda Chriſti veſtigia piam, contendentemque mulierem acriter perurgere non deſtitit. Porrò, vt reliqua prætereamus, Conſtantinus impius, qui ſacris æquè imaginibus, ac Sanctis Monachis contumelioſus fuit, cùm in Deum ſacrilegus, inteſtinoque in Chriſti famulos odio flagrans bellum indixiſſet, ſuo quęquam edicto ad monaſticā poſthac vitā tranſire prohibuit, vt Theodorus Studita his verbis teſtatur:

Arguitur partem opũ retinuiſſe.

Copronymi edictum ad ſtatum monaſticum abolendum.

Theodorus Studita orat. de S. Platone

Conſtantinus ille impius cogitationibus feruens, malitiæ domicilium, multorum capitum draco, eius hæreſis propugnator, quæ ſanctis imaginibus bellum indixit, monaſtici ordinis acerbiſſimus perſequutor tunc regnabat. At quiſnam noſtrorũ Nazareorum (Monachorum videlicet) non fuit exterminatus? aut quis latens non in medium prolatus? Quiſue eorum, qui reſiſtebāt, non ad impietatis barathrum detractus? Ita vt, ſicubi aliquis eorum, qui inſignes erant, relictus fuiſſet, tanquàm ſcintilla quædam in occulto, & obſcuro loco iacens ità latuerit, vt pro mortuo haberetur apud eos, qui adhuc ſupererāt. Talis fuit noſter Elias (Plato ſcilicet) à Domino ipſo ſeruatus ijs in locis, in quibus exercitationi Monaſticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat. Ex quibus ſacrilegæ Copronymi aduerſus monachos perfidię liuor agnoſcitur.

Imaginum ac monaſtici inſtituti hoſtis.

8. Verũ, vt illatam viro ſanctitate, ac fœminæ morum innocentia conſpicuis, qui monaſtico tunc tēporis habitu, atque inſtituto clarebant, Principis potiſſimum dolo calumniam, & miniſtrorum inſuper artes, Callixti Patritii, & Sergii Monachi opera intentatas, opportune hic retexamus: quid in rem præſentem Theophanes narrat, memoria repetendum eſt: *Hoc cū ſcripſiſſent* (inquit) *per militem quemdam ad Imperatorem, qui tunc in Scytharum locis morabatur, libellum mittunt: Ille igitur lucri cuiuſdam inſtar eum accipiens, ac Leonem iam in vinculis habens, ad Antherum, qui vicariam ipſi in Vrbis gubernatione operam nauabat, Epiſtolam quamprimũ ſcribit hoc exemplo:*

Callixtus & Sergius calumnię ſubornatores.

Theophanes in actis S. Steph. vbi ſup.

Ad Monaſterium illud, quod ad Auxentiani Montis radices ſitum eſt ſumma celeritate proficiſcere. In eo enim quædam immemorandorum ſcorta, ſub pietatis prætextu degunt: quarum tu vnam, cui nomen Anna eſt, aſſumptā per publicos equos quā celerrimè ad nos mitte. Quid verò in fœminæ pudore, ac religione plane admirandam, ac ſæculi item contemptu ſpectatiſſimam amarulentius dici, aut excogitari nequius potuit, quàm pudicam moribus inter ſcorta, religioſamque prophanas inter mulierculas recenſendo proſcribere? Sed quid ab impio præfecto imperialibus iuſsis morem gerente præſtitum ſit, enarratis auctor ſubtexit:

Theophanes vbi ſup.

9. *Ille igitur ſcelerati Regis ſcelerατior præfectus, ſimul atque litteras accepit, militum agmine cinctus ad monaſterium proficiſcitur, ac ſacras illas*

mu-

Digitized by Google

mulieres Tertia hora laudes Deo canẽtes offendit. Confeſtim itaque milites, quibus ipſe ſeptus erat, gladios ſtringunt, ac Chriſti ſponſas circumdant: a

Sacrilegum in ſanctimoniales facinus.

lia diuina laudatione incondito clamore compreſſa, Chriſti famulæ quia fugerent non habentes, partim intra ſacri altaris cancellos ſeſe protinus abdebant, partim venerandum diuinæ menſæ peplum ſubibant, partim ad montem excurrere tentabant, ſed ab ineuitabilibus illis prædonibus retinebantur. Quorum impetum domus illius Præfecta (Abbatiſſa videlicet) minimè ignorans (etenim in ſua cella quieſcebat) mulier ætate quidem prouecta, cæterum in perferendis laboribus vegeta, intrepido animo ad eos egreditur; atque: Quid perpetratis (inquit) tàm Chriſtiani ſitis? Quid in mulieres diuino cultui conſecratas, quæ nemini vnquàm iniuriam vllã inferre in animo habuerunt, impetum feciſtis? Videbantur quippè prædones illi, luporum inſtar, non iàm in ſacra Virginum, ac ſponſarum Chriſti ſepta, ſed in puſulenta luparum, ac pellicũ receptacula, diucẽdo irruiſſe, dum interim piis virgunculis, quæ ſe iàm Chriſto deuouerant, haud aliud, quò ab irruentibus profugerent aſylum, præter ſacroſanctum altare, in quo agnus earumdem ſponſus immolatur, ſibi iàm iàm, vt credebant, mactandis ſuppeteret: ſed quid inde? furor hoſtium cedit imbellium Virginũ pudori, ac prophanos ſicophantas religio, ac pudor dũtaxat debellat, reuincitque.

Abbatiſſæ inſignis conſtantia.

Apparitorũ in ſacras Chriſti Virgines impetus.

10. Hi autem venerandæ illius Anus libertatem ſummopere admirantes, atque eam antiſtitem eſſe intelligẽtes, inſolenti illo impetu ſuo ſtatim in diuerſum mutato, non ſine quodam pudore, ac reuerentia leniter ad eam his verbis vtuntur: Annã Stephani amaſiam nobis dede. Hoc enim Imperatorie edictum poſcit. Ipſa autem eam protinus, & quamdam alteram cũ ea nomine Theophanam accerſens: Abite, inquit, ad Imperatorem, ac prudenter ipſi reſpondete. Cæterùm quoad eius fieri poterit, prouidendum vobis eſt, ne per fraudem aliquam, in prædam incidatis. Poſt quã igitur adductæ ſunt, atque ille eas adeſſe comperit, illas disiungi ab inuicem iubet, ac deinde accitam Annã ad hunc modum affatur.

Theophanes vbi ſup.

Anna ad Copronymum perducta.

Mihi quidem nullo modo omnino dubiũ eſt, quin ea omnia vera ſint, quæ de te ad me perlata ſũt. Cæterũ id eò te acciri volui, vt tu quoque liberè, ac ſummota omni diſſimulatione, cuncta detegas, nimirũ quonam pacto præſtigiator ille, ac ſceleratus huc te adduxerit, vt et bonorum tuorum poſſeſſionem relinqueres, ac paternam nobilitatem pro nihilo duceres, ac denique hanc tenebrarũ veſtem indueres. Perſpicuum videlicet eſt (quemadmodũ etiam à quibuſdam intellexi) id illum tibi idcircò ſuaſiſſe, vt te tanquàm ſcorto abuteretur. Verũ quid tandem in eo pulchritudinis perſpexiſti, vt tu in eam fraudẽ incideres? Quid ſceleſtius contumelioſo illo homine? qui quot verba, quot tot iacula, quot voces, tot blaſphemias impiè in cœlũ effutiit, dum illibatum in vtriuſque tàm viri, quã fœminæ candorem perperam calũniatur, & tùm veritati, tùm religioni dictis, factiſque impudenti ore inſultat. Sed quid ad iſthæc dedecora prudens mulier reſpondeat, audiamus.

Atrocibus appetitur verbis & calumniis

Calumnia pudori palàm ac veritati inſultat.

11. At caſta illa mulier turpibus his verbis auditis: Abſit (inquit) Imperator, vt hac de cauſa paternas opes abiecerim, atque ornatum omnem exuerim, vt animam meam huiuſmodi libidinis in ſeruitutem addicerem: Verùm qui hæc de me detulerunt (vt cũ Dauide loquar) acuerunt linguam ſuam, ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.

Theophanes vbi ſup.

Annæ reſpõſum cõſtans animi conſtantia inſuperabilis.

eorum. En igitur corpus meum tibi proponitur, ferro, igni, verberibus excrucietur: Nihil aliud, quandiu mihi ſpiritus, ac vita ſuppetet, ex Anna audies, quàm quod verũ eſt. Sanctum, & iuſtum virum hunc eſſe, animæque meæ ſalutem attuliſſe perſpectum habeo. Diſce iam vel ex reſponſo imperterritum, nulloq; verborum fuco adulteratum pudici pectoris robur. Atqui tyrannus, cum non tam verbis, quã verberibus aſſertam confirmare calumniam vellet, & confeſſionem ab inuita muliere extorquere côtenderet, nil profecit, vt auctor his verbis proſequitur: *Cùm itaque ipſa à quatuor valentiſſimis hominibus diſtenta fuiſſet, ac perdiu ventre, & tergo tunderetur, nihil aliud ab ipſa audiri poterat, quã hoc ſolũ: Non noui hominem, quemadmodũ ipſe ais: Non noui, Domine miſerere. At verò verſipellis illa ancilla, atque omninò etiam adhuc magis ſeruili, ac ſceleſto Imperatoris iuſſu, in ipſius conſpectu ſtans, manus aduerſus eam protendebat, ac ne conſpuere quidem ipſam verebatur. Cũque nonnulli ipſius calamitate ſeſe commoueri fingerent, atque in aurem inſuſurrantes, ipſam admonerent, vt ea, quæ Imperatoris voluntati conſentanea eſſent, diceret, atque ad hũc modum cruciatu eximeretur: Illa in priſtina animi fortitudine, ac tolerantia perſtans à vero minimè deſciſcebat.* O' virilem planè mulieris animum! ò conſtans tùm in ſeruanda pudicitia, tùm in aſſerenda veritate propoſitum; virgę quippe diu repetitæ ipſius è venis, ac vulneribus cruorem elicere, ex ore mendacium extorquere neutiquàm potuere; adeò vt ictibus liberaliter cruentato mulieris corpore, cruentus carnifex vinci ſe ab inermi fæmina ratus, totuſque rubore perfuſus, ſe confeſtim è conſpectu proripere compulſus ſit: Ceſſit proculdubio nobilis tunc pudori, ac veritati palma; dum ferinum in modum, ſed fruſtrà Cæſaris iuſſu religioſa fœmina cæſa non ceſſit. Quid verò poſt verbera ab Imperatore pręſſitum ſit, exponamus.

Mira mulieris conſtantia.

Ancilla dominæ calumniam impingit.

12. *Vt autem eam verberum multitudine confectam, ac penè ſpiritũ exhalantem Tyrannus vidit, ſubſellio exurgens, celeri curſu in palatium ſe abdidit, eã in vno quodam Vrbis Monaſterio includi iubens, & quidem ità, vt omni corporis cura deſtitueretur.* Hæc quidem Theophanes de præſtantiſſima muliere, quæ ſuum proſcindi verberibus, ac dilaniari corpus, quàm iniuſtam ſancto viro calumniam impingere maluit. Qua mulieris perſpecta conſtantia, Imperator ingenti ſe propudio à fœmina victum erubuit; muliercula autem, quæ enormem, vt vidimus, caſtiſſimæ Annæ calumniam inuſſerat, exeſis filiorum dente mamillis, ab ipſiſmet, quibus vitam dederat, iuſto Dei iudicio diſcerpi, ac miſerandum in modum trucidari promeruit, vt illa Bernardi verba aptè in rem præſentem occinerent: *Ancillam dominari, & dominam ancillari magna abuſio eſt.* Ancilla enim impiis auſibus, conatibuſque in ſuã dominã, non tã tyrannidem, quàm carnificinam exercuiſſe, domina verò ſeruilibus probris, ac verberibus inſuper affecta ancillarē non abſque magno gloriæ cumulo, tàm delatori, quàm Iudici operam præſtitiſſe viſa eſt; ſed Deo condignam repoſcente pœnam improba calumniarum, doliq; artifex filiorum dentibus infelici exitu vitam abrupit.

Theophanes vbi ſup. Victus tyrannus.

Erubeſcit Imperator à muliere victus.

Bernardus in ſerm.

13. Verùm quàm triſtes in alienum intortæ caput calumniæ exitus obtineant, multiplicibus quidem argu-

Baron. to. 10. ann. 931. ex actis S. Niconis.

gu-

gumentis demonſtrandum videtur; Quorum illud pręcipuum eſt, quod in geſtis Beati Niconis, & apud Baronium in Eccleſiaſticis annalibus, de Ioanne Arato, acerbis Dei virum calumniis inſectante hunc in modũ deſcribitur: *Anno à pariente Virgine nongenteſimo octogeſimo ſecundo, Peloponneſum depopulata eſt peſtis, maximè verò Ciuitatem, cui nomen à priſcis Lacedæmon, afflixit. Ciues ad auertendam hanc luem, Sanctorum virorum preces potiſſimũ expetiuerunt. Fuit illo æuo vir integerrimus Nicon Monachus, qui quod aſſiduè in ſuis concionibus inclamaret, pænitentiam agite, paſſim ab omnibus vix alio nomine appellatus eſt, quàm hoc ipſo Monachus ille pænitentiam agite. Hic rogatus, vt precibus peſti medelam faceret, ſpopondit opem, ſeque etiam habitaturum eum ipſis, ſi modò Iudæi pellerentur vrbe, nequid Christiana Religio detrimẽti caperet. Ciues omnia, quæ iuberet, facturos ſunt polliciti. Ità Nicon in Vrbem commigrauit, & peſtis indè illicò exulauit, Iudæis vna pulſis: At Ioannes Aratus Iudæorum patronus acerbis ad id odijs in Niconem ferebatur, nec ceſſabat publicis, priuatiſque calumnijs virum optimum impetere: Sed has mendacis linguæ laruas facilè ridebat Nicon. At verò ad hominem improbum voce leni (nec enim altercari norat) ſe vertens: Abi ait, & ad te redi: ſcelera tua defle infelix, breui enim ſenties, quænam ſunt nequitiæ præmia. Nec tamen amens incœpto deſtitit, quin aduerſus virum Sãctum fremeret, & ſexcentas calumnias de Nicone tota Vrbe ſpargeret. Non tulit hoc ampliùs vindex Deus. Nocte proxima obiecti ſunt dormienti Arato duo ſenes præſtantis formæ, & ſuprà humanam oris dignitatem, qui flagris hominem cædere, & ſimul increpare verbis. Eo ne audaciæ te prouehis, vt Dei ſeruum ſpernere, & tot calumnijs proſcindere non verearis? poſt plagas in obſcurum detrudi carcerem ſibi viſus eſt. Hic ille veniam rogare, nec tamen impetrare. Experrectus febre cœpit ardere, accitoque Nicone delicti gratiam orauit. Neque hic difficilis fuit vir beatus. et: Quæ in me perpetraſti (ait) ea tibi frater, quantùm in me eſt, condono, ſed quia cœleſti nutu vitæ tuæ finis imminet, de cætero nemo erit, qui domini conſilium diſſipet. Vocẽ euentus firmauit. Tertia poſt dies vitam rapuit Arato, funere immaturo.* Quã prompta, quàm celer homini, qui Beato Viro petulantiùs inſultabat, calumniaſque paſſim in eum effutiebat, vltio ſuperuenit; haud enim precibus, haud votis fatum, quod ſacrilego impẽdebat, propulſari valuit. At ſexcentis quidem exemplis calũlumnias in calumniantium caput recidere, & gladios, quos homines liuore plerumque abducti, amarulẽtis calumniarum probris, contumelijſque in alterum exacuunt, in ipſummet perſtringentium iugulum Dei nutu reſilire, ſat euinci poteſt: nã ſi ab ante actorum temporũ geſtis res deriuetur, Amanum peſſimum Iudaici populi hoſtẽ effictę ab eo in totius gẽtis perniciem, ac retectæ poſtmodùm calumnię, Aſſueri tandem imperio auctorem duntaxat confecere. Danielis prophetæ inſectatores in leonum, quam illi parauerant, foueam demiſſi ſunt: Improbi ſenes dũ illibatam pudicitiæ famam fœdis calumniarum notis in Suſanna denigràre non dubitant, lapidibus, quos caſtæ fœminæ veluti iudices intentarant, perempti ſunt; adeò vt cuiuis improbo calumniatori commodiſſimè quadret Poetę illud.

Iàm pateris telo vulnera facta tuo.

Atqui

Ex actis S. Niconis apud Drexel. c. 32. de calumn.

Nicon inſignis pœnitentiæ pręco.

Diuina in calumniatorem viri Sancti vltio

Aman calũniator iuſta pœna affectus.

Lib. Eſther. c. 3. n. 8. & c.

Daniẽlis c. 6. n. 24.

Danielis c. 13 n. 62.

Decantatum Poeta carm.

Digitized by Google

14. Atqui concinne diuinum Auguſtini Oraculum in inſontes calumniis perperã exagitatos, & ni ipſoſmet ſcelerum auctores, proſeminatoreſque dedecorum, puris Chriſtianorum auribus inſonare videtur: *Crimen falſum* (inquit) *reum non facit hominem, niſi apud* Iudicem *hominem, vbi autem iudex* Deus *eſt, nullus falſo crimine læditur.* Si quis enim hominum iudicio reus apud hominem dolis circumueniatur, diuino confeſtim calculo inſons abſoluitur, adeò vt, qui calumniam facit, ſuæ primus calumniæ Deo vindicante pœnam ſubire cogatur: vt Martinus Delrius in ſuis magicis diſquiſitionibus hûc in modum tradit: *Miles per Marchiam iter faciens, correptus morbo ad oppidum Spandach delatus eſt: Habitabat illic eo tempore* Ioannis Regis *Daniæ filia Eliſabetha* Ioachimi *primi electoris Brandeburgici coniux. Miles quẽ dixi, hoſpitium hic ingreſſus, quia æger lectum potiùs cogitabat, quam epulas aut choreas. Ergò crumenam nummis turgentem, hoſpitæ tradit aſſeruandam, dum reualeſceret. Poſt aliquot dies iã erectioris valetudinis, marſupij reddendi mentionem injicit. Mulier auro capta, & ægrè hanc prædam amiſſura deliberat cum viro, quid militi ſua repetituro reſpondendum? De conſilij ſententia viſum eſt conſtanter neganda omnia. Quare cũ miles loculos ſuos repeteret, negauit hoſpita præſidenter ſe quidquam accepiſſe, & verò mirari ſe hominis impudentiam, qui auſit flagitare commiſſam monetam, cũ nihil penitùs aſſeruandum commiſerit. Miles indignitate rei motus, & ardeſcens bile objicit viciſſim hoſpitæ perfidiam. Accurrens maritus tanquam coniugem defenſurus, militem domo extrudit. Hic ante fores, hoſpitæ ſcelere irritatus, ſtringit gladium, velut impetum facturus in hoſpitem, ſed occluſis foribus in ianuam arietat. Hoſpes vicinorum implorat fidem, & ædes ſuas oppugnari queritur. Accurrunt lictores, & quod vim publicam feciſſet abducunt in carcerem.* Vincitur profectò ab apparitoribus Miles, ſed non vincitur veritas; Cuſtodiæ per ſummum nefas traditur, qui pecuniam, quam hoſpitæ cuſtodiendam tradiderat, repoſcit, totaque calumniis res agitur: At iuſta calumniantis iugulo diuinitùs vltio retectis fraudibus intentata eſt, vt idem auctor his verbis proſequitur:

Auguſtin. in pſ. 118.
Calumniator maiorẽ ſibi quam alteri noxã inurit.

Martinus Delrius to. 2. magic. diſquiſit. lib. 3. part. q. 7. ſect. 1. pag. 750.

Inſignis hiſtoria militis qui plurimum aurũ commiſerat hoſpitæ.

Veritas vinci nõ poteſt

15. *Poſt aliquos dies Senatus oppidi, alio mittit facti narrationem, ſententiã præſcribi petit. Conſtabat ædes publicè oppugnatas eſſe. Quarè fertur ſententia, militem vltimo ſupplicio plectendum. Cũque iàm feralis dies inſtaret, diabolus ad captiuum in carcerem venit, & exponit, quam ſententiam laturi ſint iudices, atque vnà operam ſuam pollicetur largiſſimè, & quin tu, ait, te mihi dedis? omnia pericula, ità ſpondeo, ſecuriſſimus exibis. Ego verò (inquit) miles mori malim, quàm hoc facere; non primus peribo innocens. Hic diabolus vicinum periculum ſeſquipedalibus verbis exaggerare, nec tamen captiui animum inflectere: Liberationem denique promittere ſine vlla conditione. Et cũ ad tribunal, inquit, ſteteris, dic te forenſium negotiorum imperitum patrono indigere: ibi aſtabo caput opertus pileo cæruleo, & plumis ornato: Roga igitur, vt me iubeant cauſam tuam agere. Miles amans vitæ, & hoc ſibi licere ratus, ſatis oſtendit conſilium iſtud ſibi non diſplicere. Ità poſtridie reus in iudiciũ ducitur; adeſt etiam perſonatus orator, cæruleo pileo dignoſcendus. Cũque accuſator ius dici, & reum ob publicam vim capitali ſupplicio afficiẽdum poſtularet:*

Damnatus inique capitali ſententia ſentatur à dæmone.

Mortem præfert crimini.

Dæmon rei cauſam agit.

Digitized by Google

laret. Miles hoc vnum petere inſiſtit: Liceret ſuo illi aduocato: pro ſe dicere. Non prohibent Iudices; is porrò diceret, ſi quid iuris ſciret contrà cauſam tàm liquidam. Hic cauſidicus ex Orco erudite, prudenter, neruoſe pro reo diſputare, iuris effata producere, explicare, etiam ſacras paginas ad teſtimonium citare, capitalique ſupplicio minimè afficiendum eum contendere, à quo rixa, & tumultus nullum habuerit initium. Militem ab hoſpite priùs ſpoliatum, dein vi extruſum velle, vt iuberent Iudices quæri crumenam litigij cauſam: & ſimul locum deſignat, quo reperiri poſſet: enim verò de ſalute, ac capite hic agi; ſententias ad iuſtitiæ libellum exactè trutinandas. Cauſam, quæ liquida videretur Cauponis perfidia longè aliam eſſe; ſi penitus inſpiciatur. Hic Caupo negare, & pernegare, diris omnibus ſe ipſum deuouere: quin imò, ait, hinc me diabolus abreptũ peſſimè perdat, ſi quidquam à Milite hoc acceperim. Quã has voces aper Stygius acutè audijt? neque ſatis hoſpiti ſemel id dixiſſe, eandem in ſeipſum imprecationem aliquoties repetijt; tandem niger ille cauſidicus ab Orco diſputatione omiſſa hoſpitem prehenſum per feneſtras, & medium forum cum fragore abduxit, attonitis omnibus, diramque tragædiam perhorreſcẽtibus, nec vſquã ampliùs cadauer rapti hoſpitis inuẽtum eſt: Ex quibus calũniã in Cauponis hoſpitem calumniantis caput diuinitùs recidiſſe conſtat; qui enim auro illectus, deceptuſque lucri ſpe, certum alteri exitium parauit, ſibimet furis ad inſtar laqueum collo inſeruit.

Facinus detegit in iudicio, & crumenę locũ deſignat.

Coram omnibus ab eo abripitur.

16. Perfidæ igitur calumniantiũ ſtrophes, in ipſoſmet, qui calumnias inſtruunt, diuino conſilio retorquentur, condignæq; vltionis iaculã virulẽtos eiuſcemodi ſuſurrones expetunt, quod innumeris è ſacrarum promptuario tabularum exemplis hactenùs Chriſtiano orbi comprobatum eſt; quibus tũ manifeſtis calumniæ animaduerſionibus palàm fiunt, tũ iuſta calumniantium tandẽ ceruicibus pœna infligitur: Iuſtum quippe Dei, ipſiuſque Ezechielis ore illis decantatum verbis oraculũ eſt: *Quià calumniatus eſt* (inquit) *& vim fecit fratri ſuo, ecce mortuus eſt in iniquitate ſua.* Calumnia igitur, quæ in vulgus ſpargitur, haud ventos paſcit, ſed triſte calumnianti iudicium, atque interitum parit; Deum quippè is, qui iniuſtè alteri calumniam impingit, vindicem ſortitur; ipſum profectò, qui ad eliminandos ex orbe calumniatores ſupremo vſus imperio: *Non facies* (inquit) *calumniam proximo tuo.* Verum qui viros morum probitate præcipuos calumniis inceſſere, turpiterque dehoneſtare non timent, mordacis vtique in alterum linguæ gladium, in ſe autem vltionis mucronem iuſtiſſimè exacuunt, vt ex Aimoino in Frãcorum geſtis legentibus innoteſcit, vbi impius, qui ſanctum Epiſcopũ calumniis inſectatus fuerat, funeſto ſublatus caſu in hunc modum deſcribitur:

Ezechielis cap. 18.

Leuitici cap. 19.

17. *Leudaſtis ſanè Turonicus Comes, eo tempore à Comitatu ſubmotus eſt; eo quòd populum iniuſtè opprimeret, & Gregorio Pontifici (cui frequẽter Sacramenta dederat, ſe nunquàm nociturum) iniurias irrogaret. Succedenteque Eunomio, Leudaſtis contrà Epiſcopum felle commotus, quaſi eius conſilio iſta ſibi eueniſſent, ad Regem perrexit, accuſans Gregorium, quòd Ciuitatem Turonicam Regi Guntrãno tradere vellet: & de Regina permulta loqueretur mala, affirmans eã cum Bertranno Burdegalenſi Epiſcopo miſceri:*

Leudaſtis Turonenſis comes Gregorio epiſcopo calumnias diras inurit.
Aimoin. lib. 3. de geſtis Francorum c. 42. pag. 102

Digitized by Google

ſceri: Habebat autem cooperatorem Riculphum Clericum, qui contrà Magiſtrum multos machinatus eſt dolos: Rex itaq; pro his, quæ de Regina dicta erant, Synodum adunari præcepit. Conueniẽtibus ergò apud Britanicum villam Epiſcopis, & Bertranno iniuſtè crimen ſibi impoſitum eſſe conquerente, Gregorius ex decreto fratrum ter iuſiurandũ præbuit ſe nunquàm id fuiſſe locutum, & quamuis id contrarium auctoritatibus viderent, ad ſatisfaciendum tamen Regi paratum eſt. Quamobrem adeuntes Pontifices Regem, dixerunt ei: Frater et Coepiſcopus noſter Gregorius Sacramentis ſe innocentem oſtendit. Quid nunc de te, vel eo, qui Bertranno Epiſcopo fratri noſtro calumniam inflixit, agendum cenſes, niſi vt communione priuemini? Quibus reſpondit Rex à ſemetipſo hæc non dixiſſe, ſed à Leudaſte indicata narraſſe. Quæſitum Leudaſtem, nec inuentum (ipſe enim ſibi timens audientiam fugerat) Antiſtites excommunicauerunt eũ, & abſentibus, ne eum in Communionem reciperent, ſcripſerunt. Eo loci mirabilem patientiã Regis, qui aderant mirati ſunt: quia quamuis tale ſcelus de Regina diffamatum foret, quod ipſi quoque ignominiam generaret, nunquã tamen ità animo commotus eſt, vt quemlibet iniuſtè opprimeret: quod alias ſanè non conſueuerat agere. Solummodò Leudaſten, eo quod contrà Epiſcopum falſum tulerat teſtimonium, excommunicatum ab omni ſuo iuſsit eliminari Regno. Tũc Leudaſtis vniuerſas ſuas res, quæ ei per beneficium Regis conceſſæ fuerant, à Ciuitate Turonica in Bituricenſium fines aſportauit, & diù huc, illucque oberrans, tandem poſt longum æui ſpatium Eccleſiæ reconciliatus, & in gratiã receptus à Rege, dum moneretur à pontifice Gregorio, quatenùs obſeruaret ſe à Reginæ animo contrà ſe turbato, paruipendens admonitionẽ, dum illa in quandam oraret Eccleſia, ad pedes eius prouoluitur. A' qua deſpectus, dum Oratorium fuiſſet egreſſus, & quædam mercimonia emere vellet, vt muneribus ſibi Reginam conciliaret, ab eius pueris circumuallatur, è quibus vnum gladio percutiens, à reliquis in fugam actus in medio ponte Parrhiſiacæ Vrbis, pede inter duo ligna lapſo, tibiam ſibi fregit. Vndè ſublatus, & in vnam villam iuſſu Regis ad ſanãdum deportatus, à miſſis Reginæ inter duos vectes effracto gutture infelicem vitam finiuit. Hoc ergò exitu perijt, qui vt crimen Epiſcopo ſuo obijceret, multos in vincula coniecerat, quoſdã etiã verberibus affecerat; nec in ipſis quoq; ſceleribus degenerabat: En homo perditis moribus, qui fœdam viro ſanctitatis laude inſigni calumniam intentauerat, vt ſua exturbatum è ſede infeliciter exulare cõpelleret, detectis poſtmodũ calumniarum dolis, peſſimi inſtar proditoris vitam abrupit, ſuaque miſer alterius innocentiam calamitate comprobauit.

Epiſcopus ſe purgat.

Calumniator percellitur anathemate.

Monitus vt à Regina caueret.

Eum fruſtra flectere tentat.

Miſerè perit.

18. Porrò inter eos, qui ob calũmniam alteri illatam triſtem ſortiti ſunt exitum, Philippus Francorũ Rex adnumerandus videtur, qui dũ à publicis negotiis vacat, aprorumq; venationi inſiſtit, equo præceps delapſus, miſerè interiit; quod illi ob Romanum Pontificem calumniarũ iaculis impetitum contigiſſe apud multos percrebuit, de quo iſthæc Rainaldus in ſuis annalibus ſcribit: *Anno præfato, menſe Nouẽbris de hac luce migrauit Rex Franciæ Philippus, regnauerat vigintinouem annis. Mors autem eius fuit ſatis infelix; nam cùm eſſet in quadam venatione, quidã aper inter crura equi, quem equitabat Rex, ſe ingeſſit, ex quo cadens, paulò poſt mortuus eſt. Verſum eſt in Religionem ab*

Philippus Rex calumniarum in Bonifacium VIII. ſtructor.

Rainal. l. to. 15. Annal. an. 1314. n. 26.

Præceps ex equo moritur.

Ita-

Digitized by Google

Italis, & Belgis ſcriptoribus [illegible], quòd Philippus obijt, genus, diuinaque in eũ vindictæ datum ob Bonifacium Pontificem calumnijs teterrimis appetitum, proindeq; illas poſt acceleratam eius mortem exercitas. Cæterũ apud plures inualuiſſe ſuſpicionem Ioannes Papa indicat arte, & ſimulatione à Philippo Pulchro nuncupatum expeditionis Syriacæ votum, atque à diuino numine, cui illuſerat, vindictâ percuſſum: vndè eius calamitates Philippo VI. à Pontifice ob oculos poſteà propoſita, ne ſimili arte votum infringeret: Non enim periurium impunè laturum. Qui igitur ſacerdotalis viri exiſtimationem lædere, eidemque palàm inſultare auſus eſt, etſi apri dentibus, vti meruerat diſcerptus non periit, apri tamen impulſu, ex equo, cui inſidebat, excuſſus mortem protinùs incurrit, quod ſi opinioni inhærere quis velit aſſerentium Regem, qui calumniis Pontifici negotium faceſſiuerat, Deo quoque contumeliam, ac fraudem, nuncupatum à ſe votum non adimplendo feciſſe, meritò Regi in Deum, ac ſacerdotem contumelioſo triſtem obitum obtigiſſe competiet.

Scriptorum ſuper regis obitu ſententia.

Miſerando perit exitu.

19. Atqui contumelioſorum, tã in Sanctos viros, quàm in Chriſti ſacerdotes hominum recenſitis hactenus exemplis, quos meritas luiſſe pœnas conſtat, Agreſtii quoque in S. Euſtachium Beati Columbani diſcipulum dictis, factiſque audacter petulantis ſupplicium accedit. Miſer enim ad Dei tribunal, condicto dierum numero pro ſe rationem redditurus adeſſe compulſus è vita abſceſſit; cuius hiſtoria in eiuſdem Beati Viri geſtis ad cœteros ſalubriter præmonendos, abſterrendoſque apud Ionam eorum ſcriptorem huiuſmodi eſt.

Agreſtius S. Euſtachii calumniator

Agreſtius quidam hæreticus calumniator ſat Magiſtrum in Concilio Matiſconenſi, præfinito tempore ad iudicium diuinum ab Euſtachio prouocatus fuit his verbis: In horum præſentia Sacerdotum, te ego eius diſcipulus, & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam, & inſtituta dãnas, ad diuinum iudicium cũ illo, intra præſentis anni circulum, diſceptaturum inuito, vt iuſti iudicij examen ſentias, cuius famulum tuis obtrectationibus maculare conaris &c. Sed cùm Agreſtius ſæpiùs datum ſibi pœnitentiæ locum non agnoſceret, vt Beati Euſtachij ſententia ad diuinum iudicium ipſum vocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, priuſquàm vertentis anni meta compleretur, à ſeruo ſuo, quẽ ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interijt. Audiant qui vel ſanctis viris pro re parui momenti moleſtiam exhibẽt, aut certè in grauioribus per dolos vim facere diabolo ſuggerente non dubitant; Sãctorũ quippè cõtẽptus in Deũ redũdat, qui ſeruos ſuos alloquens ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et quidem calumniis laceratos, humanoque perperã iudicio proſcriptos ad Dei tribunal prouocaſſe, & quandoq; ſuam præſentiſsimo eiuſdem calculo innocentiam cõprobaſſe, ac condignam, tùm calumniantibus, tũ iudicium exercẽtibus pœnã intuliſſe ex monumentis hiſtoriarum, tũ ſacris, tũ prophanis adducendis conuincitur; vt Caſtellæ Regi, ob fratres de homicidio perperam incuſatos, damnatoſque ex Ioanne Mariana, aliiſque ſcriptoribus accidiſſe, his apud Vuadingum verbis narratur:

Duobus ante hunc annis Petrus, & Ioannes Caruaialis fratres, neque iudicio conuicti, neque crimen homicidij Benauidij, viri primarij, cuius incuſabãtur, confeſſi, de vicina rupe præcipites

Ionas Ab. c. 6 & 7. in vit. S. Euſtachij ſeu Euſtaſij die 29. Martij. Ionas in geſtis S. Euſtachij, diſcipuli B. Columbani apud Vuading. Annal. Minor. to. 3. an. 1314 pag. 149.

Ad Dei iudicium prouocatur.

Infeliciter cæſus.

Caſtellæ Rex in ius vocatus dicto die moritur.

Vuading. Annal. Minor. to. 3. an. 1314 pag. 149.

Digitized by Google

dari iuſſi, per Ferdinandũ Caſtellæ Regem, dum raperentur ad ſupplicium, Diuum, hominumque fidem teſtati innocentes mori, quoniam regiæ aures obturatæ eſſent, ad Deum æquiſſimum iudicium prouocare, Regi dicere ex eo die trigeſimum. Eæ voces in præſenti pro vanis habitæ, caſu fortaſſe (eſto) & mirabile certè euẽtu confirmatæ ſunt. Obijt enim Rex ſtatuto die, qui incidit in ſeptimum Idus *Septembris in ipſo ætatis flore, annos natus quatuor & viginti, menſes nouem. Cibi & potus intemperantia exitio fuit: Alij diuini numinis vim interpretabantur, quod à cæde patrata, magno omnium miraculo diem trigeſimum præcisè nuncupare cœpit. Simile huic exemplum narrat* Ionas in *vita S. Euſtachij &c.* Hæc ex prænotatis ſcriptoribus apud Vuadingũ.

Io. Marian. de reb. hiſp. lib. 15. cap. 11. Rifine lib. 3. de reb. hiſp.

20\. Verùm enim verò, vt præſentiſſimam Dei ſuorum iniurias vlciſcentis è cęlo dexteram flagellis quidem validè inſtructam probè vnusquiſq; agnoſcat, attẽtiori mẽte queſo repetat, quę haud ſemel ipſe, vt obſequentiũ voluntati morẽ quodã dammodò gereret, vniuerſo terrarũ orbi portẽta exhibuit. In id enim vnũ ſuprema illa Maieſtas inſtare comprobatur, ne amarulentiore duntaxat verbo, ne dum iniquis, aſperiſque tranquilla iuſtorum hominum mẽs factis aliquando perturbetur: adeo vt ſignis quoq; præſtitis, & calũnias à ſuis propulſet, & calũniantes haud inultos prætereat, vt pij cuiuſdã viri dictis prænotati, exemplo euincitur, cuius hiſtoria ex Minoritanorum Annalibus in geſtis Beati Franciſci (qui vulgò Cichus dictus eſt) Tertij Ordinis, repetenda hic eſt, de quo iſthæc in ſuis paginis Vuadinghus:

Paterna Dei cura in ſuos

21\. *Aegrotantem dum vellent meliori cibo reficere, occiderunt ſocij gallũ gallinaceum, qui non ſolũ nocte media, ſed ad ſingulas ferme horas eũ ſuo cantu excitabat ad laudes diuinas.* Admiratus *ille, quod toto die non audiuerit canentem, interrogauit, quid ſuo accidérit monitori? occiſum, & implumem, vt ſibi coqueretur referentibus, dixit: Afferte mihi, quem iniuſtè occidiſtis? non ità erant ſoluendæ diurnæ, & nocturnæ huius volucris hortationes: illa mei me monebat officij, & vos elinguẽ feciſtis? Deindè manibus acceptum, indignè (inquit) frater galle, tecum actũ eſt, tu me è ſomno mortis imagine, vocabas ad vitam, ego communem noſtrũ deprecor auctorem, vt tibi nunc viciſſitudinem reddat, & vitam refundat in humanitur ereptam. His dictis, plumis ſubitò renatis viuus euolauit, & cãtum ſolitum reaſſumpſit. Recuperata valetudine, dum à Piſaurenſibus pro dictis miſericordiæ operibus eleemoſynas peteret, duo petulantes viri ei improbè inſultauerunt, dicentes ad vſus proprios, & occultum lucrum eum importunè collegiſſe tot ſtipendia charitatis, atque ex eis multas theſaurizaſſe pecunias, non permiſit Deus innocentiam ſui famuli maculari; ſed ſtatim vtrumque graui affecit ſupplicio: vnus enim toto corpore exaruit, alter in perpetuum penitùs obmutuit.* Deo quippè curæ eſt, ne quis deuoto ſibi ſeruitio inhærentes quoquo modo contriſtet; quapropter ſollicitè olim cauit, ne Labanus Iacobum fugientem à ſe iuxtà montẽ Galaad, amarulẽto aliquo verbo, in patriũ ſolũ remeãtem impeteret, contriſtaretque: Illi enim huius rei gratia ſe Deus per viſum de nocte obtulit, audiitque in ſomnis homo dicentem ſibi: *Caue ne quidquam loquaris aſperè Iacob:* Verba quippè aſpera duntaxat, ne dum contumelioſa, quæ in iuſtos eiaculantur, ſic feriunt, Deumque exaſperant, vt iſthæc non verbis tantùm, ſed &

P. Franciſcus Cichus

Ex Marian. in append. lib. 2. Vit. m. 1. B. Franciſci Cichi F. Lucas Vuading. to. 3. Annal. Minor. an. 1350. pag. 572. n. 12.

Gallinaceũ occiſum ad vitam reuocat.

Diuina in obſtrectatores vltio.

Geneſ. c. 31.

ver-

verberibus quantocyùs vindicare conſueuerit.

22. Enim verò calũniæ in viros probos per ſummũ nefas intortæ, in ipſum denique calumniãtium caput iuſto Dei iudicio recidunt, & cum nullum inſontibus, eorumque famæ detrimentum afferant, certã improbis afferre perniciem ſolent. Hinc vt res vel vno ſæculi huiuſce comprobetur exemplo, calumnias quidem ſuis duntaxat auctoribus funeſtas eſſe, ceteris fructuoſas; vir in Vrbe olim primarius, & tũ dignitate tùm auctoritate conſpicuus ſatis, ſuperq; ædidicit, qui Sancto Philippo Nerio Congregationis Oratorii Fundatori parenti noſtro ob pias; quas Deo afflatus vna cum ſuis Bacchanalium præſertim diebus, exercitationes induxerat, acerbiſſimas impingere calumnias non dubitauit. Etenim vir Dei, qui in procuranda proximorũ ſalute totus erat, diuini ſpiritus feruore ſuccenſus, non abſque vberrimo animarum fructu, magna populi ſtipatus caterua, celebriores ſeptẽ vrbis Eccleſias paulò ante sũma pietate inuiſere aggreſſus fuerat. Res autem eo vſque peruenit, vt alter haud zelo permotus, ſed liuore acriter extimulatus, ſuſurro vepore amarulentus, atque inſectator acerrimus dictis, factiſque aduerſus Philippum, eiuſque alumnos inualeſcẽs, à cœptis pontificia ſuffultus auctoritate deſiſtere coegerit. Verùm re poſtmodũ comperta Pontifex liberam pias, cõſuetaſque exercitationes repetendi Philippo facultatem conceſſit, et qui dictis per ſummam iniuriã Chriſti famulum exagitarat, ſubito, repẽtinoque obitu vitam finiuit, vt in cõſcriptis à Petro Iacobo Baccio, noſtræ Congregationis Oratorij Presbytero Sãcti Philippi geſtis habetur, in quibus iſthæc.

Funeſtæ auctori calumniæ.

Calũniator in S. Philippũ male finit.

Non ideò tamen omnia in Philippũ extincta ſunt odia, ſopitæque calumniæ: imò maioribus ab improbis impoſterum eſt appetitus: Arguebant enim, quod ad ſeptem Vrbis Eccleſias, nimia conſtipatus hominum caterua incederet, idque ad ſuperbiam vertentes, aiebant, non eſſe hominis mundi faſtum contemnentis, tanta populi multitudine congregata, totius Vrbis oculos ad ſe conuertere. Alij verò conſiderantes duntaxat pecuniæ vim, quæ in cibos erogabatur, nec perſonarum numerum attendẽtes, rem totam potationibus, & gulæ tribuebant. Qui autem acrioris erant ingenij, publicæ tranquillitatis prætextu rem damnabant, quod tanta perſonarum turba, non leuis daretur anſa diſſentionibus, et tumultibus concitandis. Philippo hæc ſingula renunciabantur, qui cuncta ſine vlla animi perturbatione ferebat.

Petr. Iacobus Baccius in vit. S. Philippi lib. 1. c. 16.

Conflata B. Philippo ab emulis inuidia & acris ſubinde calumnia

Huius porrò rei quotidiè magis increbreſcebat rumor, adeò vt ad Vrbis Vicarium tandem perueniret; qui maleuolorum ſermonibus permotus, Philippũ accerſiri iubet; quem accedentem acriùs obiurgat: Non te pudet, inquit, hominem, qui mundi contemptum profiteris, vt auram popularem colligas, tanta ſtipatum turba per Vrbem incedere, tibiq; hiſce quaſi retibus, Eccleſiæ dignitates aucupari. Cũque ſimilibus verbis aſperiùs illũ increpuiſſet, præcipit, vt quindecim dies à confeſſionibus audiendis abſtineat, & nonniſi obtenta licentia Oratorij exercitationes proſequatur, neque vllo pacto hominum cœtus ſecũ ducat, niſi obtemperet, carcerem comminatur: quin inſuper loco diſcedere non permiſit, niſi priùs iudicio ſiſtendi cautionem præſtitiſſet: cui placido, ſerenoque vultu Philippus reſpondit, ſe quemadmodũ ſingulis rebus à ſe inſtitutis ad

Piæ exercitationes ab inuido criminĩ dantur.

Singularis S. Philippi erga prælatos demiſſio.

Dei

Dei gloriam exordium dediſſet, ita pariter ſe ad eiuſdem Dei gloriam, a ſingulis deſiſtere paratum eſſe, ſemperque futurum, vt ſuperiorum monita proprijs votis anteponeret, neque alia de cauſa hunc Eccleſias inuiſendi morem a ſe inductum fuiſſe, niſi vt ſuos à peccādi periculis, quæ inter bacchanalia occurrere ſolēt, auocaret. Ad hæc Vicarius: Tu iſthæc omnia non ad Dei gloriam, ſed vt ſectam tibi conſtituas, operaris. Tùm Philippus crucifixi imaginem, quæ in eo loco propoſita erat, intentis oculis intuens: Tu ſcis Domine, ait, num, vt ſectam mihi conſtituam, id agam: atque his dictis abſceſſit. Verū qui obedientiæ virtutem præſertim ergà ſuperiores plurimi ſemper fecit, alumnis ſtatim vetuit, ne deinceps ad ſe conuenire auderent. Liuor quippè, qui inſectantiū animo ſemel inſedit, haud facilè euaneſcit, ſed maiores in dies ad nocēdū vires, ſuis adauctus ſtimulis flāmarū inſtar acquirit. Quapropter vir beatus diris, aculeatiſque verbis Vicarium, inuidis, maleuoliſque vltrò inſtigantibus ſe obiurgantem ſenſit, non ſecùs ac immanis auctor criminis extitiſſet: ſed iam Chriſti famulum à calumniis cæleſti ope vindicatum, inſectatoremque primarium, qui pertinaciùs inſtabat, cōdigno affectum ſupplicio videamus:

Pia ab eo exercitia pie intermiſſa.

23. *Intereà dum vir Sanctus ſe Deo ex animo commendat, dumq; complures etiam religioſos viros enixè precatur, vt orationibus pro hac re inſiſtant, die quodam ecce tibi extemplo ſacerdos aſpera indutus veſte, funeque præcinctus, neque antè, neque poſt illum diem de facie vnquam notus, vel viſus, qui ait: Mittor ad vos, vt ſolemni horarum quadraginta ſupplicatione Sanctiſſimū Chriſti corpus adorandum populo exponatis: hoc enim tutelari præſidio perſecutiones penitùs euaneſcent: ita namque quibuſdam Dei ſeruis de cælo oſtenſum eſt. Inde ad Franciſcum Mariam Tauruſium propiùs accedens, in aures ipſius hæc verba inſuſurrat: Futurum profectò eſt vt vexatio quā citiſſimè dilabatur, opuſq; inceptum firmius reddatur, & qui nunc oppugnāt, propugnēt, et ſi quis diutiùs obſiſtere auſus fuerit, citò Deo vindice pœnas luet, qui verò præſul nūc infēſiſſimus eſt, intrà quindecim dies haud dubiè morietur: atque his dictis è conſpectu euanuit: Res prout prædixerat, adamuſſim euenit quandoquidem præſul (erat enim Papæ Vicarius) cauſam ad ſummum Pontificem non æquo animo deferens, repentina morte interijt. quod Philippus intelligens, hominis obitum commiſeratus, nec verbum quidem grauius contrà ipſius exiſtimationem a ſuis proferri paſſus eſt vnquam. Cæterum cum ſummus Pontifex Paulus IV. rem totam prout acciderat proprijs auribus accepiſſet, Philippi innocentia optimè comperta in beneuolentiæ argumentum duos ad eum cereos deferendos curauit, ex ijs nempe, qui in die Purificationis B. Virginis in Pontificio ſacello ardere conſueuerunt, eique renuntiari iubet, non ſolum ſeptem vrbis eccleſias viſitandi, ſed omnes alias Inſtituti functiones exercendi ſe illi omnimodam concedere facultatem, ſibique acerbum eſſe ſpiritualibus hiſce exercitationibus intereſſe non poſſe.* Hic rei totius feliciter geſtę ſubſequuto inſectantis interitu exitus fuit, qui funeſte, ſubitoque ſublatus diem clauſit; àdeo vt prius viuendi, quā calūniandi inſectādique finem fecerit; quod cū à ſuis Philippo renunciatū fuiſſet, præteritarum immemor iniuriarū, & patiendi ambitioſiſſimus rem omnē ſilentio inuoluendam, obliterandāque curauit. Atqui

Cōmendat Deo ſuam cauſam
In vit. S. Philippi vbi ſup.

Prædicitur ab ignoto ſacerdote felix rei euentus.

Inſectator morte repentina percuſſus.

Felix exitus comprobat innocentiam & calumniā demonſtrat.

24. Atqui duo alii homines nequam calumniis, dicteriiſque cōcinnandis aſſueti, vt per iocum Dei famulum carperent, ſubſannarentque, opportunam ex piis ab eo adinuētis exercitationibus occaſionē nacti, ridiculas in eū ſtrophas in vulgus ſparſerant; ſed qui ore perfido in eū verba effuderāt, cōdigna è cælo in ſe iacula extorſere; nā vterq; haud multò poſt infeliciter è vita abſceſſit. Nos verò interim rē à Baccio his narratā verbis excipiamus: *Cùm aliquando Philippus ad ſeptem Vrbis Eccleſias vna cum ſuis ſe conferret, intelligens id vir quidam improbus, amicum eiuſdem farinæ hominem ſic alloquitur: An neſcis* Hieronyminos *(ſic enim tunc temporis à S. Hieronymo à Charitate appellabantur* Patres Congregat. Oratorij, *& præſertim ab exteris) hoc mane ſeptē Eccleſias obeuntes, ſeptem itidē aſellos varijs pulmētarijs onuſtos vna ſecum deduxiſſe? His atque alijs compluribus figmentis in riſum effuſi, in* Dei *ſeruum obloquebantur. Verū occulto Dei iudicio paucis poſt diebus, qui maledica verba protulerat, gladio eſt interemptus; qui verò aures præbuit, morbo correptus è vita deceſſit.* Hæc ibi: ex quibus quā ſeuero in Dei virum calumnias intorquentes iudicio expetiti ſint, innoteſcit. Quod & alter certo edoctus experimento palàm affirmare non dubitauit, qui cùm in virū ſanctum nonnulla, haud tamen iniquo animo effutiiſſet, parum abfuit quin eiuſmodi offenſam capite lueret, vt Baccius his verbis narrat: *Hic inſinuandum operæ pretium duxi, eos ferè omnes, qui in Dei famulum nequiter exarſerunt, vel pœnitentia ductos breui ab incæpto deſtitiſſe, vel vindicē Deum quàm citiſſimè expertos eſſe. Detraxerat ei aliquando vir quidam, & certè non malò animo, cum die poſtero è domo prodiēs præceps in foueam corruit, ac tibia grauiſſimè læſa vitæ periculum ſubijt: qui faſſus eſt ſe procul dubio mortis pœnam luiturum, ſi nequiter Philippo detraxiſſet, neque deinceps ferre poterat, vt contra Dei hominem ſiniſtre quidquam diceretur.* Calumnia quippè ipſius Dei nutu iuſtiſſimè in calumniantis caput recidit, adeòque qui ſuis bonā alterius famā dictis, dicteriiſque proſcindere non verentur, ſuam duntaxat conſcientiam, animāque infelici tandem exitu perdidiſſe comprobātur. Et hæc interim ſatis.

Duo viri calumniis in virum Dei per iocum confarcinādis intenti ſacra inſtituta in deriſū vertunt.

Baccius in vit. S. Philip. lib. 2. c. 20.

Vix vnquā calumniæ in virum Dei impune abeunt.

CAP. IV.

Qui calumnias diſſeminant, vel temerè iiſdem aures adhibent.

1 IVſta quidem, & ſera nunquā Numinis ira acerbiſſimis eos pœnis expetit, qui calumnias aduerſus pios, inſonteſque viros cōcinnāt, vel eas ſaltem proſeminare nō dubitant, vt bonę eorumdem famæ, quæ inter præcipua hominis bona computatur, iniuriam, notamque inſuper ignominiæ inferant? Horum quippè tandem nequitiam, alienamque, cui inſidias parabant, innocentiā Dei nutu palàm fieri contigit: *Nihil enim eſt opertū, quod non reuelabitur, et occultum, quod non ſcietur.* Sapientiſſimo autem id conſilio fit, *vt nimirū non ſit dedecus culpæ ſine decore iuſtitiæ.* Et ne longiùs ſermonem protrahamus, tribus perditiſſimis hominibus, qui turpem Beato Narciſſo Hieroſolymorum antiſtiti calumniā impegerant, ob ſcelus, quod in Dei virum admiſere, Domino ſerui ſui vlciſcente iniuriam, haud multò poſt

Calumnia nunquā impune abit.

Matth. c. 10. 26.

Aug. in ſer.

Baron. tom. 2. an. 199. n. 6.

Euſeb. lib. 6. c. 8. 9.

Digitized by Google

poſt funeſtus præ foribus interitus adfuit, vt Euſebius apud Baronium rem totam exactè deſcribēs his verbis tradit:

Cũ quidam nequam perditi homunciones grauem, & ſeueram eam rationẽ, qua per vniuerſam vitam, tũ in hominibus acriter admonendis, tũ in eorum vitijs corrigendis vti conſueuit, neutiquã ferre poſſent; præ metu, ne ipſi propter infinita ſcelera, quorum ſibi ipſis conſcij erãt, iudicati ab ipſo pœnam luerent, cœperunt contra illum conſuetis dolis conſpirare, ac turpem quamdam criminationis calumniã in eum conĳcere, deindè quo magis auditoribus criminationis falſo obiectæ fidem facerent, eam iureiurandò confirmare, atque vnus ſic deierare: Si non verè dixerim, opto vt ignis incendio miſerè diſperꝗam: Alter verò ſic: Si non verè dixerim opto, vt ſæuo, ac fœdo morbo corpus abſumatur: tertius autem hoc modo: opto, ſi non verè dixerim, vt luminibus penitùs orbatus ſim: Verũ quamuis nemo ex fidelibus propter nobilitatem, & teſtatã inter omnes omninò Narciſsi caſtimoniã, atque adeò ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis vel grauiſſimo iureiurando ſe obſtringentibus animum, aut fidem adhibuerit: ille ipſe tamẽ, partim præ indignatione falsò obiectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in ſapientia, ac virtutis ſtudio degendæ, quam iamdiù optauerat, ab oculis vniuerſæ multitudinis ſe penitùs remouit, & in ſolitudine, locisq; deſertis ad multorum annorũ ſpatiũ vitã tranſegit. Et acerbũ quidẽ Narciſſo, qui Chriſti bonus odor erat, & qui puram ab omni labe conſcientiam Deo iugiter exhibere ſatagebat, effecti probri calũnia vulnus inflixit: *Calumnia enim*, (vt Sapiens ait) *conturbat ſapientem*. Adeò enim piũ hominem perculit, vt ſpontè ab vrbe ſecedere, à ſuiſque exul fieri ſedibus, quã iniquas perditorum hominum linguas pati maluerit: at Deus deſuper bonam eius famam, atque innocentiã tueri, dignoque improborum hominum ceruicibus intentato ſupplicio vindicare non deſtitit, vt Euſebius hunc in modum proſequitur:

Nebulones, qui S. Narciſso calumniam intenderunt, & iureiurando confirmant, pœnas dant.

Sanctus vir ſub oculis omnium calumnia affectus ſe proripit, ſed à Deo protegitur.

Eccleſ. 7. 8.

Verùm ſublimis ille diuinæ iuſtitiæ, vltioniſque obtutus his ſceleribus patratis minimè acquieuit: ſed quàm celerrimè impios illos, et nequam homines, qui inter iurandum tam diris execrationibus, ſe contra ſe ipſos obligaſsẽt, grauibus calamitatibus oppreſſit. Primus igitur illorum, ſcintilla perexigua noctu in ædes, quibus habitabat, ex nulla cauſa antegreſſa, ſubitò ruente miſerè cũ tota familia, ſuaque ſtirpe rapido flammarum ardore omninò conflagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quem ſibi tanquam mulctam fore imprecatus eſſet ab extremis pedum digitis ad caput vſque infectum contabuit. Tertius ærumnoſos priorum euentus reſpiciens, et Dei, qui omnia oculis intuetur, ineuitabilem vltionẽ admodũ reformidãs, palã inter omnes maleficia comuniter à ſe, ſuiſque ſocijs per fraudem contra Narciſſum admiſſa confeſſus eſt: ſed tamen dum pro delicto grauiſſimè condoleſcebat, tantis, tamque acerbis lamentis ſe afflictauit, & vſque eò lacrymas effundere non deſtitit, quò ad vtrumque oculum ſibi penitùs extinxiſſet; Atque hi pro ea criminatione falsò contra Narciſſum conficta, tales pœnas perſoluerunt. Hæc Euſebius, ex quibus concinnatas in virum Dei perfido ore calumnias demum in auctores reſilire compertum eſt.

Euſeb. vbi ſup.

Perditi calumniarum quas iureiurando confirmarant, infelices exitus obtinent.

Innocentia viri tribus puniteis, & calumnia detegitur.

2. Calumniatores igitur iuſtam numinis ſuos ſollicitè protegentis irã neutiquã effugiunt; plerumq; enim miſeri in ipsãmet, quã alteri parauerãt, foueam, incidunt. Quod in vrbe

Are-

Arelatenſi eorum exemplo ſatis cõprobatum eſt, qui in Beatum Cæſarium eiuſdem vrbis Epiſcopum iniquas doli ſtrophas contexere auſi fuerant, vt Lyranus apud Baroniũ Gotho cuidam; qui aduerſus Dei virũ malis artibus vnà cũ cœteris conſpirauerat nõ ſine ingenti portento accidiſſe his verbis docet:

Cyprian. in vit. S. Cæſar. *Gothus quidã Vrbe Arelatẽſi capta, in lecto S. Cæſarij eiuſdem Vrbis Epiſcopi cæteris contradicentibus diuinitùs percutitur, & altera die excidit è vita, ne quiſquam deinceps ſerui Dei locum polluta conſcientia violare auderet.* Voluit Deus huiuſmodi etiam temerarii Gothi punitione ſanctitatem ſerui ſui Cæſarii notam eiſdem Gothis, & Arrianis fieri, qui eum, vt proditorem in carcerẽ detruſerant, vt oculatus teſtis Cyprianus his verbis tradit: *Cũ Arelate obſeſſa à Franchis & Burgondionibus, Clericus quidã ciuis, & cognatus eiuſdem Cæſarij ſe captũ iri metuẽs, iuuenili leuitate permotus, maloque dæmone, beati viri odio eum incitante funiculo ſeſe è muro ſubmiſiſſet, proxima luce vltrò ſe dedit hoſtibus, Vrbem obſidione premẽtibus. Quod vbi Gothi, qui intra erant oppidum, compererunt, incurrunt in S. Virum; populus, & inprimis Iudæi, impatienter inſultant, motaque ſeditione vociferantur, Antiſtitem Vrbis prodendæ cauſa conciuem ſuum ad hoſtes ablegaſſe. Nullus hic fidei, nullus probationi, nullus denique puræ conſcientiæ relinquitur locus, Iudæis præſertim, & hæreticis procaciter, & ſine intermiſſione clamantibus. Itaque ex Eccleſiæ domo extrahitur Antiſtes, atque in Palatio arctiſſimæ cuſtodiæ traditur, vt noctu in Rhodanum demergatur, aut certè in Caſtro Vgernenſi detineatur, donec exilio mulctatus prolixiores det pœnas. Tunc igitur domus Eccleſiæ, & cubiculum fuit occupatum Antiſtitis. Qui tamẽ comperta Iudæi cuiuſdam proditione, qui ligatam ſaxo epiſtolam in caſtra conijcere conatus fuerat, ſed fruſtra; reperta enim fuit à quodam e propugnaculo egreſſo: digreſſis à muro hoſtibus, et Sanctus Cæſarius alter Daniel educitur de lacu, impletumque eſt illud propheticum pſal. 7. Lacum aperuit, & effodit eũ, et incidit in foueam quã fecit.* Hic profectò calumniantiũ finis, hic innocẽtię ab iniuriis Dei ope vindicatæ exitus fuit. Ita planè qui viro Dei contumeliam intulit punitus, & qui iniuriam patiẽter tulerat, vindicatus.

Baron. tom. 6 an. 508. n. 8. 9.

Ex calumnijs liber euadit.

Pſalm. 7.

Innocentia ſemper triumphat.

Huic iure optimò, vt ſuſceptæ enarrationi inſiſtamus, procax mulier iungenda eſt, quæ amarulentiora contumeliarum in Theodoſium Dei famulum verba ore protulit, ſed ſuæ haud multò poſt petulantioris linguæ, ac improbitatis ſimul pœnas infelici ſublata fato exoluit: vt Surius in eiuſdem geſtis his verbis tradit: *Mulier quædam inſignis, et vitio nobilis in ciuitate Boſtrenorum, cum Theodoſium cœnobiarchã in ea ciuitate manentem dixiſſet planum, & impoſtorem, in oculis adſtantium dedit pœnas intemperantis linguæ, acerrimum ſubiẽs ſupplicium, cum graui morte eius erupiſſet anima.* Deũ quippè ſeueriſſimum vindicem ſortita, quę non cohibuerat ab iniuriis, calumniiſque linguam, linguã pariter, et vitam amiſit.

Surius in vit. S. Theodoſ. Cœnob. 11. Ian. to. 1.

3. Quàm inuiſi autem ſuſurrones præ omnibus Deo ſint, qui non ſolũ iuges excitant rixas, animorũque diſſidia inter viros ſanguinis affinitate iunctos, ſuis mendaciis fouent, proſeminantque, ſed et prauis inſuper, amarulentiſque ſermonibus honeſtarum mulierum famam labefactare non dubitãt, ſi quis noſſe cupit, & quã acerbas item ex iis pœnas Altiſſimus repetat, qui doloſis hiſce

Alienę famę detractores dant pœnas diuinæ iuſtitię.

Digitized by Google

calumniarum ſuſurris, quibus alienæ exiſtimationi detrahitur, temerè, impudenterque aures adhibent, ſat vel vno, quod nunc in medium proferemus, legenti exemplo innoteſcit; rei autem geſtæ, quę nouiſſimo hoc ſæculo accidit, hiſtoriam Religioſus quidam è S. Franciſci Capuccinorũ familia, qui teſtis adfuit omni fide digniſsimus, nobis hunc in modum expoſuit.

Inſignis diuinæ in calumniatricē iræ vindicta. Ex relat. PP. Capuccinor. famil.

4. Cum iã vernum in æſtiuum tempus vergeret, duo ex fratrum Capuccinorum familia Religioſi ſuperiorum iuſſu, per Inſubriam iter faciebant; qui die quadam ſub meridiano ſole, apud virum æquè piũ, ac diuitem diuertentes, prandio ſatis opiparo excepti ibi ſuũ Abraham hoſpitem inueniſſe videbantur, vbi prę‑ter lautiores epulas, quibus menſa abundabat, phalerni quoque vini copia non deerat. Verũ hi ad bibendũ honoris gratia (vt mos eſt) ſemel, atque iterùm ab hoſpite inuitati, laicus, qui menſę vnà cum ſocio accumbebat, inter blanda vini pocula ita ſitim procul amandarat, vt nulla inter epulas præter iter agẽtium morem, potandi cupiditate tangeretur. Quę res eò magis noua, ac mira quidẽ, tùm ſibi, tùm ſocio accidit, quia vinum vnicum, ſolidumque itineris viaticum, ac leuamentum itinerãtibus, ne dum pro vehiculo cẽſeatur: ſitis quippè ad manus ſemper cõſueuit eſſe in via. Ablata poſtmodùm menſa, gratiiſque Deo ex more peractis, vbi aliquantula feſsis recreãdis artubus temporis mora, ſoporique conciliando data eſt; cũ religioſi hoſpitem amicè ſalutaſſent, dexteraſq; inuicem dediſſent, vt pomeridiani, quod ſibi præſcripſerant, itineris penſum conficerent, iter ab hoſpitio arripiunt: Atqui inſtauratis iã viribus

Sitis repentè oborta ſacerdotem ad periclitantem fœminam adducit.

alacres, feſtinoque pede viam terebant, mutuiſque ſermonibus munificentiam hoſpitis, humanitatemq; opiparæ menſæ apparatum, ferculorum copiam hilari vultu, verbiſque gratiſsimis celebrabant: factum eſt autem, vt dum feruentioribus ſol radiis concito deambulantes gradu excoquit, alter ex itineris moleſtia, ſiti imprimis adeò grauiter conficeretur, vt vix loco pedem mouere, exiccatiſque faucibus ſpiritum ægrè trahens prę languore iã penè deficere videretur: Atqui ſacerdos pigritantem ſocium, pedemque in itinere remotãtem verbis increpat, ac torporem è dorſo excutere ſatagens: *Vt quid* (inquit) *moras in itinere, frater tã longas nectis?* Illo econtrà tædium, ac moleſtiam, quam anhelus præ ſiti contraxerat, cauſante: *Etſi quidẽ*, ſubdit alter, *vehementer admiror, quod te tã acerba ſitis in præſens inuaſerit, & qui hoc mane, cũ menſæ aſſideres, ſtomachabundus pretioſa quæque vina faſtidiebas, nulla que te bibendi cupiditas tenebat, modo exanimis quodammodò ſicciſque faucibus frigidam ſitire videaris?* Conticuit ille, vix enim præ linguę ariditate verbulum proferre poterat, æſtuque detoſtus, auidiſsimo oculorum circum ictu, fontem vndique circumſpiciens faucium ſuarum duntaxat auiditatem teſtabatur.

Perpende plures caſus à diuina prouidentia dirigi

5. Feſsus itaque, & ſiti iam propè enectus, cum omnia lynceus loca incaſſum excurreret: En tibi è lõginquo inter opaca nemoris, ruſticanã domunculam mille circiter paſſibus diſtantem videt: Bona igitur ſpe repletus, dum concito illuc gradu ſe cõferre cupit, abeundi à ſacerdote facultatem impetrare vix potuit: ſed importunis tandem obteſtantis precibus cedere ea cõditione viſũ eſt, vt quantocyùs remearet. Subſtitit interim

Sitis pepetit ſalutem Innocenti.

interim

terim in via, vſque dum laicus ſitientis inſtar cerui fontem exquirens, ad locum, quem fuerat à longè conſpicatus deuenit. Ruſticanam hic villulam, ac viſu ſatis peramęnam, arboribus ante domus veſtibulum conſitis quã eleganter exultam, ac viros illac ſclopletis, armis quod non putarat, accinctos, oberranteſque offendit: à quorum altero, vt ſitim expleret, aquę duntaxat ſibi potum dari propoſcit. At ille: *Et quorſum tu* (inquit) *huc aduenisti?* Et mox ſubindè: *Es tu ſacerdos?* interrogat; cui ipſe: *nequaquam, ſed Laicus è Capuccinorum familia ſum, qui itinerando vehementiore ſiti aduſtus, ad paululũ aquæ hauriendum conſultò huc è via deflexi, vbi ſocius ſacerdotali charactere inſignitus me è fonte reducem præſtolatur.*

Enormi facinori diuinitus via præcluditur

6. Vix iſthæc cũ vir nobilis, ac elegãti aſpectu, Comes nimirùm, cuius ditioni villa ſuberat, Religioſum hominem intuitus ſerio, an ſacerdos ſit, percontatur: huic cũ paucis alter feciſſet ſatis: en ſacerdos, qui dudum in via ſubſtiterat, mutato conſilio, ne alter ſolus abiret, aberraretque, à longè inſequi cœperat, & iam à tergo aderat. Porrò ſitienti aquã hi, qui aderant, ſe daturos vltrò polliciti ſunt: Intereà cùm iã Sacerdos aduentaſſet, feſtiuè à ſocio compellatus, ſalutatuſq; à Comite manu ſubindè apprehenſus, in terreſtre quoddam cubiculum, quod ad lęuam in domus atrio adeuntibus præſto eſt, reſerato oſtii peſſulo inducitur. Nouum hic, atque inexpectatum, inopinumque ſibi ob oculos ſpectaculum miſerandum planè obiicitur. Mulierem nobilem decora ac liberali præditam forma, Helenam alteram dixerim, at muliebri mũdo, ac veſtibus exutam in ſecretiore cubiculi angulo ad alteram lectuli partem pallidã, tremebundãq; ſeminecem, planèq; nudam, niſi quod breuiore quodam linteo obtegebatur, & quod triſtius eſt, hanc cum ipſa iam morte colluctantem offendit. Obſtupuit ad rei nouitatem vir Dei, qui non tàm mulierem, quàm mulieris ſe videre ſpectrum exiſtimabat. At vir nobilis digito fœminam demonſtrans, iubet, vt eius excipiendis Sacramentali ritu culpis aures pro ſacerdotis munere adhibeat; Ille è contrà conſtantiſſimè recuſare. Quid ergò? Dei tandẽ famulus Comitis imperio adactus annuit, ac ſocii precibus interpellatus, vt periclitanti conſuleret, peſſulo foribus obductis, ſacerdos intrà cubiculum cũ fœmina, ſolus cum ſola relinquitur. Ad remvero tma nouam, inuſitatamque hærebat attonitus, metuque perculſus, Deo ſupplex rei exitum commendabat.

Comes ſubtonatus a muliercula in vxoris necem conſpirat.

De ſalute tamen animæ illius pie cogitat.

Inſontibus periclitantibus Deus Praſto eſt.

7. At mulier protinùs ad eius pedes in genua procumbens, ac lacrymis, ſingultibuſque Deum obteſtata: *Tuam ego* (inquit) *ò Chriſti Sacerdos, tuam ſub hoc rei momentũ præſentiam maximè expetiui, quo certam mihi mortem impendere intelligo, vt meæ videlicet apud Deum conſcientiæ, ac meo itidem apud homines, tùm pudori, tũ famæ tua opera conſultũ ſit; te enim, ci tanquã Dei miniſtro fidẽ non præſtitiſſe piaculum eſt, teſtem in præſens volo.* Vix iſthæc dixerat, cùm ſacerdos interpellatus: *Et quotus iſthæc ò mulier?* (inquit) *quid hic rerum? & quid ad te vir iſte armis, armatiſq; tot circumſeptus hominibus? Tu ſiquidem, ac vir pariter mihi de facie, ac nomine prorſus ignoti: tragicam amabo te rei, quã oculis cerno, hiſtoriam edſſere, ac pro certo habeas opportunum pro viribus, ſi quod Deus ſuggeret, conſilium, ac remedium me tibi vltrò alla-*

Inique accuſata innocens pandit calumniæ ſeriem ſacerdoti.

Rei inopinę aſpectus in ſtuporem ſpectatorem rapit.

turum. *Scito protinùs* (ſubdit mulier) *ſcito, inquam, me nobili proſapia genitam, Comitis iſtius, cuius ditionis proximus pagus eſt, multis ab hinc annis vxorem eſſe, ſuſceptiſque Deo fauente inſuper è coniugio liberis, nos mutui nexu amoris, vnanimes diù vixiſſe: At nuper (heù miſeram) ſiniſtra vir meus opinione pertactus, falsiſque (vt fit) ſuſurris præuentus, deceptuſque me non ſecùs, ac fœdifragam morti deuouit; Et è proximo oppido, abſque pediſſequis huc curru abductam interficiendam, infodiendamque ſubindè humo decreuit. Quocirca iam iā ad palū occidendam, vt vides, alligari, et quo ſuam ille in me expleat crudelitatem, veluti lucis beneficio indignam, plumbea glande confici præcepit. Itaque veſtibus, ornamentiſque per vim, ac ſummā iniuriam detractis, pronubum quoque annulum è digito abſtulit, neque vllus defenſioni locus, nec exoranti ad placādas iras, promerendamque apud eum gratiam aditus patet. Quid demum miſeræ fœminæ, & iā morituræ reſtat? Moriar, at innocens; Pereo ſed labis obiectæ omninò expers, apud homines quidē fateor, infamis, et ingloria, ſed hæc mihi ſit duntaxat apud* Deum *gloria, illibatæ conſcientiæ teſtimonium:* Vix iſthęc mulier: cū ſacerdos præferuidus ſuis mœſtā verbis ſolari aggreſſus: *Bono* (inquit) *animo ſis ò mulier, ſuos enim* Deus *in tribulationibus probat, non derelinquit. & quamtumuis inter has rerum anguſtias deprehenſa, Suſānam mulierum caſtiſſimam memento, quæ hominum iudicio, adulterij probro incuſata ſuæ Deum extemplò iudicem, ac vindicem pudicitiæ ſortita eſt, vtpotè, quæ magis adulterij conſcientiam, quā pœnam exhorruerat: Deum & ego* (inquit mulier) *meæ vtique teſtē innocentiæ volo. Vnum tamen hactenùs deprecabar, ne ſacramentali ritu inexpiata (quod mihi maximè ſub horam hanc in votis ſemper fuit) é vita abirē, at votī iā compos effecta, volens, lubens morior.* His dictis pudica, ac ſibi benè conſtans mulier, leuiores animi labes pręuiis ſingultibus, intimoq; animi, angore abſtergere cœpit, adeò vt ſuo ſacerdotem exemplo, ac verbis in lacrymas, in ſingultus non tam inuitaret, quam compelleret: Expiatis aurem culpis, cuncta iſthæc, tragicamque ſubindè rerum ſeriem ediſſerēs illi narrauit; Quod nimirùm, dū ſibi pudicitiæ decus apprimè cordi eſſet, mulierculam, quæ in domum ſuam ventitabat, amouendam curauerat, vtpotè, quæ libero, plusquàm par eſt, ore vtilitatem honeſtati præferret, ac Dei timorem nil aut parū curaret. Quamobrem muliercula ob lucri iacturam, liuore percita totam ſe ad calumnias conſarcinandas dederat, adeò vt plura in ſe apud maritum dedecorum probra callidè cōmenta, ſuis hunc facilè obſequentem dictis habuerit; Ex quo ipſa in apertum diſcrimen adducta, iàm ſupremis labiis cum morte conflictabat.

Calumnia innumera mala gignit.

Teſtem pudicitiæ Deū implorat.

Auguſt. in ſermo.

Intimis animi doloribus leuiores culpas ſacerdoti in confeſſione patefacit.

Obſtupuit vir Dei, ſuprà quam dici poteſt ad inuſitatā virilis animi in fœmina conſtantiam, diuinumque vel deſperatis auxilium rebus neutiquàm defuturum coniectabat. Fœminam igitur ſacramentali ritu expiatam bono animo eſſe iubens: *Memor* (inquit) *eſto prophetici illius oraculi: Quoniam non eſt confuſio confidētibus in te Domine.* Suſannæ item exemplo alacriter roborauit, quæ ex eo potiſſimùm Dei miſericordiam conſequuta legitur; *Quia erat cor eius ſperans in Domino. Quis enim* (aiebat ille) *vnquàm ſperauit in Domino, & confuſus eſt?* Multa quidē, & id genus alia pius vir dixit, quo mulieris in Deum cor erigeret: Et iàm

Muliercula calumniis alieni honeſtati inſidias parat.

Daniel. 3. 41

Daniel. 13. 53

Eccleſ. 2. 11.

iam ipſa monitis ſaluberrimè inſtructa, poſtquàm rem totam, dolos retegendo enuntiauit, ſuis aduerſa peccatis adſcribens; vt cunctis ſe ritè culpis releuatam vidit, id vnum ſub finem obteſtata eſt; vt ſe mortua, rem totam, vti acceperat in ſui teſtimonium pudoris, atque innocentiæ cui vellet, liberè promulgaret: Quibus dictis vir Dei ſacroſanctâ Chriſti è Cruce pendentis, quam deferebat, imaginem, fœminæ adorandam obiecit, illiſque interpellans verbis admonuit: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector meus à quo trepidabo?* Igitur ſpem omnem ſuã in Deo collocãdã edixit, quẽ ad futurũ è cœlo periclitanti propitium aſſeruit: Interim apud virum ſe eius cauſam tota animi contentione acturum, futurumq; vt Deus innoxiam ſeruet, ac calumniatores vlciſcatur, aiebat.

Pſal. 26. 1. Sacerdos mulierem ad Dei opem ſperandam erigit.

8. His peractis ad cubiculi ianuã accurrit, vbi Maritus ſecũ cogitabũdus, anxiuſque animo inhærebat, & reſeratis mox foribus: *Heus tu ò Pater, quid* (inquit) *hic vltrà moraris? poſtquã confeſſione peracta, ſalutis negotio, ac mulieris factum eſt deſiderio ſatis. Abi felix, & Deus te proſperè in viam ducat. Cui alter: Abeo iam* (inquit) *ſed priuſquã abeam, paucis duntaxat te vir optime volo; Ergò* (exclamat protinùs) *non te pudet virum prudentem, ac nobilem muliercularum nugis, & cantilenarum è triuio ſuſurris aures præbere, adeoque, vbi grauiſſima, maximaque res agitur, in præceps ire? Ita ne honeſtati, innocentiæ, exiſtimationi demum tuæ, tuorumque conſultum putas? Siquidem, vt video mortalium infeliciſſime, dæmone prorsùs inſtigante, immane nefas animo meditaris, & graui inſuper crimine conſcientiam oneras.* Ad hæc verba vir paululum ſubſtitit, ſed iram coquẽs, ſuique impotens iam properabat in ſanguinem, flecti ad miſericordiam neſcius. Quem his iterũ ſacerdos verbis alloqui cœpit: *Noli, noli quæſo, vir optime, præceps adeò ad vltionẽ, ad carnificinã currere. Immane eſt (horretqi animus) quod nunc aggrederis, & cuius re peracta, dolor, ac memoria te, quoad vixeris, carnificis ad inſtar inuadet, excruciabitque, & quod ſemel perperam feceris, exinde perpetuò te feciſſe pigebit.* At ille furore plenus, & ſui vix compos ſubdit. *Lubens, libenſq; quod læſus à me honor exigit, facio. Vt quid enim moræ? quid trutina? quid verbis deniq; opus eſt, vbi res ipſæ ſatis per ſe loquũtur? teſtem profectò domeſticum certũ, oculatũq; pro me habeo: errare neutiquã, nec capere in arena conſilium re iã certa poſſim; iuſtiſſimæ igitur quantocyùs vindictæ locus eſto.* His haud ceſſit ſacerdos, ſed validioribus verbis inſtando: *Necte quæſo,* (inquit) *necte adhuc morulam dum cæcus te furor, vt video, ſic præcipitem agit: impoſturam quippè, calumniamque innocenti vxori factã probe ſcio, teque ab improba vna mulierculorum dolis circumuẽtum per Deum obteſtor.* Et hæc dicens, Sacram Chriſti Redemptoris cruci affixi imaginem ei ob oculos proponens: ob Chriſti Domini amorem obſecrat, vt obiecti teſtem criminis proferat: *Profero, & quidem libenter* (reſpondet ille) *ſagacem pro me fœminam, quæ prauas vxoris meæ tecnas fraudeſque optimè callet, ſatis mihi hæc nota, & pro mille teſtibus eſt, de eius fide nil ambigo; atqui vxor velit, nolit, mox pœnas dabit.* Quid plura? exarſit ille, & iã ibat, cũ Capuccinus genibus ſupplex aduolutus horæ dũtaxat ſpatium, ad veritatẽ enucleãdã intimis obteſtãdo precibus expreſsit ab inuito quamlibet, ac diu pertinaciſsimè rẽpugnãte.

Nullis rationibus, argumentisq; ab vltione retrahitur.

Abſterretur ab impio facinore.

Homo tardus debet eſſe ad iram vltionemq; ne pœniteat.

Inflexibilis animus

Igitur

Proditur demum detractricis nomen

9. Igitur vir Dei vbi calumniatricis nomen comperit, dicto citiùs proximum in pagum illam allocuturus conuolat, quam cū prompta denique manu deprehendiſſet, ingenti ſpiritu præſentem his verbis aggreditur: *Heus tu mulierum infeliciſſima, & Orco quantocyùs deuoluenda, quid rerum in præſens agis? Nec te vlla impendentium, & quorū tu cauſa extitiſti, malorum cura remordet?* Quibus auditis vaſerrima mulier: *Et quorsū iſthæc mihi ò Pater? Meritò, meritò, inquam* (ſubit ille) *quoniam tu maledico, ac peſtifero ore alienæ notam pudicitiæ inurens, manifeſtam innocentiæ calumniam impegiſti? adeò vt ex parua ſcintillula in alterius domo maxima te inſufflante incēdia excitata ſint, igne, ferroque, & ſuſque, deq; cuncta miſcenda ſint; id verò haud tibi impunè: iā enim tuo vltionis gladius capiti impendet. Es tu ne illa; quæ Comitiſſam, caſtimonia, ac nobilitate inter fœminas præcipuam peſſimo contumeliarum genere apud virum affeciſti? adeoq; iàm iàm ferro perimenda, totaque ampliſſima domus irreparabili, te inſtigante, (proh ſcelus) ruinæ ſubiacet. Sed innocentia haud vnquam dolis ſuccumbere nouit, iuſtaque in tuū duntaxat caput vltio recidet.*

Ad eam ſacerdos prouolat & de crimine commiſso arguit.

10. Hęc dixit: Cum Comes breuiori ſemitæ inſiſtens, ſacerdotemque à tergo inſequutus aderat, curioſiſq; poſt parietem, cuncta tā quæ agebantur, quā quæ dicebantur, oculis, auribuſque anxius explorabat: At mulier, quæ odiorū liuore percita egregiam alteri calumniā impegerat, Dei nutu, totam rei ſtrophem, vt ſe perderet, vel nolens prodidit. Ergò illa iſthæc petulanti ore effatur: *Benè, benè,* (inquit) *ſe res habet, vt & mihi iamdiù in votis fuit, vt Comitiſſa infamia apud cunctos labe notetur, ſuoque ſit viro exoſa.* Cui ſacerdos: *Atqui non tu ipſamet pudicos, illibatoſque fœminæ mores, omnimodamque laudabilis vitæ rationē probè noſti? Probè vtique ſcio* (reſpondit) *probè inquam ſcio; Vt quid ergò* (ſubdit ille) *immani conſciētiam piaculo aggrauas? Nec vllus te iniquè actorum ſcrupulus tenet?* Cui mulier: *eſto vt dicis, Comitiſſa innocens ſit, eſto illibatis ſit moribus: eſto eius pudicitia in præſens calumniā patiatur, At ego enormiter læſa, etſi alieno damno emēriri iam probè didici, quibus enim infenſa ſum, modis quibus valeo exagitare, perdere non vereor: Vt quid illa me ſua è domo amouit, atque extorrem fecit? vt quid vberi inde prouentu priuauit? Infeſto in eam animo ſum, læſis grata ſemper, expetitaque vltio adeſt: Ipſa viderit, dum meo nunc ſatis liuori fiat, habeat maritum infenſum; habeat ſibi implacabiliter iratum, quid ad me? Mentitam profectò in æmulae caput me fuiſſe haud pudet, haud piget.*

Fatetur illa calumniam nec reſipiſcit.

Triumphat de ſtructo innocenti periculo.

11. Iſthæc ore perfido mulier euomuerat, & Comitiſſæ maritus è viciniore loco arrectis cuncta auribus aſſequutus, ira protinus in calumniatricem exarſit, plumbeamque è Piſtorienſi ſclopo glandem in petulantis caput excutere adniſus, vbi nitratus puluis ignem, tot inter ignes refugiſſet, æneam, quam manu tenebat, fiſtulā, validè in caput malè ſanum intorquens, ſua inter verba delirantem primoque duntaxat ictu mulierculam humi alliſam confecit. Ad tam funeſtum ſacerdos ſpectaculum exhorruit, & non ſecus, ac par erat indoluit, Comitemque extemplò his verbis alloquutus ait: *Ignoſcat tibi Deus (vir inclyte) fœminae namque huic tū corporis, tu animę vitam ademiſti; ſed gratias Deo immortales, quod iſtius ore te audiente coniugis innocentia, pudicitia laudata, comprobata eſt, vt animaduertas, quod ſtultè in caput*

Haurit cuncta ſuis auribus comes antea deceptus.

inno-

Digitized by Google

innoxium paulò ante furebas, dum innocẽti, imò innocẽtiæ ipſi vim inferre parabas. Sed in perditum, vt videre eſt, caput mucro recidit; perijt mulier, quæ dolos inſtruxerat, & caſta coniux Deo protegente ſalua eſt; Quamobrem haud caſu ego ad cauſã innocentis huc inſcius patrocinandam adueni. Hæc, aliaque dixit; at Comes animo, viribuſque deſtitutus, altiùs corde ingemiſcens, eiulanſque: *Heu me miſerum!* (inquit) *heu me infelicem! immanè à ſubdola fœmina deceptus ſum, perdite me hactenus geſſi, dum fidiſſimæ coniugis pudori, prauis aurem adhibendo ſuſurris acerbiſſimam intuli contumeliam. Inſontem quippè inaudita cauſa iudicio ream pronunciaueram, & ni Deus conatibus obſtitiſſet, iam cruore manus reſperſeram, grauique conſcientiam piaculo contaminaueram. Ah fraudulenta hominum iudicia! Ah dolos! Ah fraudes! ſed quid hic moramur? ad dilectiſſimæ, ac pudiciſſimæ coniugis conſpectum veniam deprecaturus, & non iam ipſam, ſed reum me, cum apud* Deum, *tùm apud ipsammet conteſtaturus conuolabo.* Vidiſſes interim virũ morarum præ animi angore impatientem, æſtuantẽ non tam progredi, ſed inſanientis, furentiſque in morem ruere: hærebat lateri eius ſacerdos, & cum totius ſtropham hiſtoriæ retexeret, ambo metu perculſi in villam, è qua pridem digreſsi fuerant, celeri gradu perueniunt. Inſolitus hic per ima cucurrit oſſa tremor, cùm vir anguſtias, in quas innocentem vxorem coniecerat, eiuſdem oculos ſubiturus ſecum animo voluit; Reducitur interim ad ipſius aduẽtum oſtii peſſulum, ac cubiculi foribus Comitis manu reſeratis, dum introeuntium pedibus cubiculum obſtrepit, caſta mulier poſt longas, quas tota interim Deo intẽta moras traxerat, carnificinæ iam tempus aduenisſe putabat. Expalluitq; obriguitque ad viri non ſecus, ac ad hoſtis gladium iã manu vibrãtis aſpectum mulier, ſed mutatis, Deique nutu rebus in meliora conuerſis, qui inſenſus receſſerat, iã mitis placatusq; redibat, effectuſq; ex lupo agnus, iam non ferus, ſed totus mitis, & ſupplex aderat; procumbit igitur ante ipſam in genua, ac ſe reum, ſe infidum, nimiſque credulum, ac eius tùm famæ, tùm vitæ proditorem obteſtatus exclamat:

Calumniæ pœna in reã conuerſa.

Vir pudicæ vxori conciliatus.

Exorbitans rerum in irato homine fruente que mutatio

Ah me (inquit) *hominum perditiſſimum! Proh dolor! ad quid tandem mortalium infeliciſſimus deueni?* Hæc ille, anhelus, nec plura præcluſis faucibus; cum ſtatim deliquium animi paſſus in terrã exanimis eius ob oculos cecidit: Quid vero interim tragicos inter rerũ euentus mulier ageret, vbi ſe iã è mortis faucibus ſingulari, ac præſentaneo Dei beneficio ereptam, ſuæque conſultũ taliter pudicitiæ videt, ad viri deliquiũ ipſamet repentè exanimis reddita, ſuper virum iacentem inter manus delabitur; Vterque igitur coniux tàm doloris, quàm metus, ac deliquii conſors, ad mortis imaginem, nedum imperium immobilis humi hærebat. Accurrunt, exclamant qui aderant, & validiora, quæque remedia admouent, venarũ pulſus explorant, aceto ora reſpergunt, pauidique omnes rei exitum præſtolantur. Mulier haud multò poſt remediorum vim ſenſit, & ad ſe rediẽs propè reuixit, ac inter adſtãtiũ manus ſoſpes, ac vegeta priſtinis officiis reddita eſt. At vir, vtpotè lucis beneficio indignus, qui mulierculæ dictis aures adhibuerat, alienãq; vitã, ac bonã famæ exiſtimationẽ, in apertũ diſcrimen his modis induxerat, iuuari, ac ſuperſtes effici neutiquã potuit; ſed caſum, ſoporemque morti

Repentina rerum conuerſio vtriq; deliquium infert.

Mulier innocens conualeſcit.

ſocia-

ſociauit; hæc ſuprema tragicæ totius rei periodus. Porrò quod magis, magiſque deplorandum, haud Eccleſiæ ſacramentis miſer iſte ſub extremum vitę terminum iuſto Dei iudicio releuatus eſt. Deus enim hoc vno præ ceteris exemplo, viri nimiū calumniis aures adhibentis temeritatem condigno ſupplicio, illibatamq; mulieris innocētiam portēto teſtatā, ſed non inultam voluit. At viro fatis infeliciter functo, ad mulierem è mortis rediuiuam faucibus, ſi libet reuertamur.

Mira Dei cōſilia in coniugis innocentia vindicanda.

12. Innocens itaq; mulier, cùm inter multiplices rerum ambages à religioſo viro, quę petulāti diuinitùs mulierculæ acciderant, cōperiſſet, inſcrutabilia Dei cōſilia altius demirata, gratias, quas potuit, maximas referēs: *Iudicia* (inquit) *tua abyſſus multa. Dominus mortificat, et viuificat deducit ad inferos, & reducit. Me quidē, vt quod verū eſt, fatear, ad portas dudum mortis deduxit, & indè in vitam nouo beneficio reuocauit*) Ad ſacerdotē vero, cuius ope tot ſalua è malis emerſerat conuerſa: *Et tibi* (inquit) *ò Pater vitam, ac pluſquam me ipſam debeo, teq; pudicitiæ teſtem, aſſertorem, ac vindicē teneo; Quas igitur tibi gratias, ne ingrata videar, perſoluam: tibi inquam, qui me infelicem morti addictā, vitæ adhuc ſuperſtitem tuis verbis, conſilijs tuis, ac precibus feciſti, vehementiuſque maritū ferocientē, mitem veluti agnū meis pedibus aduoluiſti. Te quidem non ſecus, ac Danielem iure merito ad præſens contemplor, ac ſuſpicio, quem ad tuendam, propugnandamque conflictantem cum morte mulierem huc profectò Dei Angelus adduxit. Per te demum poſt paris procellas ad ſalutis portum appuli; quapropter deprecor, vt Deus tibi quoque perpetuò propitius adſit.*

Pſal. 35. 7.

1. Regum. 2.

Nouæ Suſannę Daniel nouus non deſuit.

13. Hæc mulier cum laicus Capuccini ſociùs, quæ oculis viderat, mente attonitus recolens, prouidamque Dei ſapiēntiam admiratus, & ſi non his verbis, aiebat. *Verè Deus attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Mira quidem ſunt, quæ loquor, & ſtupenda prorsùs, quæ hodiè vidimus: naturæ ordinem ſuperāt, quæ hic hactenùs acciderunt.* Et ſacerdotem ſociū alloquens ait: *Importunam (tu pater) dum iter agebamus, ſitim faucibus obrepſiſſe cauſabaris; Vt quid enim* (aiebas) *vbi in menſa vinum abundè ſuppetebat, totum ſine potu prandium exegiſti? pomeridianis autem horis Tantalica de ambulantē ſitis inuaſit? Atqui non caſu, ſed vt video, res Dei nutu agebatur, vt nimirùm è via, quam terebamus, pedem contrahētes, dum ego fontem anxiùs perquiro, hanc Dei famulam, quæ Ioſephi ad inſtar, calumniantium fraudibus circumuenta in puteum inciderat, vel neſcientes extraheremus incolumem.* Demū ſacerdos iſthæc addidit: *Ità planè eſt: laudemus igitur vnanimes Dominum, quia vidimus mirabilia hodiè: A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris; Ipſe profectò nolentes, neſciētes nos huc ad te ò mulierum inclita perduxit, ipſe (inquam) qui dixit: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui ſuo inſontes patrocinio fouet, periclitanti non defuit, calumnianti inſuper vitam abrūpens ſubitam, inopinamque viro nimiū credulo pœnam inflixit. Sub eius ergò tutelari vexillo ſecura poſt hac mulier, ac felix viuas: Ipſe enim eſt, qui facit vētis pondus; Et quoniam non in finē obliuio erit pauperis, miſericors pauperū non obliuiſcitur vſq; in finē. Memento quoad vixeris (vt olim Iſraelitis Moyſes inſonuit) huius diei, in quo è tenebris, ipſoque è mortis ſinu ſalua, atque incolumis emerſiſti, ac Deo pro eiuſcemodi gratia te grtam perpetuò exhibe.* His dictis

Sap. 8. 1

Quæ fortuita erāt viſa ex arcano diuino conſilio fluxiſſe agnoſcuntur

Matt. 5. 26.

Pſ. 117. 23.

Prou. 24. 11.

Iob. c. 28. Pſal. 9. 19.

Ca-

Digitized by Google

Capuccini fratres è loco abeunt, interpolatumque iter, cuncta quæ oculis viderant, animo recolentes proſequuntur.

14. En quàm infauſto calúniantes, ſuſurronesq; perditi exitu diem claudunt: hi videlicet, qui alienæ famæ per ſcelus notam inurunt, qui diſcordiarũ rixas, doloſque ingerunt, ac mutuæ charitatis iura infringunt: Morte vtique peſsima abrepti iuſtas Numini pœnas exoluunt. At vir cuius hic meminimus, an ſub mortem, vt par eſt, reſipuerit, incompertum nobis ipſemet Deus reliquit; illud tamen ex facto ſatis, ſuperque ipſius Pſalmiſtæ oraculo innotuit: *Quia iudicia Dei abyſſus multa*; Et hæc piis vtpotè curioſiſque auribus digna, etſi prolixiori ſermone, retexere, ac meminiſſe voluimus. Iam verò à caſtæ mulieris hiſtoria expediti, à pulcro caſtitatis exemplo, ad caſtitatis violatores ſtylum conuertimus.

Calumniarũ triſtis exitus.

Pſal. 35.7

CAP. V.
Caſtitatis votum violantes.

1 CAſtitas, quæ nobile ſortita elogium, virtutum proindè regina Petri Damiani ore nunçupata eſt, ſuum à caſtigando nomen deriuat. *Per rationem enim* (vt doctor inquit Angelicus) *concupiſcentia caſtigatur, quæ ad modum pueri refrænanda eſt*. Si verò poſtquam hæc nobilis virtus Deo ſemel voto dicata eſt, non iugiter illibata ſeruetur, iuſtam, ſeueramque ex legibus hominibus effrænis licentiæ pœnam, condignaque ſuo ex nomine violatoribus ſupplicia portendit. Qui enim ſingulari Dei beneficio, ſacroſãcti altaris miniſterio (quo nullum eſt dignius) addicti ſũt, ſi non ea, qua par eſt, animi puritate, ac virtutum merito præfulgent; grauiorem indè diuinitatis offenſam, atque acerbiorem pro reatu pœnam contrahunt, vnde non abſque ingẽti, tũ beneficii, tũ muneris prærogatiua, maiora quæque ſibi, cœteriſq; diuinorum chariſmatum dona mereri potuiſſe videbantur. Quamobrẽ Deus de ſuis olim ſacerdotibus ad Moyſen loquutus, precauenſque: *Sancti erunt* (inquit) *Deo ſuo, & non polluent nomen eius &c. Sint ergo ſancti quia ego ſanctus ſum.* Iuſto quippè iudicio haud condignis præditos moribus miniſtros à rerum diuinarũ commercio, ſacriſque altaribus ablegandos, pœniſque acerbioribus expetendos, non obſcuris diuinitùs verbis prænunciatum eſt. Quod ſanè Ambroſius, dum deperditos Sacerdotum mores lamẽtabundus recolit, amarulentis lacrymis hunc in modum proſequitur: *Qui debuerant* (inquit) *eſſe Vicarij Apoſtolorum, & filij Petri, facti ſunt ſocij Iudæ, & præambuli Antichriſti*. Qui verò nõ iã cũ Apoſtolo, ſed cum Chriſti proditore, in ipſius Chriſti, diuinorumque Sacramentorum contumeliam fedus iniiſſe comprobantur, proditoris quoque ſupplicio, illi vtpote reatu pares, copulãtur. Ad quod euincẽdum horrendus presbyteri cuiuſdam carnalibus illecebris fœdi deceſſus, ex eccleſiaſticis tabulis, Petro Damiano ediſſerente contemplandus obijcitur his planè verbis:

Philoſ. 3. Ethic. c. vlt.
Petr. Dam. epiſt. ad Adelaidem.
S. *Th. 2. 2. q. 151. ar. 1. in c. corp.*

Sanctimonia ſacerdotum gemma & ornamentũ.
Exod. c. 16
Luit. 21. 6 8

Ambroſ. in ſerm.

Baron. ann. 1065. n. 1. & ſeq.

2 *Alio quoq;* (inquit) *tempore, cùm Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes clericos Romæ, qui poſt interdictũ Papæ Leonis incontinentes extiterant, de Conuentu Clericorum, & Choro Eccleſiæ præcepiſſet*

Pet. Damian ad Epiſcop. Taurinenſẽ.
Interdicti ſacris concubinarii à Leone Papa.

 exire

exire, vt quanquàm relictis fœminis, per pœnitentiæ ſe lamenta corrigerent, tamen quia Sancto viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ miſſæ licentiam de cætero ſperarent. Quibus præmiſſis tragicam presbyteri, qui caſtitatem proculcarat, hiſtoriam ſubtexit.

Canonicus concubinarius repentina morte extinctus.

Iuxta Canonicam B. Cæciliæ trans Tyberim conſtitutam presbyter habitabat, qui nec fœminam quieſcebat vllo modo abijcere, nec vnquàm poterat hæc ſtatuta, niſi vana prorsùs, & friuola iudicare. Quadam itaq; die dùm incolumis, vegetus, ac robuſtus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum ſe in lecto compoſuit: Sed repentina diuinæ vltionis animaduerſione percuſſus, mane repertum eſt cadauer exanime. Illicò præfatæ Canonicæ religiones, certè Conuentus duos ad me Clericos direxerunt, quid tali deberent mortuo conſulentes. Nos, ſi rem rectè tenemus, conſilium dedimus, vt eum quidèm quià presbyter fuerat, penes Eccleſiam ſepelirent; ſed nullum ei vel hymnorum vel Pſalmodiæ officium redderent, quatenus, & inceſtis terror accreſceret, & Caſtitatis gloria germinantiùs pullularet; & certè dignum videretur, vt mortuus (iuxta Prophetam) ſepulturam poſſideat aſini, qui dum viueret humana contempſit lege conſtringi. Hæc Petrus Damianus tunc, quæ modo narramus, Romæ conſcribens: Ex quibus Clerici contrà ſacrorum præſcripta canonum laſciuientis licentiam, diuino calculo prænotatam videre eſt; qui enim pontificijs parere imperijs detrectauerat, diuinis expetitus verberibus, ac ſubitò ſublatus interitu, tremendi illius vocem oraculi mortales admonuit. *Clamaui, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Infelix igitur luxuria diſtentus à ſacrario in ſterquilinium, & à ſacris altaribus in Orcum, alijs futurus exemplo proiectus eſt. Sed quam acriter contra exleges clericos, caſtitatis violatores Petrus Damianus, tùm verbo, tum ſcriptis inſtiterit, ipſimet Annales Eccleſiaſtici, vt infra patebit, locupletiſſimi teſtes ſunt.

Horrenda in peccatores diuina ſubſannatio.

Prouer. 1. 26.

Baron. ann. 1065 nu. 1. & ſequent.

3. Et Clericos quidem, qui Altari deſeruiunt, vitæ innocentia, ac morum puritate cæteris antecellere par eſt, vt diuina oracula ſapienter inculcant: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* & quod alibi ſacris in paginis Pſalmiſtæ ore decantatum eſt: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent.* Pollutis quippè manibus ſacra altaris miniſteria obeuntes, diuinaſque res indigne contrectantes, haud tritis, vulgaribuſque tandem ſuppliciis expetuntur: Quapropter vbi iàm Pontificij Canones, clericis, presbyteriſque ab obſcænarum voluptatũ cõmercio abſterrendis non ſufficerent, portentis quoq; è cælo, vt vidimus, Deus abſterrendos curauit: vt Petrus Damianus diſerte in rem præſentẽ teſtatur, qui in Concilio, quod Romæ ſub Stephano Papa celebrari contigit, præcipuum in concubinarios Clericos canonem ſancitum fuiſſe affirmat, dũ aduerſus impuros, profanoſque eiuſcemodi homines altaris miniſterio mancipatos, ad Taurinenſem Epiſcopum ſcribens, lugubrem impudice vitam agentis hiſtoriam refert, Verùm quoniàm à Petro Damiano vir plane ſacrilegus, eccleſiaſticis legibus contumax extitiſſe deſcribitur, nonnulla hic, vel obiter, quæ ad rem faciunt, ſuggerere non ab re viſum eſt:

Iſaia 52. 11.

Pſal. 131. Cõmendata clero pudicitia.

Quam ſollicite caſtitas in clericis deſiderata.

4. Ad coercendam quippe, vt ex eccleſiaſticis annalibus conſtat, exlegem Clericorum licentiam, ac vitæ tur-

Baronius tom. 11. an. 1100. num. 24.

tæ turpitudinem proſcribendam, ſacroſanctæ haud ſemel ſancitis canonibus ſynodi inſtitère, quod & in Gallijs præſertim in Pictauienſi Cócilio eiuſcemodi ſancita lege præſtitum fuit: *Vt nullus videlicet* Presby*ter Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habeat, ſed nec aliam fœminam, vndè magna ſuſpicio habeatur, in vna domo ſecum teneat. Et quicunq; huiuſmodi Sacerdotis concubinarij, ſiuè per pecuniam ordinati miſſam ſcientes audierint, excomunicationi ſubiacère debeant.* Huius autem ſynodicæ ſanctionis contemptus apud eamdem Prouinciam, imò in eadem Pictauienſi diœceſi in presbytero, qui eiuſdem nefario auſu contèmptor extiterat, certo diuinæ vltionis calculo prænotari meruit: Presbyter enim, qui obſcenis voluptatibus vacabat, infelici exitu abreptus, perpetuæ cenſuram damnationis incurrit; rem autem geſtam Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis, inſignis rerum eius temporis ſcriptor his verbis exequitur:

Cohabitatio cum muliere vetita Sacerdoti.

Concilii Pictauienſis Cap. vt Iuo epiſt. ad Rodulphum Rhemens. Epiſcopum.

Petrus venerab. lib. 1. miracul. cap. 25.

Horrenda in impudicum Sacerdotem vltio Dei.

5 *Apud Caſtrum Liziniacū, quod in* Pictauienſi *pago ſitum eſt, nuper quidam* Presbyter *erat, qui* Sacerdotalis *ordinis ſuper cæleſtem dignitatem, miſerrim vitæ conuerſatione deturpatus, non ad animarum, quibus præerat curam, ſed ad carnis ſuæ voluptatem explendam, ſacro miniſterio vtebatur. Qui iuxtà* Prophetam, *lac gregis ſui comedens, & eius ſe lanis operiens, abſq; ulla ſpe æternorum, mercedibus mercenarij auidiſſimè paſcebatur, mundiſſimam atq; omnia mundantem* Chriſti *carnem, & ſanguinem in altaris Sacramento frequenter officio, non deuotione ſumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus ſeſe cohibebat. Cùmque vt ſus immunda multo tempore in cœno luxuriæ verſaretur, & ſui ipſius fœtoribus delectaretur: territus conſcientiæ malo (ſicut aliquando, & mali ad horam compunguntur) familiaritatem quorumdam bonorum virorum expetijt: & Abbati Bonæ vallis, ac fratribus eiuſdem Monaſterij ſeſe in amicitiam ſpecie tenus copulauit. Qui longo tempore de vitæ emendatione commonentes, & vt ſèculo renunciaret aſſidue exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem ſpem aliquando potuerunt. Nam libenter quæ dicebant, audire ſe fingens, & ſemper eos de conuerſione ſuſpendens, de ſocietate ſanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione, vel exemplis eorū à malis retrahebatur. In his, atq; alijs perditæ, atq; perdendæ vitæ ſuæ actibus perdurans, & obſtinatione impia, iram ſibi in die iræ theſaurizans, in morbum incidit, quo poſt aliquot dies ingraueſcente, ad extrema peruenit. Adierat eum viſitationis gratia* Prior *iam dicti Monaſterij, atq; cum eo per aliquantum diei ſpatium ipſo quoq; rogante permanſerat.* Quid enim iniquis hominibus, niſi ad iudicium bonorum ſocietas, ac contubernium confert? *Grauioris quippe culpae eſt* (Gregorius ait) *inter bonos bonum non eſſe.* Exemplis enim vnuſquiſq; magis quàm verbis, vt tum apud Deum, tum apud homines inexcuſabilis omnino ſit, inſtāter cōpelli, nedū magis ad virtutem prouocari videtur. Ita planè, qui vitioſam inter Dei ſeruos vitam nullo fructu agebat, condignas Dei tandem iudicio expetitus pœnas exoluit: hæc enim ibi poſt multa:

Inani reſipiſcētię ſpe diu religioſos lactauerat.

Grauiſſima culpa eſt inter bonos bonum non eſſe.

Gregor. in libris moraliū.

6. *Cum ecce poſt multum noctis ſpatium homo ad ſe rediјt, & miſerabiliter ingemiſcens ait: ah ah! ad iudicium æternum raptus ſum, & heu miſer æterna morte dàmnatus ſum. traditus ſum horrendis tortoribus, igni inextinguibili cum diabolo, & angelis eius perpetuo cruciandus. Ecce, ecce ignita*

Petrus Venerabilis vbi ſupra.

Damnatum ſe æterna morte refert.

ſartago plena bullienti adipe; quã coram me tormentorum miniſtri detulerunt, eamque ad me frigendum, vndique ſuccenderunt. Et iuſta plane voluptuoſo homini merces: *Qui enim carnis voluptatibus* (vt Baronius ait) *ſuccendente libidinis igne carnis concupiſcentiam*, Deum *offenderat, iuſte ei ſuccenſa igne adipe cruciandum fore per viſum oſtenſum eſt*. Sed auctor iſthæc ſubtexit: *Et cũ Prior orationi, ſicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuiſſet, ille ait: Ceſſa, ceſſa pro me orare: nec pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenùs exaudieris*: Priore verò dicente: *Frater redi ad cor, & miſericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require: ille adiecit: Putas (ait) me inſanum loqui? non inſanio, ſed ſana mente quæ dixi cõfirmo*. Et poſt multa de ſcintillula ignis trãſmiſſa, qua Prioris manus exarſit hæc habet. *Et mirabile dictu, cutem, & carnem, vſque ad intima oſſis conſumpſit. Tũ ille ait cum gemitu: En, inquit, indubia rei probatio: nam ſicut iſta, quam vides, de ſartagine prolapſa gutta, carnis partem conſumpſit, ſic confeſtim totum me ignea vorago conſumet; Priore ad iſta ſtupente, iterũ dixit: Ecce ſartaginem iſtam miniſtri infernales pro piùs afferunt, vt me in illam inijciant, iã namque manus adaptant. Et poſt modicum. Ecce linteum, in quo iaceo vndique concurrentes accipiunt; & me in ignitam ſartaginem æternam frixurã proijciunt; hoc velut vltimum Vale mox vt Priori, atque his, qui ad hoc horrendum ſpectaculum conuenerant, dixit: ſubtracta voce, & reflexa ceruice, puniendum ſpiritum condemnatis ſpiritibus tradidit. Tantus verò tremor omnes inuaſit, vt illicò vniuerſi aufugerent, neque aliqui in domo, vbi cadauer mortis remanſerat, remanere auderent; Facto mane miſerum cadauer ſepulturæ mandatum eſt.*

Baron. tom. 11. vbi ſup. Orari pro ſe Deum vetat.

Animam miſere efflat.

7. *Poſt aliquot autem dies, cũ ad vniuerſos circà poſitos hæc tã terribilis fama perueniſſet rei, veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque foueam illam, quã in manu adhuc viuentis Presbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt*. Hæc Petrus, & alia de horrendo memorati hactenùs portẽti viſu, ac diuina in Presbyterum laſciuientem vltione, de qua illud prophetice decantatum eſt: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*. Pſal. 10. n. 7.

Et iuſtã quidẽ perditus presbyter diuino calculo proſcriptus pœnam ſubiit, qui prophanum, quo æſtuabat, luxuriæ ignem ad altare Chriſti ſecum deferre nil veritus, impuriſque manibus ſacroſanctum miniſterium, vſurpans, gehennæ tandem ignibus non iam expurgandus, ſed perpetuò excruciandus addici meruit; & vt cunctis reprobi vnius exẽplum prodeſſet, portentoſum, ad quod rapiebatur, incendium, ipſius antequam decederet, manu exploratum eſt, adeo vt in ipſius ſubindè carnibus tumulo illatis, patentiſſima ęternorum igniũ veſtigia cœteris documẽto futura remanerẽt. *Quæ omnia* (inquit Petrus) *ſecũdũ quod B. Gregorius ait, nullo modò propter ſe infelix Presbyter vidit, cui nihil viſio iſta profuit; ſed quanta cautela ſacerdotale officium adminiſtrãdũ, quã reuerenter diuina myſteria tractãda ſuperna per eũ diſpoſitio monſtrauit*. Et hæc quidem tunc potiſsimùm tẽporis contigiſſe comprobatur, cùm in turpibus ſacrorum miniſtrorum moribus nefanda Nicolaitarum hæreſis blandè ſerpens inualuiſſet. Ad quam radicitus euellendam, cum Apoſtolicæ cenſuræ gladius, haud ſufficeret, ſemel atque iterùm ſanctos pa-

Iuſtũ impuri hominis ſupplicium.

Petrus Venerabilis vbi ſup.

Graſſabatur tum in ſacerdotali ordine fœda luxuries.

Digitized by Google

patres in delinquentes vehemẽtius inſiſtere, ac ſacros inſuper canones ad demetendos ex dominica area zizaniorum manipulos innouari contigit. Et ſanè Petrus Damianus ſacrorum Conciliorum veſtigiis inhærens, nefandas hominum Eccleſiæ inſeruientium turpitudines acri ſtylo iã antè inſectatus, de Epiſcopis, ac presbyteris hoc planè ſæculo corruptiſſimis ſermonem texit, in quos meritò ſtylum torquens, hæc ipſe, quæ hic vel obiter ſuggerimus, in libello, quem Nicolao Pontifici Maximo aduersùs impudicos inſcripſit, his verbis: *Nuper habens cùm nonnullis Epiſcopis ex ueſtræ maieſtatis auctoritate colloquium: ſanctis eorum ſemoribus volui ſeras apponere. Tentaui genitalibus ſacerdotum (ut ita loquar) continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc ſecta eſt, cui ab omnibus contradicitur, aliud quidem quodcumque veſtræ conſtitutionis imperium ſub ſpe proficiendi fidenter indicimus. Huius tamen capituli nudam ſaltem promiſſionem, tremulis prolatam labijs difficiliùs extorquemus. Primum quia faſtigium caſtitatis attingere ſe poſſe deſperant: deindè quia ſynodali ſe plectendos eſſe ſententia propter luxuriæ vitium non formidant: Noſtris quidem temporibus gemina quodammodò Romanæ Eccleſiæ conſuetudo ſeruatur, vt de cæteris quidẽ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudijs examen, prout dignũ eſt moueat; de clericorũ verò libidine, propter inſultationem ſæcularium diſpenſatiuè conticeſcat. Quod certè ſatis correctione dignum eſt; ne vnde vulgus omne conqueritur, inde potiſſimũ à magiſtris Eccleſiæ conſulto in iudicijs taceatur, ſi enim hoc malũ eſſet occultũ, fuerat fortaſſe vtcumq; ferendum: Sed heu ſcelus! omni pudore poſtpoſito, peſtis hæc in tantam prorupit audaciã, vt per ora populi volitent loca ſcortantium, nomina concubinarum, ſocerorum quoque vocabula ſimul, & ſocruum, fratrum denique, & quorumlibet propinquorum. Et ne quid his aſſertionibus deeſſe videatur, teſtimonio ſunt diſcurſio nuntiorum, effuſio munerum, cachinnantiũ ioci, ſecreta colloquia. Poſtremo verò omnis dubietas tollitur, vteri tumentes, & pueri vagientes.* Ex quibus clericalem omni prorsùs reiecto pudore, ac fræno licentiam debacchantem haud vllis coerceri legibus potuiſſe compertum ſit. Sed zelo in eoſdem percitus ſtylum Petrus Damianus exacuiſſe viſus eſt, dũ iſthęc proſequitur:

Conſcriptus a Petro Damiano in impudicos ſacerdotes liber.

Petr. Damiã. libell. ad Nicolaum ſum pontif. Baron. tom. 11 an 1059. n. 39. 40.

Clericorum licentia non abſque ſcandalo & rubore viget.

Ingens nota dedecoris

8. *Ergo præ pudore neſcio quomodo ſupprimatur in ſynodo, quod publicè vociferatur in mundo; vt non modò peccantes, vt dignum eſt, non notentur infamia; ſed hi quoque, qui vltores eſſe debuerant, videantur in culpa. Non hic pudor faciem Phinees ſacerdotis operuit, qui nimirùm coeuntem cum Madianitide Iſraelitem coram omni multitudine in locis genitalibus arrepto pugione transfodit. Porrò autem nos contrà diuina mandata perſonarum acceptatores, in minoribus quidem ſacerdotibus luxuriæ inquinamenta perſequimur: in Epiſcopis autem (quod nimis abſurdũ eſt per ſilentij tolerantiam veneramur; Sed ecce hic Phinees.)* Quibus ſanè diuinarum paginarum exemplis aduersùs potentiores acriùs inuehendũ oſtendit: docetque torpentis exemplo Heli, quàm acriter redarguendũ, quàm item ſeuerè plectendum ſit in ſacerdote ſilentium. Vbi tandẽ Epiſcopus Epiſcopos aculeata eiuſcemodi delinquentes verborum inuectiua proſcribens, rurſus apud Nicolaũ Romanum Pontificem his verbis conuenit.

Quærela de tolerata in clero incontinentia.

Petrus Damian. epiſt. ad Nicolaum Papam.

Numeri c. 20

9. *Tu autem Domine mi venerabilis Papa, qui Chriſti vice fungeris, qui ſummo Paſtori in Apoſtolica dignitate*

Pet. Damian. epiſt. ad Nicolaum PP.

ſuc-

ſuccedis, noli peſtem hanc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuendo, & diſſimulando, graſſanti luxuriæ fræna laxare: ſerpit enim hic morbus, vt cancer, et viroſa propago ad infinita porrigitur, niſi euangelica falce, quod malè pullulat amputetur. Abſit igitur, vt ſanctum cor veſtrum ſegnis Heli torpor emolliat, ſed potiùs ad ſceleris vltionem ingenui Phinees zelus accendat. Deponãtur hi, qui Eccleſiaſticæ caſtitatis non verentur fædare munditiam, & deiecti deterreant, quos malè ſtantes ad turpis luxuriæ contumeliam prouocabant. Ad vltionem igitur ſe canonicus vigor exerat, & petulantium Clericorum mala compeſcat: quatenùs & beatitudini veſtræ (quod abſit) næuus non obrepat infamiæ, & ſolitus nitor reſplendeat diſciplinæ. Veſtra quippè clemẽtia non ignorat, quoniam Achab Rex Iſrael, dum Regi Syriorũ Benhadad inordinata pietate pepercit, diuini aduersũ ſe furoris ſententiam prouocauit. Cui nimirùm vir Dei ait:

Admonitus pontifex ne inſtar Heli filiorũ ſcortationes diſſimulet.

Hæc dicit Dominus: quia dimiſiſti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hæc ipſe quoque vir Dei, cum diceret ſocio ſuo in ſermone Domini: Percute me, noluiſſetque ille percutere, ait: Quia noluiſti audire vocem Domini; ecce recedes à me, & percutiet te Leo. Cùmque paululùm receſſiſſet ab eo (vt ſcriptura teſtatur) venit in eum Leo, atque percuſſit. Quibus vtiq; ſacri eloquij verbis, quid aliud innuitur, quàm quia incompoſita pietas proculdubio meretur iram Dei, dum non promulgat in reos ſub diſtricti iuris æquitate cenſuram? Meritoque debet ſuperni iudicis ſubire vindictam, qui neglexit in ſubditos exercere diſciplinam; illique Leoni, qui circuit quærens quem deuoret, meritò traditur, qui ab infligendo pænitentiæ vulnere, per torporis deſidiam cohibetur. Sic igitur ingenuus veſter ſpiritus, & ad tollendum caſtitatis opprobrium ſe feruenter accingat, ſic ſe in vltionem Nicolaitæ hæreſis ſtrenuè, ac viriliter erigat, vt iuxta ſponſionem Phinees pacem ſic fæderis vobiſcum Deus Omnipotens ſtatuat: Imò ſicut Eliam, cæſis typicè quadringentis quinquaginta ſacerdotibus, cælo vos, non equis igneis, ſed Angelis comitantibus introducat.

3. Regum c. 2. Exemplum in Achab Rege.

Peccata haud vnquã impunita.

Hactenùs ad Nicolaum pro exerendo aduersùs exleges, impuroſq; ſacerdotes Apoſtolicæ animaduerſionis gladio Petri libellus; Nicolaus enim, cuius digna hic mentio eſt, cũ probatæ vir caſtitatis eſſet, ſpectatæque integritatis, & inter laudatiſsimos Pontifices, vt idem Petrus Damianus epiſtola de eius electione teſtatur, iure merito adnumerandus ſit, haud ſegnis fuit, ſed quod paſtoralis erat curæ, hac ex parte adimplens, ac rem ſeriò agens, ipſius Eccleſiæ, vt par erat, decori conſultum voluit; quamobrẽ præcipuum in Romano Concilio de vita, & honeſtate Clericorum canonem ſanxit, qui ab Alexandro eidem poſtmodũ ſuffecto, recenſetur, ac per breue ad cunctos ſubindè Epiſcopos eiuſmodi tenoris fragmentum recitatur: Nullus miſſam audiat presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Vndè etiam ipſa ſancta ſynodus hoc capitulum ſub ex communicatione ſtatuit dicens: Quicumque ſacerdotum &c. Eiuſcemodi autem Decretalis apud Gratianum ſanctio habetur. Porrò Nicolaus conſcriptis ad ſe à Petro Damiano litteris permotus contrà impudicos clericos apoſtolicis contendens viribus, ipſúmet Petrum Damianum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, ac Anſelmũ Lucẽſem, vt malo quod ſerpere iam cæperat, feſtinus

Nicolaus papa impudicitiam ex clero exſcindere ſtrenue aggreſsus.

Diſtin. 33. ca. præter hoc Ped. diſtin. & nullus.

Baron. to. 11. an. 1059. nu. 46.

nus occurreret, ad Mediolanenſem Eccleſiam, vbi tunc potiſsimũ dete-ſtabilis lues pullulabat, legatos deſtinauit; Id enim Petrus, dum ſuę rationem Legationis reddit, ad Hildebrandum Archidiaconum ſcribens his verbis palã facit, ac morum inſuper turpitudines, quibus Mediolanenſis Eccleſię clerici tunc temporis laborabant, narrat, deploratque.

Petr. Dam. ep. ad Hildebrandum.

10. *Erat enim* (inquit) *inter Clerum, & populum propter duas hæreſes, ſimoniacam videlicet, & Nicolaitarũ, ſatis turbulenta ſeditio. Nicolaitæ autem dicuntur Clerici, qui contrà caſtitatis Eccleſiæ regulam fœminis admiſcentur; Qui planè tunc fornicatores ſiunt, cũ fœdi commercij copulas incũt; tunc Nicolaitæ iure vocantur, cũ hanc letiferã peſtẽ velut ex auctoritate defẽdunt. Vitium quippè in hæreſim vertitur, cum peruerſi dogmatis aſſertione firmatur.* Hęc quidem Petrus, qui & reliqua amarulẽto ſtylo, proſequitur, ac prauæ laſciuientium Clericorum conſuetudini opportuno manum remedio admotam fuiſſe tradit, quorum hic vel obiter meminiſſe haud omnino ab re viſum eſt.

Vt vitium exeeat in hæreſim.

Porrò, vt narrationis propoſito inſiſtamus, Deus aculeatis olim in ſacrilegos ſacerdotes verbis prophetico Sophoniæ ore, in eos ad iracũdiam grauiſsimè concitatus intonuit, quorum turpitudo, ac temeritas in ſacratiora altaris adyta, ipsũmet panẽ ſãctũ polluendo redundat: *Ad vos* (inquit) *ſacerdotes, qui deſpicitis nomẽ meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus? Offertis ſuper altare meum panem pollutum: non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, et munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Sacrilegis quippè ſacerdotum turpiter vitiatorum victimis, oblationibuſque irritari potiùs, quàm placari Deum, nec tãm coli, quàm ſperni, proculcarique quis neſcit? ſupremus enim Dei honor tunc maximoperè contemni videtur, dum contemptibilis vitæ homines altaris miniſteria vſurpant, ac non ferendo improbitatis exemplo deſtruunt potiùs eccleſiam, quàm ædificant; quod diſertis Gregorius verbis inculcat: *Nemo* (inquit) *in Eccleſia ampliùs nocet, quã qui peruerſè agens nomen, vel ordinẽ ſanctitatis, vel ſacerdotis habet.* Aequo igitur iudicio Altiſsimus indignos eiuſcemodi ſacerdotes animaduerſionis gladio ferit, quos funeſta de ſe cũ aliorũ detrimẽto ſcandala exhibere conſpicit. Et ne incerta vltrò vagetur oratio, deplorando Tiburtii ſacerdotis nequam exitu aſſertionis noſtrę propoſitum aptè comprobari videtur de quo iſthæc Gregorius:

Diuinæ in ſacerdotes impuros querelæ. Sophoniæ c. 1

Gregorius in paſtor.

Nocentiſſimi qui ordinẽ & nomen ſanctitatis conſpurcãt.

11. *Gothorum tempore quidam ſpectabilis vir, Reparatus nomine, venit ad mortem. Qui dum diù immotus, ac rigidus iaceret, viſum eſt, quod ab eo funditùs flatus vitalis exiſſet, atque exanime remanſit corpus. Cùmque eſſent & multi, qui conuenerant, & eũ iãm mortuum familia lugeret, ſubitò redit, & cunctorum plangentium in ſtuporem verſæ ſunt lacrymæ; Qui reuerſus ait: Citiùs ad Eccleſiam B. Laurẽtij Martyris, quæ ex nomine conditoris Damaſi uocatur, puerum mittite, & quid de Tiburtio presbytero agatur, uideat, & renunciare feſtinet.*

Gregor. lib. 4. dial. c. 31.

Oſtenſa Reparato pio ſacerdoti alterius impudici ſacerdotis miſera mors.

Qui uidelicet tũc Tiburtius carnalibus deſiderijs ſubiacere ferebatur. Cuius adhuc uitæ, morumque benè quoque Florentius eius nũc Eccleſiæ presbyter meminit: Cùm uerò puer pergeret, narrauit idem Reparatus, qui ad ſe reuerſus fuerat, quid de illo, ubi ductus fuerat agnouit, dicẽs: Paratus fuit rogus

Vt ardenti rogo iniectus foret.

Purgatorii ignis ſymbolum.

gus ingens, deductus autem Tiburtius presbyter in eo eſt ſuperpoſitus, atque ſuppoſito ſubinde igni concrematus. Alius autem parabatur rogus, cuius à terra in Cœlum cacumen tendi videbatur. Cui emiſſa voce clamatum eſt, cuius eſſet? His ergò dictis, ſtatim Reparatus defunctus eſt. Puer vero qui ad Tiburtium tranſmiſſus fuerat, iam eum mortuum inuenit. Qui videlicet Reparatus ductus ad loca pœnarum, dum vidit, rediјt, narrauit, & obijt, apertè monſtratur quia nobis illa, non ſibi viderat, quibus dum adhuc conceſſum eſt viuere in hoc interim ſæculo licèt, & à malis operibus emendare. Rogum vero conſtitui vidit Reparatus, non quod apud Infernum ligna ardeant, vt ignis fiat, ſed narraturas hic viuentibus illa de incendio prauorum vidit; ex quibus nutriri apud viuentes corporalis ignis ſolet, vt per hæc aſſueta audiētes diſcerent, quod de inſuetis timere debuiſſent. Hic obſcæni Tiburtii, qui ſacerdotali caractere inſignitus erat finis, cuius anima gehennalibus flammis addicta, luxuriæ ignem, dum quis inter mortales degit, gehennæ duntaxat metu, ac memoria ſuperari poſſe, opportune contemplantes admonet.

Sacerdotis ſcortatoris aliud triſte exemplum.

12. Sed alterum hic Sacerdotis, æque improbi inter ſacra miniſteria in Dei contumeliam perdite laſciuiētis exemplum ſubijciamus, qui lucrū ſibi impietatem fecerat, ſuamque religionem laſciuiam computabat: Quapropter impius Sacerdotalis cōtinentiæ iugo procul abiecto, & in omnem profuſus libidinem, lupanaria potius, quā tēpla, ac ſacra altaria excolere. videbatur. Atqui diuino appetitus gladio, in ſuiſque turpitudinibus miſere abreptus eſt, vt Petrus Damianus rem hiſtoricè his verbis exequitur.

Petr. Dam. epi. ad Pandulphum cap. 10.

18. *Noſtra (vt fertur) contigit ætate quòd narro. In Galliarum partibus penes adminiſtrationem. ac ditionem cuiuſdam Religioſi Abbatis, nomine Benedicti, preſbyter habitabat: Qui nimirum quanto copia facultatum vberius affluebat, tanto magis religionis, & honeſtatis premebatur inopia. Obeunte igitur pellice, viduatus adiecit iterare coniugium. Quid plura? Confœderat ſibi, quaſi tabularum lege proſtibulum amicorum, atque confinium congregabat nuptiali more Conuentum, Epulaturis etiam totius affluentiæ prouidet apparatum. Abbas autem, dum decederet; iamque felicem appropinquaret ad exitum: hoc audito duos ad eum Monachos miſit, eique tā impudens ſcelus, ſub diſtrictæ cenſuræ interminatione prohibuit. Ille verò, vt erat conceptæ nequitiæ ſtimulatus inſtinctu; obtemperare non potuit, ſed temeritate plectibili quidquid nuptialis ordo dictauerat, impleuit. Cunctis itaque perſtrepentibus iocis, ac laſciuiæ deditis presbyter quaſi bos ad victimā ductus conuiuiū deſerit, thalamos non delectationis, ſed perditionis ingreditur, & (ò terribilis Deus in conſilijs ſuis ſuper filios hominum) repentina morte mulctatur. Vno ſi quidem, eodemque momēto, & ſemen fudit, & animam exhalauit. Sic ſic remunerari debuit, qui de ſacrario Domini ad exoletum Lupanar, ſuumque volutabrum trāſire decreuit.* Inter lupanaria igitur impurus iſte, qui propoſito perditionis exemplo ouiculis Chriſti aberrandi viam mōſtrabat, alter veluti lupus inexplebiliter vētris ſaginę intentus, laſciuienſq; pœnas tādē ſcelerū luit, dū enim nuptialē ſacrilegus thalamū ſubit, carnificinam iuſto Dei iudicio, repentinoque è vita interitu, ſubiiſſe viſus eſt:

Monita piorum Benedictinorum reſpuit.

Dum libidinem ſatiat extinguitur.

Quo-

14. Quoniam vero opportuna de viris Eccleſiaſticis mentio agitur, qui vitijs irretiti, acerbam Eccleſiæ contumeliam ſuis moribus intulere, & graui ſeipſos proſcripſere iudicio, repetendum hic eſt, quæ de Pariſieñ Canonico in hæc verba Cæſarius memoriæ prodidit: *Pariſijs* (inquit) *in Eccleſia Sanctæ* Dei Genitricis *Mariæ Canonicus nuper obijt, qui multa habens ſtipendia delicatiſſime vixerat. Et quia ex delicijs maximè, & de his, quæ ad gulam pertinent, libido nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem iuuenis valde tunicam carnis ſuæ maculauit, & tã illo, quàm alijs ſuis peccatis iram Dei in ſe prouocauit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis confeſſionem fecit, peccata defleuit, & emendationem promiſit, viaticum accepit, munitus eſt, & hominem depoſuit: cuius corpus, vtpote viri nobilis, diuitiſque cum magna pompa ſæcularis gloriæ tumulatum eſt. Et erat in illa die tanta ſerenitas, vt ipſe aer eius obſequijs famulari videretur. Dixerunt homines ad inuicem: Multa bona præſtitit Deus homini iſti; nihil enim ei defuit horum quæ homo Chriſtianus habere debuit. Dominicis Sacramentis munitus eſt, cum magna gloria ſepultus eſt. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Poſt paucos dies, cuidam ſibi valde familiari apparens dicebat ſe eſſe dãnatum. Cùmque miraretur ille, & expaueſceret, pœnitentiam eius, & Confeſſionem, ſacram etiam Communionem & inunctionem commemorans, reſpondit defunctus, vnum bonum mihi defuit, ſine quo nullum horum, quæ enumerata ſunt, mihi prodeſſe potuit. Quid eſt illud, inquit? Reſpondit mortuus: vera contritio; licet enim* Deo *promiſerim conſilio* Confeſſoris *continentiam, ſiue alia, quæ ſalutis ſunt; tamen dicebat mihi conſcientia, quia ſi conualueris, obſeruare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad tranſgreſſionem, quàm ad voti obſeruationem, nullius peccati merui remiſſionem. Deus requirit firmum propoſitum pœnitendi.* Infelici igitur exitu vitam finiuit, qui prauis vitam actibus, ac ſe ipſum vitijs fœdauerat, oriſque ſui calculo perditionis ſententiam, cæteris documento futuram patefecit.

Sacerdotis Pariſienſis funeſtum exemplum. *Cæſar. lib. 2 cap. 11. Io. Maior. in ſpeculo moral. verb. Contrit. exem. 6. pag. 182.*

Moriturus omnibus ſacramentis procuratis eſt.

Damnatus æternis igni bus locio ſe videndum obiicit.

15. Sed funeſtum hic impuri hominis, qui clericali militiæ adſcriptus, redditibus Eccleſiaſticis impenſe cumulatus, caſtitatẽ, quã Deo illibatã ſeruare debuiſſet, proculcabat ex moderno excerptum ſcriptore exitum lectori contemplandum proponimus; hæc enim in ſelectis exemplis de eo ſcribit. *Venio ad illud, Quod me ſupra quam dici, aut cogitari poteſt, horrore metuque impleuit. Erat Aulicus alter in ſortem domini receptus, multiſq; eccleſiaſticis redditibus abũdãs. Hic iam inde ab adoleſcentia libidinibus deditus ad hoc longa mulieris conſuetudine implicatus, nulla diuinæ ſeueritatis formidine, nulla ſalutis æternæ cura contineri videbatur: verùm cùm in hac praua vitæ ratione perſeueraret, horribili, atque perpetua à Deo cæcitate percuſſus eſt, vt nihil planè oculis videretur. Quæ cæcitas cùm deberet illi mentis oculos aperire, omnemque ab animo peccatorum caliginem pellere, viſa eſt tenebras eidem maiores offundere, nec tam miſeri iſtius peccatoris oculos claudere, quàm cor excæcare; nam adeò ab ea muliere, cui conſueuerat, non eſt abſtractus, vt etiam arctius eidem adhæſerit.* In *pauca vt conferam, hæc tam pertinax hominis contumacia, diuinæ iracundiæ quaſdam quaſi faces admouit inſtãque ſibi illatæ à flagitioſo illo iniuriæ vindicãdæ cauſã attribuit. Etenim anno* MDC.XXXII. *ſolemnibus Sa-*

Ian. Nicius erithr. in Exem. virt. et vit. exem. 40. pag. 44

Coecitas animæ, corpori cæcitatem induxit

cra-

Digitized by Google

croſanctæ Euchariſtiæ ferijs, cum per uiam quandam vrbis Rheda veheretur, atque in ſolemnem quandam pompam incurreret, qua Chriſti corporis myſteria deferebãtur, admonitus eſt à ſuis; vt conſiſteret, & in genua procumberet, cumque ille ad has voces honoris ſcilicet cauſa, caput demitteret, continuo, tanquam ſi à diuiniſſima illa hoſtia telum, vel fulmen aliquod prodijſſet, quod lethale ipſi vulnus infligeret, ita vt erat capite demiſſo extremum vitæ ſpiritum reddidit. Vtrum autẽ Deo iudici ſaluus fuerit, nec ne, non definio, neque vllam in patrem diſputo. Ea enim eſſe mors potuit cum eo animi dolore coniuncta, qui ſit ad veniam impetrandam ſatis: At ſi dolor hic abſuit. Penſate (inquit *Gregorius*) *qualis ad conſpectũ diſtricti iudicis peruenit, cui non licet flere, quod fecit.* Ad diuiniſſimę igitur hoſtię, cui caſtitas in his, qui ſacroſancti Altaris miniſterio inſeruiunt, apprime placet, conſpectũ peſſimus caſtitatis proculcator, non ſecus ac fulmine ictus expirauit, vt cæteris metum incuteret, illibatumq; caſtimoniæ vigorẽ cautè ſeruandum cunctos prę moneret.

Ad cõſpectũ Sacramenti altaris cui impure viuendo contumelioſus fuit, moritur.

16. Ne homines igitur, qui diuino addicti ſunt obſequio, ſacra altaris vaſa impuris contrectare manibus aliquando audeant, tam Eccleſiaſticis legibus, quàm illo diuinitùs oraculo præmonentur: *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Et congruè qui ſecus fecerint, condigno ob contemptum numen, proculcatumque oraculi verbum, ſupplicio afficiuntur; nam diuini furoris calicem prę guſtare, infelici malorum compendio miſeri cõpelluntur Vt cætera autem ſilentio obuoluantur: Vnũ hic Sacerdotis exemplum, quod noſtro hoc ſeculo Io: Dominicus Ottonellus e Societate Ieſu accidiſſe commemorat, ad cæteros in officio continendos, inſtruendoſque ſufficiat, his quidem verbis à ſcriptore Italico idiomate digeſtum.

Mundandi erant laturi vaſa Deo ſacra: quanto magis Deum contrectaturi.
Iſai. 52. 11.

17. *Sacerdos quidam* (inquit) *nomine duntaxat, ac munere, haud vitæ puritate, vt par eſt, Sacerdos; moribus enim prophanus omnino cum animarum curæ præfecturam in ruſticana quadam extra Vrbem* Parrochia *obtineret, quibus ſuo non tam elucrandis exemplo, quam perdendis, abducendiſque in barathrum ſuam impendere operam videbatur; fœminam quippe impudicam domi apud ſe retinens ſacrilegis ſemet ipſum actibus perpetuò obſtringens, praua cæteros, qua tenebatur peccandi conſuetudine, à Dei obſequio retardabat Interim verò cũ miſer nullum peccandi finem faceret, infirmitate corporis à Deo percuſſus eſt, ſi qua ab inolitis vitijs, illecebriſque reſipiſceret: Atqui cũ morbus quotidie inualeſceret, Notarius in presbyteri domum à propinquis, vt ſuis ille rebus eodem ſuadente proſpiceret, aduocatur, quem cùm graniter decumbentem reperiſſet, mox ad id, cuius gratia aduenerat, exhortari eumdem aggreſſus eſt, et cum dicenti ægrotus nullatenus acquieſceret, ſed ad impudicas mulieres, & impudicitiam, quam animo verſabat continuò ſermonem dirigeret, Notarius re infecta domum remeare cogitur, diſceſſurus autem vnum propinquos admonuit, vt quoniam de domeſticis rebus componendis, quod ſui erat muneris, nil apud hominem profeciſſet, poſthac religioſos viros adhiberent, vt animæ ſuæ iam iam moriturus conſuleret; Abijt igitur vir probus de presbyteri ſalute admodũ ſollicitus, anxiuſque, quem male ſibi conſcium, vitiorumque nexibus irretitũ iã tã decedentem videbat. Verum inſequenti nocte presbyter nil prorſus de corrigẽdis moribus, nil de expianda conſcientia,*

Ottonellus lib. de praua mul. conuers. vitanda to. 1. adnot. 3. pag. 60.
Exemplum aliud ſacerdotis miſeri in concubinæ amores effuſi.

Delectant conſueta vitia moriturum.

Detrectat expiare conſcientiam.

nil

Digitized by Google

nil de morte, ac æternitate, ad quam feſtinabat apud ſe recogitans, nulloque Sacramentorum remedio ſuæ curam animæ qui curam alioqui animarum gerebat, agens, infeliciſſime e vita abijt: Muliere duntaxat, cum qua turpiſſimè conſueuerat, in ſupremo vitæ momento ei ad certum dūtaxat perditionis periculum, ruinamque ad latus hærente; quæ inſperato hominis obitu, & portentoſo quidē abſterrita, mane facto Notariū adijt, remque totā ex ordine narrans: presbyter ille (inquit) hac nocte peſſimo fine abſceſſit; paulo enim ante quā Spiritum efflaret, cùm me in cubiculū accerſiſſet, tres prope lectulum, in quo iacebat, ſellas apponi iuſſit, & cum foras exiſſem ad oſtium curioſè obſeruabam, illi, vbi me aduocaſſet, ſtatim præſto futura, et en illum intus, ac ſi cum alijs loquentem audiui, ad quod cùm ego obſtupuiſſem, ac ipſos, quinam eſſent, de facie noſſe percuperem reſerato oſtio cubiculum ingreſſa ſū, cū ille iſthæc mihi edixit: Ibimus, Ibimus. cui ego, vt blandè ſermonem in rem præſentem verterem, illū de profectione in ſuburbanum, ac peramænum aliquem locum ſubintellexiſſe rata: Ibimus ad eum (inquio) profectò, poſtquā tu Deo propitiāte conualueris, in Villā, quibus hæc ille: ibimus quidem ibimus ſed non in villā, vt tu modo ais, ſed procul dubio in tartara; ſcito etenim tres numero cacodæmones paulò ante hìc adſtitiſſe, qui manifeſtam mihi ſententiam perdititionis renunciantes, tartareis me ignibus, Dei iudicio irreparabiliter addictum affirmarunt. At quò ego, tu quoque poſtmodū venies, me enim & tu infallibiliter mox ad mortē ſequeris; quę quidē ſuprema eius verba tunc quidem, ſed nunc maximè animum remordent meū. E cubiculo interim abſceſſi: me autem vix egreſſa, ingens repente clamor obaudiri cœpit; at illuc protinùs dicto citiùs accurrens Dominum meum in lectulo exanimem reperio, ac putidiſſimi fœtore ſulphuris, quem ferre nullatenus poteram, cadauer reſperſum ſentio.

Dæmones moribundo adſtant.

Accepta damnationis ſententia ſignificat cōcubinæ ipſam quoque damnatū iri.

…ſidici Violei pu… morte peri…

18. Hic deplorādus, vt modo audiſti, heri mei, ac presbyteri finis; ſed tu interim, quid nunc de ſalutis negotio exiſtimes; & quid, vt mihi quoque bene conſulam, faciundum, edicio: Cui hæc Notarius: Animæ quidem tuæ adeo inſigni viſu, portentoſoque obitu diuinitus premonita quantocyus proſpicias velim, atque hortor. Alieno igitur infelix mulier periculo ſapias, ſupellectilē & facultates, quæ ad te ſpectant, pretio diſtrahas, & peccata tua eleemoſynis redimens diuinam tibi, ſi qua potes, miſericordiam promereri ſatagas; tuamque ieiunijs, ac pijs carnem exercitationibus diſcruciare non deſinas; vt perditi Domini tui exemplo edocta, tartarei ignis ſupplicia, cautè, dū per tēpus vacat, ſubterfugere queas. Veh veh tibi ò mulier, ſi ad Dei voces obſurdeſcas, & lumini cœlitùs exhibito mentis oculos claudas; futurum enim profectò eſt, vt ſi monitis non acquieſcas, certam tu quoque animæ iacturam incurras.

Terretur meretrix ſed non reſipiſcit.

His mulier auditis, multa de ſe ad meliorem frugem traducenda dixit, promiſitque. Atqui dum oſcitanter rem ſuam agit, & quod ſtatuerat, operi dèmandare detrectat, vix quindecim interlapſis diebus, ad Notariū exterrita recurrens, narrat ſingulis fere noctibus animal quoddā faucibus aſtare ſub felis imagine, quod ſe totis præfocare viribus contēdat, cui ille: Dæmon vtiq; eſt, qui tibi ſic fauces præcludere conatur, ſi Deus ſuis præualere viribus aduerſario permitteret; meis igitur conſilijs acquieſcēs, ne ad momentū quidē temporis pœnitentiam differas, magnū enim inſtat ex dilatione periculum, vbi animæ negotiū agitur. Abijt itaque mulier, ac ſenior facta, moraſque innectens, nullam pœniten-

Narrat ſe noctu à dæmone felis inſtar diuexari.

ten-

exire, vt quanquàm relictis fœminis, per pœnitentiæ ſe lamenta corrigerent, tamen quia Sancto viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ miſsæ licentiam de cætero ſperarent. Quibus præmiſſis tragicam presbyteri, qui caſtitatem proculcabat, hiſtoriam ſubtexit.

Iuxtà Canonicam B. Cæciliæ trans Tyberim conſtitutam presbyter habitabat, qui nec fœminam quieſcebat vllo modo abijcere, nec vnquàm poterat hæc ſtatuta, niſi vana prorsùs, & friuola iudicare. Quadam itaq; die dùm incolumis, vegetus, ac robuſtus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum ſe in lecto compoſuit: Sed repentina diuinæ vltionis animaduerſione percuſſus, manè repertum eſt cadauer exanime. Illicò præfatæ Canonicæ religiones, certè Conuentus duos ad me Clericos direxerunt, quid tali deberent mortuo conſulentes. Nos, ſi rem rectè tenemus, conſilium dedimus, vt eum quidèm quià presbyter fuerat, penes Eccleſiam ſepelirent: ſed nullum ei vel hymnorum vel Pſalmodiæ officium redderent, quatenus, & inceſtis terror accreſceret, & Caſtitatis gloria germinantiùs pullularet; & certè dignum videretur, vt mortuus (iuxta Prophetam*) ſepulturam poſſideat aſini, qui dum viueret humana contempſit lege conſtringi.* Hæc Petrus Damianus tunc, quæ modo narramus, Romæ conſcribens: Ex quibus Clerici contrà ſacrorum præſcripta canonum laſciuientis licentiam, diuino calculo prænotatam videre eſt; qui enim pontificijs parère imperijs detrectauerat, diuinis expetitus verberibus, ac ſubitò ſublatus interitu, tremendi illius vocem oraculi mortales admonuit. *Clamaui, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Infelix igitur luxuria diſtentus à ſacrario in ſterquilinium, & à ſacris altaribus in Orcum, alijs futurus exemplo proiectus eſt. Sed quam acriter contra exleges clericos, caſtitatis violatores Petrus Damianus, tùm verbo, tum ſcriptis inſtiterit, ipſimet Annales Eccleſiaſtici, vt infra patebit, locupletiſſimi teſtes ſunt.

Canonicus concubinarius repentina morte extinctus.

Horrenda in peccatores diuina ſubſannatio.

Prouer. 1. 26.

Baron. ann. 1065 nu. 1. & ſequent.

3. Et Clericos quidem, qui Altari deſeruiunt, vitæ innocentia, ac morum puritate cæteris antecellere par eſt, vt diuina oracula ſapienter inculcant: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* & quod alibi ſacris in paginis Pſalmiſtæ ore decantatum eſt: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent.* Pollutis quippè manibus ſacra altaris miniſteria obeuntes, diuinaſque res indigne contrectantes, haud tritis, vulgaribuſque tandem ſuppliciis expetuntur: Quapropter vbi iàm Pontificij Canones, clericis, presbyteriſque ab obſcænarum voluptatũ cõmercio abſterrendis non ſufficerent, portentis quoq; è cælo, vt vidimus, Deus abſterrendos curauit: vt Petrus Damianus diſerte in rèm præſentẽ teſtatur, qui in Concilio, quod Romæ ſub Stephano Papa celebrari contigit, præcipuum in concubinarios Clericos canonem ſancitum fuiſſe affirmat, dũ aduerſus impuros, profanoſque eiuſcemodi homines altaris miniſterio mancipatos, ad Taurinenſem Epiſcopum ſcribens, lugubrem impudice vitam agentis hiſtoriam refert; Verùm quoniàm à Petro Damiano vir plane ſacrilegus, eccleſiaſticis legibus contumax extitiſſe deſcribitur, nonnulla hic, vel obiter, quæ ad rem faciunt, ſuggerere non ab re viſum eſt:

Iſaia 52. 11.

Pſal. 131. Cõmendata clero pudicitia.

Quam ſollicite caſtitas in clericis deſiderata.

4 Ad coercendam quippe, vt ex eccleſiaſticis annalibus conſtat, exlegem Clericorum licentiam, ac vitæ tur-

tæ turpitudinem proſcribendam, ſacroſanctæ haud ſemel ſancitis canonibus ſynodi inſtitère, quod & in Gallijs præſertim in Pictauienſi Cõcilio eiuſcemodi ſancita lege præſtitum fuit: *Vt nullus videlicet* Presbyter *Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habeat, ſed nec aliam fœminam, vndè magna ſuſpicio habeatur, in vna domo ſecum teneat. Et quicunq; huiuſmodi Sacerdotis concùbinarij, ſiuè per pecuniam ordinati miſſam ſcientes audierint, excomunicationi ſubiacère debeant.* Huius autem ſynodicæ ſanctionis contemptus apud eamdem Prouinciam, imò in eadem Pictauienſi diœceſi in presbytero, qui eiuſdem nefario auſu contèmptor extiterat, certo diuinæ vltionis calculo prænotari meruit: Presbyter enim, qui obſcenis voluptatibus vacabat, infelici exitu abreptus, perpetuæ cenſuram damnationis incurrit; rem autem geſtam Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis, inſignis rerum eius temporis ſcriptor his verbis exequitur:

Baronius tom. 11. an. 1100. num. 24.

Cohabitatio cum muliere vetita Sacerdoti.

Conſiliũ Pictauienſe Cap. vt Iuo epiſt. ad Rodulphũ Rhemens Epiſcopum.

5 *Apud Caſtrum Liziniacũ, quod in Pictauienſi pago ſitum eſt, nuper quidam Presbyter erat, qui Sacerdotalis ordinis ſuper cæleſtem dignitatem, miſerrim vitæ conuerſatione deturpatus, non ad animarum, quibus præerat curam, ſed ad carnis ſuæ voluptatem explendam, ſacro miniſterio vtebatur. Qui iuxtà* Prophetam, *lac gregis ſui comedens, & eius ſe lanis operiens, abſq; ulla ſpe æternorum, mercedibus mercenarij auidiſſimè paſcebatur, mundiſſimam atq; omnia mundantem* Chriſti *carnem, & ſanguinem in altaris Sacramento frequenter officio, non deuotione ſumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus ſeſe cohibebat. Cùmque vt ſus immunda multo tempore in cœno luxuriæ verſaretur, & ſui ipſius fœtoribus delectaretur: territus conſcientiæ malo (ſicut aliquando, & mali ad horam compunguntur) familiaritatem quorumdam bonorum virorum expetijt: & Abbati Bonæ vallis, ac fratribus eiuſdem Monaſterij ſeſe in amicitiam ſpecie tenus copulauit. Qui longo tempore de vitæ emendatione commonentes, & vt ſèculo renunciaret aſſidue exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem ſpem aliquando potuerunt. Nam libenter quæ dicebant, audire ſe fingens, & ſemper eos de conuerſione ſuſpendens, de ſocietate ſanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione, vel exemplis eorũ à malis retrahebatur. In his, atq; alijs perditæ, atq; perdendæ vitæ ſuæ actibus perdurans, & obſtinatione impia, iram ſibi in die iræ theſaurizans, in morbum incidit, quo poſt aliquot dies ingraueſcente, ad extrema peruenit. Adierat eum viſitationis gratia* Prior *iam dicti Monaſterij, atq; cum eo per aliquantum diei ſpatium ipſo quoq; rogante permanſerat.* Quid enim iniquis hominibus, niſi ad iudicium bonorum ſocietas, ac contubernium confert? *Grauioris quippe culpae eſt* (Gregorius ait) *inter bonos bonum non eſſe.* Exemplis enim vnuſquiſq; magis quàm verbis, vt tum apud Deum, tum apud homines inexcuſabilis omnino ſit, inſtãter cõpelli, nedũ magis ad virtutem prouocari videtur. Ita planè, qui vitioſam inter Dei ſeruos vitam nullo fructu agebat, condignas Dei tandem iudicio expetitus pœnas exoluit: hæc enim ibi poſt multa:

Petrus venerabil. lib. 1. miracul. cap. 25.

Horrenda in impudicum Sacerdotem vltio Dei.

Inani reſipiſcẽtię ſpe diu religioſos lactauerat.

Grauiſſima culpa eſt inter bonos bonum non eſſe.

Gregor. in libris moraliũ.

6. *Cum ecce poſt multum noctis ſpatium homo ad ſe redijt, & miſerabiliter ingemiſcens ait: ah ah! ad iudicium æternum raptus ſum, & heu miſer æterna morte damnatus ſum. traditus ſum horrendis tortoribus, igni inextinguibili cum diabolo, & angelis eius perpetuo cruciandus. Ecce, ecce ignita*

Petrus Venerabilis vbi ſupra.

Damnatum ſe æterna morte refert.

ſartago plena bullienti adipe, quã coram me tormentorum miniſtri detulerunt, eamque ad me frigendum, vndique ſuccenderunt. Et iuſta plane voluptuoſo homini merces: *Qui enim carnis voluptatibus* (vt Baronius ait) *ſuccendente libidinis igne carnis concupiſcentiam, Deum offenderat, iuſte ei ſuccenſa igne adipe cruciandum fore per viſum oſtenſum eſt.* Sed auctor iſthæc ſubtexit: *Et cũ Prior orationi, ſicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuiſſet, ille ait: Ceſſa, ceſſa pro me orare: nec pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenùs exaudieris:* Priore verò dicente: *Frater redi ad cor, & miſericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require: ille adiecit: Putas (ait) me inſanum loqui? non inſanio, ſed ſana mente quæ dixi cõfirmo.* Et poſt multa de ſcintillula ignis trãſmiſſa, qua Prioris manus exarſit hæc habet. *Et mirabile dictu, cutem, & carnem, vſque ad intima oſſis conſumpſit. Tũ ille ait cum gemitu: En, inquit, indubia rei probatio: nam ſicut iſta, quam vides, de ſartagine prolapſa gutta, carnis partem conſumpſit, ſic confeſtim totum me ignea vorago conſumet; Priore ad iſta ſtupente, iterũ dixit: Ecce ſartaginem iſtam miniſtri infernales pro piùs afferunt, vt me in illam inijciant, iã namque manus adaptant. Et poſt modicum. Ecce linteum, in quo iaceo vndique concurrentes accipiunt; & me in ignitam ſartaginem æternam frixurã proijciunt; hoc velut vltimum Vale mox vt Priori, atque his, qui ad hoc horrendum ſpectaculum conuenerant, dixit: ſubtracta voce, & reflexa ceruice, puniendum ſpiritum condemnatis ſpiritibus tradidit. Tantus verò tremor omnes inuaſit, vt illicò vniuerſi aufugerent, neque aliqui in domo, vbi cadauer mortis remanſerat, remanere auderent; Facto mane miſerum cadauer ſepulturæ mandatum eſt.*

Baron. tom. 11. vbi ſup. Orari pro ſe Deum vetat.

Animam miſere efflat.

7. *Poſt aliquot autem dies, cũ ad vniuerſos circà poſitos hæc tã terribilis fama perueniſſet rei, veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque foueam illam, quã in manu adhuc viuentis Presbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt.* Hæc Petrus, & alia de horrendo memorati hactenùs portẽti viſu, ac diuina in Presbyterum laſciuientem vltione, de qua illud prophetice decantatum eſt: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Pſal. 10. n. 7.

Et iuſtã quidẽ perditus presbyter diuino calculo proſcriptus pœnam ſubiit, qui prophanum, quo æſtuabat, luxuriæ ignem ad altare Chriſti ſecum deferre nil veritus, impuriſque manibus ſacroſanctum miniſterium, vſurpans, gehennæ tandem ignibus non iam expurgandus, ſed perpetuò excruciandus addici meruit; & vt cunctis reprobi vnius exẽplum prodeſſet, portentoſum, ad quod rapiebatur, incendium, ipſius antequam decederet, manu exploratum eſt, adeo vt in ipſius ſubindè carnibus tumulo illatis, patentiſſima ęternorum igniũ veſtigia cœteris documẽto futura remanerẽt. *Quæ omnia* (inquit Petrus) *ſecũdũ quod B. Gregorius ait, nullo modò propter ſe infelix Presbyter vidit, cui nihil viſio iſta profuit; ſed quanta cautela ſacerdotale officium adminiſtrãdũ, quã reuerenter diuina myſteria tractãda ſuperna per eũ diſpoſitio monſtrauit.* Et hæc quidem tunc potiſsimùm tẽporis contigiſſe comprobatur, cùm in turpibus ſacrorum miniſtrorum moribus nefanda Nicolaitarum hæreſis blandè ſerpens inualuiſſet. Ad quam radicitus euellendam, cum Apoſtolicæ cenſuræ gladius, haud ſufficeret, ſemel atque iterùm ſanctos pa-

Iuſtũ impuri hominis ſupplicium.

Petrus Venerabilis vbi ſup.

Graſſabatur tum in ſacerdotali ordine fœda luxuries.

patres in delinquentes vehemẽtius inſiſtere, ac ſacros inſuper canones ad demetendos ex dominica area zizaniorum manipulos innouari contigit. Et ſanè Petrus Damianus ſacrorum Conciliorum veſtigiis inhærens, neſandas hominum Eccleſiæ inſeruientium turpitudines acri ſtylo iã antè inſectatus, de Epiſcopis, ac presbyteris hoc planè ſæculo corruptiſſimis ſermonem texit, in quos meritò ſtylum torquens, hæc ipſe, quæ hic vel obiter ſuggerimus, in libello, quem Nicolao Pontifici Maximo aduerſùs impudicos inſcripſit, his verbis: *Nuper habens cùm nonnullis Epiſcopis ex ueſtræ maieſtatis auctoritate colloquium: ſanctis eorum femoribus volui ſeras apponere. Tentaui genitalibus ſacerdotum (ut ita loquar) continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc ſecta eſt, cui ab omnibus contradicitur, aliud quidem quodcumque veſtræ conſtitutionis imperium ſub ſpe proficiendi fidenter indicimus. Huius tamen capituli nudam ſaltem promiſſionem, tremulis prolatam labijs difficiliùs extorquemus. Primum quia faſtigium caſtitatis attingere ſe poſſe deſperant: deindè quia ſynodali ſe plectendos eſſe ſententia propter luxuriæ vitium non formidant: Noſtris quidem temporibus gemina quodammodò Romanæ Eccleſiæ conſuetudo ſeruatur, vt de cæteris quidẽ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudijs examen, prout dignũ eſt moueat; de clericorũ verò libidine, propter inſultationem ſæcularium diſpenſatiuè conticeſcat. Quod certè ſatis correctione dignum eſt; ne vnde vulgus omne conqueritur, inde potiſſimũ à magiſtris Eccleſiæ conſulto in iudicijs taceatur, ſi enim hoc malũ eſſet occultũ, fuerat fortaſſe vtcumq; ferendum: Sed heu ſcelus! omni pudore poſtpoſito, peſtis hæc in tantam prorupit audaciã, vt per ora populi volitent loca ſcortantium, nomina concubinarum, ſocerorum quoque vocabula ſimul, & ſocruum, fratrum denique, & quorumlibet propinquorum. Et ne quid his aſſertionibus deeſſe videatur, teſtimonio ſunt diſcurſio nuntiorum, effuſio munerum, cachinnantiũ ioci, ſecreta colloquia. Poſtremo verò omnis dubietas tollitur, vteri tumentes, & pueri vagientes.* Ex quibus clericalem omni prorſùs reiecto pudore, ac fræno licentiam debacchantem haud vllis coerceri legibus potuiſſe compertum ſit. Sed zelo in eoſdem percitus ſtylum Petrus Damianus exacuiſſe viſus eſt, dũ iſthęc proſequitur:

Conſcriptus a Petro Damiano in impudicos ſacerdotes liber.

Petr. Damiã. l. bell. ad Nicolaum ſum pontif. Baron. tom. 11 an 1059. n. 39. 40.

Clericorum licentia non abſque ſcandalo & rubore viget.

Ingens nota dedecoris

8. *Ergo præ pudore neſcio quomodo ſupprimatur in ſynodo, quod publicè vociferatur in mundo; vt non modò peccantes, vt dignum eſt, non notentur infamia; ſed hi quoque, qui vltores eſſe debuerant, videantur in culpa. Non hic pudor faciem Phinees ſacerdotis operuit, qui nimirùm coeuntem cum Madianitide Iſraelitem coram omni multitudine in locis genitalibus arrepto pugione transfodit. Porrò autem nos contrà diuina mandata perſonarum acceptatores, in minoribus quidem ſacerdotibus luxuriæ inquinamenta perſequimur: in Epiſcopis autem (quod nimis abſurdũ eſt per ſilentij tolerantiam veneramur; Sed ecce hic Phinees.)* Quibus ſanè diuinarum paginarum exemplis aduerſùs potentiores acriùs inuehendũ oſtendit: docetque torpentis exemplo Heli, quàm acriter redarguendũ, quàm item ſeueré plectendum ſit in ſacerdote ſilentium. Vbi tandẽ Epiſcopus Epiſcopos aculeata eiuſcemodi delinquentes verborum inuectiua proſcribens, rurſùs apud Nicolaũ Romanum Pontificem his verbis conuenit.

Quærela de tolerata in clero incontinentia.

Petrus Damian. epiſt. ad Nicolaum Papam.

Numeri c. 20

9. *Tu autem Domine mi venerabilis Papa, qui Chriſti vice fungeris, qui ſummo Paſtori in Apoſtolica dignitate ſuc-*

Pet. Damian. epiſt. ad Nicolaum pp.

Digitized by Google

ſuccedis, noli peſtem hanc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuendo, & diſſimulando, graſſanti luxuriæ fræna laxare: ſerpit enim hic morbus, vt cancer, et viroſa propago ad infinita porrigitur, niſi euangelica falce, quod malè pullulat amputetur. Abſit igitur, vt ſanctum cor veſtrum ſegnis Heli torpor emolliat, ſed potiùs ad ſceleris vltionem ingenui Phinees zelus accendat. Deponãtur hi, qui Eccleſiaſticæ caſtitatis non verentur fœdare munditiam, & deiecti deterreant, quos malè ſtantes ad turpis luxuriæ contumeliam prouocabant. Ad vltionem igitur ſe canonicus vigor exerat, & petulantium Clericorum mala compeſcat: quatenùs & beatitudini veſtræ (quod abſit) næuus non obrepat infamiæ, & ſolitus nitor reſplendeat diſciplinæ. Veſtra quippè clemẽtia non ignorat, quoniam Achab Rex Iſrael, dum Regi Syriorũ Benhadad inordinata pietate pepercit, diuini aduersũ ſe furoris ſententiam prouocauit. Cui nimirùm vir Dei ait:

Admonitus pontifex ne inſtar Heli filiorũ ſcortationes diſſimulet.

Hæc dicit Dominus: quia dimiſiſti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hæc ipſe quoque vir Dei, cum diceret ſocio ſuo in ſermone Domini: Percute me, *noluiſſetque ille percutere, ait: Quia noluiſti audire vocem* Domini; *ecce recedes à me, & percutiet te Leo. Cùmque paululùm receſſiſſet ab eo (vt ſcriptura teſtatur) venit in eum Leo, atque percuſſit. Quibus vtiq; ſacri eloquij verbis, quid aliud innuitur, quàm quia incompoſita pietas proculdubio meretur iram Dei, dum non promulgat in reos ſub diſtricti iuris æquitate cenſuram? Meritoque debet ſuperni iudicis ſubire vindictam, qui neglexit in ſubditos exercere diſciplinam; illique Leoni, qui circuit quærens quem deuoret, meritò traditur, qui ab infligendo pœnitentiæ vulnere, per torporis deſidiam cohibetur. Sic igitur ingenuus veſter ſpiritus, & ad tollendum caſtitatis opprobrium ſe feruenter accingat, ſic ſe in vltionem Nicolaitæ hæreſis ſtrenuè, ac viriliter erigat, vt iuxta ſponſionem Phinees pacem ſic fœderis vobiſcum Deus Omnipotens ſtatuat: Imò ſicut Eliam, cæſis typicè quadringentis quinquaginta ſacerdotibus, cælo vos, non equis igneis, ſed Angelis comitantibus introducat.*

3. Regum c. 2. Exemplum in Achab Rege.

Peccata haud vnquã impunita.

Hactenùs ad Nicolaum pro exerendo aduersùs exleges, impuroſq; ſacerdotes Apoſtolicæ animaduerſionis gladio Petri libellus; Nicolaus enim, cuius digna hic mentio eſt, cũ probatæ vir caſtitatis eſſet, ſpectatæque integritatis, & inter laudatiſsimos Pontifices, vt idem Petrus Damianus epiſtola de eius electione teſtatur, iure merito adnumerandus ſit, haud ſegnis fuit, ſed quod paſtoralis erat curæ, hac ex parte adimplens, ac rem ſeriò agens, ipſius Eccleſiæ, vt par erat, decori conſultum voluit; quamobrẽ pręcipuum in Romano Concilio de vita, & honeſtate Clericorum canonem ſanxit, qui ab Alexandro eidem poſtmodũ ſuffecto, recenſetur, ac per breue ad cunctos ſubindè Epiſcopos eiuſmodi tenoris fragmentum recitatur: *Nullus miſſam audiat presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Vndè etiam ipſa ſancta ſynodus hoc capitulum ſub excommunicatione ſtatuit dicens: Quicumque ſacerdotum &c.* Eiuſcemodi autem Decretalis apud Gratianum ſanctio habetur. Porrò Nicolaus conſcriptis ad ſe à Petro Damiano litteris permotus contrà impudicos clericos apoſtolicis contendens viribus, ipſũmet Petrum Damianum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, ac Anſelmũ Lucẽſem, vt malo quod ſerpere iam cæperat, feſtinus

Nicolaus papa impudicitiam ex clero exſcindere ſtrenue aggreſsus.

Diſtin. 32. ca. preter hoc Ped. diſtin. 5 nullus.

Baron. to. 11 an. 1059. nu. 46.

nus occurreret, ad Mediolanenſem Eccleſiam, vbi tunc potiſsimũ deteſtabilis lues pullulabat, legatos deſtinauit; Id enim Petrus, dum ſuę rationem Legationis reddit, ad Hildebrandum Archidiaconum ſcribens his verbis palã facit, ac morum inſuper turpitudines, quibus Mediolanenſis Eccleſię clerici tunc temporis laborabant, narrat, deploratque.

Petr. Dam. ep. ad Hildebrandum.

10. *Erat enim* (inquit) *inter Clerum, & populum propter duas hæreſes, ſimoniacam videlicet, & Nicolaitarũ, ſatis turbulenta ſeditio. Nicolaitæ autem dicuntur Clerici, qui contrà caſtitatis Eccleſiæ regulam fœminis admiſcentur; Qui planè tunc fornicatores ſiunt, cũ fœdi commercij copulas ineũt; tunc Nicolaitæ iure vocantur, cũ hanc letiferã peſtẽ velut ex auctoritate defẽdunt. Vitium quippè in hæreſim vertitur, cum peruerſi dogmatis aſſertione firmatur.* Hęc quidem Petrus, qui & reliqua amarulẽto ſtylo proſequitur, ac prauæ laſciuientium Clericorum conſuetudini opportuno manum remedio admotam fuiſſe tradit, quorum hic vel obiter meminiſſe haud omnino ab re viſum eſt.

Vt vitium creſcat in hæreſim.

Porrò, vt narrationis propoſito inſiſtamus, Deus aculeatis olim in ſacrilegos ſacerdotes verbis prophetico Sophoniæ ore, in eos ad iracũdiam grauiſsimè concitatus intonuit, quorum turpitudo, ac temeritas in ſacratiora altaris adyta, ipsũmet panẽ ſãctũ polluendo redundat: *Ad vos* (inquit) *ſacerdotes, qui deſpicitis nomẽ meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus? Offertis ſuper altare meum panem pollutum: non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, et munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Sacrilegis quippè ſacerdotum turpiter vitiatorum victimis, oblationibuſque irritari potiùs, quàm placari Deum, nec tam coli, quàm ſperni, proculcarique quis neſcit? ſupremus enim Dei honor tunc maximoperè contemni videtur, dum contemptibilis vitæ homines altaris miniſteria vſurpant, ac non ferendo improbitatis exemplo deſtruunt potiùs eccleſiam, quàm ædificant; quod diſertis Gregorius verbis inculcat: *Nemo* (inquit) *in Eccleſia ampliùs nocet, quã qui peruerſè agens nomen, vel ordinẽ ſanctitatis, vel ſacerdotis habet.* Aequo igitur iudicio Altiſsimus indignos eiuſcemodi ſacerdotes animaduerſionis gladio ferit, quos funeſta de ſe cũ aliorũ detrimẽto ſcandala exhibere conſpicit. Et ne incerta vltrò vagetur oratio, deplorando Tiburtii ſacerdotis nequam exitu aſſertionis noſtrę propoſitum aptè comprobari videtur de quo iſthæc Gregorius:

Diuinæ in ſacerdotes impuros querelæ. *Sophoniæ c. 1.*

Gregorius in paſtor.

Nocentiſſimi qui ordinẽ & nomen ſanctitatis conſpurcãt.

11. *Gothorum tempore quidam ſpectabilis vir, Reparatus nomine, venit ad mortem. Qui dum diù immotus, ac rigidus iaceret, viſum eſt, quod ab eo funditùs flatus vitalis exiſſet, atque exanime remanſit corpus. Cùmque eſſent & multi, qui conuenerant, & cũ iam mortuum familia lugeret, ſubitò redit, & cunctorum plangentium in ſtuporem verſæ ſunt lacrymæ; Qui reuerſus ait: Citiùs ad Eccleſiam B. Laurẽtij Martyris, quæ ex nomine conditoris Damaſi uocatur, puerum mittite, & quid de Tiburtio presbytero agatur, uideat, & renunciare feſtinet.*

Gregor. lib. 4. dial. c. 31.

Oſtenſa Reparato pio ſacerdoti alterius impudici ſacerdotis miſera mors.

Qui uidelicet tũc Tiburtius carnalibus deſiderijs ſubiacere ferebatur. Cuius adhuc uitæ, morumque benè quoque Florentius eius nũc Eccleſiæ presbyter meminit: Cùm uerò puer pergeret, narrauit idem Reparatus, qui ad ſe reuerſus fuerat, quid de illo, ubi ductus fuerat agnouit, dicẽs: Paratus fuit ro-

gus

gus ingens, deductus autem Tiburtius presbyter in eo eſt ſuperpoſitus, atque ſuppoſito ſubinde igni concrematus. Alius autem parabatur rogus, cuius à terra in Cœlum cacumen tendi videbatur. Cui emiſſa voce clamatum eſt, cuius eſſet? His ergò dictis, ſtatim Reparatus defunctus eſt. Puer vero qui ad Tiburtium tranſmiſſus fuerat, iam eum mortuum inuenit. Qui videlicet Reparatus ductus ad loca pœnarum, dum vidit, rediјt, narrauit, & obijt, apertè monſtratur quia nobis illa, non ſibi viderat, quibus dum adhuc conceſſum eſt viuere in hoc interim ſæculo licèt, & à malis operibus emendare. Rogum vero conſtitui vidit Reparatus, non quod apud Infernum ligna ardeant, vt ignis fiat, ſed narraturas hic viuentibus illa de incendio prauorum vidit; ex quibus nutriri apud viuentes corporalis ignis ſolet, vt per hæc aſſueta audiẽtes diſcerent, quod de inſuetis timere debuiſſent. Hic obſcæni Tiburtii, qui ſacerdotali caractere inſignitus erat finis, cuius anima gehennalibus flammis addicta, luxuriæ ignem, dum quis inter mortales degit, gehennæ duntaxat metu, ac memoria ſuperari poſſe, opportune contemplantes admonet.

Vt ardenti rogo iniectus foret.

Purgatorii ignis ſymbolum.

12. Sed alterum hic Sacerdotis, æque improbi inter ſacra miniſteria in Dei contumeliam perdite laſciuiẽtis exemplum ſubijciamus, qui lucrũ ſibi impietatem fecerat, ſuamque religionem laſciuiam computabat: Quapropter impius Sacerdotalis cõtinentiæ iugo procul abiecto, & in omnem profuſus libidinem, lupanaria potius, quã tẽpla, ac ſacra altaria excolere videbatur. Atqui diuino appetitus gladio, in ſuiſque turpitudinibus miſere abreptus eſt, vt Petrus Damianus rem hiſtoricè his verbis exequitur.

Sacerdotis ſcortatoris aliud triſte exemplum.

18. *Noſtra (vt fertur) contigit ætate quòd narro. In Galliarum partibus penes adminiſtrationem ac ditionem cuiuſdam Religioſi Abbatis, nomine Benedicti, preſbyter habitabat: Qui nimirum quanto copia facultatum vberius affluebat, tanto magis religionis, & honeſtatis premebatur inopia. Obeunte igitur pellice, viduatus adiecit iterare coniugium. Quid plura? Confœderat ſibi, quaſi tabularum lege proſtibulum amicorum, atque confinium congregabat nuptiali more Conuentum, Epulaturis etiam totius affluentiæ prouidet apparatum. Abbas autem, dum decederet; iamque felicem appropinquaret ad exitum: hoc audito duos ad eum Monachos miſit, eique tã impudens ſcelus, ſub diſtrictæ cenſuræ interminatione prohibuit. Ille verò, vt erat conceptæ nequitiæ ſtimulatus inſtinctu; obtemperare non potuit, ſed temeritate plectibili quidquid nuptialis ordo dictauerat, impleuit. Cunctis itaque perſtrepentibus iocis, ac laſciuiæ deditis presbyter quaſi bos ad victimã ductus conuiuiũ deſerit, thalamos non delectationis, ſed perditionis ingreditur, & (ò terribilis Deus in conſilijs ſuis ſuper filios hominum) repentina morte mulctatur. Vno ſi quidem, eodemque momẽto, & ſemen fudit, & animam exhalauit. Sic ſic remunerari debuit, qui de ſacrario Domini ad exoletum Lupanar, ſuumque volutabrum trãſire decreuit.* Inter lupanaria igitur impurus iſte, qui propoſito perditionis exemplo ouiculis Chriſti aberrandi viam mõſtrabat, alter veluti lupus inexplebiliter vẽtris ſaginę intentus, laſciuienſq; pœnas tãdẽ ſcelerũ luit, dũ enim nuptialẽ ſacrilegus thalamũ ſubit, carnificinam iuſto Dei iudicio, repentinoque è vita interitu, ſubiiſſe viſus eſt:

Petr. Dam. epi. ad Pandulphum cap. 10.

Monita piorum Benedictinorum reſpuit.

Dum libidinem ſatiat extinguitur.

Quo-

14. Quoniam vero opportuna de viris Eccleſiaſticis mentio agitur, qui vitijs irretiti, acerbam Eccleſiæ contumeliam ſuis moribus intulere, & graui ſeipſos proſcripſere iudicio, repetendum hic eſt, quæ de Pariſieſi Canonico in hæc verba Cæſarius memoriæ prodidit: *Pariſijs* (inquit) *in Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Canonicus nuper obijt, qui multa habens ſtipendia delicatiſſime vixerat. Et quia ex delicijs maximè, & de his, quæ ad gulam pertinent, libido nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem iuuenis valde tunicam carnis ſuæ maculauit, & tã illo, quàm alijs ſuis peccatis iram Dei in ſe prouocauit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis confeſſionem fecit, peccata defleuit, & emendationem promiſit, viaticum accepit, munitus eſt, & hominem depoſuit: cuius corpus, vtpote viri nobilis, diuitiſque cum magna pompa ſæcularis gloriæ tumulatum eſt. Et erat in illa die tanta ſerenitas, vt ipſe aer eius obſequijs famulari videretur. Dixerunt homines ad inuicem: Multa bona præſtitit Deus homini iſti; nihil enim ei defuit horum quæ homo Chriſtianus habere debuit. Dominicis Sacramentis munitus eſt, cum magna gloria ſepultus eſt. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Poſt paucos dies, cuidam ſibi valde familiari apparens dicebat ſe eſſe dãnatum. Cùmque miraretur ille, & expaueſceret, pœnitentiam eius, & Confeſſionem, ſacram etiam Communionem & inunctionem commemorans; reſpondit defunctus, vnum bonum mihi defuit, ſine quo nullum horum, quæ enumerata ſunt, mihi prodeſſe potuit. Quid eſt illud, inquit? Reſpondit mortuus: vera contritio; licet enim* Deo promiſerim *conſilio* Confeſſoris *continentiam, ſiue alia, quæ ſalutis ſunt; tamen dicebat mihi conſcientia, quia ſi conualueris, obſeruare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad tranſgreſſionem, quàm ad voti obſeruationem, nullius peccati merui remiſſionem. Deus requirit firmum propoſitum pœnitendi.* Infelici igitur exitu vitam finiuit, qui prauis vitam actibus, ac ſe ipſum vitijs fœdauerat, oriſque ſui calculo perditionis ſententiam, cæteris documento futuram patefecit.

Sacerdotis Pariſienſis funeſtum exemplum. *Cæſar. lib. 2 cap. 11. Io. Maior. in ſpeculo moral verb. Contrit. exem. 6. pag. 182.*

Moriturus omnibus Sacramentis procuratis eſt.

Damnatus æternis ignibus ſocio ſe videndum obiicit.

15. Sed funeſtum hic impuri hominis, qui clericali militiæ adſcriptus, redditibus Eccleſiaſticis impenſe cumulatus, caſtitatẽ, quã Deo illibatã ſeruare debuiſſet, proculcabat ex moderno excerptum ſcriptore exitum lectori contemplandum proponimus; hæc enim in ſelectis exemplis de eo ſcribit. *Venio ad illud, Quod me ſupra quam dici, aut cogitari poteſt, horrore metuque impleuit. Erat Aulicus alter in ſortem domini receptus, multiſq; eccleſiaſticis redditibus abũdãs. Hic iam inde ab adoleſcentia libidinibus deditus ab hoc longa mulieris conſuetudine implicatus, nulla diuinæ ſeueritatis formidine, nulla ſalutis æternæ cura contineri videbatur: verùm cùm in hac praua vitæ ratione perſeueraret, horribili, atque perpetua à Deo cæcitate percuſſus eſt, vt nihil planè oculis vteretur. Quæ cæcitas cùm deberet illi mentis oculos aperire, omnemque ab animo peccatorum caliginem pellere, viſa eſt tenebras eidem maiores offundere, nec tam miſeri iſtius peccatoris oculos claudere, quàm cor excæcare; nam adeò ab ea muliere, cui conſueuerat, non eſt abſtractus, vt etiam arctius eidem adhæſerit. In pauca vt conferam, hæc tam pertinax hominis contumacia; diuinæ iracundiæ quaſdam quaſi faces admouit inſtãque ſibi illatæ à flagitioſo illo iniuriæ vindicãdæ cauſã attribuit. Et enim anno MDC.XXXII. ſolemnibus Sacro-*

Ian. Nicius eriThr. in Exem. virt. et vit. exem. 40. pag. 44

Cœcitas animæ, corpori cæcitatem induxit

cro-

croſanctæ Euchariſtiæ ferijs, cum per uiam quandam vrbis Rheda veheretur, atque in ſolemnem quandam pompam incurreret, qua Chriſti corporis myſteria deferebãtur, admonitus eſt à ſuis, vt conſiſteret, & in genua procumberet, cumque ille ad has voces, honoris ſcilicet cauſa, caput demitteret, continuo, tanquam ſi à diuiniſſima illa hoſtia telum, vel fulmen aliquod prodijſſet, quod lethale ipſi vulnus infligeret, ita vt erat capite demiſſo extremum vitæ ſpiritum reddidit. Vtrum autẽ Deo iudici ſaluus fuerit, nec ne, non definio, neque vllam in patrem diſputo. Ea enim eſſe mors potuit cum eo animi dolore coniuncta, qui ſit ad veniam impetrandam ſatis: At ſi dolor hic abſuit. Penſate (inquit *Gregorius*) *qualis ad conſpectũ diſtricti iudicis peruenit, cui non licet flere, quod fecit.* Ad diuiniſſimę igitur hoſtię, cui caſtitas in his, qui ſacroſancti Altaris miniſterio inſeruiunt, apprime placet, conſpectũ peſſimus caſtitatis proculcator, non ſecus ac fulmine ictus expirauit, vt cæteris metum incuteret, illibatumq; caſtimoniæ vigorẽ cautè ſeruandum cunctos pręmoneret.

Ad cõſpectũ Sacramenti altaris cui impure viuendo contumelioſus fuit, moritur

16. Ne homines igitur, qui diuino addicti ſunt obſequio, ſacra altaris vaſa impuris contrectare manibus aliquando audeant, tam Eccleſiaſticis legibus, quàm illo diuinitùs oraculo præmonentur: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Et congruè qui ſecus fecerint, condigno ob contemptum numen, proculcatumque oraculi verbum, ſupplicio afficiuntur; nam diuini furoris calicem pręguſtare, infelici malorum compendio miſeri cõpelluntur. Vt cætera autem ſilentio obuoluantur: Vnũ hic Sacerdotis exemplum, quod noſtro hoc ſeculo Io: Dominicus Ottonellus e Societate Ieſu accidiſſe commemorat, ad cæteros in officio continendos, inſtruendoſque ſufficiat, his quidem verbis à ſcriptore Italico idiomate digeſtum.

Mandandi erant laturi vaſa Deo ſacra: quanto magis Deum contrectaturi. *Iſai. 52. 11.*

17. *Sacerdos quidam* (inquit) *nomine duntaxat, ac munere, haud vitæ puritate, vt par eſt, Sacerdos; moribus enim prophanus omnino cum animarum curæ præfecturam in ruſticana quadam extra Vrbem* Parrochia *obtineret, ouibus ſuo non tam elucrandis exemplo, quam perdendis, abducendiſque in barathrum ſuam impendere operam videbatur; fœminam quippe impudicam domi apud ſe retinens ſacrilegis ſemet ipſum actibus perpetuò obſtringens, praua cæteros, qua tenebatur peccandi conſuetudine, à Dei obſequio retardabat.* Interim verò cũ miſer nullum peccandi finem faceret, infirmitate corporis à Deo percuſſus eſt, ſi qua ab inolitis vitijs, illecebriſque reſipiſceret: Atqui cũ morbus quotidie inualeſceret, Notarius in presbyteri domum à propinquis, vt ſuis ille rebus eodem ſuadente proſpiceret, aduocatur, quem cùm grauiter decumbentem reperiſſet, mox ad id, cuius gratia aduenerat, exhortari eumdem aggreſſus eſt, et cum dicenti ægrotus nullatenus acquieſceret, ſed ad impudicas mulieres, & impudicitiam, quam animo verſabat continuò ſermonem dirigeret, Notarius re infecta domum remeare cogitur: diſceſſurus autem vnum propinquos admonuit, vt quoniam de domeſticis rebus componendis, quod ſui erat muneris, nil apud hominem profeciſſet, poſthac religioſos viros adhiberent, vt animæ ſuæ iam iam moriturus conſuleret; Abijt igitur vir probus de presbyteri ſalute admodũ ſollicitus, anxiuſque, quem male ſibi conſcium, vitiorumque nexibus irretitũ iã tã decedentem videbat. Verum inſequenti nocte presbyter nil prorſus de corrigẽdis moribus, nil de expianda conſcientia,*

Ottonellus lib. de praua mul. conſuet. vitanda to. 1. adnot. 3. pag. 60. Exemplum aliud ſacerdotis mueri in concubinæ amores effuſi.

Delectant conſueta vitia moriturum.

Detrectat expiare conſcientiam.

nil

nil de morte, ac æternitate, ad quam feſtinabat apud ſe recogitans, nulloque Sacramentorum remedio ſuæ curam animæ qui curam alioqui animarum gerebat, agens, infeliciſſime e vita abijt: Muliere duntaxat, cum qua turpiſſimè conſueuerat, in ſupremo vitæ momento ei ad certum dũtaxat perditionis periculum, ruinamque ad latus hærente; quæ inſperato hominis obitu, & portentoſo quidẽ abſterrita, mane facto Notariũ adijt, remque totã ex ordine narrans: presbyter ille (inquit) hac nocte peſſimo fine abſceſſit; paulo enim ante quã Spiritum efflaret, cùm me in cubiculũ accerſiſſet, tres prope lectulum, in quo iacebat, ſellas apponi iuſſit, & cum foras exiſſem ad oſtium curioſè obſeruabam, illi, vbi me aduocaſſet, ſtatim præſto futura, et en illum intus, ac ſi cum alijs loquentem audiui, ad quod cùm ego obſtupuiſſem, ac ipſos, quinam eſſent, de facie noſſe percuperem reſerato oſtio cubiculum ingreſſa ſũ, cũ ille iſthæc mihi edixit: Ibimus, Ibimus. *cui ego, vt blandè ſermonem in rem præſentem verterem, illũ de profectione in ſuburbanum, ac peramænum aliquem locum ſubintellexiſſe rata: Ibimus ad eum (inquio) profectò, poſtquã tu Deo propitiãte conualueris, in Villã, quibus hæc ille: ibimus quidem ibimus ſed non in villã, vt tu modo ais, ſed procul dubio in tartara; ſcito etenim tres numero cacodæmones paulò ante hìc adſtitiſſe, qui manifeſtam mihi ſententiam perditionis renunciantes, tartareis me ignibus, Dei iudicio irreparabiliter addictum aſſirmarunt. At quò ego, tu quoque poſtmodũ venies, me enim & tu infallibiliter mox ad mortẽ ſequeris; quæ quidẽ ſuprema eius verba tunc quidem, ſed nunc maximè animum remordent meũ. E cubiculo interim abſceſſi: me autem vix egreſſa, ingens repente clamor obaudiri cœpit; at illuc protinùs dicto citiùs accurrens Dominum meum in lectulo exanimem reperio, ac putidiſſimi fœtore ſulphuris, quem ferre nullatenus poteram, cadauer reſperſum ſontio.*

Dæmones moribundo adſtant.

Accepta damnationis ſententia ſignificat cõcubinæ ipſam quoque damnatũ iri.

Violenta morte perit.

18. *Hic deplorãdus, vt modo audiſti, heri mei, ac presbyteri finis; ſed tu interim, quid nunc de ſalutis negotio exiſtimes; & quid, vt mihi quoque bene conſulam, faciundum, edicio: Cui hæc Notarius: Animæ quidem tuæ adeo inſigni viſu, portentoſoque obitu diuinitus premonita quantocyus proſpicias velim, atque hortor. Alieno igitur infelix mulier periculo ſapias, ſupellectilẽ & facultates, quæ ad te ſpectant, pretio diſtrahas, & peccata tua eleemoſynis redimens diuinam tibi, ſi qua potes, miſericordiam promereri ſatagas; tuamque ieiunijs, ac pijs carnem exercitationibus diſcruciare non deſinas, vt perditi Domini tui exemplo edocta, tartarei ignis ſupplicia, cautè, dũ per tẽpus vacat, ſubterfugere queas. Veh veh tibi ò mulier, ſi ad Dei voces obſurdeſcas, & lumini cœlitùs exhibito mentis oculos claudas; futurum enim profectò eſt, vt ſi monitis non acquieſcas, certam tu quoque animæ iacturam incurras.*

Terretur meretrix ſed non reſipiſcit.

His mulier auditis, multa de ſe ad meliorem frugem traducenda dixit, promiſitque. Atqui dum oſcitanter rem ſuam agit, & quod ſtatuerat, operi demandare detrectat, vix quindecim interlapſis diebus, ad Notariũ exterrita recurrens, narrat ſingulis fere noctibus animal quoddã faucibus aſtare ſub felis imagine, quod ſe totis præfocare viribus contẽdat, cui ille: Dæmon vtiq; eſt, qui tibi ſic fauces præcludere conatur, ſi Deus ſuis præualere viribus aduerſario permitteret; meis igitur conſilijs acquieſcẽs, ne ad momentũ quidẽ temporis pœnitentiam differas, magnũ enim inſtat ex dilatione periculum, vbi animæ negotiũ agitur. Abijt itaque mulier, ac ſenior facta, moraſque innectens, nullam pœni-

Narrat ſe noctu à dæmone felis inſtar diuexari.

tentiæ operam dedit: At Deo, qui eam ſatis, ſuperque præmonuerat, permittente, paucos poſt dies repentino interitu, nullam ſuæ ſpem ſalutis repromittens, è vita deceſſit: Illud Auguſtini profectò inculcans: Aliorum perditio tua ſit cautio. Ex quibus prophanum hominē, ac Sacerdotem, qui Virginis filium impuris in altari manibus contrectabat, ac Venerem ſimul in Lupanari colebat, inter inolitas carnis illecebra haud dubio deperditæ ſalutis argumento è vita ſublatum, ac mulierem ſubinde, quæ peccandi eidem conſortio adhærebat, ſatis infeliciter cōceſſiſſe conſtat.

Repentina morte præfocatur. Aug. in ſerm.

Haud quid abſimile (Ottonellus inquit vbi ſupra) *alteri nequā Sacerdoti, qui impudicè cū muliere verſabatur, accidit, is enim, cum anno redempti Orbis 1638. apud celeberrimam Inſubriæ Vrbem moraretur, & die quadam ad indulgendum meretricijs amoribus lætus properaſſet, dum neſando vacant operi, & prophanus iſte contrà id, quo ſe Deo obſtrinxerat, immani conſcientiam ſacrilegij piaculo polluiſſet, ſacrilegam Deo iniuriam vlciſcente, improuiſo vterque fato abripitur: Verùm vt mors haud caſu, ſed diuino obtigiſſe nutu, ad terrorumque exemplo innoteſceret, paucos poſt dies, miro portenti genere amborum brachia, & reliqua corporis membra, quorum animi impudicitiæ glutino inuicem arctiſſimè colligati fuerant, eum in modum, mutuoque ſibi inhærere viſa ſunt, vt vnum ſeiungi, ac diuelli ab altero cadauer neutiquā poſſet*. Quo illud Angelici Doctoris oraculum videntibus palā fieret: *Quod luxuriæ videlicet vitium præ cæteris eſt maximæ adherentiæ*, & qui eiuſcemodi prauæ conſuetudinis viſco inhæret, difficile tandem funem, ac finem pariter vitæ ſoluit. Porrò portentoſæ huius rei citò apud omnes fama percrebuit, ac non exiguum audientibus metum incuſsit.

Ottonell. vbi ſup adnot. 3. pag. 61

S. Thom. in ſum.

CAP. VI.

Cauſidici ſuum iniuſtis cauſis patrocinium deferentes

1 L A eſt Iuſtitiæ laus, & prærogatiua, vt ſuam cœteris vna cum nomine lucem, decoremque virtutibus impertiat, cunctaſque ſuo ſplendore mirificè illuſtret. Quapropter iure hanc Philoſophus nobiliſſimam virtutum reginam appellauit: *Iuſtitia* (inquit) *eſt omnium virtutum præclariſſima ipſa eſt omnis virtus*. Quo quidem præconio nil dignius, aut excellentius dici poteſt, dum vnius ad omnes illuſtrandas virtutes, præmōſtrādaſque fulgor ſufficere creditur. Iuſtitia igitur, quæ virtutum ſibi principatum vendicat, cum ſui primam à Deo nominis nuncupationē ſortiatur, eādemque ad homines ſubindè illuſtrandos tranſmittat, tantùm virtutibus antecellit (vt Hieronymo teſte): *Omnium virtutum ſpecies ſub vno Iuſtitiæ nomine contineantur*. Quapropter cum virtus vna, ſine qua reliquæ non conſtant, & cui omnes valido amoris nexu iunguntur, tū Deo, tū hominibus gratiſsima ſit, hanc vel leuiter aliquando viros eius obſequio addictos violaſſe, haud mediocre piaculum computatur.

Quæ & quanta Iuſtitiæ laus & prærogatiua

Ariſt. lib. 6 Aethic.

Iuſtitia virtutum princeps a Deo nomen accipit. Hieron ad Demetriadē.

Quid verò, ſi hanc impugnēt, proculcentque hi, quibus potiſsimùm eius cura, ac patrocinium incumbit, & qui per ſeipſos fouere eamdem, ac tueri debuerant? Hinc ſapientiſsimis Au-

Violare iuſtitiam Cauſidicos non vulgare piaculum.

Auguſtinus verbis Cauſidicos validiſſime perſtringens, ſuique præmonitos volens officii, ne iuſtitiam quoquo modo lædant, prætereantque, ab iniquarum patrocinio cauſarum ipſis abſtinendum inculcat: *Nihil* (inquit) *impudẽtius arrogãtia Aduocatorũ, qui garrulitatẽ auctoritatem putãt, & parati ad lites in ſubiectos tumida intonant*. Nundinas quippè inter ipſa ſubſellia, quibus iuſtitia velut in throno præſidet, iuſtitiam diſtrahendo, exercent, dum pro iuribus verba; & pro veritate nugas turpiſsimè venditant.

August. in ſerm.

Quapropter iure optimo iniquus in iudicio Cauſidicus, non ſecus ac prędo, alieniq; depeculator argui, atq; Ambroſio teſte, puniri poſse videtur. *Iure enim* (inquit) *Aduocato dicitur: Redde, quod accepiſti, quoniam contra veritatem feciſti, iniquitati adfuiſti, iudicem feſelliſti, iuſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti*. Vbi enim cupidis Cauſidicorum auribus pecuniarum ſonus obſtrepit, omnia ſuſq; deque inuerti iura neceſſe eſt, & ſuum ibi pecunias potiùs, quã cauſas patronum inuenire contingit: *Nam ſi in aurem Iudicis, vel Aduocati* (vt ille aiebat) *ſuſurret pecunia, Orphei lyra, carmẽ Amphionis, Muſa Virgilij voce pecuniæ ſuffocantur. Quid plura? Vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba rauceſcit. Vbi nummus militat, Hectoreæ militiæ fulgura compeſcuntur. Vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea; nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuerſis*. Hos autem non tam ſollicitos iurium defenſores, quàm alienarum cupidos diuitiarum patronos, tutoreſque, qui iniqui ſpe lucri curſitant, & apud Iudices cauſas promouent, Innocentius publicos veluti hoſtes, prædoneſque iuſtiſsimè aliquàndo redarguit, ſugillatque, vt ſuo infra loco patebit. Iuſtitia quippè manifeſtã ab iis, quos ſui tutores maximè agnoſcit, & velut à latronibus vim patitur, ſi nõ, vt par eſt, defenditur, imò vti res prorſus inuiſa præteritur.

Cauſidici aliquando vili pretio iuſtitiam vendunt. Amb. in ſerm.

Alanus de de conqueſt. natura.

Cauſidici iniqui publicæ rei hoſtes.

2. Maximè igitur Deus iraſcitur, ſi iuſtitiam ab his, qui iudicium exercent, iniquè proculcari videt; & haud ſemel à recto aberrãtes tramite cõceptis verbis abſterruit, cõdigno;q; multatos ſupplicio à nefario opere cõpeſcuit. Quapropter illis apud Iudaicum populum iudices acriter dictis perſtringit: *Maledictus, qui peruertit iudiciũ aduenæ, & pupilli, & viduæ, & dicat omnis populus: Amen*. Maledictis quippe homines veluti execrãdos eos potiſsimũ impetit, qui iuſtitiam violant, peruertuntque iudicia, ac veluti ſceleſtiſsimos diris deuouet; Vbi enim ius læditur; cuncta item in publica adminiſtranda re infeliciter claudicare, immo peſſũdari neceſſe eſt. Proindè impios iniquarum patronos, defenſoreſq; cauſarum, qui acceptis vltro muneribus iuſtitiam violant, & ipsãmet patrocinãdo linguam pretio diſtrahunt, vehementiùs Iſaias increpans ait: *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam aufertis ab eo*. Profectò lugubre iiſdem carmen à nobis prophetico ore decantandum eſt, quippè qui funeſtos tandem Deo vindicante exitus incurrunt, vt de iniuſto quodã Aduocato Cæſarius his verbis memorat:

Iniqui iudices publicis diris deuotę. Deuterom. c. 27.

Iſaia c. 5.

3. *Narrauit mihi antè paucos menſes aliquis ſacerdos de Saxonia, dicens: Nuper in terra noſtra quidã decretiſta nominatus, mortuus eſt, qui cũ hiaret, lingua in ore eius defuncti non eſt inuenta. Et meritò linguam perdidit moriens, qui illam ſæpè vendiderat viuẽs. Licet in illo diuino examine, vbi aperti erunt libri, & Hieruſalem ſcrutabitur* in

Cæſar. lib. 11 mirac. c. 46.

Digitized by Google

in lucernis, nullus aduocatorum, neque pro ſe, neque pro alijs, aſſignare poterit aliqua falſa loca ex legibus, ſiue decretis iuſto tamen Dei iudicio, ad tribunal Chriſti iturus, linguam quà multos vel iniuſtè accuſarat, vel temere defenderat, amiſit. Hæc ille de Cauſidico, qui lucrum potiùs, quã quod iuſtum eſt, in patrocinandis cauſis attendere conſueuerat:

Aduocatus elinguis poſt mortem.

4. Elinguis igitur poſt mortem repertus eſt, qui linguæ iugiter miniſterium iniuſtis prouehendis forenſibus cauſis ſtudium, operamq; impẽderat, ac diuitum donis, muneribuſque illectus, linguam quoque ſuam, vt amplum mercedis pretium acciperet, infami patrocinio diſtrahens, iuſtitiam quodãmodò nundinatus fuiſſe videbatur. Ex quo, qui litigiis, vel certe iudiciis dant operã, vt ſuo faciant muneri ſatis, iuſtitiam apprimè in hominum cauſis tueri, veritatem in iudicio proſequi, neutiquam cauillis inniti, non dolis, ac fraudibus ſuffulti cauſas proſequi à muneribus manũ, linguam vero à mendaciis illibatam ſeruare diſcant, ne vbi iudex iniquè ſententiam protulerit, ad Dei tribunal elinguis, ac iſtius ad inſtar mutus omninò adeſſe compellatur: Atqui probè munus ſuum tam aduocatus, quã Iudex præſtiterit, ſi æquitatẽ, ac veritatem in cauſa potiùs, quã pecuniarum lucra vterque reſpiciat, ſi munera, quæ ſapientum virorum oculos excæcãt, cautè declinauerit, vt quõdã Chriſtianæ vir ſimplicitatis, ſed diuina quidẽ afflatus ſapiẽtia, è Capuccinorum familia, ac inter laicos præcipuus, nũc verò iure merito inter Beatos adſcriptus Fr. Felix è Cantalicio verbis, factiſque edocuit. Hic enim, cũ in cuiuſdam domum, qui tunc litigantium cauſis pro decernenda Iuſtitia præerat, eleemoſynas pro religioſis ſui ordinis quæritans adueniſſet, accidit, vt cùm ex inferiori domus atrio paſcualẽ vitulũ, qui ei dono miſſus fuerat, mugientẽ extemplò audiſſet, iudici propior factus, eiuſq; auribus inſuſurrãs: *Mi Domine Iudex* (inquit) *vitulus ille, cuius mugitũ obaudis, ad te clamat, nec fruſtrà, quippè qui ſententiã ſibi, ac* Domino *fauorabilẽ à te pronunciari expoſcit.* Quibus prolatis rem ſapientiſſimus Dei famulus ſeriò agens illinc ſtatim diſceſſit. Beatus profectò vir, qui excutit manus ab omni munere, ne iuſtitia, & animæ ſalus pariter diſpẽdiũ patiatur.

Muneris eſt iudicis munera reſpuere.

In vita eiuſdem Beati & chronicis.

Sapiens dictum factũq; B. Felicis Capuccinorum familia

Turpe tribunal quod opulentum.

Porrò verboſi, venaleſque Aduocati, qui ſuæ vltrò patrocinium linguæ dato ſibi pretio venditant, nedũ peſſimè apud Chriſtianos, ſed & male olim apud Ethnicos olebant: Quapropter aculeatis haud ſemel, queruliſque carminibus eoſdẽ poetæ inſequuntur, ac vnus præ ceteris Ouidius turpes eiuſcemodi linguarũ patrocinantium nundinas egregie perſtrinxit cum cecinit:

Turpe reor miſeros empta defendere lingua;
Quod faciet magnas, turpè tribunal opes.

Ouidius lib. 1. amor. eleg. 10.

Elegans item eſt illud Senecæ

Hic clamoſi rabioſa fori
Iurgia vendens improbus, iras
Et verba locat ---

Quin imò cauſas alioqui iuſtiſsimas, eo quod patronorum tum lingua, tum opera, ob pecuniæ defectum deſtituantur, merito cadere idem qui ſupra poeta iuſte ali quãdo, conqueri viſus eſt:

------------ *Et mea cum ſit.*
Optima non vllo cauſa ruente perit.

Ouid. epiſt. Aconcij ad Lydippem.

5. Fraudulentã vero iſtorũ crumenas potiùs expilantium, quam iuſtè cauſas patrocinantium induſtriam, apologeticis paſſim ſententijs Sancti

Pa-

Patres inſectari nõ deſtitere. Auguſtinus enim cõceptis, vt ſupra in eos verbis amarulenter inuehens: Nil iniquorum Aduocatorum arrogantia, qui nugis haud iuribus in cauſarum patrocinio adnituntur, deterius reperiri pronunciat.

Prauam item aduocatorum licẽtiam, quam Auguſtinus arrogantiã nuncupauit, vtpote quæ anteactis quoque ſæculis portentoſum in modum ſerperet, in ſuo ad Eugenium apologetico ſermone Bernardus inſequitur, dum ait. *Miror namque quomodo religioſæ aures tuæ audire ſuſtineant huiuſmodi diſputationes Aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubuerſionem, quàm ad inuentionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita abſque labore manifeſtam facit veritatem, ſicut breuis, & pura narratio. præſcinde ergò linguas vaniloquas, & labia doloſa claude. Hi ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium diſerti aduerſus Iuſtitiam, eruditi pro falſitate, ſapientes ſunt, vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum.* Hæc Bernardus valde in eos ſtomacabundus ingerit, quibus, & Caſſiodorus cohærentia elocutus: *Hi ſunt* (inquit) *qui cauſas protendunt adhibiti, impediunt prætermiſſi, faſtidiunt admoniti, obliuiſcuntur locupletati: Hi ſunt, qui emunt lites, vendunt interceſſiones, deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt tranſigentes.* Multiplicibus quippe dolis, maliſque artibus iniqua verſipellium Cauſidicorum, qui linguæ officium palã venditant, officina inſtructa eſt: ſed vt ſupremam enarratis hactenùs manũ, ipſiuſmet Innocẽtij, dum Cauſidicorum technas proſequitur, verbis imponentes, eorum hic dolos detegamus. Quid ille in Aduocatos pecuniarum cupidos, at æqui faſtidioſos disertè, ſapienterque inculcet audiamus: *Sæpè* (inquit) *cauſas tantùm differũt, quod litigantibus plus, quã totum auferunt, quia maior eſt expenſarum ſũptus, quã ſententiæ fructus, nec terminantur negotia pauperum cœpta, quouſque eorum marſupia ſint euacuata, cũ tamẽ ſcriptum ſit: Gratis accepiſtis, gratis date: ipſi verò nec gratiam gratis dant, nec Iuſtitiam iuſtè reddũt. Lucrum in arca, damnum in conſciẽtia, ſed quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Hæc verborum iacula in perditæ tũ fidei, tùm conſcientiæ Cauſidicos Innocentius intorquet, cuius farinæ aduocatum (de quo nuper meminimus) & qui magno infelicitatis cumulo, & ſi verboſus, dum vixit, mutulus tamen lingua deceſsit, extitiſſe nobis credere par eſt; miſer enim ob pecuniarum lucra, ſuæ certum animæ irreparabiliter detrimentum fecit.

6. Huic Cauſidicus alter, totus patrocinãdis aliorum cauſis lynceus, ſed in ſuæ ſalutis negotio totus delirus, ac cæcutiens iungendus eſt, qui cũ ingentem ſibi pecuniarũ vim ex cauſis iniquis forſitan, vt aliorũ mos eſt, coaceruaſſet, congeſta tandem in coaceruantis duntaxat detrimentum pecunia recidit, adeò vt poſt ampla diuitiarum lucra, vitiis quoq; abũdè refertus iacturã animę fecerit, vt in malæ ſpei Promontorio, his verbis auctor tradit: *Cauſidicus hic* (inquit) *erat legum peritiſſimus, qui ſicut omnium aliorum cauſas optimè, ità animæ ſuæ peſſimè egit, perdiditque: Namque quia ex frequentibus clientelis, magnæ opes creuerũt homini, indè natæ ſũt magnis quoq; ſceleribus occaſiones: præſertim verò tempore*

Alia Diui Bernardi *Bernar. lib. 2 de conſid. ad Eugenium pp. c. 9.*

Caſſiodorus ſup. ſpl. 73. irritat. aduerſarius nomẽ tuum in fin.

Exercentur ab his blanda in mediis vrbibus latrocinia. *Innocentius de vilit. condit. human.*

Alienas cauſas acutiſſime penetrant, at ſæpe ad propriç ſalutis cauſam cœcutiunt.

Cauſidici iniqui triſtis ex itus.

Digitized by Google

pore à cauſis dicendis libero, totus inter Bacchi pocula natabat in mero; atque vt fieri ſolet, ſui, recti, Dei oblitus: quorum memoria continua temulentia ſepeliuit. Interim, vt diuina bonitas virum ad ſobriam, ſanamque reduceret mentem, adhibuit medicinam: inſuauē quidem, ſed oppido ſalubrem nempè lethalem morbum. Qui corporeā preſſus infirmitate, ægrum noxis animum non corrigit; ſcit fortaſſis pati, ſed neſcit fortuna ſua vti: vnaque ægritudine tollere alteram longe maiorem. Ità iſte neque in fatali morbo factus eſt melior, inter dolores ſemper quaſi ebrius, aut vino, aut voluptate aſſueta excluſit, quæ ſācta ſobrietas ex cœleſti penu promebat conſilia. Iamque etiam homines religioſi admouebant machinas expugnando Cauſidico; ſed ille monitoribus ſuis aſper iuſſit, vt aliam quercum excuterent, quem etiam inter plura pudendæ inſaniæ verba, auditus eſt in lecto prouocare ad duplex tribunal, Dei alterū, alterū diaboli: decernerent iudices hic diuerſiſſimi, Cælo, an Orco ſua deberetur anima. Tenuit aliquandiù ſilentium æger, quaſi attenderet perorātem vtrinque partem. Tùm deindè in vociferationes prorumpens, cauſam ipſe reus adiudicauit cacodæmoni: tolleret animam ſuam, quod dicendo viciſſet. Inter has blaſphemias, & deſperatione pleniſſimas voces, infelix homo migrauit ad eum, cui victoriam aduersùs Deum deſcripſit; ipſe victori diabolo, ſiue in præmium, ſiue in ſpolium ceſſit. Miſer profectò, qui dum probè aliena in foro negotia peragit, ſalutis negotium perditè agendo, ac ſibi de impunitate perperam adbladiendo aurum elucratus, ſeipſum perdidit.

Paulus Zehetner in promptuar. malaſi et lib. 4. §. 10. n. 24. pag. 704.

Pia monita ab eo contempta.

Animam dæmoni quod viciſſet dicendo deuouet.

7. Huic alterius fraudulenti Iuriſconſulti caſus ſubtexēdus eſt, qui dum marſupium magis, quàm conſcientiam, & lucrum potiùs, quàm iuſtitiam in cauſis reſpicit, totumq; fraudibus negotium peragit, ad diuinum tribunal, infelici morte ſublatus eſt, cuius hic ex moderno probæ fidei ſcriptore hiſtoriam ſuggerimus: *Erat in præcipuum Italiæ Vrbe* I.C. *ex quodam Aemiliæ pago, egregiè quidem doctus, ac prudens, ſed mirè perfidioſus, cupiduſque pecuniæ: qui ſæpè, in eadem cauſa, cū ab actore, & à reo pecuniam accepiſſet, contrarium defendebat illi, quod eorum alteri ſcripſerat: verùm tantam ſibi apud omnes auctoritatem, tātam ingenij, doctrinæq; opinionem pepererat, vt nihil putarent agi poſſe, nihil perite, vbi ipſe non adeſſet. Verū cùm die quodam, in neſcio quo iudicio, contrà rem cuiuſdam viri nobilis, ſed non admodū diuitis veniſſet, non tulit ille, ſed vt erat acer, ac ferox, ſica homini in facie vulnus inflixit, ſeque ab Vrbe remouit. Cumque aliquandiù patria, domoque caruiſſet, et quod refert, cū iā nihil in marſupio relictum eſſet pecuniæ, qua vitam ſuſtētaret, egit per amicos, alioſque, vt* I.C. *oblitus iniuriarum, pacem cum ipſo componeret; ſed fruſtrà: Nam homo iracundus, & animi perditi, nullis cuiuſquā perſuaſionibus, nulla auctoritate adduci poterat, vt tā inſigniter ſibi factam iniuriam eſſe inultam pateretur, quamobrem ille ſtatuit optimū eſſe factu, vitæ expertem hominē facere; at ferijs Baccanalibus, cū ferè omnes tota hac, illac, vrbe perſonati diſcurrunt, cum cognatus illi quidam adeſſet, baiuli habitu, atque perſona mimum agens, ſclopum minuſculum in illum emiſit, qui innoxius, plumbeam glandem, quā exploſerat, in machæræ piſtorienſis, quā ille pallio tegebat, capulum impulit, atque incolumem eum dimiſit: qui tamen mortis dilationem, & moram, non autem effugium inuenit, ſupplicium, quod momento penè temporis, ac nullo ferè*

Alterius Cauſidici funeſtum exemplum.

Ianus Nicius Erithræus in exem. virtut. & vit. exem. 161. pag. 194.

Percutitur in facie ab aduerſario.

Paratam necem vix euadit.

doloris

doloris ſenſu, animam adimeret, declinauit: ſed in illud, quod ſenſim, nec ſine ſummo animi cruciatu, ad mortem daret, incurrit. Nã cũ aliquãtò poſt, palã eius criminis inuidiã laboraret, quod eorum cauſas, quos defendendos ſuſceperat, aduerſarijs proderet, Romæ reus præuaricationis eſt factus, ac vocatus, vt ad cauſam dicendã adeſſet; quò cũ veniſſet, & multitudine teſtiũ obrueretur, ac cerneret non poſſe ſe iudicium, ac pœnam effugere; animum deſpondit, ac demũ, ex animi ægritudine, mortem obiens, non expectauit iudicum ſententiam; ſed anteuertit. Sic infelix iſte Cauſidicus metu perculſus, ac conſcientiæ iudicio obnoxius, qui alios prodere, eorumque cauſas perdere conſueuerat, in tribunal productus, aliis exemplo futurus, funeſtiſſimũ conſcientiæ teſtimoniũ ferre non valens, diem clauſit: *Conſcientia enim* (inquit Cicero) *graue pondus eſt*. Quod hominẽ adeo prægrauat, vt ſibimet intolerandum reddat, & quamuis iudicem noxa, reũ tamen vix vmquam prætereat, vt ta cecinit:

Prędictorũ clientum crimine accuſatus, mœrore exareſcit

Cic. lib. 3. de nat. Deor.

Iuuen. ſat. 13

——— *prima hæc eſt vltio, quod ſe*
Iudice nemo nocens abſoluitur: ———

Quam ſane conſcientiæ vim hic expertus eſt. Ea enim eſt, *vt ſemper* (inquit ille) *pœnam ante oculos verſari putent, qui peccauerint: & nihil timeant, qui nihil admiſerint.* Cauſidici igitur, qui aliènas apud iudicem cauſas agunt, ſuã ad Dei tribunal, vt benè ſibi cedat, cauſam meminiſſe debent; benè autem cedit, ſi Gregorii verbis aurem adhibentes opere, quę ipſe monuit, adimpleant: *Iuſtus aduocatus* (inquit) *à nullo iniuſtas cauſas accipit, nec verba dare pro iuſtitia ſuſtinet.* Et hæc de Cauſidicis dixiſſe ſufficiat, dum interim ad alia properamus.

Cic. orat. pro mil.

Optima aduocati forma ac deſcriptio Greg. in Ezechiel.

CAP. VII.

Choreis operam dantes per iniuriam ſacrorum temporum, aut locorum.

1 SAltatrices, quæ ad pelliciẽdos in malũ, ſupplantãdoſq; hominum ſenſus diabolo inſtiganti deſeruiunt, fugiendas, ſeduloque ab eis, tanquam à Syrenarum illecebris cauendum, illis Sapiẽs verbis edixit: *Cum ſaltatrice* (inquit) *aſſiduus ne ſis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Hæc quippè ad ruinam promptæ, expeditæque ſibi, ac cæteris laſciuos inter ſaltus lapſum, cladem que certam intentant; & ne noſtra longiùs à propoſito abeat oratio, patentiſſimum ab Euangelicis excerptum tabulis teſtimonium proferamus: Quis autẽ ignorat, quòd vnius quõdã ſaltatriculæ puellæ pręmium, diabolo inſufflante, ac matre ſuggerente, acerba ſanctiſſimi præcurſoris, ac prophetæ mors conuiuales inter epulas, nouo portento, ac prorsùs inaudito extitit: *Cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, et tribunis, & primis Galilææ, cũque introiſſet filia ipſius Herodiadis, ſaltauit in medio, & placuit Herodi. Vndè cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcumq; poſtulaſſet ab eo &c. Quæ cum exiſſet dixit Matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ &c. Et contriſtatus eſt Rex propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: & miſſo ſpiculatore præcepit afferri, & dari caput eius in diſco; & decollauit eum in carcere, & at-*

Diuina in choreas ſententia. Eccleſ. c. 9

Herodias ſaltatrix de prophetæ capite ludit Marci c. 6. 25 Matth. c. 14.

Digitized by Google

& attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri ſuæ. Hactenùs ex Euangelicis tabulis exeçrādū, ac funeſtūq; ſpectaculum, quod in ſanctiſſimi præcurſoris cæde exhibitum fuit, contemplandum proponitur. Caput quippè ſanctiſſimum, quod totius ſanctitatis caput iure dici poteſt, condignū puellæ, quę laſciuas in conuiuio tripudiantis in morem choreas duxerat, præmium, ac merces à Rege inceſtuoſas inter dapes laſciuiente ceſsit, ſed vtrique res tam ſacrilega, adeoq; immanis haud à flagello immunis, atque ex voto proceſsit.

Marci c. 6. 21 Impia hominis in ieiurando.

2. Verùm antequam triſtem vtriuſque exitum videamus, hic vbi de choreis ſermo eſt, Ambroſium cōtra laſciuas ſaltatriculæ choreas, epulaſq; acriter perorātē audiamus: *Ab adulteris* (inquit) *iuſtus occiditur, et à reis in Iudicem capitalis ſceleris pœna conuertitur. Deindè præmiū ſaltatricis, mors eſt prophetæ &c. Quantæ in vno facinore ſunt crimina! Quis non cum è conuiuio ad carcerem curſari videret, putaret prophetam iuſſum eſſe dimitti? Quis (inquā) cum audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet, datam, miſſum ad Ioannem ob ſolutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delicijs? Quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pænam Propheta conuiuali tempore, conuiuali præcepto, quo non cuperet vel abſolui: perimitur gladio, caput eius affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur.* His pari verborum pondere, aculeiſq; Auguſtinus cōſonās, ſuū deteſtādæ fert crudelitati calculū his planè verbis: Puella (inquit) *ſaltat, & ſæuit mater, & inter delicias, & laſciuias conuiuantium temerè iuratur, & impiè quod iuratur, impletur.* Delira planè ſunt hominum inter blandas ſæculi voluptates ſæuientium, ac laſciuientium pariter conſilia! ab epulis nāq; ad choreas, à choreis ad machæras, à deliciis ad cædes, à conuiuio denique ad ſacrilegium, atque ad prophetę ſanctiſsimi necem temerè proſilitur. Porrò, quænam laſciuas, ludicraſque eiuſcemodi choreas præmia conſequuta ſint, videamus: Puella igitur, quæ certam aliis perniciem, acerbumque ſaltitando caſum pepererat, ſuo quoque iugulo prophanos inter ſaltus diffluenti, capitalis ſententiæ gladium intentauit, diuinoq; expetita iudicio haud carnifice opus habuit; ipſa enim petulantiori pede deambulans, iuſtam in ſe carnificinam exercuit, adeò vt ingenti malorum cumulo tàm mater, quàm filia, infelici ſubindè exitu vitam abruperint. Et puella quidem non tam ferrum, quàm glaciales in ſe ad indignum, ac malè ſanū caput, quod Prophetæ caput præcidi popoſcerat, reſecandum cultros in ſceleris vltionem euocauit, ac ipſa iuſto Dei iudicio viſcera, quæ pietatem procul abiecerant, ac flecti neſcia prorſùs obduruerant, haud alio, quā Pharaonis inſtar inter vndas perire, geluque perſtringi, atque ad condignas numini pœnas exoluendas, ipſam pro machæra ſortiri glaciem meruere.

Saltatricis chorеę prophetę exitium attulere.
Ambr. lib. 13 de virginib.

Mater furit in prophetę caput, dum filia ludit, ſaltitatque.
Auguſt. ſerm. 116.

Diuina in ſaltatrices reas prophetici cruoris iuſtitia,

3. At quis tandem ſaltatriculæ, matriſq; ſimul exitus fuerit, hic nobis ex Nicephoro, qui hiſce rem geſtam verbis deſcribit, repetendū eſt: *Furibunda ſed enim* (inquit) *& adultera, inceſtaque adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, re vera autem Philippi erat coniux, vita longiùs acta, cū priùs filiam ſaltatricem acerbo fato ſublatam vidiſſet, deinde ipſa quoque deceſſit,*

Niceph. hiſt. lib. 1. c. 20.

ceſſit, futuri ſæculi iudicio, & ſupplicio reſeruata, meras ibi quã citiſſimè diuinæ iræ fæces, intolerabiliſque indignationis Domini calicem hauſtura. Hæc de ipſius ſaltatricis matre, quæ Prophetæ necis auctor extitit, ac de infelici item eiuſdem, ſed iuſtè vindicato obitu Nicephorus tradit. Nũc verò, quæ impudentiſſimæ ſaltatriculæ funera, ſacrilegíſque tripudiorum conuiualium choreis fœnera reſponderint, videamus: *Filiæ autem eius* (inquit) (*dignus eſt enim, qui memoriæ commendetur*) *talis fuit obitus. Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluuius traijciendus: qui cum glacie conſtrictus, coagmentatuſque eſſet, pedes eũ tranſibat: glacie autem rupta, idque non ſine* Dei *numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciuiens, molliuſque ſe mouens ſaltat non in terra, ſed in vndis: caput verò ſceleſtum frigore, & glacie concretum, deindè etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem lethalẽ exhibet: ſpectaculoq; eius omnibus præbito in memoriam, ea, quæ fecerat, ſpectantibus reuocat.* Hæc Nicephorus. Porrò hiſtoriæ huius licet haud conſtans apud omnes, vt Baronius ait, veritas habeatur, fides tamen ipſum penes auctorem ſit, & apud cunctos inſuper certum diuinæ in ſaltatriculam impiam vltionis argumentum, ac pœnæ pariter monimentum extet.

Iuſta, ac digna ſaltatriculę impudentis pœna Nicep. vbi ſup.

Baron. tom. 1 An. 33. n. 6

Huic & illud, alteri ſaltatrici, & adulteræ fœminæ, chorizantibusq; inflictum diuinæ vltionis Cantipratano referente iudicium, vt infrà narrabimus, his planè verbis, mirificè conſonat: *In Gallia* (inquit) *iuxtà Laudunum, ſicut à presbytero villæ percepimus, quidam chorizantes ſaltibus ſuper pontem, diſrupto ponte fortiſſimo, in aquis validis totaliter ſunt ſubmerſi. Vidi, & ego adhuc puer in choreis procaciſſimã ſaltatricem, quæ me præſente poſt choreas inſolenter cum adultero luctabatur, & cum ceſſaſſet, ſubitanea morte percuſſa miſerabiliter expirauit.* Funeſtus planè chorearum, & chorizantium pariter finis, qui ipſummet ſaltantibus vitæ filum infeliciter abrupit.

Choreas agitantes repente ſubmerſi. Thom. Cantipraten. lib. 2 Apum, c. 49 par. 14. 15.

Adultera inter ſaltandũ extincta.

4. Verùm, vt alia in rem præſẽtem exempla, quibus choreæ diuino imperio proſcribuntur, retexamus: Profectò, qui choreis in laſciuientiũ morem, nulla habita loci, vel temporis ratione turpiter, petulanterque indulgent, Deum in primis, quẽ grauiſſimè lædunt, ad indignationẽ, & ad id, quod exleges præſtant, quãtocyùs vindicandum prouocare, prophetico Ezechielis ore prænuntiatũ eſt: Pro *eo* (inquit) *quod plauſiſti manu, & percuſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu, idcircò extendam manum meam, ſuper te, & interficiam te.* Itã planè impuras inter choreas Tibicini contigit, qui acerbo, vt Cantipratanus refert, è vita præreptus fato, neque poſt mortem intra ſacrum loci ambitum, vbi tumulatus fuerat, haud obſcuro diuinæ vltionis argumento conſiſtere permiſſus eſt, ſed rẽ à ſcriptore his verbis digeſtam, accipiamus:

Choreę Deũ ad vltionẽ excitant.

Ezech. c. 25.

5. *Marchia in Flandriæ Brabantiæ diſtrictu* (inquit) *Villa populatiſſima eſt ſita, in quã dedicatio celebrata multos ad ſpectaculum traxerat, & ad luſum. Inter quos quidam tibicem erat, qui chorizantes Iuuenes, & puellas ſaltationibus, & geſticulationibus ad carmina obſcæna, & turpia concitabat. Hinc cælo nubibus circà veſperas obſcurato, quique ad propria redierunt. Solo autem Tibicine non dũ*

Thom. Cantipraten. lib. 2. Apum. c. 57. Par. 4.

Digitized by Google

luſibus ſatiato peruiam ad ſolita remeãte, & canente tibia, ac ſaltante, & poſteriorum ſonitibus turpiter inſonante, duo pueri paſtores, vbi coruſcationes, & tonitrua imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, & eis videntibus in tibicinem fulmen cecidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora, viderunt pueri, quod duo nigerrimi canes ex inſperato venerunt, & inter ſe pendulum extincti brachium deportauerunt. Venientes autem amici, cadauer mortui ad propria detulerunt. Mane autem dicente presbytero, quia in atrio fidelium ſepeliendus non eſſet, quẽ in ludis turpibus tã notabiliter tonitru occidiſſet; reſponderunt amici: Etſi extinctus ſit tonitruo, tamen ad dedicationem Eccleſiæ peregrinus cũ alijs occurrit: Permiſit ergo presbyter, etſi dolens, vt in atrio ſit ſepultus. Et vide rectitudinem diuini Iudicij: *Mane facto ſepulchrũ patens inuentum eſt, & loculus, in quo iacuerat, vacuus, & eiectus; cadauer verò, vt optimè credi poteſt, ſicut & eius brachium à dæmonibus aſportatum eſt. Nota ergò lector, quia tali vindicta digni ſunt, & ſi (eis parcente Deo) tales caſus ſemper non puniat, qui turpibus ludis, & cãtibus ſacra fideliũ atria, & Eccleſiã inhonorant.* Cõgruè autem ſcurra impuriſsimus, qui turpi, obſcænaque manuum geſticulatione, ac pedum ſaltu laſciuiẽs in turpitudinem, tũ viros, tũ fœminas concitabat, ictus fulmine brachiũ amiſit, tumuloque intrà Eccleſiam, in quam temerè illatus fuerat, veluti prophanus diaboli miniſterio orbatus eſt.

Eius brachium auulſum dæmones exportant.

Refodiũtur & corpus tanquam ſacra indignum ſepultura.

Velut prophanus e ſacro loco ſaltator proiiciatur

6. Porrò impudicis ſaltitantium choreis iram Dei vehementer concitari quis neſcit. Lapideas quippè Moyſes legis tabulas Dei digito exaratas confringens quanti res iſta piaculi ſit, cunctos palàm edocuit: *Vt vidit Moyſes choreas proiecit tabulas, et confregit eas.* Cõſcriptas quippè digito Dei tabulas choreis per ſummam iniuriam aboleri, diuinaſque ludentium pedibus proculcari leges vir ſapientiſſimus, etſi non verbis, facto tamen palã aſſeruit. Sed præter recenſitas in ſacris paginis hiſtorias, quibus eiuſcemodi ſaltationes proſcribuntur, manifeſtam Dei in vetulam, quæ aduerſus ſacerdotis monita choreis indulgens ſolemnem feſti diei obſeruantiã deridebat, vltionẽ videamus, de qua iſthęc Cæſarius: *Cùm eſſet* (inquit) *quidam Arnoldus Paſtor cuiuſdam villæ, & in die Apoſtolorum Petri, & Pauli, eius parochiani quemdã ludum annuum in choreis, & muſicis inſtrumentis recolerent, ipſe habens prædicandi auctoritatem, cum cruce ad choream acceſsit, & vt à ludo diaboli recederent, omnes monuit, rogauit, & præcepit. Qui cũ in eodem loco prædicare cœpiſſet, quidam obedientes ad prædicationem ipſius venerunt, alij cũ indignatione recedentes contra choream ſteterunt, nonnulli in ſua pertinacia remanſerunt. Inter quos erat vetula vna ſtulta, ac ſuperba, quæ quoties ad ſacerdotem Domini in chorea circumeundo veniſſet, contrà eum reſpiciens cantando ſubſannauit, quæ infrà triduum ſubito defuncta eſt: quã vir ſanctus ſic defleuit, ac ſi eam manibus ſuis illam extinxiſſet.* Ex quibus profectò intelligere vnuſquiſque poteſt, chorizantium ludus quã ingens piaculum ſit, quod cũ ſacrorum, tùm temporum, tũ locorum iniuria admiſſum, nonniſi lugubri, ſubitoque interitu mulctari meruit.

Exodi c. 32. Conſcriptæ Dei digito tabulæ ob chorearum ſcelus diffractæ

Cæſar. lib. mirac. lib. 4. c. 11

Saltatrix inſolens repẽtina morte obruta

7. Quamobrem Deus olim feſtiuã recurrentium dierum, qui religionis obſequio dicati ſunt, præcipuo deuotionis cultu memoriam, piiſque eorum obſeruantiam officiis frequentã-

dam

dã præcepit, dũ Iudaicum tũ præceptis, tùm minis populum erudiret. Adeòque religioſæ intercurrentium temporum venerationi proſpexit, vt cùm de ſabbati præſertim die, qui inter reliquos præcipuus habetur, leges conderet, iuraque præſcriberet, quidquid prophani eſt operis, à ſuis procul, vtpotè rerum diuinarum ſtudio, ac cõtemplationi intentiùs operam daturis auerteret. *Opus* (inquit) *ſeruile non facietis in eo.* Et vt validũ preceptis robur adiiceret, ac metu ſacris obſequiũ ritibus cõciliaret, prophanos ſacrorum rituum, dierũq; violatores acerbis haud ſemel ſupplicijs affecit, repreſſitq; prout in diuinis tabulis cautũ eſt. Porrò ſi ad nouiſsima Euãgelicæ diſpenſationis, piæque obſeruantiæ tempora, mentis aciem, atque orationis ſtylum conuertamus, ſacras venerandorum dierum ſolemnitates pari Deus à Chriſtianis cultu, ac zelo viſus eſt exegiſſe, dum haud tacitis, vulgaribuſq; ſuppliciis contemptores affecit, vt hiſtoriales paginæ vbique paſsim legenti fidem faciunt, vnuſque præ cæteris Thomas Cantipratanus nobili rem, diuinæ in chorizantes præſertim vltionis argumento illuſtrat. Sed ipſum quæſo enarrantem gratis auribus excipiamus.

Choreæ in feſtorum dierum celebritate deſu fugiendæ.

Religio ſabbathi quæ. & quã ta ex diuinis tabulis.

8. In *Villa quadam* (inquit) *Brabantiæ, vt mihi frater Ordinis Prædicatorum narrauit, mulier procax, & vana erat, quæ in omni ferè feſto choreas iungere conſueuerat. Et factum eſt, vt iuuenibus viris ad ſaltum iuxtà choreã ludentibus vni eorum pilam ferire conanti baculus de manu ſambucalis euaderet, & dictam mulierem ducentem choream percuſſam in capite mox necaret. Hæc viderunt omnes, & confuſi ſunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in ferctro poſuerunt. Presbytero verò cũ clericis dicturo vigilias veniente, ecce taurus nigerrimus, imò dæmon peſſimus cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore deiecit, & cornibus illud diſſipans membratim confodit, ità vt viſceribus hinc indè diſperſis fætor intolerabilis ſpargeretur. Fugientibus ergò cunctis cadauer laceratum, vſque in craſtinum ſolum relinquitur, quouſque euaporato fætore proximi eius intrare poſſent ad corpus, et ſublatum extrà cæmeterium ſepelire.* Vtinam mulieris, quæ prophanis ſacrorum dierum religionem choreis violauit, exemplo cum viri, tùm fœminæ inter choros & choreas, ac lubrica ſæculi gaudia diſtluentes pedẽ contrahant, & Deo, quæ Dei ſunt reddendo condignũ illi alieno edocti periculo obſequium deferant!

Procax mulier ſaltatrix repentino lecho ſublata. *Thom. Cantipr. lib. 2. Apũ c. 49. pag. 23.*

Fœtor ingens ex ſaltatricis cadauere.

9. Enimuerò proculcata laſciuis præſertim ſaltibus ſacrorum tẽporum religio, acerbiſsimas quouis tempore in orbem terrarum clades inuehit, deplorãdaſque populorum ceruicibus vaſtitates intentat, cuius teſtis locupletiſsimus D. Antoninus accedit, qui violato inter choreas feſtorum dierum cultu, ingẽtes populis calamitates obtigiſſe his verbis meminit: *Quidam* (inquit) *in die Paſchæ ſumpta communione dederunt ſe laſciuis chorizationibus et ebrietatibus; vnde ira Dei cecidit ſuper eos. Nam de ore eorum exibat ſanguis fætidus, & reflexus ad interiora, ſubitò ſuffocabat eos. Aqua ſiue pluuia ſic inundauit, vt diſcurrens per omnem terram eorum omnia virentia penitùs euerterit, dracones peſtiferos in via dimiſerit, ſic quòd nullus poterat ingredi, vel egredi ſine periculo. Cùm ergo quidam ſanctus oraret, vt Deus placaretur huic populo, vel ſaltem demonſtraret cauſam tãti flagelli, apparuit ei Angelus, & propoſuit talem quæſtionem: Si aliquis acci-*

Deus iniuria ſacrorum dierum exacerbatur.

D. Antonin. par. 4. ſumm. Theol. tit. 14. c. 6. §. 1.

Digitized by Google

acciperet filium Imperatoris, *& poneret in fætidiſſimo carcere, & obſcuriſſimo, & hoc proditoriè, quid deberet tali facere* Imperator? *Cui ille: Talis deberet interfici, & mutilari membratim.* Iterùm *dixit* Angelus: Propono tibi *aliud dubium vnus accepit pixidem, in qua reſeruatur Corpus Chriſti, & in fætidiſſimo luto in præſentia multorum eam proijcit, & abſcondit, quid ergò debet fieri tali? Reſpondit Sanctus: Deberet cremari tanquam hæreticus. Tunc Angelus. Tales ſunt ciues iſtius terræ; nam filium Dei poſuerunt in fætidiſſimo, & obſcuriſsimo carcere, & vlteriùs pixidem, ideſt, corda ipſorum in quibus conſuetum eſt corpus Dominicum reponi, proiecerunt in lutum, & in fimo fætidiſsimo vanitatum, chorizationum, & immunditiarum; & ideò non eſt mirum, ſi iſtis, vel maioribus puniantur. Quod cũ audiſſent à ſancto Pontifice, pænitentiã agẽtes liberati sũt.* Grande igitur piaculum eſt, ſacros Deo, eiuſque cultui dicatos dies impuris, illicitiſque actibus, ac ludis cõtempſiſſe, & poſt adoratum in altari numẽ, ſacroſanctum eius nomen, venerandaque diuinæ fidei ſacramẽta in foro, aut in theatro per iocum, vel (quod iniquius eſt) in lupanari impuris, petulantibusque choreis dehonoraſſe. Huius quippe rei cauſa flagella diuinitùs Christiano orbi cõtingũt: *Quis eſt vir ſapiens* (Hieremias inquit) *qui intelligat hoc. quare perierit terra?* Interroganti autem illud protinùs reſponſum è cœlo adfuit: *Et dixit Dominus, quia dereliquerunt legem meam.* Hæc profectò malorum impẽdentiũ cauſa, id vnũ tragicarũ fons, atque origo calamitatũ. Sacris igitur condignus diebus deferendus eſt cultus, vt Deus vltro placatus miſericordiam largiatur, cladeſque procul Hieronymo teſte, à populis abigat: *Amputandæ ſunt* (inquit ille) *morbi cauſæ, vt morbus pariter auferatur.*

Quã grauia quæ in Deũ & ſacros ritus patrantur, delicta.

Flagitia populi publicorum maloꝛumque cauſæ.

Hierem. c. 9. n. 12.

Hieron. ep. ad Nepotian.

11. Sed vt multiplices, quæ à laſciuientium præſertim choreis emergunt, vaſtitates recenſeãtur, quid probę fidei ſcriptorũ aſsertione iocãtibus, nefãdaſq; inter choreas ludentibus funeſtè acciderit hic repetamus: *Agebantur Qualenſes in Lubica nuptiæ, aderatque frequentiſſimus virorũ, mulierumque multitudo choreas ducẽs: ignis incognita origine inuadit, perimuntur ab eo centum octoginta vtriuſque ſexus, ſoli ſponſi nudi è lecto euaſere incolumes: Vndè datus eſt prouerbio locus: Nuptiæ ſcilicet Qualenſes.* Acerbum item alter ſpectaculum ipſas inter choreas igne correptus, pręcipitiq; inter fugiẽdum lapſu colliſus exhibuit: de quo iſthæc apud Cranzium: *Ludouicus Marchio Miſnenſis ab Haberſtadẽſe ad Bambergenſem, hinc Madeburgenſem Archiepiſcopatũ euectus choreas, & carmina non omiſit: plus in eo valebat patrius mos, quã Chriſti religio.* Ad *dies carnis priuij vocauit miniſterialium ſuorum puellas, & matronas in oppidum Caluenſe, ipſeque primus in prætorio ſpatioſo choreis intererat fœminarum reſtim ducens. Die lunæ ad horam veſperam apparuit ignis in Camera leuiſſimus, qui vel à puero reſtingui potuiſſet: nemo occurrebat, ſed ad gradus feſtinabant vniuerſi tanta contentione, vt pondere victa domus crepitu ingenti edito ſubſideret, & per ſcalas lapideas* Archiepiſcopus *manu tenens* Dominam *cũ trecentis alijs rueret, & poſtero die moreretur, ex reliquis tres ſoli periere.* Et congruè præſul, qui ducendis choreis auctor extiterat, primus diuinæ iudicium vltionis expertus eſt. Sed quid idem, qui ſupra ſcriptor narret, his, quę hactenùs enarrata ſunt, ſubtexamus:

Albertus Granz. lib. 12 Vãdal. & n. 14. Maiolus colloq. 3. S. de an. Dom. 1440.

Lubacenſiũ choreæ funeſtę incendio

Funeſtus chorearum exitus.

Cranz. lib. 10 met. c. 23 & lib. 10. Saxb. cap. 5.

Sub

Ducentes choreas præcipites acti. Crantz.lib.8. Metrop.c.39.

11. *Sub Rodulpho primo, cũ Traiecti iuuenes, puellæ, viri, & fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, et venerabile Chriſti Sacramentum deferretur, nec illi proſternerentur intenti vanitatibus, mox ponte decidente, ducenti propè mortales perierunt*: Choreis namque tũ maximè, cum in religionis contumeliam cedunt, iuſtiſſimè Deus iraſci conſueuit. Prophani igitur, qui ante Dei Arcam, non obteſtandæ religionis, ac lætitiæ exhibendæ gratia, vt olim rex Dauid, ſed in religionis popudium ſaltitabant, exitio traditi ſunt.

Verùm cũ è turpi libidinum cœno, in quo mollet, es lubrici homines velut in cinnamomis volutantur, cunctorũ ſentina malorum ſcateat, inde repentinus quoque (quod plerumque finis deliciarum eſſe conſueuit) obſcęnis interitus hominibus prouenit. Opportunè autem deplorandum inter iocos, & choreas diffluentium illis Apoſtolus verbis exitum prænotaſſe viſus eſt: *Et qui ſeminant* (inquit) *in carne, de carne metent corruptionem*. Triſtis quippè blãdæ voluptatis, & cõcitus æque, ac lugubris finis præmium cõputatur: nec quiſquam titillantes inter Veneres, cupidineſque felicem ſe futurum exiſtimet; Nàm in ipſo adblandientium voluptatum ſinu, pericula, detrimenta, calamitates, funera, clades, triſtia demũ cuncta obuenire ſolent, neque vllus, vel ſero remedii locus his ſupereſt, quorum effrænes animos cupido noxia captiuos reddit, plenoque ſubindè iure cæteris non reluctantibus, imò ad nutum deſeruientibus animæ facultatibus, non ſecùs ac ſuo princeps in regno imperat: *Mala beſtia* (inquit Chryſoſtomus) *concupiſcentia, quando rationem vicerit, nihil, quod oportet, videre ſinit, ſed quaſi in tenebris, & pugna nocturna omnia facit.* Ita planè Sãſonis inſtar, oculis primũ orbatos, demẽtatoſq; illecebris, ex diutina vitiorũ conſuetudine, ſui omninò impotentes, inualidoſque ad reſiſtendum reddit, vt poeta illis aptè, eleganterque in rem præſentem carminibus cecinit:

Ad Gal.3.6.

Chriſoſt. hom 4 in Geneſ.

Concupiſcẽtia mala beſtia.

Difficile eſt longum ſubitò deponere amorem,
Difficile eſt: verum quod lubet efficies.

Catullus in carmin.

12. Inolita quippè peccandi cõſuetudo alterã ſenſim quodammodo naturã induit, adeò vt qui voluptuoſus diù, volens, lubenſque vixit, demum vel volens, vel inuitus, etſi iã ſenecta præuenerit, à ſalutis ſemita toto cælo aberrans, Suiſque ad inſtar cœno, ac adipe ſaginatus, à Deo procul, & ab ipſius tandem regno moriatur extorris. Lubricæ nãque ſæculi deliciæ, prauarum ſunt fomenta libidinum, & *ſine Bacco* (vt ille aiebat) *Sine Bacco* (inquam) *friget Venus*. Qui enim Bacco, ventriſq; ſaginę addictus eſt, Veneri quoque obcæcatæ mẽtis deferre obſequium comprobatur. Et vt rem exemplo ediſcas, recens eſt, vtpotè quæ noſtro ſæculo contigit, & quã viri non tàm diuitiis, quã vitiis onuſti, ac nobilitate præcipui, ſuaſque inter delicias, non ſine certo ſalutis diſpendio, è viuis prærepti formidandam tibi, & à viro fide digniſſimo acceptam hiſtoriam proponimus:

Delitiæ fomenta libidinum.

13. In Vrbe apud Italos celeberrima recurrente (vti mos eſt) anni circulo, ſolemnes vulgo ludorum Bacchanalium dies peragebantur, in quibus ioci potiſsimùm, ſales, epulæ, ludi, choreæ, aliaque theatrorum ſpectacula, ad animos feſtiuum in morem oblectandos cunctis præſto ſũt.

Ex relat. Io. Paul. Copd.

Hoc

Hoc enim potiſſimùm tempore ſanæ, ſolidæque mentis vigorem ſerii quantumuis homines, ſapientes quã. tumuis, ac rigidi, ipſimet demùm Catones remittunt, inſeruienteſque tẽpori, otio, ac ludicris vacant, & dũ ſobriam quiſque mentem, ſanaque conſilia, quæque hominis ſunt, impunè exuiſſe videntur, illud ſinguli detriuio occinunt:

Bacchanalia gentilitię impietatis veſtigia.

Semel in anno licet inſanire. ---

Stata igitur hora diei ad opportunam ſuis gratiam deliciis dedecore multo conciliandam, & iuxta quod tempus dictabat, ad indulgendum genio, ac ventri, prauiſque ſimul cupiditatibus vir prædiues, ac nobilis quãplures è Lupanari meretriculas ad ſaltandum, ad compotandum, ad deliciandum euocarat, vna cum amicis, eiuſdemque farinæ, ac propoſiti ſocijs diem iucundiſſimè tranſacturus. Recurrebat tunc Sabbati dies, qui Deo immortali peculiari ex diuinarum legum præſcripto religione ſacer ſũmo honori habetur; quo item præ cæteris hebdomadæ diebus laborantium cum manus, tum pedes ab operibus vacant. Dies itaque, qui Deo cum olim apud Iudeos, tum in præſens Deiparæ Virgini præcipuo apud Chriſtianos honoris cultu dicatus eſt, apud exleges iſtos homines, Veneri, ac Bacco prophanus omninò habebatur. Interim vero qui aderant haud à vitijs otiosi ipſa inter otia hilaris vna cũ meretricibus, quas in domum induxerant, diem tranſigentes, vt ſeriò rem agerent, nugabantur, ludebant, ſaltabant, laſciuiebant, cordatoſque ſinguli vna cum pudicitia mores à domo illa, ne dum ab animo ablegaſſe videbantur.

Meretrices è lupanari ad feſtiua gaudia & choreas euocatę.

Naufragia pudicitiæ.

14 Verũ vbi nugis, atque epulis, vbi choreis, tripudijſque ſat datum eſt: En tibi inuerſa rerum alea à iocis ad rixas, à nugis ad probra; ab epulis à ſalibus, à ſaltibus ad iurgia ad contumelias, ad arma proſiliunt. His enim potiſſimùm turpia laſciuientis ſæculi gaudia finem ſortiri, atque inſulſas conuiuantium epulas reſpergi, abſoluique mos eſt. Vnus quippe ex ludentiũ, & impudicè chorizantium numero alium verbo, dein acerbiore contumelia laceſſit, euaginatoque demum gladio validiſſimè impetit; At infelix lethali vulnere ſaucius, cæteris quantociùs fugam arripientibus, ſolus ibi inter ſcorta, à quibus anima grauius ſauciata fuerat, remanſit, iamque ex vulnere ſenſim ad mortem nemine prorſus auxilium ferente exanimatus propinquabat. Lethali itaque ictu perculſus, ſuoq; cruore reſperſus in ſinu mulieris, cũ qua impudicè paulò ante ludebat, ſaltitabatque, & cuius item turpi miſer religatus detinebatur amore, cũ iam pœnè deficeret, exceptus, ipſa, quæ potiſſima ruinæ cauſa fuerat, decedenti, vbi iã anima inter ſuprema oris labia ad occaſum feſtinabat, ſalutis monita, pœnitentiæ pharmacum ſuggerente impurus, laſciuiens, impœnitens, impurũ non tàm in Dei, quàm in Diaboli manus ſpiritum cõmendauit. *Compunctio quippè* (vt benè ait Chriſoſtomus (*non viget in delicijs*. Nec obtinendæ vlla ſalutis ſpes inter delicias Veneris, blanditiaſq; cupidinis decedenti præſto eſt.

Miſera laſciuientis mors.

Chriſoſtomus in ſerm.

15. Vir igitur è domo illa, velut è publico lupanari, in quod tot ſcorta diuerterant, inter iocos, & choreas, abrumpente vitam ferro, haud dubio ſalutis diſpendio, æternæque perditionis calculo ad Dei tribunal, repentè vocatus, gehennæ, (vt credere par eſt) ignibus pabulum ceſſit, vt ſuo infelici exitu illa lobi morbidos,

dos, laſciuoſque homines præmonentis verba ſuggereret: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Mulier verò viri caſu edocta, vt ſuæ ſaluti vel ſero proſpiceret, à vitijs potiùs pedem retraxit, perditamque ex animo vitam retractans, anteactos, quos malè explendis libidinibus annos inſumpſerat, intimo ex corde pertæſa, lacrymis quæ patrauerat ſcelera expiare cæpit, boniſque ſe totam poſt hac operibus addicens, quadraginta, & amplius annos, quibus adhuc vixit, ſapientiſsima Auguſtini verba ſeriò recolens, elucrandæ iugiter ſaluti impendit: *Quem enim* (inquit) *non corrigunt verba, corrigant experimenta*. Correxit profectò fœmina viriliter, ad mortis imaginem reuiuiſcens, quam turpiter cœno libidinum vitam maculauerat, funeſtoque Amaſij viſo exitu, à Tartaro pedem retrahens, in ſpem ſalutis emerſit; Vtinam, qui obſcænis voluptatibus, choreiſque delectantur, dum iſthæc audiunt, Sapientis aptè in rem præſentem verba ſecum repetant: *Qui nutrit ſcorta, perdet ſubſtantiam*. Animam quippè miſer iſte irreparabiliter perdidit, dum ſibi momentaneam voluptatem exquirens ſcortorum choreis intendit: vt enim Auguſtinus monet. *Qui male vixit, vix benè moritur*. Et hæc interim ſatis, dum à choreis ad Concubinarios ſermonem conuertimus.

Iob c. 21. 13. Meretrix caſu territa reſipiſcit.

Aug. ſer. 50. de temp.

Prouerb. c. 29. n. 3.

Aug. in ſerm.

CAP. VIII.

Concubinarij malè pereunt.

1 Certum, deplorandumque inter blãdas carnis illecebras hominibus intentari exitiũ haud mirabitur, qui nonniſi triſtem, aculeatamque blandientis Veneris dulcedinem eſſe meminerit: *Venus enim* (vt ait Beda) *eſt illecebroſa voluptas, adulterina iucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorſo*. Ita planè: Venus dum blanditur, decipit, & dum ſuauius allicit, titillatque, ſuos item ſectatores perdit, ac iugulat. Quapropter Sapiẽs mortales quondam opportunè præmonuit, dum voluptuoſam illis maximè præcauendam illecebram edixit: *Ingreditur* (inquit) *blandè, ſed in fine mordebit vt coluber, & quaſi regulus venena diffundet*. Blanda igitur homines titillat initio, at funeſtũ ſubindè dum emergit, exitum ſortitur voluptas. Verùm vt exemplis res conficiatur, & concubinarios, qui peſſimo è vita fine ſublati ſunt, recenſeamus, duorum hic voluptuoſorum hominum cladem in ſuis à Pædagogo Chriſtiano conſignatam paginis, & à Zehentner in ſuo malè ſpei promõtorio inſertam, lectori hic ob oculos proponimus; eius igitur verba excipiamus:

Beda lib. de templo. Voluptas dũ aficit, inficit & interficit.

Prouer. 5. 23. 32.

Zehent. in promon. malæ ſpei lib. 2 §. 5. n. 17. pag. 194.

2. *Qua in re* (inquit) *caſum afferam multò quàm luctuoſiſſimum, narratum ab eo ipſo viro, quem ſua luxuria in morte perdidit, orcoque tranſcripſit infelicem victimam. Dabo ea fide hiſtoriam, qua deſcripſit Pædagogus*

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtianus ex binis auctoribus, viris Deo ſacratis. Itaque Comis, ait, in Italia *ciuis Concubinarius, iam à medicis depoſitus, ac morti proximus, monitus eſt à quodam è* Societate *Ieſu ſacerdote, qui viri vltimam Confeſsionem excepturus venerat, vt iam tandem lupam, quam domi ſuæ tandiù ſuſtentaſſet, ab ſe ablegaret. Ille primò negauit ſidis ſe ancillæ obſequijs, eo rerum ſuarum ſtatu carere poſſe. Deindè indictis ad placandum Numen domi apud ſocios precibus, cum inſtaret acriùs Pater, flexiſque adeò genibus, & cum lacrymis obſecraret, ſuæ vt ille ſalutis, hoc ſaltem poſtremo vitæ tempore, memor eſſet; benè monentem audiuit, meretricem domo eiecit, & graui peccatorum ſarcina, cum doloris ſenſu apud Sacerdotem depoſita, eodem die è vita migrauit; ſequenti mane pater, qui confitentis peccata pridie acceperat, pro uiro ſacris operaturus, è cubiculo egreſſus, ſenſit ſubitò, velut impacto corpore, repelli ſeſe, ſimulque vocem hanc audit: Quo vadis? Pater ad ſacrarium nihilominùs progreditur, inque ipſo aditu, retro ad duos paſſus agitur ingenti impetu: Superat tamen, & indutus ſacris veſtibus, ad aram procedit: Ibi cùm iam Miniſter Confiteor inciperet, apparuit ad cornu epiſtolæ ſuper altari horridum monſtrum, quod patrem intuens: Ne (inquit) pro me ora, caue ſis, ne facias. quid ni? ſubdit pater: nonne tu is es, cuius heri apud me peccata pænitentiæ Sacramento cum lacrymis, & vero pænitentiæ ſenſu expiata ſunt? nonne, & à Deo dimiſſa? aut noui quid intercurrit? Heù me! exclamat, qui ſub ſpectro latebat: & legitimè confeſſus eram & peccatis veniam dederat Deus. Sed miſerum me! cùm poſt diſceſſum tuum, perdita illa domum rediiſſet, & officij cauſa ad lectum acceſſiſſet propiùs; ego, ego infelix, recurrentibus præteritis meis cum illa criminibus, in illicitam delectationem conſenſi, eoque penè momento extinctus, in æternas præceps flammas rui.* Hæc ille.

Paedag. chriſtian. par. 1. c. 4. n. 3.

Illius anima ſacerdoti ſacra peracturo ſe videndam offert.

Repente extinctum æternis pœnis damnari.

Sed ſcriptorem interim iſthęc Lectori ſuggerentem audire pręſtat: *Hic ſiſte* (inquit) *& time, & ingemiſce quiſquis hactenus vir præter tuæ coniugis vſum aſſueuiſti lenis, et leænis, & lupis, & meretricibus proſtibulis, alienum exitium te docebit, quomodo tuum effugias periculum.* Aculeatam profectò miſer, quam deperibat, Venerem expertus eſt, dum à vago, cui turpiter aſsueuerat, concubitu, certum denique animæ interitum eſt elucratus.

Triſtis luxurię finis

3. Alterum huic Concubinarium, qui præ libidinis æſtu in immanem quoque blaſphemiam proſiliens, fulmine de Cælo tactus, à muliebri non tam viuus, quam mortuus complexu auulſus eſt, ſubtexamus; cuius hiſtoriam Bencius in ſuis annalibus eleganti ſtylo hunc in modum proſequitur: *Quidam ob turpem concubinatum, Indam fæminam pellexerat, quam cũ aliquando ad infauſtũ thorum vi, miniſque compuliſſet, prouecta nocte cælum tonitru concuti, tremiſcere terra, denſaſque inter tenebras micare ignes, & per feneſtrarum rimas infundi, vt ferirent oculos, animoſque adulterorum: Cadit intereà ſciſſis nubibus largifluus imber cũ grandi grandine crepitante ſuper tectum. Hic mulier ſubitò pauore correpta: Virgo (inquit) Maria fer opem, tuere me, obſecro. At vir ferox, & impius mediam complexus, tace ſis ſtulta, ſcilicet auxilium nullum ferre poteſt Maria: abſcidit extremam vocem fulmen ſubitũ, quod intonuit, & adhuc loquentem auellit ab amplexu mulierculæ, quatuorque, aut quinque paſſus eiecit extrà lectum, & flamma concipit arida nutrimenta.*

Franc. Benc. in Annal. Societ. an. 1588 de reb colleg. Pacenſ. in Prou. Peruan.

Cœlum & terra coniurata in concubinarios.

Fulmine conflagrat.

menta: ſurgit mulier perterrita, miſerũ inclamat, excitat, pellit, nempe metu exanimatum non exanimem pũtabat. Trahit digitos pedum, corruũt pedes ipſi, diuelluntur, conantem domo egredi, & mortuum extrahere impediebat ignis introrsũ repellens, ad extremum vociferata horrendum, conciuit vicinos, & ægrè protracto informi cadauere reperiunt hominem, mirum dictu, biante ore, ſine vllis dentibus, ſine lingua, omnia præterea membra ita ſoluta, & fluxa, vt vel leuiter contrectata manum ſequerentur. Hic finis impuri, impudicique hominis concubinarij fuit: at mulier alieno malo edocta, quamquam extra periculum, non extra metum, cum vndequadraginta millia paſſuum confeciſſet, ad noſtrum templũ ſe contulit meliori vitæ instituendæ. Triſtis plane concubinarij, blandientiſq; illecebræ futurus cæteris documento finis deſcribitur.

Erepta periculo concubina ſanctiorem vitam inſtituit.

4. Et non ſine peculiari Dei nutu fit, vt homines, qui libidinibus dediti ſunt, vagoque laſciuientium iuuenculorum inſtar delectantur concubitu, infelices proculdubio è vita exitus conſequantur. Quod mulier natalibus æque conſpicua, ac impuris moribus vitiata, & à ſeipſa degener ſuo ſatis exemplo edocuit. Nam hæc apud concubinarium, in cuius domo morabatur, lãguore extemplò correpta, ingraueſcente poſtmodũ morbo, cùm iam ſupremo ſpiritu cõflictaretur religioſi viri ex infirmorũ miniſtris accurrunt; At illa ad ſalubria, quæ vltrò ſuggerebantur, monita obſurdeſcens, nil aliud quàm verba hęc in ore habebat: *Heu me miſeram! Ardeo, Ardeo.* Adeò autem turpes, portentoſoſq; tũ ore, tũ oculis geſtus præferebat, vt cacodæmones ſibi pręſentes adeſſe, rerũque horrendarũ ſe ſpectra videre innueret, ſolutique crines ſerpentũ ad inſtar ſeipſis in altum tolli, elatique ſubſiſtere viderẽtur. Miſera demum ſacerdotum, qui ad pœnitentiã hortabantur, verbis aurem non adhibẽs, alta ex imo pectore ſuſpiria trahens, bouiſque inſtar immugiens ardere ſe obteſtabatur, ac veluti occultũ toto è corpore ignem ſpirans, vtpotè auerni iã ignibus addicenda, diriſq; poſt blandas carnis illecebras pœnis abſumpta è vita migrauit.

Sandius Cicatell. in vit. Camill. de Lellis lib. 3. c. 9. nu. 261.

Concubina ardere ſe in morte exclamat.

Idem ferè homini, qui veteribus ſarciendis calceis apud Neapolitanã Vrbem operam dabat, funeſtiſsimè contigit, qui cùm vaga mulierum libidine difflueret, ſuaſque ſub vitæ finem apud ſacerdotem, à quo blãdis, proficuiſque ſermonibus inuitabatur, ſuas expiare culpas detrectaret, vitam potiùs, quã voluptatem deſeruit, & ante viuendi, quã peccandi finem fecit. Verũ morti iam proximo lucerna, quæ in cubiculo lucebat, ſua ſpontè extingui viſa eſt, ac ſi illud indicio eſſet, quod tenebroſa hominis, filii vtpotè tenebrarum conſcientia lumen haud patienter ferret, quod nonniſi benedicto priùs oleo in lucerna ſeruari potuit. Sed illud iure mirandum, quòd dũ miſer ſupremos ſupino iacẽs corpore anhelitus traheret, ingẽti religioſorũ, qui aderãt, metu, occulta vi, magnoq; impetu teſtacea, quæ in cubiculo aſſeruabantur vaſa, humi colliſa, confractaque ſunt. Et fragmẽta inſuper in decumbentis faciem inuiſibili manu ab alto iactari conſpiciebantur, quibus miſer impetitus, inter turpiſſimas geſticulationes, e vita in Orcum abreptus eſt.

Vbi ſup. lib. 3. c. 9

Laſciui veteramentarii triſtis exitus

Appetitus teſtaceis vaſis à dæmonibus.

5. Enim verò qui vago brutorum more concubitũ delectantur, noxijs voluptatum illecebris irretiti, et peccando aſſueti, ne dum ipſam ſub

ſub mortem à vetitis amplexibus diuelli queunt, vt teſtatiſſimo modernus probæ fidei ſcriptor in ſuis moralibus paginis exemplo rem confirmat.

6. *Audiui ipſemet* (inquit) *etiam tũ iuuenis in Aede D. Auguſtini concionatorem ex eadem familia, virum doctum, ac pium, qui de loco ſuperiore narrabat ſe paucis diebus ante celebri quadam Vrbis via euntem, de feneſtra cuiuſdam domus magnopere fuiſſe euocatum, rogatumque, vt aſcenderet, quo morienti cuidam, extremo illo tempore, ad ſalutem animæ opem afferret, accurriſſe eum ſubitò, inueniſſeque virum in lecto cubantem: cui grauiter ægrotanti mulier aderat concubina, & egregiam omnibus in rebus operam nauabat, nec mora eius confeſſionem excepiſſe, & cùm comperiſſet, quid ea ad illum mulier attineret, admonuiſſe eum grauiter, atque etiam pro poteſtate, quam gereret, præcepiſſe eidem, vt ſi Deo ſaluus eſſe vellet, illam ſtatim mulierem domo, quantùm poteſt, eijceret, ſed reſpondiſſe eum aiebat, ſe nunquam, vt mulieri optimè de ſe meritæ eam gratiam referret, vt ex improuiſo, nihil minus expectantem foras eijceret, præſertim, vt cũ maximè eius opera indigeret: etenim habere ſe neminem, neque cognatum, neque amicum, cui ſuam ſalutem, ac vitam poſſet tuto committere, præter eam, cuius operam vtilem, atque fidelem multis in rebus eſſet expertus. Quo audito, petijſſe aiebat, vt ſaltem conceptis verbis iuraret, ſimul, ac conualuiſſet, ſe nuncium remiſſurum mulieri, nec quidquam ſibi ampliùs rei cum illa futurum; ad hæc reſpondiſſe illum, ſe nil poſſe in præſentia promittere, verum vbi amiſſam valetudinem recuperaſſet, de ea re ſeriò deliberaturum, illudque conſilium ſibi capturum, quod magis in rem ſuam eſſe videretur, tum verò ipſum, deſperata hominis ſalute triſtem abijſſe, ſed ſtatim reuocatum, hilarem rediſſe, ſumma ſpe præditum, quòd Deus meliorem homini mentem inieciſſet; ſed fruſtrà, nam ſine mente, ac ſine ſenſu exhalantem eum animam offendiſſe, cui mulier illa cereum lucebat, fortaſſe, vt properanti ad inferos, atque ad æterna ſupplicia tenebricoſo illo itinere lumen non deeſſet.* Sic infelix concubinæ irretitus amoribus prauam inolitę conſuetudinis vim haud dubio ſalutis diſpendio expertus, impænitens Orco victima, ac Diabolo triumphus ceſsit.

Ianus Nicius lib. exempl. ſelect exemp. 53. pag. 56.

A vitioſa conſuetudine moriturus ſe vix contrahere vult.

Paulo poſt miſerè animam efflat.

Alter inſuper Concubinarij inter ipſos mulieris cui, aſſueuerat, amplexus miſere è vita abrepti exitus hic ſilentio prætereundus non eſt, cuius hiſtoriam veluti rem, quæ noſtro ſæculo contigit, idem qui ſupra ſuis in paginis hunc in modum exequitur: *Anno ſalutis MDCXI. Cardinalis cuiuſdam Architriclinus, veteri amicitia mihi coniunctus, vir ſanè nobilis, & in ſpeciem honeſtus, ac prudens, propter eius mores ab omnibus diligebatur, etenim nihil cuiquam nocebat, imò omnibus quibuſcunque rebus poterat, commodabat, nullum eidem verbum ex ore, quod magnopere reprehenderes, nullum obſcænum dictum exibat: hic cum die quodam à prandio conſtituiſſet cum Socijs rhedam conſcendere, animique cauſa celebriores Vrbis partes obire, cùmque iam omnes ad condictam horam veniſſent, ac vellent rhedæ ſe tradere, rogauit ille, vt manerent tantisper dum reuerteretur, eſſe ſibi quoddam in ea vicinia negotium, cui primò præuerti neceſſe eſſet; ſed mox affuturum ſe, neque illis futurum in mora. Sed paulò poſt adeſt nuncius, qui eum affert in complexu cuiuſdam meretricis diem ſuum obijſſe: tum omnes exterriti ſurgunt, in domum illius me-*

Ianus Nicius vbi ſup. exēp. 36. pag. 40.

Scortator in mulieris amplexu moritur.

meretricis aduolant, atque eūdē humi ſine ſenſu fuſum offendunt: quærunt ex ancilla quid ſit actum, quæ reſpondit, miſerum illum in concubitu ipſo defeciſſe, ſe omnia expertam, quibus fugientem animã reuocaret, ſed fruſtrà. Illi attoniti inſpiciunt, exhorreſcunt, reuertuntur: at nemo eorum, eius atrocitate ſpectaculi compulſus, effectus eſt melior. Qui igitur diu, patiēterq; à Deo toleratus non reſipuit, ſubitò inter peccandum perculſus fato, certoque perditionis argumento e vita abiit, aſſùetuſque peccando peſſimum ſuos inter amores, deliciaſq; interitum incurrit,

Diuina in ſlupratorē & iuuenculam conſentientē vltio.

7. Idem planè adoleſcenti, ac puellæ, dum ſacra connubialis thori vincula detrectantes, vagi concubitus amore tenerentur, impuriſque voluptatibus diffluerent, funeſte contigit; ambo enim infami vitioſę conſuetudinis glutino obſtrictos iuſtiſſima numinis vltio, è vita vnà ſimul abreptos gehennæ pariter conſortes deſtinauit; rem verò præmęmoratus ſcriptor hunc in modum deſcribit: *Scriptum eſt* (inquit) *in ſacris litteris, Deum non patientiæ ſolùm, verùm etiam Iuſtitiæ, ac fortitudinis laude præſtare; quo fit, vt quos diu ſuſtinuit, interdum ſubita* (vt Gregorius inquit) *morte caſtiget: ſicut aliquot ante annos in viro, atque in puella, quæ præter æquum obſequentior illi erat, vim ſuam exercuit. Parentes quidam, vt opinor, pauperculi, mittebant quotidie filiam ſuam ad virum, cui nullus erat ſeruus vt res illius domeſticas procuraret; nimirum ædes verreret, vaſa elueret, lectos ſterneret, atque eiuſmodi alijs in rebus eidem operam daret; verũm accidit, vt ea ſæpiùs adeundo, & conſuetudine familiari, ac munuſculis fortaſſe deuicta viro illi contra quam fas erat, morigera fieret; quamobrem die quodam,*

Ianus Nicius lib. ſelect. exemp. exēp. 45.
Greg. in mor.

Imprudentia parentum filiam periculo cōmittentium ſors infelix.

cum ex ſolito in opus ad eum exiſſet, iamque nox appeteret, nec reuerteretur, parentes ſuſpicari cœperunt mali aliquid filiæ veniſſe, vel ab eo, cui nauabat operam, moram obijci, ne rediret. Itaque ad ædes illius veniunt, fores pulſant, nec cum quiſquam aperiret, aut reſponderet, capiunt conſilium, vt ad Prætorem eant, ei quod ipſorum filia ab eo viro non remittatur, ſed in gratijs retineatur, exponant; veniunt, querimonias, ac poſtulata ſua edunt. Prætor imperat lictoribus, vt per vim in domũ illius irrumpant, ab eoque puellam abducant: qui, vt erat imperatum, fores effringunt, intrant, atque (horrendum dictu) mutuis ambos amplexibus illigatos, ac ſine ſenſu iacentes offendunt. Angelus enim Domini, *vt credibile eſt, eos percuſſerat, ac morti tradiderat, atque hanc filiæ ad ſe non remittendæ cauſam fuiſſe comperiunt, & ſerò intelligunt, quàm tutò fœminæ viris committantur, quorum illis etiam ſermo, àtque adeo habitus ipſe ſit pertimeſcendus.* Iure autem meritò par pœna inuoluit, quos vna, eademque noxa, noxiaque turpiſſimæ conſuetudinis miſerandum in modum in malo conſortia copularant.

Stuprum inferens patienſque ſimul in nefario amplexu necati cæ bus.

Funeſtus itaque, ac triſtis plerũque inter carnis illecebras turpiter diffluentibus è vita exitus obtigit: *Qui enim* (vt ait Apoſtolus) *in carne ſeminat, de carne metet corruptionem.* Quod vnus præ cæteris ſuo ſatis experimēto cōprobauit (vt à viro omni fide digno accepimus) qui cũ trigeſimum agens ætatis annũ, in omni venere, & vaga præſertim, obſcænarũque voluptatum cœno volutaretur, nec monitis ad frænum prauis cupiditatibus iniiciendum adduci vnquã poſſet, tandem morbo correptus, voluptatibuſq; nedũ vitiatus, ſed cōſũptus viuendi finem fecit. Verũ miſer

Ex Galat. 6. 8.

Ex relatione à fide digni

ſer

Digitized by Google

ſer obſtinato corde cũcta ſalutis verba reijciens, deſperatorum in morẽ, cui ſpes æternarum rerum, quæ nos in altero ſæculo expectant, ob diutinã peccãdi licentiã, peccatorũq; enormitatem, nulla menti reſederat, ſe omnino perditum intelligens, ſibimet manus inferre, & priusquam moriẽdi adfuiſſet hora, ſe ipſum totis viribus pręfocare tẽtauit: ſed ab adſtãtibus tẽtus, prohibituſque, quod mẽte conceperat, implere nequiuit. At vbi ad ſuprema vitę momẽta venit, animã obſtinatus in malo mox efflaturus vultu, geſtuque adeò ſe horribilem cunctis exhibuit, vt qui præſentes aderant, timore correpti dicto citiùs è cubiculo, in quo ægrotus iacebat, pedẽ cõtraherẽt, auolarẽtq; trucem hominis aſpectum ferre non valentes; E quorum numero ſacerdos in primis fuit, qui vt conſuetis Eccleſiæ precibus morientẽ iuuaret, præſẽs aderat. Interim verò cũ ſacerdos alter procurandæ eius animæ gratia adueniſſet, metu perculſus, etſi fugã cogitaret, nę tamen adſtantibus fugiendo ſcandalum præberet, aliiſq; detentus, quas humana ratio ſuggerebat, ex cauſis intra cubiculum perſtitit: primus alioquin ipſe, (vt poſtea retulit) feſtinuſque inde auolaturus: apertis interim ipſe oculis deſperatũ hominẽ ſub vitæ finem, patulo ore linguam, extinctorum carbonum colore perfuſam, cum eiulatu maximo proferẽtem cernebat: quibus funeſtæ, quæ ſibi inſtabat mortis, ſignis præſtitis, ingenti domeſticorum omnium horrore miſer è vita abſceſſit: ſacerdos autem, qui eiuſcemodi ſpectaculo præſens fuit, manifeſta ex hoc perditionis ſigna coniiciens, perterrefactus eum in modum è loco domum abiit, vt multos dies dum

Laſciuus monitis aures nó adhibet.

Seſe præfocare attentat.

Cunctis ſub mortem terrori eſt

ſecum, quæ oculis viderat, recoleret, metu abreptus, capiti ſuo timeret, funeſtamque rerũ imaginem vix tãdẽ ab oculis, ac mẽte procul abiiceret. Pauẽda quippè eſt impiorũ hominũ mors, quæ nedum ſibi, ſed aliorum tã grandẽ metũ incutere conſueuit.

Infelix è vita exitus certis ſignis cõprobatur.

Qui blandis igitur vitiis, ac veneri ſe totos per intemperantiam dedunt, perdifficilè poſtmodùm ad ſanitatem, ſobriamque mentem redeunt, adeòque priùs vitam deſerũt, quam bonos induant mores: *Fouea profunda* (inquit Sapiens) *eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena*. Et vt exẽplo res confirmetur, referam quod mihi à viro grauiſſimo narratũ eſt. In grauem olim morbũ iuuenis annos viginti natus incidit, qui impudicæ mulieri, titillatus libidine, per multos annos aſſueuerat. Hic morbi preſſus anguſtia, mortiſque metu perculſus, ſana quoque inter decumbendum conſilia intus in animo verſans, ſuam immortali Deo fidem oppignorauit, quod ſi ſoſpes è morbo euaderet, ſe ad bonam frugem, mores corrigẽdo traduceret, adeoq; qui malè pridem vixerat, ſanctiſſimè poſthac viueret, ad compenſanda, quæ cũ magno hactenùs aliorũ offendiculo, mala patrarat. Atqui Deus exporrectis precibus è cælo propitius annuit, expetitaque extemplò ſanitas homini reddita eſt. Sed voti compos effectus promiſſis non ſtetit, proindeque cuncta, quæ propoſuerat, irrita fuere. Priorem quippè miſer vitam nedum correxit, impudicitiiſque, quod ſtatuerat, frænũ impoſuit, ſed in deteriora quæque prolapſus, cùm immodicæ exatiandę libidini vna haud pellex ſufficeret ad malorum cumulum, multis intemperanter magis inhæſit; adeò,

Prouerb. 23.

Concubinarius ad tempus reſipiſcit

Sanus fit & deterior euadit.

vt

vt libido naturæ vires abſumens, prçuertēſq; medullitus, ingenti vltro pro ſuis miſer voluptatibus dolores meteret, pluribuſque contabeſcens morbis ad vitæ finem peruenerit. Porrò cum iam morti proximus eſſet, ſui ipſius, ac animæ oblitus deſperatorum in morem, Deum neutiquam ſub extrema vitæ momenta implorauit, cęlumque, totus vtpotè cœno immerſus, nō ſuſpexit, adeò vt turpia, horrendaque fœtido ex ore per id tempus verba proferret: (*Ex abundantia quippè cordis, os loquitur,*) et qui præſentes aderant, perditum, reprobumque hominem talia eructantem crederent, affirmarentque, quem tunc non abſque manifeſto perditionis indicio è vita abeuntem cernebant. Verba autem, quæ tunc mortalium infelicißimus dixit, eiaculauitque, ſanis horrorem auribus incutiebant, quæ ne audientibus ſcādalum pariant, ſatius eſt hic ſilentio præterire. His itaque infelix modis ad æternitatem, perditusq; ad Orcū ſibi viam patefecit.

Deſperatus è vita decedit.

Matth. 12. 34.

8. Enim vero vix vnus è peccatorum numero reperitur, qui quamdiu peccādo, Venerique aſſueuit, ſub vitæ finem, ad conciliandam ſibi Dei gratiam, veniamque peccatorū ab eo impetrandam, Dei, ac ſui, vt par eſt, meminerit: *Quoniam non eſt* (Pſaltes inquit) *in morte, qui memor ſit tui.* Hinc cùm ab ægroto Concubinario (vt à viro fide digno accepimus) in ſupremo vitę diſcrimine cōſtituto religioſus vir è Societate Ieſu, vt ſuam apud eum, prout ille putabat, conſcientiam ſacramentali confeſſione releuaret, euocatus fuiſſet: accurrit Dei famulus ſuam laboranti opem, operamque exhibiturus, & vix cubiculi, in quo ægrotus iacebat limen attigit, cum de ſui illuc aduentus cauſa ab illo interrogatus, hoc vnum ab eius ore inexpectatum funeſtū tamen, ac deperditæ omnino ſpei reſponſum accepit: Si qua forte huc permotus ſpe adueniſti, vt meas apud te animi labes in pœnitentiæ Sacramento expiem, culpiſque ritè confeſſis abſolutionis beneficium impendas, id neutiquam fiet; irrito enim negotio domum procul dubio, vnde veniſti, oleum, ac operam perdendo remeabis; de mea quippe ſalute actū eſt, cum anima, de cuius negotio in præſens agitur, dæmonibus, quibus diu inſeruit, adiudicata iam ſit, verùm quoniam nulla, vt vides, procurandæ animæ mihi ſpes reliqua eſt, rogo te per Deū immortalem, vt fæminam illam vna cū filijs, quam in delicijs habui, quāq; vnicè ſemper dilexi, et quos nolēs, inuituſque iam deſero, tuæ clientelę, vti res mihi cariſſimas, commēdatas habeas, eorumque vtilitati, ac patrocinio mei vice intendas. Quibus dictis ſui oblitus, incommendatamque ſuam Deo animam prætereriens, illam Dæmoni, cui ad nutū vitijs irretitus deſeruierat, conceſſit, commendauitque.

Pſal. 6. 6.

Ex relat. à fide dignis.

Fruſtra vt conſcientiā expiet, admonetur.

Sui immemor fœminę curam agit.

Porrò ne alteram hic ſilentio hiſtoriam prætereamus. Hi certè, qui in malo, obſcœniſque voluptatibus obſordeſcētes, ad extremam tandem ſenectam peruenere, non ante vitam quàm vitia, & animam priùs, quàm malitiam, peccandique pertinaciam deſerunt. Adeò vt eiuſcemodi hominibus: *non prius ſit viuendi* (Saluiano teſte), *quam peccandi finis, & cum ſuis iniquitatibus propemodum ſepeliri velint.* Fuit itaque vir nobilis apud quandam Italiæ vrbem, qui ſexageſimum agebat ætatis annum, impudicæ fœminæ amoribus eum in modum irretitus, eidemque

Ex acceptis à fide digno

Salu. de prou.

non

non abſque ali orum tũ admiratione, tũ ſcandalo adeò impotenter inhærens, vt ab eius conſortio nulla ratione diuelli poſſe videretur. Cùm vèrò lues paſſim per multas Italię ciuitates ſerperet, multoſque turmatim demeteret; infelix, vtpotè ſibi malè cõſciùs, ac Numini ob ſuos turpes amores, inter quos ſenili iam ætate diffluebat, infenſus, eo quòd perditè viueret, ingenti inter crebra aliorum funera correptus metu, mortem quãmaximè refugiebat; Itaque cũ de expiandis animi culpis, Deoq; cuius iras extimeſcebat, placãdo ſecũ ipſe cogitaret, ſacerdotem è Societate Ieſu conueniens, ſe apud eũ exomologeſim facere quamprimùm ſtatuiſſe ſignificauit, à quo vltro, benignèque exceptus, ad ſanum mentis propoſitum quod Deo afflante conceperat, quantocyùs exequendũ, atque ad id in homini ſe præſens paratiſſimum exhibens, adhortari non deſtitit: *Ecce nunc* (inquit) *tempus acceptabile ecce nunc dies ſalutis*. Exequere tu modò, quod dudum facere decreuiſti, nullamquè in ſalutis negotio, quod maximi momenti eſt, ſi benè ſapis, moram interlabi patiaris. Abnuit ille, ſequein diem craſtinum id omnino præſtiturum affirmans, ſuas expiaturum culpas certiſſimè ſpopondit; At morte, quæ moras neſcit, moraſque mortalium inopino plerumque caſu abrũpit, miſer ſubindè pręuentus, inexpiatus è vita ex abrupto carne, haud carnalibus ſolutus deceſſit. Vtinam miſer in arduo ſalutis negotio ſibi ſapiens moras neſciſſet, & ad ſacramẽtorum remedia poſt vulnus actutum confugiens, Deum ſibi conciliaſſet; certè etſi mors interim corpori obtigiſſet, mortem animæ, quę ſola homini timenda eſt, non incurriſſet; Vt quid igitur, vbi mors mortalium ceruicibus ſemper impendet, mora, ac dilatio nectitur? *Certa quippè eſt homini ſalus* (vt Chryſoſtomus ait) *ſi nulla ſit dilatio*. Porrò ſi quis plura hic de concubinariis, eorumdemque infelici exitu noſſe cupit, Io: Dominicum Ottonellum Societatis Ieſu; conſulat, qui iſthæc in vnum collegit, & perditas tã virorum, quã fœminarum, & tũ ſæcularium, tũ clericorum eiuſcemodi vitio irretitorum mortes in ſuo Italico opere, aliorum futuras vtilitati deſcripſit, ad quem vltio lectorem amandamus.

Vult miſer ſalutis remedium ſed illud conſequi non meruit.

2. ad cor. 3.

Carne non carnalibus ſolutus

Io. Dominic. Ottonell. de periculoſa mulierum familiar. c. 12. pag. 55.

CAP. IX.

Confeſsionem Sacramentalem, detrectantes, protelanteſque, aut perperam obeuntes.

1 IMproborum hominum vitam, ni anteactorum pertæſos criminũ intimus animi dolor, lacrymarum vis, ſaluberrimum pœnitentiæ pharmacum, ac denique Sacramentalis confeſsio expiatos releuet, mors, & quidem peſſima, condignum vti præmium conſequitur. Qui enim tempus, quod ad iuſte, laudabiliterq; operandũ Dei clementia indulget, in malis actibus cõterunt, inſumuntque, & confeſsionis inſuper, ac pęnitentiæ remediũ, quod Deo largiente ſuppetit, aut per incuriam reſpuũt, vel certè vt par eſt, nõ arripiunt, exercentque, impœnitentes tandem, omnique ſalutis ſpe fruſtati infeliciter è vita abſcedunt: iuxta illud Sapientis oraculum: *Fili peccaſti*

Confeſſio ad ſalutem præmittenda.

caſti, non adÿcias iterum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore obductionis diſperdet te. Ita planè, repentinus, inopinuſque impunè peccantibus, obuenire interitus conſueuit: Atque vtinam, qui pœnitentiæ tempus, ac ſalutis, vel inter peccandum, cunctandumque ſibi perperam quotidie adblandientes, ſubſidia repromittunt, ipſius Bernardi iſthæc præmonentis verba meminerint: *Quid diſſimulant*, inquit, *homines in vita ſua agere pænitentiam, & extrema de Confeſſione præſumunt? quomodo, ſub vnius horæ articulo reuocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cuius concupiſcentiæ, & deſideria per totùm mundum ſparſa ſunt, & vbique terrarum, velut quodam viſco tenentur. Noli ergò tàm periculoſæ expectationi credere temetipſum*. Et poſt multa impios de peccatorum confeſſione, ac venia ſub extrema vitæ momenta inaniter præſumentes his verbis perſtringit: *Et quidem ſpiritus non modò vbi vult, ſed quando vult ſpirat, nec ei difficile eſt de ſubitò perfectam dare contritionem cordis, quàm vix multò tempore alÿ conſequuntur. Sed vnde ſcis, quòd is tibi ſubuenire velit, quem tu interim ſic repellis? Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit malediců à labÿs ſuis. Audi quis. Ille ſit? Maledictus, qui peccat in ſpe*. Hæc aptiſſimè in rem præſentem Bernardus; verũ, vt quanti periculi ſit parata vltrò ſalutis remedia, totieſq; oblata ingratos homines reſpuiſſe, vnũ hic ex multis in mediũ proferamus exemplum, quo Sacramentalis antidoti beneficium opportunè requirendum, amplexandumque, ac veluti fidam ſalutis anchoram, poſtquã quis in Deum deliquit, ac culpæ obnoxius eſt, pænitentiam ab vnoquoque, ne certum incurrat interitum, neceſſariò arripiendam ſatis, ſuperque euincitur. Quid igitur Beda ſinceriſſimæ fidei Scriptor ſuo tempore, laicalis militiæ viro his quidem verbis contigiſſe meminit, audiamus:

Prouerb. cap.

Bern. ſer. 38. inter paruos.

Bern. vbi ſup.

Cur vaticinatur peccator ſubuenturũ in morte Deum, quem in vita repellit.

Beda hiſt. lib. 5. c. 14.

Fuit autem (inquit) *quidam, qui tẽporibus Coenredi, qui poſt Edilredum regnauit, vir in Laico habitu, atque officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori Regi placens, tantũ pro interna ſuimet negligentia diſplicens. Admonebat ergò illum ſedulo, vt confiteretur, & emendaret, ac relinqueret ſcelera ſua, priùs quàm ſubito mortis ſuperuentu, tempus omne pænitendi, & emendandi perderet. Verùm ille, licèt frequenter admonitus, ſpernebat verba ſalutis, ſeſeque tempore ſequenti pænitentiam acturum eſſe promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum, atque acri cæpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus Rex (diligebat enim eum) multum hortabatur, vt vel tunc, antequam moreretur, pænitentiam ageret commiſſorũ. At ille reſpondebat, non ſe tunc velle confiteri peccata ſua, ſed cùm ab infirmitate reſurgeret, ne fortè exprobarent ſibi ſodales, quòd timore mortis faceret ea, quæ ſoſpes facere noluerat, fortiter quidam (vt ſibi videbatur) locutus, ſed miſerabiliter, vt poſteà patuit dæmoniaca fraude ſeductus eſt*. Ex quibus latentes diabolicę fraudis, quæ hominis iſtius menti irrepſerãt, artes, ac technę ſeſe produnt, vt videlicet haud ſalutari releuatus pœnitẽtia, & cõſueta nullatenùs cõfeſſione expiatus, qui erat peccatis obnoxiùs, ſacram quippe ob id vnum homologeſim ægrotus refugiebat, ne id ex mortis metu præſtitiſſe à ſodalibus diceretur: res autem ſuadente, ac inſtigante ſatana peragebatur, quò miſer

Illuſtre decepti peccatoris exemplum.

Aulicus negat in morbo expiare ſcelera, ne metu feciſſe videatur.

Digitized by Google

ſer peccatis multipliciter irretitus, non priùs peccandi, quã viuendi finem faciens, falsã inter ſpem infeliciter deperiret, ſed reliqua interim proſequamur:

Cùmq; morbo(inquit) *ingraueſcente denuò ad eum viſitandum, ac docendũ rex intraret, clamauit ſtatim miſerabili voce: Quid uis modo? Quid huc veniſti? non enim mihi aliquid vtilitatis, aut ſalutis potes vltrà conferre. At ille noli (inquit) ita loqui; vide, vt ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio, ſed peſſimam mihi conſciẽtiã, certuſque oculis habeo. Et quid, inquit, hoc eſt?* Paulò *ante, inquit, intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & reſederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes protulitque vnus libellũ perpulchrum, ſed vehementer modicũ, ac mihi id legendum dedit, in quo omnia, quæ vnquam bona fecerim, intuens ſcripta reperi, & hæc erant nimium pauca, & modica:* Receperunt *codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tunc ſubitò ſuperuenit exercitus malignorum, & horrendorum vultu ſpirituum, domumque hanc, & exteriùs obſedit, & intus maxima ex parte reſidens impleuit. Tunc ille, qui, & obſcuritate tenebroſæ faciei, & primatu ſedis maior eſſe videbatur eorum, proferens codicem herendæ viſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, iuſſit vni ex ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferri: Quem cùm legiſſem, inueni omnia ſcelera, non ſolùm, quæ opere, vel verbo, ſed etiam, quæ tenuiſſima cogitatione peccaui, manifeſtiſſimè in eo tetris eſſe deſcripta litteris. Dicebatque ad illos, qui mihi aſſederant, viros albatos, & preclaros: Quid hic ſedetis ſcientes certiſſimè, quia noſter eſt iſte? Reſponderunt: Verum dicis: accipite, et in cumulũ damnationis veſtræ ducite. Quo dicto ſtatim diſparuerunt.*

Beda vbi ſup.

Horrenda Angelorum & dæmonũ viſio illi oſtenſa.

De futura in Dei iudicio ſententia ſuaq; perditione admonetur.

Funeſtum planè hominis pœnitentiam, ac Sacramentalis curæ beneficium detrectantis iudicium; indè enim certam incurrit damnationẽ, vndè acceptabilem abſolutionis, Deo aſpirante, ſententiam impetrare potuiſſet: Sed Bedam rem hiſtoricè proſequentem audiamus.

Beda vbi ſup.

Surgenteſque duo nequiſſimi ſpiritus, habentes in manibus furcas percuſſerunt me, vnus in capite, alius in pede, qui videlicet modò, cum magno tormento irrepunt mea viſcera, in interiora corporis mei, moxque, vt ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in Inferni clauſtra pertrahar. Sic loquebatur miſer deſperans, & non multò poſt defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere ſuperſedit, in æternum ſine fructu, pœnis ſubditus facit. Hæc de portentoſo impœnitentis hominis iſtius viſu Beda omni fide digniſſimus, cuncta ſingillatim interpretando ediſſerens, ac ad præſentis à ſe deſcriptæ rei ſeriem comprobandam Beati Gregorii Papæ ſententiam in medium afferens iſthæc ſub narrationis finem ingerit. *Hanc hiſtoriam* (inquit) *ſicut à venerabili antiſtite* Pechtelmo *didici, ſimpliciter ad ſalutem legentium, ſiuè audientium, narrandam eſſe putaui.* Hæc pius, ac candidus ſcriptor, qui rem tantam, tanti planè viri, de quo in rerũ geſtarũ Annalibus agitur, validò ſuffultam, communitamque teſtimonio relinquit, cui itidem Eccleſiaſticorum Annalium auctor pari pietate pluribus ſubinde verbis adſtipulatur.

Deſperans de diuina miſericordia perit.

Hiſtoria legentibus proficua.

Sed quid habet (inquit Baronius) *quod fidem excedat, vel ſit incongruũ veritati? nonne hæc omnia anteà in diuinis litteris ſunt prædicta? nempè: opera illorum ſequuntur illos; vel: quæ fece-*

fecerit homo, hæc recipiet: Nonne, & prædixit Dominus, quòd in die illa de omni verbo otioſo rationē homines reddituri ſint? Nonne, & præfata ſcripta ſtylo ferreo, in vngue adamantino propheta teſtatus eſt? Nonne codices eſſe ſcriptos, ſiuè bonis, ſiue malis, operibus, æquè Deus Ioanni olim oſtendit? Nonne tradi tortoribus ſontes pariter Dominus dixit in Euangelio? Nonne hæc omnia euentura eſſe die obitus de aduerſarijs ſpiritibus exactoribus ſanctus Cyrillus Alexandrinus in narratione illa de egreſſu animæ totidem ferè verbis teſtatum reliquit? Audiant, qui *ſibi nimis prudenter, malè ſibi conſcij iſta derident, Dominum comminantem: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos. Profecit idem Rex eadem viſione plurimum; quippe qui, & ſi vita innocens, ac moribus ſincerus extiterit: pro conſequenda nihilominùs delictorum ſuorum pleniori indulgentia, piorum exemplo regum Romam (vt idem Beda in epitome tradit) anno ſui regni ſexto abdicans ſe peregrinatus eſt ad ſancta limina Apoſtolorū.* Ex quibus ex Baronio videre eſt, quantùm, hominis impiè decedentis portentoſum, ac formidandum exēplum, pio regi timorem incuſſerit, & ad arripiendum arctioris vitæ genus, ſectandaque ſub Crucis vexillo altiora Chriſti veſtigia, benè currēti, calcarium inſtar deſeruierit.

Apoc. c. 14 Baron. tom. 8. an. 704. n. 8. Matth. c. 12 Epheſ. cap. 6. Hier. c. 17 Apoc. 20. Matth. c. 18 Cirill. lib. de egreſ. animæ.

Coenredus Rex Angliæ peregrinationem ad limina Apoſt. obit,

Et certè quidem homines, qui præſentis vitæ tempus ſibi ad benè operandū diuinitùs indultum peccādo inaniter conterunt, animi verò labes ſub ipſum vitæ finem ſe expiaturos, nec non vitiis reſipiſcendo finem impoſituros certiſſimè ſibi repromittunt, Petrum Damianum, virum ſanctitate conſpicuum, ac ſacros inter ſcriptores omni fide digniſſimū iſthæc narrantē conſulāt:

vana hominū ſpes

Magiſtri mei (inquit) *ſcilicet Iuonis, ſocius fuit, qui per triginta fermè annos, ita per occiduos fines ſapientiàm proſequutus eſt, vt de regnis ad Regna contenderet: Et non modò Teutonum, Gallorum, ſed & Saracenorum, Hiſpanienſium quoque Vrbes, oppida ſimul, atque Prouincias penetraret, ſed mox, vt ſtudijs toto (vt ita loquar) orbe corraſis, exilium habitatione mutauit, & iam, velut in pace compoſitus, docere pueros cœpit æmuli ſui, cuiuſdam videlicet alterius ſapientis neceſſarij, vel fautores, eum ſimpliciter gradientem ex inſidijs occiderunt, qui confoſſus gladijs, non ſacerdotes petijt, non de tranſactis confeſſionem, vel pænitudinē geſſit: ſed vſque ad vltimum ſpiritum hoc ſolum inclamare non deſiit! Heù quale damnum? Heù quale damnum! ſi quid autem ſibi, vel de confeſſione facienda, vel aliud quid dicebatur, ille iam alienatus hoc ſolummodò repetebat; Heù quale damnum!* Verùm his à Petro Damiano enarratis, quę Zehetner in ſuos malæ fidei promōtorio aptè in rem præſentem ſubiicit, audiamus:

Petr. Dam. ep. lib. 6. ep. 17

Scientiarum diligentiſſimus indagator poſthabita ſalute animæ miſerè perit.

Miſerum planè, & miſerabilem virum; qui iam ad æternitatis conſiſtens aditum, nihil lamentatus eſt, præter acceptum temporale damnum, vitæ ſibi tā inclementer acciſæ, cum iactura ſcientiarum ingenti labore partarum. Itaq: dum apud ſe infelix homo ſtupet, & in præſentis mali attonitus hæret magnitudine, futurum longè maius præterijt improuidus; ſanè nihil eorum feciſſe legitur, quæ Deo placando inſeruiunt, & cælo lucrando, confeſſionis, pænitentiæque aut oblitus, aut pertæſus. Atq; hic eſt, hodieque lacrimabilis eorum exitus, qui ad vltima vitæ ſpatia remittunt ſerias illas futuræ æternitatis curas. Hæc in rem præſentem prælaudatus ſcriptor.

Paul. Zehetn. lib. 4. prom. malæ ſpei §. 3 n. 18.

Dum vitæ præſentis dānum luget immortaliti non cōſulit

Et certum profecto animæ damnum, ac beatæ iacturam æternitatis incurrunt, qui temporis curam, ac ſalutis negotium, dum alioqui valent, inter otia, ac ſæculi gaudia ſtertentes, oſcitanteſque conſumunt, adeò vt vel in ſupremo mortis articulo ſeriò iam mentem, at ſerò ad ſolidã æternarum rerum cogitationem conferant, cùmq; vel ægri ad reliqua omnia euigilẽt, ad ſolius pænitentiæ nomen, obiectamque ſibi confeſsionis memoriam obdormiſcentes, pernicioſo tandem, ac letifero velut letargi morbo, ac ſopore obruti, cætera cũcta ſomniãtes, animã duntaxat, qua nil precioſius, ac cælum, quo nil homini optabilius ſupereſt, perdite, infeliciterque prodigunt; rẽ vero ſuo tempore geſtam, ac memoratu digniſsimam Petrus Damianus ſic tradit.

Aeternitatis negotium ad extrema fugiẽtis animæ ſuſpiria non differendum

In Peruſino (inquit) *monaſterio, ſancti videlicet Saluatoris, cui nuper, & ipſe præfui, quidam monachus paulò ante fuerat aſtutus nimis, & callidus, ſæcularibus argumentis, ac litigioſis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque dum, & in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æſtuans non quieſceret; ad hoc vſque peruenit, vt diaboli ad ſuperandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ſe ditioni etiam corporaliter manciparet. Cui tamen ſeductor ſpiritus exigenti ante promiſit, quòd tertio priuſquàm moreretur die, ſuum ſibi exitum nunciaret. Credidit infelix, & diu poſtmodùm viuens, ita ſub hac deceptoria ſeruitute permanſit. Tandem in ægritudine lapſo, adeſt fideiuſſor iniquus, & perendinum (ſicut ſpoponderat) obitum innoteſcit.* Protinùs aduocatis ille *fratribus, exacta hæc, quæ cum nequiſſimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi inſiſterent dicentes, citò confeſſus age pænitentiã: repente ille obdormiebat & ſiue pulſantibus, ſiue clamantibus, euigilare non poterat, ſi non illi obticeſcerent, vel aliud quid præter pænitentiam loqui vellent. Mox ille expergefactus, inuicem loquebatur: Sed rurſus audito nomine pænitentiæ, obrigeſcebat in ſenſibus ſopore correptus; donec horrendæ morti traditus, ad eum cui deditionem fecerat, eſt infeliciter deuolutus. Poſtmodùm verò per plures noctes nigra canum turba non ceſſabat ſepulturæ eius aſſiſtere, & quaſi depoſitum cuſtodire, ita vt non minimo horrore videntes concuterent.* Hæc Petrus Damianus.

Pet. Dam. lib. 6 epiſtolarum ep. 30. ante finem.

Monachus ſe addicit dæmonis ſeruituti, vt æmulos ſuperet.

Promiſſa exſoluit dæmõ ſed lethargo obruit, ne exomologeſim peragat.

Quis autem iſthæc audiens, incuſſum à malo genio tã profundum ſuo decumbenti mancipio ſoporem, torporemque non videt, vt cùm ſaluberrimum pænitentiæ, ac confeſſionis remedium, quod vnicum ad ſalutem elucrandã perneceſſariũ eſt, præſentes iã iã morituro ſuggererẽt, obſtupefactis ſenſibus, clauſoque in ſomnum, imò in perditionem, tùm mentis, tum corporis oculo, quæ ad ſalutem ſpectant, non perciperet, admitteretque, & licet ſerò, ac ſeriò monitus neutiquã reſipiſceret. Mirum verò non eſt, ſi homo, qui Deo toto vitæ decurſu ſalubria monenti, per ſummam iniuriam cordis aurem obſerauit, vel dum emoritur, totus ad ſupernas monentis voces obſurduerit. Quod item viro, qui religioſę vitæ addictus fuerat inſtitutis, accidiſſe Zehetner in ſuo malæ ſpei promontorio his verbis narrante didicimus:

Sopor homini ſub mortem, ne ſaluti conſulat, à dæmone inducitur

Religioſus (inquit) *is fuit; ſed neſcio quibus de cauſis à ſuperioribus ſuis poteſtatẽ obtinuit, monaſterij clauſtra mutãdi cum caſtris. Itaque militiam ſecutus Sacellanu megit aliquandiu apud belli Ducem in campo, tum deinde apud Parochum*

Diaboli ſub vitæ finem artes.

Zehetn. in promont. malæ ſpei lib. 4. §. 8. n. 28. pag. 669

rochum

rochum in pago, cùm ecce tibi, morbus hominem ad extrema deuoluit. Ergò hortamur, vt ſe Christiano ritu diſponat ad pium obitum, iãtã ſalutaturus adſtantem proximè æternitatem, verbo vt animæ labes per confeſſionem expiet, eoque magis id vrgere cæpimus, quia non conſtabat quo tempore exhomologeſim feciſſet. Sed nimirum, ſicut ad alia adiaphora commode reſpondebat: ſic in materia ſacra, mutus piſcis erat. Augetur interim fatalis ægritudo, ſed & ſollicitudo ſeruandi viri, & lucrandæ animæ: iamque periculum vicinioris mortis ſuggerente medico, trium diuerſarum religionum, diuerſæ perſonæ ſucceſſimus: optione data, vt eligeret vnum ex præſentibus, in cuius aures vltimam confeſſionem deponeret; Fruſtrà tamen fuit omnis hæc ſuauiſſima ſuaſio, perſuaſit nihil; oculis ſolum fixis homo obiuit circumſtantes, medicam manũ ſoluendis culpis ſuis à nullo expetijt. Igitur inſtamus fortiùs: et iã Dei irati *fulmina obijcimus, tribunal Chriſti iudicis mox adeundi monſtramus, inferni tormẽta damus inſpiciẽda: ſi cũ peccatis hinc grauibus exceſſerit, non reconciliatus numini, errorẽ forè æternũ, neq; amplius emẽdabilẽ;* Proindè *apprehẽderet vltimis momẽtis obuiam ſibi* Dei *gratiã, ſimulque eijceret dæmonium mutum, & ſurdum. Sed proh dolor? ad hæc omnia, tot tantaque hortamenta ſurdus, mutuſque, permanſit, & quidem ſicut oculis perpetuò intuitus eſt monitores, ſic quoque ijſdem, & aures applicare viſus erat, quaſi ſingulis cum diligentia attenderet. Interim nihil fecit, vixque vnum gemitum impetrauimus, vt ante mortem ſaltem ſub conditione abſolui poſſet, ita ſtupenti ſimilis tandem fatis ſuis conceſſit.* Hæc quidem vir iſte peccatis obnoxius decedens haud ſerio præſtitit, qui iudicia Dei non curioſè perſcrutanda, ſed ſuo pertimeſcenda quàmmaximè exemplo viſus eſt inculcaſſe adſtãtibus, atque illud Auguſtini cunctorum auribus verbum intimaſſe: *Quia ſerò parantur remedia, dum mortis imminent pericula.*

Nullis piis monitis inflectitur.

Nullo contritionis ſigno dato perit.

Aug. l. de ſ. ſep. Chriſt.

2. Et ſiquidem qui culpis obnoxius, dum tempus iuuat, ac Dei benignitas à cœlo aſpirat, ad pœnitentiæ lamenta, remediaque non recurrit, morte ſubindè præuentus, in peccatis, quibus implicitus vixit, irreparabiliter moritur. Quapropter opportunis ſapiens peccantes verbis perſtringens: Conuertere (inquit) *ad dominum, & relinque peccata: precare ante faciem domini, & minue offendicula.* Peccatis quippè validorum compedum inſtar, offendiculiſque vnuſquiſque, ne currat ad vitam, prępeditur, & ne à lubrico, quẽ fixit pedem, retrahat. Dei quippè bonitas ex praua peccandi conſuetudine, & ex ſacramentorum contẽptu, quibus gratia illius potuit reparari, maximè offenditur, ad vltionẽque cõcitatur. Aſſertis autẽ vir, cuius conſulto hic nomen reticetur, adſtipulator accedit, qui cum ſat lubricus, vitiiſque onuſtus diuina Eccleſiæ ſacramenta, ad quæ inuitabatur, ſuperbo, petulantique ore reiiceret, in ſordibus adhuc ſordeſcens, & ſuis contumaciam, contemptumq; culpis adiiciens, plures annos exhomologeſin, ac dominici pabuli alimẽta ex pio fideliũ more ſumere detrectauit, pios viros, ac amicos inſuper, qui adhortabantur, deridendo; Ridebat quippè miſer, ſuam poſtmodum ſortem perpetuò ploraturus: *Nolite errare* (inquit Apoſtolus) *Deus enim non irridetur.* perditoſque de cęlo, ac in malo pertinaces irridet. Quid igitur? haud diù infelix riſit, ex improuiſo namque letali preſſus ſymptomate, ab eodẽq; ſacerdote iterũ, atq; iterum, vt ſacra ani-

Qui ſalutis remedia reſpuit, non meretur poſtea accipere

Pſal. 31.

Ex relat. à fide digni.

Iuuenis inuitatus ad ſacramentum confeſſionis, dum differt, ſe indignum eo exhibet.

Ad Gal. 6. 7.

Digitized by Google

animum confeſsione expiaret, ac dominici corporis ſe viatico præmuniret, monitus eſt. At ille, qui dilationem magis, quàm morum emendationem curabat, & cui non tā benè, quā diutiùs viuere in votis erat, pia in diem craſtinum monita reiiciens, exhomologeſim tūc proculdubio ſe præſtiturum reſpondit; Atqui vir Dei in differendo ſalutis remedio diaboli technas, doloſque præſentiens, vt nullam necteret morā, vbi iam in ſupremo, tùm animi, tū corporis diſcrimine verſaretur, verbis quibus potuit apud hominem inſtitit, illud tanquā certus impendentis periculi pręco ſuggerēs: haud opportunum forſitan tempus, ſi præſens reiiceret, adfuturum. Hæc ille; Verùm cum æger dictis aurem non daret, ac permoleſte, quæ ſibi dicebantur, ferret, ob tædium, quod præſeferre videbatur, alter triſtis, dolenſque re infecta domum rediit. Quid plura? cū poſtera die ſe, vt infirmus dixerat, ad eum inuiſendum contuliſſet, ægrotum iam exanimē offēdit, eumque ex improuiſo mediam ſub noctem apoplexiæ morbo perculſum, his, qui aderant, narrantibus viuere ſubitò deſiiſſe comperit. Qui igitur ſui, ac Dei oblitus, pecudumque more vixerat, improuidus, inexpiatusque ad ęternitatem abiit, ac triſti præreptus exitu, poſterum, quem ſibi àd pœnitendum repromittebat diem, perditæ vtique ſpei, homo non vidit.

Pernicioſa dilatio.

Inexpectato obitu tollitur.

3. Vtinam igitur qui malè ſibi cōſulunt, iſtius gehennalibus pœnis addicti exemplum poſthac conſulant, & qui de contemnenda animi medela, vel dum lecto decumbunt, grauiter obaudiunt, adeò vt ſacerdotes, cæteroſque maximè ob id inuiſos habeant, toruiſque oculis aſpiciant, & tanquam ad carnificinam (quod Nouatorum hæreticorum vocabulum eſt;) ad carnificinam (inquam) non ad ſalubre, pręſentaneumque morborum animi antidotū, ac leuamētū, imò ad ſingulare, quod præ cæteris ſuppetit remedium, languentem inuitent, reuocentque. Quapropter congruè, ſapienterque recolendę me: Pius V. eximiæ ſanctitatis Pontifex Apoſtolicis decretis, ac peculiari diplomate ſub anno 1566. cui initium eſt: *Supra gregem* Dominicum *&c.* Quod & alias Innocētius tertius cap. *Cum infirmitas. De pænitentia, & remiſſ. &c.* ſanxerat, iuriſiurandi religione ſingulos obſtringens, diſtrictè præcepit, vt hi, qui medicam in publica Chriſtianorū re artem exercent, ægrotos, ad quos curādos euocantur, medelæ, quæ animæ adhibenda eſt, ac ſacramentalis peccatorum inſtituendæ apud ſacerdotē cōfeſſionis ſeriò admoneāt, & ne poſt diem tertium infirmis reluctantibus, ac ſacramenti remedium protelantibus, ſuſceptæ eorumdem curæ operā dent. Quo ſanctiſſimus paſtor Dominici gregis ſaluti eum in modum conſuluiſſe viſus eſt, vt duplici beneficio ægrotantium tū animæ, tū corporis morbo ſubueniatur; & iuſtiſſimè quidem id præſtitum videtur, cū & ipſa medicorum ars, & Hypocrates medicorum facilè princeps, in ſuis medicæ rei Aphoriſmis id vnum primo iniungat, præſcribatque; à noxiis videlicet humoribus expurgandis morborum ingruentium curam inchoandam, vt facilis, expeditaque ad ſoſpitatem via ſit.

Nouatoribus exomologeſis carnificina eſt

Pii V. decretum ne medicus ægrum inuiſat niſi tridui tempore conſcientiā expiet.

Pius V. in bulla de Inſtr. viſit. ſub an. 1566.

Innoc. 3. *c. cū infirm. de pœnit. & remiſ.*

Cura animi languoribus corporis prodeſt.

Væ autem his, quibus ipſamet, quę ad ſalutem diuinitùs ſuppeditātur remedia, per ſuam nequitiam nil proſunt, ſed vtentium perperam vitio, haud medelam conferunt, ſed cer-

Digitized by Google

certam animi perniciem inferunt, peruertuntque. Væ his, quibus ipſe in lapidem panis, & totius ſalubritatis antidotum in venenum vertitur: *Ita planè* (inquit Sapiens) *eſt confuſio adducens gloriam, & eſt confuſio adducens peccatum*; Qui enim ſuas ſacerdoti culpas in pœnitentiæ ſacramento, ſemetipſum rubore perfundens reuelat, gloriam inde, ac leuamentum conſequitur, qui autem, vt ſuo inaniter pudori conſulat, pudenda, quæ ſe perpetraſſe agnoſcit, crimina fraudulenter contegit, vt cõfuſionem effugiat, certum perditionis culpa pro iudicium incurrit, ac Numinis indignationem cõtrahens, pœnam indè meretur, vndè omnimodam promereri indulgentiam potuiſſet. Quod ſanè impudẽti quõdá mulieri accidit; quæ intimas animi labes apud ſacerdotem fateri diſſimulans, eaſque, vt pudori conſuleret, ſtudioſo præterire ſilentio ſatagens, perpetuæ ſẽtentiã damnationis incurrit, vt Ioannes Iunior ex Prędicatorum ordinis, ad quem lectorem remittimus, in ſuis paginis tradit.

Eccleſ. 4. 25.

Exhomologeſeos confuſio ſeges eſt gloriæ.

Io. Iun. lib. ſcala cæli.

4. Aliam item Seraphinus Bononienſis Regularis Canonicus in rem præſentem his verbis hiſtoriã refert. *In Italiæ partibus* (inquit) *in quadã Ciuitate quondã fuit nobilis quadã fæmina, quæ prout exteriori ſua conuerſatione præſeferebat, ab omnibus tanquam ſancta reputabatur, in eleemoſynis faciendis liberalis erat, Eccleſias frequentabat, & familiam ſuam in timore Domini gubernabat. Cùm ergò ſub tali pietatis nomine apud omnes benè audiret, vbi ad extremum vitæ peruenit, poſt mortem ſuam reliquit inter alias filiam vnam valde piam, & deuotam, quæ pro dicta ſua matre in dies ſingulos particularem apud Deum fundebat orationem. Poſt autem aliquot ſeptimanas cum ipſa ſola quadam die eſſet in cubiculo dicta puella, accidit, vt ſubitò, eoque inopinato, & inuſitato corriperetur tremore membrorum. Et conuertens oculos ad oſtium cubiculi, vnde ipſi videbatur ſe audiuiſſe quemdam ſtrepitũ, percepit monſtrum horribile viſu, porci excoriati ſpeciem præſeferens, ignem, & fœtorem grauiſſimum vndequaque emittens. Vnde cùm graui timore conſternata ſurrexiſſet à loco orationis, ad dicti cubiculi feneſtras citiſſimè cucurrit, vt ſe deorſum præcipitaret, & ſic tam cruentæ beſtiæ præſentiam euitaret. Verum audiens illa vocem quandam in hæc verba poſt ſe emiſſam. Siſte gradum filia, filia ſiſte gradum. Ipſa à Deo noſtro confortata, in mora ſubſtitit audiendi cauſa, quid prædictum informe, & horrendum moſtrum ipſi proponere vellet. Quod voce humana talibus cum ea ſermonibus egit. Nunc intelligas filia me eſſe tuam infelicem, & maledictam matrem, quæ non obſtante vita irreprehẽſibili, & inculpata, nec non & pia conuerſatione mea, quã ſemper in præſentia hominum duxi, nihilominus, tamen propter quædam enormia, & deteſtanda peccata, quæ cùm patre tuo fœdiſſimè perpetraui, & præ verecundia nunqaam confeſſa ſum, æternis inferni ignibus deputata ſum, & propterea nullas pro me deinceps ad Deum fundas preces.* Funeſtum planè dictu: mulierem eleemoſynis, ac bonis iugiter operibus inſiſtẽtem, adeò vt ſanctitatis iã apud omnes, qui eam nouerant, opinione præcelleret; quia tamen ſecretiores quaſdam animi labes ſacramentaliter apud Sacerdotẽ Chriſti in reuelare erubuit, perpetuæ apud Dei tribunal damnationis ſententiam incurriſſe; *Ore etenim* (vt Apoſtoli verbis vtamur) *confeſſio fit ad ſalutem*. Quod item ſapiens vnũquemque hominum ſeriò admonuit, dum

Seraph. Bonon. reg. in trac. de Reſur. & Aſcenſ.

Impœnitens emoritur.

Specie horrenda ſe filiæ obiicit.

Damnationis cauſa fuere vitæ ſodomiticę cũ viro patrata.

Vt confeſſio exigatur à Deo.

Ad Rom. 10. 10

dum veniæ apud Deum obtinendæ viam præmoſtrans ait: *Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris*. Deus enim, qui tuam, vel te ſilente culpam probe nouit, vult te aduersus temetipſũ proclamante culpam agnoſcere; ex ore igitur peccatoris in Sacerdotis aurem culpa, & in peccatoris ſubinde aurem, & cor, à Sacerdotis ore feſtiua indulgentiæ vox Deo annuente inſonat.

Iſai. 43. 26.

5. Enim verò Deus ad promptam, expeditamq; peccantibus medelam impertiendam, humilem peccatorum confeſſionem prouidentiſſimè iniunxit, vt ſacerdoti videlicet intimas culparũ labes, quibus apud Deum vnuſquiſque obnoxius eſt, patefaciẽs, eas palã faciendo aboleat: Quo quidem ſalutis pharmaco indigni duntaxat cenſentur, qui culpas vano pudore ſuffuſi, apud ſacerdotẽ contumelioſo obtegentes ſilentio, ac doloſè prętereuntes, indè vltionem ſibi, ac perditionem pariter comparant, vndè morbo medelam, ac facili negotio ſoſpitatem potuerat elucrari; quos Sapiens ſuis acriter verbis proſcribens, perſtringenſque: *Qui abſcondit* (inquit) *ſua ſcelera, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, et reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. Pudor enim iſte apprimè noxius, atque execrandus certam animę perniciẽ affert, vt portentoſo, & apud nouiſſimarũ rerum ſcriptores decantato puellæ perperam peccata confitentis exemplo his apud Delrium verbis exponitur:

Miſera ſors animę vulnera tegentiũ.

Prouer. 28. 13.

Alterã quoq; (inquit) *adſcribam hiſtoriã ſpectri neſcio, an dæmonis, an ipſius animæ dãnatæ (qua memoria digniorem me legiſſe non commemini.) Prolixitatẽ narrationis ex litteris Peruanis, anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi collectam, ipſis ſiuè Franciſci Bencij, ſiuè Gaſparis Spitilli verbis commemoratam, ſpero lectionis voluptas, & vtilitas ſuperabit*. Quibus aptè prælibatis funeſtam hunc in modum hiſtoriam aggreditur.

Martin. Delr. lib. 2. diſquiſ. magic. pag. 225.

Horrenda alia hiſtoria vniuſ fœminę quę peccata in exomologeſi occuluerat.

Accidit in miſſione illa (illa Italiana) *eidem P. Samaniego res admirabilis, & conſideratione digna, cuiq; eo in genere vix contigit ſimilis; quæ etiam eiuſdem Vrbis incolis, in qua euenit, ità innotuit, totque teſtimonijs confirmatur, vt nullus dubitandi locus relinquatur; quæ ab ijs perſonis accepta eſt, qui oculis, & auribus hauſerunt: qui caſus euentu infelix ideò permiſſus eſt, (quemadmodùm etiam de ſimilibus, quæ in confeſſione contigerunt, credi poteſt) vt hic nouus populus diſcat, qua fide, & integritate vti debeat pœnitentiæ ſacramẽto, in quo non paruam ſentit difficultatem*. Quarè etiam *Inda, quæ in oculis omnium legem integræ confeſſionis violabat, videntibus eiſdem punita eſt, & caſtigata, vt vnius animæ ruina multarum ſalus procuraretur. Res igitur, quæ accidit, eſt huiuſmodi. Agebat in domo præcipuæ cuiusdam Dominæ huius loci adoleſcentula, decem & ſex circiter annorum, quæ bello capta, ac baptiſmo tincta, Catharina vocabatur. In ea cum ætate creſcebat libertas, & mores diſſoluti, etiamſi non raro ab hera deprehenſa caſtigaretur, quæ eo peruenit malitiæ, vt cũ perditis quibuſdã clã conſueſceret, nec tamen propterea à confeſſione abſtineret: Sed hoc peccatũ labris premeret, ne meretricula, aut perditis moribus haberetur. Hæc igitur Kal. Auguſti 1590. morbo depreſſa, ſacerdotem euocauit, cui animi noxas aperiret; ſed id fecit non integrè, vt & in eadem ægritudine nouem alijs vicibus recedente ſacerdote, præſentibus alijs famulis contemptim ridebat, hac fermè oratione; Aliud quod agerem non*

Geſta res in Peruano regno

Catharina Peruana in luxuriam effuſa.

Oppreſſa morbo noxas lethales ſupprimit.

Digitized by Google

non erat, quam, vt peccata faterer: adie-ctis etiam turpibus, & inhoneſtis ver-bis, quibus offenſæ cæteræ ſingula ad he-ram referebant; quæ meritò Catharinam increpans, tandem vultu, & voce mu-tatis amicè rogauit, quænam illa eſſent quæ patri aperire non vellet; narrauit illa non difficulter, adiunxitque quoties pa-trem in morbo vocaſſet, vt ſe purgaret confeſſione, ſtetiſſe ad leuam quemdam Aethiopi ſimilem, qui moneret, ne fate-retur, quòd ea peccata leuiſſima eſſent, & nullius momenti, & ex illorum Con-*feſſione à patre diſſolutior haberi poſſet. A dextra verò manu apparuiſſe S. Ma-riam Magdalenam exhortantem, vt quidquid eſſet, liberè euomeret.* Ac-*cerſitum itaque rurſum patrem* Domina *de omni eo, quod acciderat, inſtruxit: qui modis omnibus tentauit, vt ad in-tegram animæ expiationem induceret ſed fruſtrà; quo enim exhortabatur magis, eo reddebatur obſtinatior;* Ita, *vt nec nomen Ieſu enunciare vellet.*

Dæmō à læua hortatus eſt, ne libidinis occultas Magdalena aperiret.

In reprobū ſenſum abducta Ieſu nomen implorare detrectat

6. Maximas profectò anguſtias puella, multipliceſque difficultatum ambages, ſuis perditis moribus dæmone inſtigante patiebatur, ne pec-cata Sacerdoti detegendo, patratorum criminum à Deo veniam obtineret, & culpā omnē diuina ſacramēti vir-tute dilueret; Totis quippè in id vnū diabolus viribus contendebat, vt im-manè verecundiam adaugens, cuncta ſilentio, ne quà pudoris notam in-curreret, interim puella ſupprimeret; ſed quā funeſte diaboli tentamēta ſa-lubri animę proculcato remedio pro-cederēt, videamus: hæc enim Delrius in ſua hiſtoria.

Alio etiam tempore, cùm illi ſacram Crucifixi imaginem offerrent, vt in eum intueretur, & animo reuolueret Chri-ſtū pro nobis Cruci affixum, & in Cru-ce mortuum, ſumma cum indignatione & animi commotione reſpondit: Iam ſcio, ſed quid vultis faciam? ad quam hera; vt ad Chriſtum te conuertas, qui admiſſa crimina remittat, ſi fatendo re-cognoſcas. Cui *Catharina; obſecro, vt mihi deſinatis eſſe moleſtæ.* Cùmque *hera abſceſſiſſet, cœpit amores ſuos, & turpitudinem decantare; durauitque ad dies plures hæc agendi, & dicendi ra-tio, donec quadam nocte, accerſita cum ancillis hera, hæc in verba prorupit: Tor-queor, & animo angor valdè ob viola-tam confeſſionem, & ab ea hora vſque ad mediam noctem toto corpore obriguit, vt crederetur mortua, & de humatione & ſepultura eſſet cogitatio; ſed ad ſe reuerſa, accerſitoque Sacerdote nihil de antiqua fatendi conſuetudine remiſit. Tres poſt horas, paulò ante, quam expi-raret, exhortata à ſeruis, vt apprehen-ſa manu cruce, & cereo ſacro: nomen* Ieſu *inuocaret, reſpondit: Quis eſt ille* Ieſus? *Eum non noui, ac in vltimam partem lecto reflexa, ſedenſque audie-batur cum alio quodam, qui tamen ocu-los fugiebat, colloqui. Ac alia ſerua quæ in eodem loco ægra decumbebat, ve-hementer* Dominam *rogauit, vt in di-ſtinctum cubiculum transferretur: quòd (vt aiebat) laruas quaſdam atras vide-ret, quibus admodum terrebatur.* N*octe ea, qua Catharina extincta eſt, domus tota tam fœtido, ac putri odore perfu-ſa eſt, neceſſarium vt fuerit cadauer lo-co patente, & aperto exponere. Dominæ etiam frater è cubiculi brachio extractus eſt. Ancilla quædam in humeris velu-ti calce percuſſa eſt pertulitque aliquos dies eius læſionis ſigna. Equus man-ſuetiſſimus alioquin actis in murum cal-cibus huc, & illuc diſcurrens tota no-cte inſaniit. Idem fecerunt, & canes multa diſcurſione, & latratu.* His aliis que portentorum ſpectris perdita iā impuræ, ac ſacrilegæ puellæ ſalus ve-luti certiſſimis argumentis, ſub aſtā-tium oculis comprobari viſa eſt, adeo

Martinus Delrius vbi ſupra.

Auertit oculos à Chriſti effigie.

Colloquitur cum dæmonibus

Infeſtata malis ſpiritibus.

Digitized by Google

vt nemini eſſet ambiguum mulieris animam, quæ confeſſionis ſacramẽto, dum poſſet, expiari noluerat, inconfeſſam tartaro miſerè deuolutam, & pro culparum confeſſione, quam reiecerat, perpetuam apud Deum confuſionem incurriſſe; Atqui dæmones ingenti pro obtenta præda tripudio, & magna quidem pompa triũphum duxere, vt vel indè præpotẽtem ſacrę exhomologeſis vim Chriſti fideles ad hanc ritè, rectèque exercendam ediſcãt. Plura autem, & quidem portentoſa, ac vltra omnem expectationem poſt humatum iam puellæ cadauer in illis ædibus contigere, quæ non paruum cunctis timorem iucuterent, & haud dubia deperditæ ſalutis, addictæque iã Orco puellæ argumenta exiſterent, quæ ne his diutiùs lectorem grauando immoremur, ad ſcriptorem iſthæc noſſe cupientes amandamus. Sed quã triſtem ſe, lugendamque poſt deceſſum puella videndam obtulerit, & quæ ſatis clara damnationis indicia, cauſam enuntiando præbuerit apud ſcriptorem his verbis traditur.

O æternam cõfuſionem ob non ſuſceptam pię momentaneam.

7. *Emittebat* (inquit) *Catharina ex omnibus corporis iuncturis flammas incredibili cum fœtore, caput cum pedibus ardebat, cincta erat velut ignita faſcia octo, aut decem digitos lata, quæ in terram vſque protendebatur, videbaturque libidinis, & admiſſæ turpitudinis pœna, & caſtigatio quædam: Viſo hoc ſpectro tremere, & exalbeſcere cœpit ſerua, ad quam infelix defuncta: Accede huc. Quoties ego te vocaui? reſpondit ſerua penè exanimis: Bonè Ieſu? quis non horreat te viſa? Quæ cùm diceret, in eundem locum deſcendit formoſiſſimus puer albis veſtibus, qui ſeruam hortatus eſt, vt poſito timore, forti eſſet animo, notaretque diligenter quæ à Catharina acciperet, vt in alios emulgaret, ac ſimulatque ab hoc loco abſceſſiſſet, confeſſione maculas expiaret omnes. Tùm hæc in verba Catharina: ſcias Inferno me mancipatam, & grauiſſimis ſubiectam pœnis; quod cùm Sacerdoti aduoluerer, ut peccata faterer; leuiſſima tantum referrem, cuiuſmodi ſunt, quod garrula eſſem, & loquax: in iram procliuis, & id genus ſimilia, ſilentio uero inuoluerem libidines, & conſuetos cum adoleſcentibus congreſſus. Tu igitur diſce benè confiteri, & nullum crimen tacere, horumque uos commoneo, quod ita mihi imperatum ſit cogarque aliorum in exemplũ hæc uerbis aperire. Iam pulſus ad ſalutãdã Deiparam Virginem audiebatur, defuncta mox in angulum ſecedit, & euaneſcit Angelus verò* (Angelum enim fuiſſe, quem *viderat puerum credebat famula) abire ad ſuos famulam iubet, quòd, & fecit.* Placuit hanc omni fide conteſtatam hiſtoriam fusè hoc loco ponere, quod in ea omnes apparitionum ſpecies concurrant Angeli, B. *Mariæ Magdalenæ, dæmonis in ſpecie Aethyopis, animæ damnatæ in aſſumpto corpore (vt arbitro) non ſuo ſed æreo ad ſui corporis ſpeciem efformato. Habent Athei quod rideant, ſi nolunt reſipiſcere, de pœnis inferni, & animarũ immortalitate. Habent Caluiniſtæ de cereis benedictis, de Sanctorũ reliquijs, de confeſſionis auricularis integritate, eiuſque neceſſitate? quid dicent? Confictum à Ieſuitis: qui poteſt, quòd à cunctis hodie locis illis queat confutari, ſi confictum foret? nolunt credere eant, & audiant, videantque.* Tragicus planè, funeſtuſque impuræ, atque exlegis puellæ, quæ confeſſionis Sacramento iniuriam inferre auſa fuit, exitus iure inter peſſimas peccatorum mortes exſcribendus, quo ſaluberrimus iſthæc tum videntibus, tũ legentibus metus iniectus eſt.

Miſera damnatę animæ ſpecies.

Angelus Chriſtianam Ieſu nomen inclamantẽ confirmat

Perditio vnius plurimorum fuit documento

Seria apoſtrophe ad Atheos.

Sed & altero aſſertionis propoſitum

tum exemplo, quod ex Cappuccinorum chronicis excerptum eſt, euolutoque ſuperiori iam ſæculo contigit, compertum in præſens redditur: Mulieris enim nobilitate generis, eque ac diuitijs inter cæteras præcellentis deplorandus ibidem obitus deſcribitur, cuius hæc vna perditionis cauſa extitit, quod ſincero nunquàm corde ſua, vt par eſt, apud Sacerdotem peccata expiauit, atque inexpiata prorſus ad diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, prophanarũ inſtar acceſſerit: ſed hic totam ipſius Bouerii verbis hiſtoriã repetamus: *Dũ hæc* (inquit) *apud Apulos, & Lucanos geruntur: Fr. Angelus Aſtenſis diuini verbi concionator eximius Genuæ in Conuentu Sanctæ Barnabæ vitam magnis in virtutibus actam beato tandem fine concludit. Hic cum inter minoris qui de obſeruantia nuncupantur, pleroſque annos magna cum eruditionis laude traduxiſſet, atque etiam inter Sorbonicos Doctores cooptatus, doctoralem lauream in facultate* Pariſienſi *adeptus fuiſſet: caſu formidabili perterritus ad* Capuccinos *ſe contulit. Res verò ita accidiſſe fertur.*

Zach. Bouer. in Capucc. Annal. to. 1. an. 1560. n. 6.

Dũ is Saonis, quæ Vrbs eſt in Liguria Genuenſi Reipublicæ ſubiecta, cuiuſdam nobilis fœminæ ſacras Confeſſiones exciperet, quæ immoderato veſtium luxu, & carnis voluptatibus indulgens iam ab annis multis ijs criminibus irretita tenebatur. Et quod crimen augebat, eo vſque ad pænitentiæ Sacramenta inexpiata acceſſerat. Diuina omnipotentis ira, quæ quo lentiùs ad vindictam procedit, eo ſeuerius punit, miſeſeram inopinatò præoccupat: ſola enim die quadam ſecretum cubiculum ingreſſa, dum conſuetis voluptatibus animum addicit, En repentè ad Dei *iudicium rapitur: in quo tum ob diuturnam ſcelerum impœnitentiam, tum etiam propter Sacramenta tamdiù indignè ſuſcepta, diuina ſentententia ad tartarum adiudicatur. Mox ſtridentem vocem extollere, mox horribiles clamores edere: ac Dei iudicio ſe damnatam aſſerere: omnia denique domus loca deſperatis hiſce vocibus complere cæpit: Aderat tunc nubilis filia illius, quæ matris clamoribus perterrita patrem, qui tunc domo aberat, ſtatim accerſendum curat:* Accedit Coniux, *vxoremque iuſtam damnationi ſuæ pœnam inclamantem verbis conſolari, atque in meliorem diuinæ clementiæ ſpem ſtudet erigere. Infelix omnem prorſus conſolationem reſpuit: Eoque ampliùs deſperationis voces ingeminat, quo ſe à Deo condemnatam affirmat. Coniux verò, cùm vxoris animum nulla ratione ab ea ſententia reuocari poſſe cerneret: Fr. Angelum eius Confeſſarium aduocandum iubet, qui dum multis rationibus id dæmonis tentamentum eſſe illi perſuadere nititur, eam inter alias affert: quòd quæ tot annis ſibi conſcientiam aperuerat, atq; ab eo peccatorum abſolutionem acceperat, id quoque credere deberet, ſe nullam in ea damnationis cauſam offendere: At illa Dei iudicio, ac virtute compulſa reſpondet: Quid Pater, confeſſiones, ac abſolùtiones commemoras? Heù hæ ſunt, quæ me miſeram in Dei Iudicio condemnant: fictè enim ſemper ad Sacramentum acceſſi: plurima tibi pollicebar; quorum cùm nulla cordis pænitudine tangerer, in his velut iumentum in ſtercore voluntarie computrui, Deo mẽtita fui; pompas, luxus, vanitates, corporis curam, quibus ſemper animum addixi, cæteroſque in ſcandalum pertraxi, longè Deo, ac propriæ animæ ſaluti antepoſui: pretioſæ veſtes, monilia, annuli ingentis pretij, quæ illo in ſcrinio reconduntur (Scrinium indigitans) atq; eleemoſynæ ob id pauperibus denegatæ, vt inſatiabili mei luxus fami ſatisfacerem,*

Fœmina nobilis ligur libidine & luxu diffluens.

Ob id ſcelus mancipã dam æternis cruciatibus exclamat.

Conſolatoria verba reſpuit.

Sacramentorum abuſũ damnationis cauſam eſſe ait.

Luxus inſignia execratur.

ſenſus denique voluptates, quibus nullum vnquam terminum poſui: Hæ dānationis meæ cauſæ ſunt: Diuino quippe mulier nutu totam perditionis, quam ſubibat, cauſam retexere coramque aperire compulſa eſt, vt illud tacitò menti ſuggereret: *Quia alia ſunt iudicia* Dei, *& alia ſunt iudicia hominum*; ſed rei exitum videamus.

His cùm filia reſponderet: Mater quæſo ne ſpem ſalutis abijcias, etiamnū res integra eſt: veſtes, ac monilia vendantur, pretiumque pauperibus detur. Illa *ardentes ad filiam oculos conuertens, indignabunda ait: Apage iſthinc maledicta filia: tui enim cauſa potiſſimum condemnor: nam cùm primùm veſtem illam auro textam tibi conficiendam curaui, nulla in hac vrbe fœmina, tametſi nobiles erat, quæ tam pretioſa veſte vteretur: iam verò meo hoc iniquo exemplo Vrbs ita corrupta fuit, vt vix in ea nobilis reperiatur, quæ veſtem auro textā, magno pretio ſibi comparandam non velit. Vix hæc miſera illa effata fuerat, cùm eam in omnium oculis dæmon arripiens, & vſque ad cubiculi tabulatum efferens, tanta vi ad ſolum alliſit, vt eo caſu miſera extincta tam grauem ibi fœtorem reliquerit, vt cum à nemine prorſus tolerari poſſet, indè cunctos abſcedere coegerit.* Hæc Bouerius.

Nullo argumento erigi poteſt in diuinę miſericordiæ ſpē.

Arrepta à dæmone ſolo alliditur & perit.

Hic fœminæ exitus ſacrilego apud Sacerdotem ſilentio ſua ſcelera inuoluentis. Vtinam miſera confitens ſalatentem Sacerdoti labem aperuiſſet, perpetuò vtique illam ad Dei tribunal operuiſſet, verecundamque oris confeſſionem immenſa Dei pietas compenſaſſet: Hoc enim, & Dauid præſtitiſſe legitur: D*elictum* (inquit) *meum cognitum tibi feci*, ideſt vt concinnè in rem pręſentem Auguſtinus ediſſerit: *Non operui, ſed aperui, vt operires, non celaui, vt tegeres. Nā quando homo detegit, Deus tegit. Cum homo cælat, Deus nudat. Cùm homo agnoſcit, Deus ignoſcit.* Vides quæ, & quanta confitenti diuinitùs bona, quæ item obtegenti peccata eodem Auguſtino atteſtante mala proueniant: *Elige* (inquit) *quoduis, ſi tu confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confeſſionem, vt liberet hominem humilem. Ad hoc dānat non confitentem, vt puniat ſuperbum.* Ita planè mulier, cuius nemininimus, quia ſuperbiens cælauerat culpas, ſemetipſam cælando, ac ſuperbiendo ad Dei tribunal prodidit, perdiditque, cum prompto alioqui, ac facili ſi vellet negotio, pudori quoque ſuo conſulens promereri ſalutem potuiſſet.

Aug. ſuper illud pſalm. Delictum meum &c.

O clementiæ tribunal in quo faſſus crimen, liberatur.

Sacramentali quippè antidotū niſi probè, ritèque malè habentibus applicitum ſit, haud proficuum redditur; imò potiùs in mortiferum venenū Deo vlciſcente vertitur. Hinc fit, vt qui culpas in pœnitentiæ ſacramento ſacerdoti non fideliter, vt par eſt, detegunt, reuelantque, ſed ſuā ſilēdo iniuſtitiam abſcōdunt, diuinā pro gratia indignationem incurrant. Quapropter vt res nouiſſimo grauibus, religioſiſque viris teſtibus aſſruatur exemplo; Iuuenis quidam anno redempti orbis milleſimo ſexcenteſimo quarto ſupra quinquageſimum apud Vrbinates, qui Eccleſiaſticæ ditioni ſubiacent, dum ſacram exhomologeſin ageret, certam quādam præ rubore culpam ſilentio comprimebat. Accidit autē, vt graui correptus ſubindè morbo cum in manifeſtum vitæ periculum deueniſſet, mox ſacroſanctum iuxta piorū conſuetudinem dominici corporis viaticum à parocho deferretur; At æger Chriſti pręſentia, ac vitæ pabulo neutiquam à morbo animi, quo ma-

Ex relat. à fide dign.

magis tenebatur, releuatus eſt, ſed veluti tabifico quodam paſtus, epotuſq; veneno, manifeſtè illicò damnationis ſigna corā aſtātibus præſetulit; ſtatim quippè blaſphemam in Deum linguam exerens, perfidaq; in cęlum verborum iacula ore ſacrilego vibrans horrorem adſtantium auribus, & non quidem exiguum ſuis dictis incuſſit, adeò vt infelix diabolo afflatus videretur: tā immania ſunt, quæ petulanti ore tunc dixit, eructauitque ex imis præcordiis, vt obaudientes delirum, & haud ſana præditum mente hominem crederent. At ſuam ipſemet apud auditores cauſam perorauit, tamque inſperatè, quæ in ipſo tunc temporis ſigna impietatis cernebantur rationē afferens: Quid miramini (inquit) aſtantes, & quid me ſub extrema vitæ momēta taliter loquentem ſtupetis: *Sacramentorum mihi haud quidquam prodeſſe remedia potuiſſe ſciatis; perperam enim his dum ſanus, vegetuſque erā, nec abſq; magna numinis cōtumelia vſus fui: vnde non vtilitati, ſed detrimento fuere, adeò vt ob lethalem in confeſſione culpam ſacrilego ſilentio præteritam certæ in præſens damnationi addictus ſim*. Itaque cùm à religioſis viris, qui eius procurandæ ſaluti inſtabant, vt confeſsionem ritè perageret, conſcientiamque apud ſacerdotem compunctus releuaret, admoneretur, in hæc verba reſpōdit: *Fruſtrà vos me ad confeſſionē hortamini, cū certa animæ perditio iuſto Dei iudicio capiti meo iam impendat, & tartaro præda ceſſerit, tortoribuſq; Auerni perpetuò crucianda reſeruetur*. Et his dictis deſperatorum more ſuam iam confeſſus ruinam, confuſuſque haud impiam Deo, vt par erat, ſed Diabolo animam tradidit.

Blaſphemās ſe damnatū proclamat.

Cauſam perditionis aperit.

Porrò qui amarulentis anteactæ vitæ culpas, quas ſe perpetraſſe intelligit, apud ſacerdotem retegens, lacrymis abluit, eas vero poſthac ampliùs perpetrandi firmiter, conſtanterque animo neutiquam decreuit, nullam prorsùs, etſi maximè cupiat, ſuis à Deo gemitibus veniam promeretur: Quin imò, ſi hunc in modū, vel ſub vitæ finē, hominem pœnitere contingat, haud ſecurus è vita decedit. Vera quippè pænitentiæ virtus non tam ex lacrymis, quā ex toto animi conatu, ſtabiliq; mentis apud Deū propoſito æſtimatur, comprobaturque vera, vt Chriſtus in Euangelio fœminæ in adulterio deprehenſæ, & piaculum execranti, dū indulgentiam impertiret edixit: *Vade (inquit) & iā ampliùs noli peccare*. Porrò qui à culpis in futurum ſollicitè ſibi nō præcauēt, nulla hos quidem in præſens obtinendæ ſpes veniæ apud Deum manere dignoſcitur, vt infelix perditi illius ſub vitæ finem perperam dolentis, ac fictè pęnitētis exitus demonſtrat, qui gehennæ addictus vnum id ſibi maximè dū pęniteret, ad ſalutem defuiſſe obteſtatus eſt, de quo nos ſupra iſthæc apud Cæſarium:

Pęniters qui de cętero non deteſtatur peccatū mendox eſt.

Ioann. c.8.11.

Poſt paucos (inquit) *dies cuidā valde ſibi familiari apparens, dicebat ſe eſſe damnatum. Cùmque miraretur ille, & expaueſceret, pænitentiam eius, & confeſſionem, ſacram etiam communionem & munctionem commemorans, reſpondit defunctus: Vnum bonum mihi defuit, ſine quo nullum horum, quæ enumerata ſunt, mihi prodeſſe potuit. Quid eſt illud?* (inquit) *Reſpondit Mortuus: vera contritio: Licèt enim Deo promiſerim conſilio confeſſoris continentiam, ſiue alia, quæ ſalutis ſunt, tamen dicebat mihi conſcientia, quia ſi conualueris obſeruare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad tranſgreſſionem, quàm* ad

Cæſarius vbi ſup.

Veræ contritiquis defectu ſacramenta damnato iuueni non profuere

ad voti obſeruationem, nullius peccati merui remiſſionem. Deus requirit fixum propoſitum pænitendi. Audiant iſthæc, ſibique dum tempus vacat, opportunè conſulant, qui vllo abſq; metu, vel pudoris fræno impunè adhuc delinquentes, vel ſub extremam vitæ, ſi pęniteant, horam certo ſibi peccatorum veniam repromittunt:

Optimo autem iure mortales ſibi inter peccandum adblandientes ſapiens admonitos volens: *Non tardes* (inquit) *conuerti ad Dominum, ſubitò enim veniet ira eius.* Ita planè poſt diutinam pręrogatam peccantibus patientiam, ſubita, inopinaque à tergo vltio adeſſe conſueuit. Vt iuuenis tũ diuitijs, tũ nobilitate præcipuus ſuo teſtatum exitu fecit, hic enim cũ turpem, obſcænamque vitã ageret, graui correptus morbo; ſed non multo poſt Dei beneficio priſtinæ ſanitati redditus, vbi ingratus ſe ſanum, ac incolumem vidit, pro gratia contumeliam exoluens, in omnẽ ſe protinùs libidinem effudit, adeò vt quamtumuis ſacro connubii vinculo obſtrictus, impudicam tamen fœminam apud ſe contubernalem iugiter domi haberet. Verũ Deus, vt miſer à lubrico pedem retraheret, lectulo iterùm deuiũ, obluctantemque defixit; Nouo quippe languore oppreſſus, cũ iã medici de eius vita penitùs deſperarent, ſalutis immemor de releuanda ſacramentali confeſſione pio fidelium more apud ſacerdotem conſcientia neutiquã cogitauit: quin imò ſalutaribus monitis omnẽ præcludens aditum, domeſticis diſtrictè pręcepit, qua lege Genitricẽ, vxorẽq; ille ſuã neutiquã liberas voluit; nimirũ, vt ex viris religioſis neminẽ in cubiculum introducerent, immanem ſibi alioqui offenſam illaturi. Quod ſubindè à famulis, ne heri indignatio nẽ incurrerent, diſtrictè adeò ſeruatũ eſt, vt à ſanguine cõiunctioribus, ægroti vicem dolentibus, perditamq; eius mentem, & conſilia execrantibus, haud vlli ex religioſis viris, qui ad hominem amicè inuiſendum ſalutandumque accederent, aditus permitteretur. Sacerdos interim, qui eius lucrãdi zelo permotus duobus comitantibus illuc venerat, vix anterioris cubiculi limẽ attigerat, eum blande alloqui, ac ſolari cupiens, cum tam ipſe, quã comites ab adſtantibus cõfeſtim dimiſſi, reiectique, domum triſtes, dolenteſque remearunt. Id verò illis ideò contigit, quia cum perditam viri vitam, moreſque lubricos probè noſſent, & quòd ægrotus iam ex longo tempore ſacramentali ritu inexpiata apud ſacerdotem conſciẽtia, modo in aperto vitæ diſcrimine conſtitutus, animæ quoque periculũ ſubiret, ni quantocyùs aliorum caritas periclitanti præſto eſſet. Verùm enim vero, quẽ ipſi lectulo grauiter decumbẽtem verbis releuare nequiuerant, precibus, lacrymiſque pro eo exhibitis inſtitere, donec Altiſſimus propitius è cœlo hominem reſpiciẽs, priſtinãque ob certa quædã pia opera, quæ ſanus præſtare conſuerat, & iam penitùs intermiſerat, ei ſanitatem præter omnium ſpem contulit, vt ſoſpes videlicet corpore effectus, à vitiis quoque iuuenilibus reſipiſcendo, tũ animi, tum corporis ſanitatem conſequeretur.

8. Atqui ſubito conualeſcens, dum inſtauratis viribus ab ſua rediiſſet officia, abiecto penitùs continẽtiæ fræno, ſeſe in omnem laſciuiam, improbitatemq; præcipitem dedit, adeò vt nec Deũ, nec homines veritus ſuoq; pro libitu diuinas, humanaſq; leges proculcans, extra omnẽ legem fieri pro lege habuerat. Tulit patien-

Confeſſio nõ differenda. Eccle. 5. 11

Ex relat. à viris fide dignis.

Concubinæ amoribus implicitus perſtat

Sacerdos à domeſticis reiicitur.

Soſpes extẽ pio effectus.

Ex inſpirato ictu obit.

patienter Deus effrænem hominis licentiam; at vbi peccandi finem non faceret, qua hora miſer non putabat, viuendi finem fecit. Iuſto enim Dei calculo dum in peccatis in ſordeſcens, die quadam in oſtii ædiū ſuarum limine ſtaret, tormenti bellici laxata rota, ab aduerſario, qui in vicinis laribus deliteſcebat, plumbeaque in capite percuſsus glãde, primo ictu exanimis cecidit, & cum miſer nullũ pro retractandis, quibus erat implicitus, culpis, momentum ſuppeteret, in Orcum inexpiatus abſceſsit.

Ex relatis à fide dignis. At perdito iuueni, prophanæ item fæminæ impuris amoribus irretitæ exitus iungendus eſt. Enimuerò hæc grauiter lecto decumbens, vt ſibi ſacramentali confeſſione cõſuleret à ſacerdote pręmonita, haud dictis paruit, & cũ ſępè huius rei cauſa ab eo inuiſeretur, adduci nunquã potuit, vt ſanis conſiliis aurem præberet, ſuamque culpis conſcientiam expiaret. Infelix interim feſtinabat ad mortẽ, ſuique oblita, quę tũc ſup petebãt, remedia, fræneticorũ more reſpuebat. Sacerdos vero, vbi periculũ è proximo adeſſe intelligit, ſpẽ haud deſpondens, vt fæminam iam cùm morte luctantem ſacramentali abſolutione, releuet feſtinus accurrit. Quoniam verò hæc ſoſpes, & ęgra ſubindè, dũ eã tẽpus iuuabat, ſacramenta reiecit, iiſdem moriens neutiquam iuuari meruit. Quamobrem pius vir, ad quam ſacramentis expiãdam concito gradu acceſſerat, exanimem reperit; nec enim torpentes, incurioſque ſalutis, Dei beneficia expetunt. Illud autem animaduerſione dignum, eiuſque haud obſcurũ funeſtæ ſignum perditionis adfuit; nam vbi primũ mulier animam efflauit, ipſius cadauer, vtpotè deperditæ animæ domicilium tam immani fœtore reſperſum eſt, vt adſtantes mori ſe crederent, & cùm ferre nequirent, è cubiculo quantociùs fugam arriperent. Quæ enim viuens bonus Chriſti odor nõ fuerat, demortua iam ob innumeras, quibus inexpiata deceſſerat, culpas, peſſimè tùm ſuperis, tùm hominibus olebat.

Mulier laſciua infeliciter perit

Quæ confeſſionem ſana reſpuit ægrotans non admiſit.

9. Demùm vt ſupremam enarrationi manum imponamus, qui in extrema vitæ momenta, rebelles lumini, ac Deo maxime ingrati reſipiſcendi à vitijs propoſitum, pænitendique tempus reijciunt, haud pœnitentiam, quã certo ſibi repromittunt, adinuenire, nec veniam, quam falſo ſperant, conſequi merentur. *Quid enim diſſimulant homines* (inquit Bernardus) *in vita ſua agere pænitentiam & extrema de confeſſione præſumunt.* Quod &ſi multis, nouiſſimo tamen, à vt viris fide dignis accepimus Angli nobilitate præcipui exemplo comprobatum eſt, qui catholicæ fidei ſectator, & ab hæreticorum dogmatibus animo alieno, quo potiſſimum tempore immanibus procellarum motibus tota illa prouincia quatiebatur, ne manifeſtus apertam Regis in Catholicos debacchantis iram, innumeraque ſubinde detrimenta incurreret, clam cùm catholicis ſentiebat. Atqui cum perditè obſcænis in retitus vitiis vitam ageret, haud orthoxæ, quam profitebatur, religioni vita, nec lumini, quo mens eius diuinitùs perfundebatur, mores reſpondebant. Quoniã verò ingens eius animo, futurus profectò validũ peccatis frænum, mortis inſederat metus; timens iugiter, ne ſacramentali confeſſione à peccatis, quibus detinebatur, inexpiatus tandem è vita decedere t, duos clam apud ſe ſacerdotes domi inquilinos, commenſaleſque ha-

Vana eſt ſpes aſſidue peccantibus.

Bern. ſer. 38. de iur. don.

Ex relat. à fide dignis.

Rebelles Spiritui ſancto eius gratia indigni.

Digitized by Google

habere perpetuo voluit, eo planè cõſilio, vt in omnẽ rerũ euẽtũ periclitãti opem ferrent. Sed irritum tandẽ, ſanum alioqui catholici viri, ac malè inter delinquendũ de Deo, ac pœnitentia præſumentis votum extitit, & qui dum ſanus poſſet, noluit pœnitere, iuſto Dei conſilio factum eſt, vt poſtea cũ maximè vellet, nequiret. Enim verò cum ſubito quodam paroxiſmo correptus, ac deliquium paſſus in apertum vitæ periculum, quod adeò timebat, inopinuſque miſer incidiſſet: en continuo famuli demorãtes domi ſacerdotes euocaturi accurrũt, ſed eos, quãuis ibi præſentes adeſſent, adinuenire neutiquã potuere, & Anglus interim antiquis, conſuetiſq; præoccupatus vitiis moritur, exoptato abſolutionis beneficio à ſacerdotibus ſibi impertiendo fruſtratus. Ne vero id caſu homines, ſed Dei nutu accidiſſe crederent, dũ famuli, quibus domini ſalus cordi erat, deperditam eius ſortem dolerẽt, & conquererẽtur acerbiùs, factũ eſt, vt illico ex interiore, vbi cadauer iacebat, cubiculo egreſsi, in primaria Palatii æde ſacerdotes ad nutum domini, vti ſolebant, conſiſtentes, accinctoſque offenderent; qui à perquirentibus amarulenter increpiti, & quonam antea diuertiſſent, interrogati, ſe nunquam foras pedem extuliſſe affirmarunt, quos tamẽ illi ſollicitè inclamatos, requiſitoſq; ne dũ viderant; Quo facto illud rem altiùs conſideranti perſuaſum eſt; Deum, ſcilicet homini, qui eius inter delinquendum, patientia abutebatur, haud in ſupremo vitæ periculo abſolutionis beneficium veluti indigno concedere voluiſſe: *Male enim* (vt aptè Auguſtinus ait) *malè inquam ſperat, qui ſperat, vt peccat*, & ſub ſpe veniæ immenſa immortalis Dei bonitatem offendit.

Fruſtra Chriſtus ab obſtinatis quæritur.

Iuſta Dei vltio.

Aug. in pſal.

Idem planè iuueni iuuenilibus ex more vitiis irretito apud Anconam, quæ celebris eſt Italiæ Vrbs, contigit, vt à probæ fidei viris auribus noſtris intimatum eſt. Is enim præſtãti forma mulierem coniugem quã præ cæteris, tũ ſpecies, tũ reliquæ animi dotes cõmẽdabant, & ad amãdum compellere virum debuiſſent, tamẽ iuxta illud quod vulgo decãtatur: *quidquid domi eſt, vile eſt*, valido amoris glutino viliſſimam fœminam Sardanapilæ vxorem, ſe, ac ſuiſque natalibus lõgè diſparem dilexit, adeo vt eam alteram veluti Helenam deperiret. Eius autem tum forma, tum ea, quæ amorem fœminis apprime conciliant, fœminam odio potiùs habendam, quã adamandam oculis renunciabant. Erat quippè lippis Liæ ad inſtar oculis, & pedibus claudicabat, & quod peius eſt, ſuam cunctis pudicitiam venalem vili pretio fecerat. Maritus itaque de turpi, obſcænaq; vxoris conſuetudine certior factus, vtrumq, vt à cæptis deſiſterent, et ſi fruſtra admonuit; Verum cum ambo nil dictis proficerent, iterumque inſanis amorum deliciis vacarent à marito, qui in iras exarſerat, intra ſecretũ cubile reperti, gladioq; perculſi iniuriam, quam homini intulerant, iugulo perſoluerunt, ac funeſto è vita exitu, certoque animæ diſpendio ſublati, à voluptatibus tranſitum ad tormenta fecere; ſed quod diuinæ indignationis, vltioniſque manifeſtiſsimum contemplantibus argumentum eſt; iuuenis qui inter peccandum de Dei bonitate male præſumebat, miſericordiam, quam ſperabat, haud conſequi meruit; Indemortui quippe ſæculo

Ex relat. habita à viris fide dignis.

Iuuenis inſane fœminã turpẽ deperit.

Gladio perit.

culo

culo ſchedulā, iniqua cūcta eius pec cata ad generalem (vt dicunt) confeſsionem apud ſacerdotem inſtituēdam notata, adinueniri contigit; ſed nullo fructu, nulloque ſui remedio cōſignata paginę peccāti profuere. Quo planè illud Gregorii peccantibus oraculum innoteſcat, quod
Greg. hom. 12 in Euang.
nimirū; *Qui pœnitēti ueniam promiſit, peccāti tamen craſtinum non ſpopondit.*

Ex quibus compertum fit quam graue ſibi detrimentum inferant, qui peccatorum confeſsionem apud Sacerdotem, aut detrectant, ſiue non vt par eſt, ſed inique, ac perperam agunt, & ne leuiſsimum apud homines ruborem patiantur, peccata reticent; ſed iam à Sacramentali Cōfeſsione expediti, ad Correptionem, quæ vti præſētaneū publice peccātibus remediū ipſius Dei iuſſu adhibēda eſt, conſulto hic, intermiſſo alphabetico ordine ſtylum conuertimus.

CAP. X.

Correptionem, aſpernantes, detrectanteſque.

1 VEh mūdo à ſcādalis (inquit Chriſtus) *neceſſe eſt enim, vt veniāt ſcandala, verūtamē veh homini illi, per quem ſcandalum venit.*
Matth. c. 18.
Ita planè: Qui enim ad ſacram Chriſti militiam euocati, ſuum indigne miniſterium explent, & quos virtutum
Incumbit clero vt Chriſti bonus ſit odor 2. ad Cor. 15.
cæteris præbere exempla oportet; *bonus quippe ſunt Chriſti odor*, ſi turpiter vitijs inhæreant, ac vitioſis immiſceantur hominibus, Deum, quē prauis enormiter actibus cōtempſiſſe euincuntur, iuſtum, ſeuerumque vindicem tenent. Id autem, etſi quam multis liquidò comprobari exemplis queat, vno duntaxat ſatis aperte confici videtur, quod apud Theodorum Lectorem deſcribitur. Clericus enim quidam, Caryſius nomine apud Conſtantinopolim Vrbem, ſuā turpiter vitam agens, cum ſemel, atque iterùm à Gennadio noſtræ ſanctitatis Epiſcopo, vt ſe à vitijs
Baron. tom. 6 an. 459. n. 6
retraheret, admonitus ſuiſſet, dum nil dictis proficeret, poſt iteratam miſer correptionem, nihilo ſe ipſo melior effectus, in noua quotidie facinora proruens, Beato Martyri Eleutherio, cuius Eccleſiæ adſcriptus fuerat, condigno afficiendus ſupplicio, ac vt par erat, corripiendus deſperatis iam rebus à Gennadio traditur. Neque id verò præter petentis, expoſtulantiſque Epiſcopi votum contigit, nam qui, dū male adhuc viueret, & à Dei viro ſalubriter admoneretur, obſurdeſcens ſuorum recantare morum palinodiam detrectauerat, repētina vi, & Dei virtute perculſus, humiq; alliſus, in ſuiſmet perſeuerans erroribus, infelici fato è vita abripitur. At cum eiuſcemodi res ſcriptores plures aſſertores habeat, à Sophronio prę cęteris luculento hunc in modum ſermone deſcribitur:

Acceſſimus (inquit) *ad Cænobium,*
Sophron. in prat. ſpir. cap. 145.
quod dicitur Salama, vno ad Alexandria milliario diſtans inuenimuſque: illic duos presbyteros ſenes, qui dixerunt nobis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſe eſſe presbyteros; narrabantque nobis de B. Gennadio Conſtātinopolitano Patriarcha, quod fuerit mitiſſimus, & mundus corpore, multumque continens dicebant, & hoc nobis de ipſo: quod cùm moleſtaretur à pluribus de quodam clerico nimis delinquente, Charyſio nomine: accerſiuit eum Patriàrcha, ipſumque emendare conatus eſt. Cùm verò nihil increpando proficeret, permiſit eum
Comprobata fidiſſimis teſtibus hiſtoria.

Digitized by Google

paterna, & Eccleſiaſtica cenſura flagellari. Poſt quam vero didicit in nullo meliorem fieri, neque per verba, neque per flagella (vacabat enim homicidiis, & magicis præſtigiis) miſſo quodam apocriſario ſuo, iuſſit, vt diceret ſancto Martyri Eleuterio (erat enim lector in ipſius Oratorio *Charyſius) miles tuus, ſãcte Dei Eleutheri, multum peccator eſt; aut emenda illum, aut excide. Venit igitur* Apocriſarius *in Oratoriũ, et ſtans ante altare, & intendens ad ſepulchrũ Martyris, extenđeſque manum ſuam ait Martyri: Patriarcha Gennadius ſignificat vobis, ſancte Chriſti martyr Eleutheri, per me peccatorem; quia miles tuus multum peccat: aut emenda illum, aut præcide:* In *craſtinum verò mortuus inuentus eſt ſcelerum opifex Charyſius.* Hæc ibi Sophronius narrat: Et profectò in homine iſto prophetæ oraculum adimpleri viſum eſt: *Impius cùm in profundum venerit contemnit:* Cùm enim is Dei monita paterno Gennadij ore ſibi haud ſemel in auribus intimata cõtemneret, validiora Dei ſubinde iacula perſenſit. Et ſatis quidem congruè qui ſcelera, dũ valeret, abſcindere noluit, haud tãdẽ impune tulit; putridi enim inſtar mẽbri ab Eccleſiæ promptuario in ſterquilinium proiectus eſt.

Non fruſtra imploratum nomen Eleutherii Martyris.

Prouerb. c. 18 num. 5.

Et ſiquidem dum amica, ſalubriſque inter peccãdo correptio reiicitur, haud dubium deſperatæ ſalutis indicium eſt: *Conſidera* (inquit Sapiens) *quod nemo poſsit corrigere, quem ille deſpexerit.* Ad quod comprobandum, poſt recenſitã pœnitẽtis cuiuſdã viri, quam noſtris hiſce paginis alibi inſeruimus, viſionem, venerabilis ille pios inter ſcriptores Beda, rem vtpotè ſibi notiſſimam de viro apud præclari nominis monachos ſegniter viuente, & dum ſalubriter corriperetur, ſalutis monita detrectante, qui tandẽ certo perditionis iudicio defunctus eſt, hiſtoriam ſubtexens his planè verbis tradit: *Noui* (inquit ipſe) *Fratrẽ, quem vtinam non noſſem, cuius etiam nomen ſi hoc aliquid prodeſſet, dicere poſſem, poſitum in monaſterio nobili, ſed ipſum ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem ſedulo à fratribus, & maioribus loci, atque ad caſtigatiorem vitam conuerti admonebatur: Et quãuis eos audire noluiſſet, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob neceſſitatem operum illius exteriorum: Erat enim fabrili arte ſingularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ remiſſioris illecebris, magiſque in officina ſua die, noctuque reſidere, quam ad pſallendum, atque orandum in Eccleſia, audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere conſueuerat. Vnde accidit illi (quod ſolent dicere quidam) quia qui non vult Eccleſiæ ianuam ſponte humiliatus ingredi, neceſſe habet in ianuam inferni non ſponte damnatus introduci.* Et longè quidem à monaſticę, arctioriſque vitę inſtitutis miſer iſte aberrans declinarat, qui corpore in monaſterio degens, animo prorſus aberat; adeò vt cùm ſæcularibus teneretur vitiis perfrictę frõtis homo, ſalubres inſuper ad malorum cumulum obiurgationes reiiceret, aſpernaretur q; & nil prorſus, totus alioqui negotioſus, de ſalutis negotio cogitaret. Sed diuina contemnenti vltio à tergo adfuit, vt idem Beda proſequitur.

Prouerbior. cap. 18.

Beda lib. 5 cap. 15.

Monachus vitiis deditus pia monita ſpernens.

In Dei verbo audiẽdo ſegnis, in reliquis ſollicitus videbatur.

Percuſſus enim languore ad extrema perductus, vocauit fratres, & multum merens, ac damnato ſimilis cæpit narrare, quia videret inferos apertos, & Satanam immerſum in profundum tartari: Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum: In quorum vicinia (inquit) *heu miſero mihi locum aſpi-*

Beda vbi ſup.

In morte vidit inferos apertos.

aſpicio æternæ perditionis eſſe preparatũ. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc poſitus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans: Non eſt mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipſe viderim iudicium meum iam eſſe completum. Talia dicens ſine viatico ſalutis obiit, & corpus eius in vltimis eſt monaſterii locis humatum, neque aliquis pro eo, vel miſſas facere, vel pſalmos cantare, vel ſaltem orare præſumebat. Hæc tota rei geſtæ ſeries, quam iure merito idem Beda his verbis cõcludit:

Cõmunitus vt pœniteat, effluxiſſe tempus pœnitentię conqueritur.

2. *O quã grandi diſtantia diuiſit Dominus lucem, & tenebras. Beatus* Protomartyr *Stephanus paſſurus mortem pro veritate vidit cœlos apertos, & vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & vbi erat futurus ipſe poſt mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, miſit: At contra faber ille tenebroſæ mentis, ac actionis, imminente morte vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli, & ſequacium eius, vidit etiam ſuum infelix inter tales carcerem, quò miſerabiliùs ipſe deſperata ſalute periret, ſed viuentibus, qui hæc cognouiſſent, cauſam ſalutis ſua perditione relinqueret. Factum eſt hoc nuper in Prouincia Berniciorum, ac longè, latèque diffamatum, multoſque ad agendam, & non differendam ſcelerum ſuorum pœnitudinem prouocauit. Quod vtinam ex hinc etiã noſtrarum fiat lectione litterarum.* Quæ quidem ijs, quæ à D. Gregorio in ſuis dialogis conſcripta ſũt, mirifice conſonare videntur: Et quibus hominem in religioſorum clauſtro, imò ſub ipſa Euangelicæ perfectionis regula, remiſſe tamen, oſcitanterque viuentem, ac nil prorſus monaſticis, iuſtitutis, ac Cœnobitarum moribus dum ſalubriter corriperetur, excolendis intentum, triſti vitam exitu, deſperataque tandem ſalute diem clauſiſſe conſtat.

Beda vbi ſup.

O diſparem illius & B. Stephani. mortis rationem.

Multi cõperta re excitati ad eluendas vitę maculas.

Inſenſus igitur ſibimet ipſi hoſtis comprobatur, qui dum amicè ab aliis corripitur, corripienti ingratus non acquieſcit, ſed ſuum in malo animũ ac deuio calle pedem figens obduratur. In quem illa Sapientis verba cõcinne inſonant: *Qui abiicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam, qui autem quieſcit in increpationibus poſſeſſor eſt.* Ita planè hoſtiles animæ ſuæ inſidias parat, qui monitorẽ ſuperbè reijcit; à Deo quippe ob duræ ceruicis contumaciam flagellis iuſtiſſime expetitur, qui corripienti ſe ingratus, auſteruſque odium pro gratia referẽdo exiſtit. Quod quidem Ottoni Theutonicorum Regi contigit, qui ad Dei tribunal ob contemptam Antiſtitis, filij videlicet, qui in eum pluſquam paternũ zelum exhibuit, ſe ob graue piaculũ increpantis vocem contẽpſit, adeſſe cõpulſus eſt, vt Petro Damiano enarrante liquet, de quo iſthæc:

Prouer. c. 15

Contemptus in diſciplinę contẽptores redundat.

Otto Rex Theutonicorum, qui poſtmodum Imperator creatus eſt Romanorum, Adalaidem Italiæ *Reginam, quæ ſibi commater extiterat, ſuſcepit in coniugem. Quem filius eius, qui Moguntinæ præſidebat almificus* Paſtor *Eccleſiæ, cæpit conſtanter arguere, & ſceleſtum, infidumque coniugium publicè accuſare, & condemnare. Pater autem vehementer iratus eum comprehẽdi præcepit, & mox carcerali cuſtodiæ mancipauit. Quem per annale circiter ſpatium carcer incluſit, ſed à correctione linguam, & terroris vinculum non ligauit. Cùm verò pater eum quadrageſimali decurrente ieiunio de cuſtodia decreuiſſet educere, antequam pſalteriũ expleret, quod aureis exarabat apicibus, recuſauit exire: verumtamen cum exinde exiſſet, zelo Sacerdotalis auctoritatis* ac-

Petr. Dam. ep. 14. ad Deſiderium c. 12

Otto Imperator de vetito cõiugio increpatur à filio archiepiſcopo.

Digitized by Google

accenſus non quieuit, ſed mox in patrem iaculum publicæ excommunicationis extorſit: O! vere dignum regio genere Sacerdotem, qui in cauſa Dei non imperiale faſtigium, non paternum recognouit affectum, ſed cum paternam, & Regiam auctoritatem in ſolo Deo conſtituit, hunc hominem eius legibus reſiſtentem à ſe prorſus extraneum reputauit. Dixit autem patri: *Tu arbitraris me aduerſũ te violenter agere, te verò præiudiciũ ſuſtinere: ſcito prænoſcẽs quia die Sãcto Pẽtecoſtes vterque ſimul ſtabimus antè Deum, ibique ventilabitur inter nos librata Iuſtitiæ lance litigium, ibi luce clarius apparebit, quis noſtrum æquitatis lineam teneat, quis Dei legibus contradicat. Factumque ex ipſo, qui dictus eſt ſacroſanctæ ſolemnitatis die, dum præfatus Auguſtus imperialibus inſulis redimitus, multorumque Pontificum choris, ſiuè procerũ vallatus agminibus, miſſarum ſolemnijs intereſſet, repentino ſuper eum veniente iudicio inuentus eſt mortuus.* Miſer itaque dum Sacroſanctis miſterijs intereſt, repente è vita præreptus, non iam Rex, ſed reus ex Rege ad Dei tribunal condigno mulctandus ſupplicio ſiſtitur: vt illud palam diuinum Chriſti oraculum adimpleretur: *Et qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Ab eo iterũ anathemate percellitur.

Repentino interitu ſublatus.

Luc. 10. 16.

Verũ vt magis, magiſq; legẽtibus innoteſcat, quam diris ſe pœnis deuouent, qui ſalutis monita monitoreſque detrectant, res ad præſens exemplis vltrò comprobanda eſt. Fredegundis Galliarũ Regina, vt Baronius in ſuis annalibus habet, cùm à Prætextato Rothomagenſi Epiſcopo Sacerdotali auctoritate; ob ſuam nequitiam obiurgaretur, inſelix admonenti pro gratia contumeliam rependens, multis eum incommodis affecit; nam amarulentior ex tunc euadens, exilijs præſulem defatigare cœpit, multiſque contumeliarum modis, ſæuiẽs de altera veluti Iezabel impia in Dei virum, & non ſecus ac Herodias in Ioannem, huic necem machinando exarſit. Sed pœnas tandem iuſtas dedit, vt Turonenſis teſtatur.

Baron. tom. 7 an. 589 nu. 5 & 6.

Fredegũdis ſacerdotalia monita ſpernentis exitus triſtes, & ſcelera

Dum hæc (inquit) *agerentur, & Fredegundis apud Rothomagenſem Vrbem commoraretur, verba amaritudinis cum Prætextato* Pontifice *habuit dicens venturum eſſe tempus, quando exilia, in quibus detentus fuerat, reuiſeret.* Et *ille: Ego ſemper, & in exilio, & extra exilium Epiſcopus fui, ſum, & ero; nam tu non ſemper regali potentia perfrueris: Nos ab exilio prouehimur tribuente* Domino *in regnum, tu verò ab hoc Regno demergeris in abyſſum. Rectius enim erat tibi, vt ſtultitia relicta, atque malitia, qua ſemper ferues, abſtrahereris: vt & tu vitam adipiſcereris æternam, & paruulum, quem genuiſti, adducere ad legitimam poſſes ætatem? Hæc effatus cum verba illius mulier grauiter acciperet. ſe à conſpectu eius felle feruens abſtrhaxit.* Condigna planè Sacerdotalis in Præſule animi, qui nullis minis, ac terroribus cedere nouit, conſtantia. Sed iam martyrij laurea Dei virum iam coronandum proſequamur.

Greg. Turon. lib. 8. c. 31

Prætextati Epiſcopi Rothomãgenſis generoſum reſponſum.

Adueniente autem Dominicæ reſurrectionis die, cum Sacerdos ad implenda Eccleſiaſtica officia ad Eccleſiam maturiùs properaſſet, Antiphonas iuxta conſuetudinem incipere, per conſuetum ordinem cæpit. Cùmque inter pſallendum Formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui Epiſcopum ſupra Formulam quieſcentem, extracto è baltheo cultro ſub aſcella percuſſit: Ille verò vocem emittens, vt Clerici, qui aderant, adiuuarent, nullius auxilio de tãtis adſtantibus eſt adiutus: At ille plenas ſanguine manus ſuper altarium exten-

Greg. ubi ſup.

Submiſſus ad eum necandum ſicarius ſcelus conficit.

tendens; orationem fundens, & Deo gratias agens in cubiculum ſuum inter manus fidelium deportatus, in ſuum lectulum collocatus eſt; ſtatimque Fredegundis cum Beppolemo Duce, & Antoualdo adfuit dicens: Non opportuerat nobis, & reliquæ plebi tuæ, ò ſancte Sacerdos, vt iſta tuo cultui euenirent: Sed vtinam indicaretur qui talia auſus eſt perpetrare, vt digna pro hoc ſcelere ſupplicia ſuſtineret.

Maligni Fredegundis doli.

Sciens autem eam Sacerdos hæc dolòſè proferre ait: Et quis hæc fecit, niſi is, qui Reges interemit, qui ſæpius ſanguinem innocentem effudit, qui diuerſa in hoc Regno mala commiſit? Reſpondit mulier: Sunt apud nos peritiſſimi Medici, qui huic vulneri mederi poſſunt, permitte, vt accedant ad te. At ille: Iam (inquit) me Deus præcepit de hoc mundo vocari: nam tu, quæ his ſceleribus Princeps inuenta es, eris maledicta in ſæculo, & erit Deus vltor Sanguinis mei de capite tuo. Cumque illa diſcederet, Pontifex ordinata domo ſua ſpiritum exhalauit, ad quem ſepeliendũ Romacharius conſtantinæ Vrbis Epiſcopus aduenit. Hæc Turonenſis, qui & de ſeniore quodam Rothomagenſis pariter Eccleſię, probatæ integritatis viro perempto, cum is Reginæ ſanctiſsimi Epiſcopi necem exprobraſſet, hiſtoriam ſubtexit. Verùm infeliciſſima mulier, ac ſacrilego obnoxia crimini, vt omnimoda Sacerdotis verbo ſtaret fides, funeſtiſſime diem clauſit, vt ſuo loco narrabitur.

Baron. tom. 8. an. 614. nu. 6

Huic Theodoricus Clodouei filius, Francorum Rex iure meritò adnumerandus eſt, qui cum multa iniquè in viros ſanctitate venerabiles præſtitiſſet, nec non temerario Epiſcopos auſu in exilium, perditis Reginę Brunegundis conſiliis permotus ablegaſſet, tandem bello à fratre deuictus, diem infeliciſſimè obijt: Sed cùm Theodoricus, alter profectò Achab, Fredegundis vero ſe Iezabelem exhibens B. Columbanum ex Monaſterio in exilium exturbandum decreuiſſent, vir Dei Ragamundũ, qui ad ipsũ extrà regni limites abducẽdum miſſus à Rege fuerat, alloquutus impendenteſq; ei calamitates prænũtians, hęc diuino ſpiritu afflatus, cõceptis in rem verbis edixit; *Memẽto ò Ragamunde, quod Clotharium, quem nunc ſpernitis, intra triennium Dominum habebitis: At ille: cur inquit talia Domine mi ais: illeque ait: Videbis prorſus quæ dixi, ſi tunc vitam cum ſuperis feras.*

Ionas in vita S. Columbani c. 21.

Viri Sancti vaticinium complendũ

3. Verùm quam ob cauſam Rex impius Columbanum exilio mulctarit, hic ex Iona repetendum eſt, qui Brunichildis potiſſimum impulſũ id ab eo preſtitum ait, cum alioqui virũ Dei magni sẽper feciſſet: *Mortuo* (inquit) *Childeberto infra adoleſcentiæ annos, regnauerunt filij Childeberti duo Theodobertus, & Theodoricus, cum Auia ſua Brunichilde. Regno Burgundionum Theodoricus potitur, regnũ Auſtratiorũ Theodobertus ſuſcepit regẽdũ, Theodoricus primo quia in terminis Regni ſui Beatum Columbanum haberet, gratulabatur non minimum, ad quem cum ſæpiſſimè veniret, cæpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulteriis miſceretur; & non potius legitimi coniugij ſolamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi, cumque tam ad viri Dei imperium Regis ſermo obtemperaret, & ſe ab omnibus illicitis ſegregare ſponderet; mentem Brunichildis auiæ ſecumdæ, vt erat: Iezabelis antiquus anguis adijt eamque contra virum Dei ſtimulatam ſuperbiae aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theodoricum obedire? Vereba-*

Ionas vbi ſup.

Brunechildes flagitii auctrix

Theodericus Rex monitus ſæpius à viro Sancto.

batur enim, ne ſi abiectis Concubinis Reginā aulæ præfeciſſet, & digntiatis, et honoris ſui modū amputaſſet. Sed ſuſiſte hic paulùlum ò lector, dum aurea interim Baronij verba delibamus; *O Cæcam* (inquit) *fallacemque; ac ſibi ipſi penitus mentientem prudentiam carnis, dum peccatis putat ſtabilitatem ſibi parare dominii, iuriumque proculcatione ius quærere poſſe regnandi*: Porrò tantum abeſt, vt ſibi Regnum malis artibus obfirmarit, quin potiùs ruinam, tū ſibi tū Regno, conſilia ſana reſpuendo pepererit: Sed reliqua proſequamur.

Baron. ann. 614. vbi ſup. Politica impietas fuit illi exitio.

Euenit, vt quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret: erat enim tunc apud Brocoriacum villā, Cumque illa eum in aulam veniſſe cerneret, filios Theodorici, quos de adulterinis permixtionibus habebat ad uirū Dei adducit: Quos cum vidiſſet, ſciſcitatur, quid ſibi velint. Cui Brunichildis ait: Regis ſunt filij, tu eos tua benedictione robora. At ille nequaquam (inquit) *iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de Lupanaribus emerſerunt. Illa furens paruulos abire iubet. Egrediens ergò vir Dei Regiam aulam, dum limitem tranſiliret, fragor* (terræmotus ſcilicet) *exortus totam domum quatiens omnibus terrorem incuſſit, nec tamen miſeræ fœminæ furorem compeſcuit: Parat deinde inſidias moliri, viciniſque monaſterijs per nuncios imperat, vt nulli eorum extra monaſterium iter pandatur, neque receptacula Monachis eius, vel quælibet ſubſidia tribuantur.* Sic verbis perculſa regia mulier furit, & ob denegatam ſibi benedictionem liuore ſuccenſa ſæuit, à repentino elementa fragore concuſſa, condignū Dei viro teſtimonium, eiuſque ſanctitati honorem deferre, eiuſque magni facienda monita proclamare viſa ſunt: Sed quid inde Regina inſtigante actum ſit videamus.

Ionas vbi ſup.

Eo diſcedēte concuſſa terræ motu regia.

Ad hæc rurſus permota Brunichildis Regis animum aduerſus Columbanum excitat, omnique conatu perturbare contendit, orabatque proceres aulicos, optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarent: Epiſcopos autem ſollicitare aggreſſa eſt. Verùm poſt multa ſatis aſpera, quæ ſubindè inter Columbanum, ac Regem interceſſere, hæc Theodoricus ſubiunxit: *Contra quæ Theodoricus ait, Martyrij coronam à me tibi inferendam ſperas? non eſſe ait tantæ dementiæ ſe, vt hoc tantum patraret ſcelus: Sed quæ ſunt potioris conſilij agere, & vtiliora paraturū.* Quibus narratis poſt hęc Colūbanum Regis iuſſu, ac Reginæ impulſu actum fuiſſe in exilium tradit: Porrò haud Columbanum duntaxat impiorum conatu, mulctatum exilio, ſed & Deſiderium Viennenſem Epiſcopum pari inuolutum pœna Ionas affirmat.

Ionas vbi ſup. Rurſus à Brunechilde ſubornatus abigit in exilium.

Ionas vbi ſup.

Atqui aduerſus Theodoricum, nefandamque Brunichildem horrendum ſatis, vel ſero Dei iudicium affulſit; Quippe qui poſt immania flagitiorum crimina, quibus ſe obſtrinxerant, id poſtremo ad malorū cumulum addidere, vt acerbum aduerſus Dei ſeruos, non nullis martyrio coronatis bellum indicerent, vt Baronius in ſuis annalibus tradit, ad quem lectorem remittimus: At Deus qui Regiam patienter aliquādiu impietatem tulit, vt pœnitentiæ locus pateret, vbi peccantibus fruſtra inducias dari cerneret, iuſtam demum in eos vltionem exercuit.

Chriſti Eccleſiæ bellū pertulit.

4. Verùm, quo potiſſimum mortis genere ob ſacrilega, quibus ſe obtrinxerat; facinora Rex impius ſub Chriſti anno ſexcenteſimo, decimoquar-

quarto è vita, atque è Regno exciderit, haud vna,eademq; eſt Scriptorum ſentẽtia,etſi omnes ipſis infelicem vnanimi aſſertione exitum adſcribant: Certè quidem Ionas ſui temporis hiſtoriam texens, eiaculato de cœlo fulmine ictum, vt eius peccata promerebantur, interiiſſe aſſirmat. Aimoinus vero eumdem Brunichildis auiæ dolo, ob inimicitias, quæ poſt Theodoberti obitum inter eos exortæ ſunt, veneno ſublatum tradit, qui aliorum inſuper ſententiam meminit, vtpotè aſſerentium hominem diſſenteriæ morbo exceſſiſſe: Sed ad totius hic enarrationis calcem, quæ Ionas de Theodorici obitu, ac de vindicta à Clotario Brunichildi iuſto Dei iudicio illata refert,coronidis inſtar ſubtexenda ſunt; is enim poſtquam Theoberti exitum deſcripſit, hæc ait:

Aimoinus lib. 3. c. 100.

5. *Porrò Theodoricus penes Metenſe morans oppidum, diuinitus percuſſus inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt: Poſt quem Brunichildis filium eius Sigebertum in Regnum ſuffecit:* Incendio itaque iuſtiſſime ſublatus eſt,qui iuges diſſidiorum flammas in Eccleſiam excitarat,ſanctoſque viros iracũdiæ liuore contabeſcẽs terra, mariq; igni ac ferro cuncta vaſtando inſectatus fuerat. Atuero à rixarum quas in Eccleſia excitauit, ignibus, ad gehennæ incendia miſer tranſitum feciſſe creditur. Iuxta illud: *Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſq; ad Inferni nouiſſima.*

Ionas vbi ſup. Theodericus ignibus exuſtus

Deuteron. c. 32. 22.

Theodorico ſublato, vt conſtans Columbani oraculum foret, filij pariter poſt parentem à Clotario Rege gladio traditi ſunt, prout rem tragicam Ionas his verbis proſequitur: *Itaque Clotarius* (inquit) *memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines Regni, qui ſuæ ditioni debebantur, conatur accipere. Contra quem Sigibertus cum hoſtium cuneis pugnaturus aduenit. Quem Clotarius captum peremit, fratres eius quinque, Theodorici filios, cum auia Brunichilde cœpit; pueros ſeparatim peremit.* Atqui condignas ſuis ſceleribus pœnas Brunichildis, quæ malorum omnium artifex extiterat,haud effugit:maledicta enim altera veluti Iezabel poſt extinctum Achabum ad vltionẽ ſubindè reſeruata eſt, adeo, vt indomitis equis impoſita,vias,per quas raptabatur,ſuo paſſim cerebro,quaſi ſale reſpergeret; ſed quid Ionas ſcribit, audiamus.

Ionas in Columb. c. 28.

Ante ſupplicium effecta contumeliis.

Brunichildem verò primò ignobiliter Camelo impoſitam hoſtibus gyrando monſtrauit; poſtque indomitorum equorum caudis irretitam, miſerabiliter vita priuauit. Funditus ergò, radicituſque deleta Theodorici ſtirpe, Clotarius potitus eſt trium Regnorum ſolus Monarcha. Quo facto Beati Columbani prophetia in omnibus impleta eſt. Hæc Ionas,eademque pluribus Aimoinus & alij, dum cuncta improbiſſimæ fœminæ dedecora ſcriptis certatim retexunt,eamque acerbo fato abſumptam narrant. Et Aimoinus præſertim his verbis rem proſequitur.

Ionas vbi ſupra.

S. Columbani vaticiniũ completum.

Acclamãtibus(inquit) *cũctis*(*poſtquã videlicet camelo impoſita, circumducta eſt*) *inauditis eam debere ſubijci pœnis iubet immitem exhiberi equum, crineſq, miſerrimæ Reginæ cum brachijs caudæ eius alligari, ac demum ad curſum concitari: Sicque primo impetu currentis equi calcibus cerebrum diſperſũ, reliqua verò membra per aſpera quæque ſentibus rupibuſq; protracta loca, diſſipata ſunt.* Funeſtus planè fœminæ exitus, quæ licet ſuorum cædibus, ac ſanguine longo annorum ſpatio ebria,vix adhuc ſitim expleuerat: Nam decem eius potiſſimum conſilio, atque opera Reges extinctos Clotarius recenſuit.

Aimoin. lib. 4. c. 1

Digitized by Google

ſuit. Hæc verò multiplicibus obnoxia ſceleribus in regno impunè vixit, vſque dum impias à Dei ſeruis, impuraſque ab Epiſcopis manus continuit, at vbi ſubindè ſacrilega, & cruẽta poſt tot cædes euaſit, mox numinis vltionem experta eſt. Nam quæ fuerat dominandi cupida, haud triũphantium in morem, equorum bigis, ac curru ſublata, ſed equorum protrita pedibus funeſtum de ſe cunctis ſpectaculum præbuit. Et digna quidẽ miſerã, non ſecùs ac Iezabelem alteram, iuſtaque numinis ſententia inuoluit, vt haud obſcuris Elias olim verbis edixerat: *Sed & de Iezabel locutus eſt* Dominus *dicens: Canes comedent* Iezabel *in agro* Iezrael. Vt par igitur crimen, par item pœna regiam vtramq; fœminam complecteretur, quod Iehu victor ciuitatem ſubiens, perditamque illam conſpicatus Eunuchis præcipiẽdo edixit: *Præcipitate eam deorsũ, & præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries; & equorum vngulæ conculcauerunt eam.* Id quoq; & hic alteri contigit; conſimili quippè è regni culmine ſublata, non tam caſu, quam præcipitio abrumpens vitam, equorum item vngulis infeliciter proculcata eſt. At poſt mortem ad malorum cumulum malefica iſta, ac maledicta ſepulturæ beneficio caruit; vtpotè, quæ regno exoptatam pacis tranquillitatem, ac dum viueret, viuentibus quietẽ inuidit. Atqui regiæ fœminæ, quæ ſuis Iezabelem moribus ad viuum exhibuit & ſi Dei nutu ſepultura defuit, ſepulchralem tamen eidem titulum ſubtrahere haud par eſt, qui ſanè fatidico olim Iehu ore, condignoque eidem ſtylo his diuinitus notis exculptus legitur: *In agro* Iezrael *comedent canes, carnes* Iezabel, *& erunt carnes* Iezabel, *ſicut ſtercus ſuper faciẽ terræ in agro* Iezrael, *ita vt prætereuntes dicant: Heccine eſt illa* Iezabel.

Manus Epiſcoporum & ſacerdotũ ſanguine cruentarat.

3. Reg. c. 21. n. 13.

Caruit veraque ſepulcro

6. Verùm enim vero non raro accidit, vt qui ſuperbo amice admonentes ſupercilio aſpernantur, reijciuntque, Deum ſubindè acriter increpantem, ac ſeuero contemptores expetentem iudicio incurrant: *Durum autem eſt* (vt Apoſtolus ait) *incidere in manus Dei viuentis*. Quod vt apto comprobetur exemplo, quid de duobus petulantibus diſcipulis, & præceptori per ſummam iniuriam inſultantibus Petrus Damianus his planè verbis referat, audiamus.

Heb. 10. 31.

Erãt (inquit) *in ſchola duo inſolẽtiſſimi ſcholares adoleſcentes, qui non ſolum correctiones magiſtri pati nolebant, verũ etiam, & ad inſolentias; & diſſolutiones alios ſtudere volentes ſæpiſſimè compellebant, & hoc quidem Magiſter emendare non poterat, nec audebat. Contigit ergo Magiſtrum mori, & tertio die, aut quarto, in media ſchola in effigie magiſtri diabolum cum virga ferrea coram omnibus apparere. Nec mora cum truci vultu in adoleſcẽtes dictos exurgens, & cum virga illis mortem intentans repente diſparuit: Moxq; illi præ pauore in furiam verſi poſt dies aliquot obierunt: Ex his ergò ſcholares diuinum aduertant iudicium, & Magiſtris ſubdi diſcant: nec vnquam refugiant corrigi, ne eis contingat poſtmodũ ſub virga ferrea vapulare.* Vapulanti igitur manus præbet, qui ſuas faciles monenti aures non exhibet, adeò, vt iure merito, quod ſemel Ambroſius dixit, verùm comprobetur: quia *plus proficit amica correctio, quam accuſatio turbulenta, illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet*. Qui ab aliis igitur, vbi opus eſt, admoneri non ſuſtinẽt, nec admoniti in bono proficiũt, ad Dei tribunal ſiſtendi ſunt, cui cõdignas petulantiæ pænas exoluẽt.

Pet. Dam. lib. 2. cap. 16. par. 7

Immorgeri adoleſcentes in magiſtrũ conlarant

Ambr. tract. in Lucam.

Proficit magis correctio amica, quam turbida accuſatio

Porrò

Porrò hic, vbi de refractariis, ac contumelioſis in monitores, & in Epiſcopos præſertim, ac presbyteros, à quibus corripi detrectant, mentio agitur: Ariouald⁹ Longobardorum Rex Arrianorũ erroribus deprauatus, celerem ſubinde ob contempta ſalutis monita in ſuis miniſtris vltionem expertus eſt; nam cum alterum è ſuis ad Blidulphum presbyterum exagitandum incitaſſet, diro mortis eundem ſupplicio mulctatum vidit: ſed rem hic à Iona gratis auribus excipiamus.

Baron. tom. 8 an. 726. n. 31.

Cũ aliquo tempore Blidulphus presbyter, à Beato Patre Attala ad Ticinum vrbem directus fuiſſet, ibique perueniſſet, obuium habuit Arioraldũ Regem Longobardorum Arianæ ſectæ credulum. Is ergò cũ vidiſſet Blidulphum presbyterum, ait ad ſuos: de Columbani monachis iſte eſt, qui nobis ſalutantibus apta denegat reſpondere: Cũmque iam haud procul abeſſet presbyter, ſalutauit eum Rex, ironice tamen. Ad hæc Blidulphus: Salutem, inquit, optarem tuam, ſi tu ſeductoribus tuis non faueres, & alienis à veritate Chriſti doctrinis animũ non accommodares. Iuſtum enim eſſet, vt ineffabilem Trinitatem, vna deitate confiteri, non tres poteſtates, ſed tres perſonas, nec vnam trium nominum perſonam; ſed tres in veritate, Patris, & Filij, Spiritus ſancti perſonas, vna voluntate poteſtate, ac eſſentia. Hæc pauliſper audiens Rex, cùm progreſſus fuiſſet iracundia ſuccenſus, queſtus eſt, ſe non habere miniſtros, qui obruente noctis caligine monachum illum ita contumaciter in conſpectu ſuo locutum ſollicitarent, & fuſtibus, ac ſudibus conſciſſum morti traderent: Tunc vnus veſanior cæteris ad hoc patrandum ſe reſpondit eſſe paratum. Dicit ei: ſi voluntati meæ ſatisfeceris in hoc, muneribus te mox illuceſcẽte die craſtino ditabo: Progreſſus itaque peſſimus ille alium ſibi ſceleris ſociũ ſimilem ſibi aſſumit.

Ionas in vita S. Columban. Ab.

Blidulphi ad Regem Longobardum conſtãtia.

Pia Monita contemnit.

O miſeram planè mortalium pertinaciã ſuos inter lapſus ſic corripi detrectãtem, impiùs etenim Rex iſte ob hæreſis, quam ſtrenue fouebat, impietatem, à presbytero, qui eiuſdem probe conſulebat, ſaluti argui refugiebat; qua propter Euangelicæ correptionis beneficium, manifeſtam ratus contumeliam, vt pro gratia amarulentus vltionem inferret, ſuos in virum benemerentem vel propoſitis præmiis acriter ad ſæuiendum incitabat. Crudelis itaque miniſter, quod Rex iniunxerat, incunctanter præſtitit, verberibuſque monachum tam dirè affecit, vt pro mortuo (vt auctor ſcribit) à Regiis ſatellitibus derelictus fuerit, ſed mira Dei virtute qui mortuus credebatur, viuus extemplo, atque incolumis redditus eſt.

Martyr plagis contuſus incolumitati diuinitus reſtitutus.

7. Et quoniam adhuc de viris monita detrectantibus, in ſuoſque monitores aſperis ſermo eſt; Eduardus III. Anglorum Rex, cum multa olim in adminiſtrando regno laude, ac optimo digna principe argumenta dediſſet, antiquas ſubinde laudes criminibus, nec quidem vulgaribus infecit, ob quæ infelix illi è vita exitus obtigit. Nam primũ Vuicleffo nouarũ hæreſum in Anglia promulgatori fauit, & queadmodũ Cleméti VI. Romano Pontifici ad pacem cum Philippo Francorum Rege componendam, arripiendaque in terræ sãctæ ſubſidium arma adhortanti, et proſperos inde repromittenti ſucceſſus ſuis illectus commodis aurẽ nõ præbuit, ita nec hæreticorũ anteſignano in lucem proſilienti forti, vt debuerat, animo in faciem reſtitit, ſed ad ſua vlteriùs vota contendentẽ ire, permiſit, ex quo iuſtam in ſe Dei

Vuicleffus in blaſphemas voces aduerſus eccleſiam proſilit.

Digitized by Google

iram prouocauit! *Prætulit enim ſua* (inquit Rainaldus) *Religioni commoda Eduardus;à Chriſtiana enim pietate abhorrebat, cuius infelicem mortem vitæ reſpondiſſe,contemptumque à Deo, qui Deum contempſerat viſuri ſumus*. Sed illud interim ſceleri ſcelus addidit, vt eccleſiaſticas opes ſpecioſo crediti prętextu ad Gallias oppugnandas inuaderet, ob quod item ſacra Eccleſiæ iura infringens, Deoque contumelioſus factus, pœnas tandem ſibi condignas,diu ſed fruſtra expectatus non euaderet. Quid enim Romanus Pontifex ad illum à bello remouendum non dixit,non fecit? quibus nõ eum precibus, quibus eum ad bonum, minis non inuitauit, à malo non abſterruit? hæc enim illi in ſuis epiſtolis: *Profecto tibi reputatur ad duritiam, quod ad treguas eiſdem Cardinalibus tractantibus denegaueris conſentire, niſi Caſtrum Caletij, quod diu tenuiſti obſeſſum, & adhuc tenere diceris, receperis*. Præmiſerat quidẽ Pater amantiſſimus preces, vt Chriſtianæ rei ob illius cum Rege Francorum bella corruentis ſortem ingemiſcens his eum verbis compellauerat: *O fili amantiſſime, ſi conſiderãter attendens, & intra præcordia reuolueris diligenter quot, & quanta mala ex tuis, & eiuſdem regis guerris, & diſſentionibus, ex quibus ira Dei accẽditur, eo vehementiùs prouocatur, ſecuta ſunt, & quot et quanta bona præſertim ad præſens ſunt, & omittuntur, proculdubiò credimus, quod tu, quẽ ad bona opera huiuſmodi zelum feruentem, & deuotum habere audiuimus, ad tuã conſcientiã, vt pacis inhærere procures veſtigijs reduces &c.* At fruſtra tũ precibus, tum minis Pontifex apud regem in ſuo arrepti belli propoſito tenaciter perſiſtentem inſtitit. Atqui poſt ampliſſimam ſubinde victoriam parui, aut nullius extitiſſe momenti præſtitã operã, ac ipſoſmet exitiales Anglis cõtigiſſe triumphos ipſe poſtmodum euentus docuit; quinquaginta enim millia ſuorum (vt Villanus tradit) tum morbo, tùm in armorum pugnis Rex Anglus amiſit, præter grauiſſimum, quod poſtea in reditu periculum ſubiit, nonnulláſque è ſuis naues tempeſtatis vi Pelago demerſas indoluit.

Rainald. An. 1347 nu. 24.

Deo factus eſt contumelioſus, qui eius hoſtibus non reſtitit.

Salubriter ſuis litteris eum Pontifex monet, hortaturque Cum. VI. ep. 1174.

Fruſtra pôtifex in eo corrigendo laborat

Io. Vill. lib. 12. c. 95.

8. Demùm qui Pontificum Romanorum monitis morem gerere, ſaniſque aurem adhibere eorundem conſiliis etrectarat, in manus tandẽ fœminæ, ſimulq; prauis cupiditatibus deſiderijsq; cordis ſui traditus, anteactorũ ſcelerum pœnas luit. Aliciam quippe Peresiam, impudentiſſimum ſcortum in extremo ſenio, infirmaq; valetudine fouens, ſalutiſque inani ſpe deceptus, priùs vocis vſũ amiſit, quam vocali exomologeſi crimina expiare potuerit, vt Vualſinghamus his verbis narrat: *Rex Eduardus tertius cum quinquaginta & fere vno annis regnaret, vigeſimo primo die Iunij apud manerium ſuum de Sebene diẽ clauſit extremum: cui per totum tempus ſuæ decubationis aſſederat, proh dolor! illa infanda meretrix Alicia Peeres, quæ cuncta, quæ chariora ſunt, medio tempore ſemper ſuggeſſit eidem, nihil omnino tractans, aut tractari permittens de animæ ſuæ ſalute, ſed ei iugiter ſanitatem corporis repromittens, donec in eo vidiſſet indubitata mortis indicia per vocis præcluſionem. Tunc nempe cum cerneret vocem ademptam ſibi, & oculorum acies hebetari. caloremque naturalem extremitates relinquere, mox inuerecunda pellex detraxit annulos à ſuis digitis, & receſſit. Solus tunc quidam Sacerdos aſſidebat moribundo Regi, cæteris circa rerum intentis direptionem: qui ei, eo quod loqui non poterat, nec*

Scortũ apud ſe iam ſenio confectus retinet. *Vualſing. in Edua. 3*

Pellex moriẽdi abſq; ſacramentis annulos aufert cum ſpoliis receſſit.

con-

confeſſionem oretenus facere perſuaſit, vt veniam peteret pro commiſſis offerens ſibi Crucis imaginem, quam dedit in manus eius. Rex autem cum reuerentia ſumma illam accipiens, oſculabatur deuotiſſimè nunc manus, vt poterat, in ſignum optandæ veniæ protendendo, nūc vero de ſuis oculis lacrymas vberes emittendo, et pedes imaginis frequentiſſime oſculando. Tandem cùm ad nutū presbyteri motibus, & ſignis, quibus potuit, petijſſet primo, et principaliter de peccatis à Deo *remiſſionem, & ſecundario à cunctis creaturis, quas vel ſcienter, vel ignoranter offenderat, ſpiritum exhalauit.* Hæc præmemoratus auctor de Eduardi exitu, quem prius loquela, quam vita deſtituit, nec ante libido, & impudentiſſimi ſcorti, quod apud ſe domi retinebat pręſentia, quam mors ſub extrema momenta fatiſcentem occuparet: magno ſanè diuinæ bonitatis argumento, ſi verè ſub finem de peccatis doluit, ſi anteactorum criminum, & turpis eum vitæ, vel ſero, & ex corde pœnituit. Quòd ſi animæ ſalutem, de quo nil certum conſtat, aſſequutus eſt, certè quod ad res præſentis ſæculi ſpectat: *Quid* (vt Rainaldi in ſuis annalibus hic verbis vtamur) *quid inquam miſerum regem iuuit tot geſſiſſe prælia pro Gallica corona adipiſcenda, immortalitatis vero, & cæleſtis coronæ adipiſcendæ curas ad extrema fugientis vitæ ſuſpiria extraxiſſe.* Et hæc interim de Eduardo ſalubria monita, monitoreſque inſuper Romanos Pontifices aſpernante narraſſe ſufficiat.

Rex peccata conſiteri nequit,

Rainald. an. 1377.

His alterum exlegis militis exemplum mirificè conſonat, qui cum editam ſacri præconis ore obiurgationem aſpere, ac iniquè; vtpotè licentioſus accepiſſet, diuino protinùs ſupplicio expetitus pœnam dedit, vt Bzouius in ſuis annalibus hùc in modū exſcribit: *Ad rē* (inquit) *diuinam erat in primis attentus,* (*ſcilicet Beatus Matthias Sanctæ Brigittæ præceptor in ſpiritualibus*) *Ei cum populo concionaretur, in modum torrentis orationem fundebat:* Plerumque *enim commonendo, ſæpe ſuauiſſimè adhortando, non nunquam etiam libere obiurgando, vel caſtigando leniter, aut multorum infirmitatibus compatiendo, omni enitebatur ſtatui, & negotio prouidere. Verba pro concione quadam vice de more faciente armiger quidam inſtar furioſi in has deſperationis prorupit voces: ſi anima mea* (inquit) *Cæli ſedibus non potietur, viuat more beſtiarum, terreno pabulo, & præſentibus oblectamentis contenta. Quo audito Beatus Matthias, & inepta garrientem temeritatis arguit, & in arrepto propoſito contentius perſtitit, populumque euidenter docuit animas beatas, & à peccatorum reliquijs, expurgatas clare frui æterno conſpectu Dei. miles autem temeritatis impietatiſque ſuæ iuſtas dedit pœnas: nam cum ſalutares monitus naucifaceret quartò poſt die nihilo mollior, aut melior factus mortuus eſt, & ſepultus, continuiſq; aliquot noctibus auditus eſt ingeminare: Væ, Væ: ardeo, ardeo: donec vocibus importunè vexatorū vxor ad monita ſepulchrum eius aperuit, vt alio fortè corpus trāsferret: In quo præter pānicułos, quibus cadauer inuolutū fuerat, & calceos nihil inuenit.* Æquo igitur iure poſt mortem veſanus iſte, ac deperditæ ſpei vir lugubre carmen cecinit qui monenti atque obiurganti, dum viueret, cordis aurem penitus clauſit; *Qui enim odit correptionem* (vt ſacræ docent paginæ) *veſtigium eſt peccatoris.*

Bzou. in ſuis Annal. to. 14. an. 1350. nu. 26

B. Mathias inſignis concionator,

Perditi voluptatibus hominis vox perditiſſima

Eccleſ. 21. 7.

Verū enim vero immenſi res, vt vi-

vides periculi eſt, corripienti gratam vltrò, facilemque aurem non adhibere, & quod peius eſt, a ſalutaribus præconum verbi Dei monitis cor auertere, obſtinateque in ſua malitia perſiſtere, vt funeſto alterius exemplo Fr. Lucas Vuadingus Seraphici Ordinis, ac probę fidei ſcriptor, in ſuis Minoritanæ familiæ annalibus hunc in modum tradit: *Regebat vrbem* (inquit) *Parmenſem*, Petrus *Bergomenſis*, *Ducis Mediolanenſis Commiſſarius*, *cuius culpa fermè reuixerunt factiones paulò ante à Bernardino extinctæ*, *quique clauſtra monialium laxiorem vitam agentium reformari*, *& occludi prorſus impediuit*. *Acriter hominem reprehendit vir Dei*, *è cœloque vindictam minatus dixit ante annum ferali morte pœnas luiturum*. *Verè prophetauit*; *Etenim poſt paucos menſes defuncto* Principe *Fauentino*, *eam in vrbem amandatus à Duce commiſſarius*, *fruſtratim cæſus eſt à Vallis* Cremonenſis *populi*: *quod vbi Parmẽſes audierunt*, *recordati prophetiæ Bernardini*, Dei *iuſto tribuerunt iudicio*. Verbis quippè à viro Dei prolatis facta quantocyùs reſponderunt, ac mors dictis fidem peperit; namque homini, dum petulantiùs in monitorẽ ſe gereret, poſt monita à tergò adfuiſſe vltionẽ conſtat, adeout qui à Chriſti famulo correptus compungi, atque à ſuis erroribus reſilire detrectauerat, gladiis crudeliter trãſfoſsus, ac conciſus infeliciter poſtmodum è vita deceſſerit.

Fr. Lucas Vuading. in Crõ. minor. Francis. an. 1487. n. 30. pag. 216

Magiſtratus Parmenſis religioſorum laxiorem vitam tuetur.

Eo contẽplo n fruſtra conſcinditur

Diuinarum igitur rerum cõtemptores, qui pia, ſapidaque famulorum Chriſti monita reſpuunt, ac ſuæ negotium animæ ſæcularibus intẽti perdite, oſcitanterq; agũt, manifeſtã numinis pro contemptu contrahentes offenſã, haud ab eo ſuperna auxiliorum munera, opportunamque expiandis culpis miſericordiam conſequi merentur. Qui enim Deum, ac ea, quæ Dei ſunt negligit, nec ſerò tãdem negligetur à Deo. Quod (vt nuper accepimus) certus quidam lignorum ſector ſub redempti orbis annum M. DC. LIV. ſuo verũ eſſe experimento edidicit; Suæ namque ſalutis immemor dum vna cum cæteris, orationibus, concionibusque intereſſe negligeret, ad quas cũctis, quo potiſſimũ tempore ſacerdotes ad id ſpecialiter ſub miſſionis titulo deſtinati inſtruendis Chriſti fidelibus operam darent, vndique confluebãt, dũ miſer vilem animæ lucro nummũ, æterniſque rebus temporalia anteponit, irreparandam demum pro paucis nummulis ſalutis iacturã incurrit. Et congruè pœna culpæ reſpõdit, nam dum quadam die infructuoſus operarius iſte magno trabi ſecando intendit, eius ruina incautè, inopineque oppreſſus, abſque confeſſionis ſacramento, culparũq; ſuarum expiatione decedens, ante vitam amiſit, quam mortis periculum aduerteret, inexpiatuſque æternitatem adiuit.

Ex relat. à fide dignis.

Verbum Dei audire detrectans.

Idem planè Anno reparatæ ſalutis M. DC. LV. cuidam alteri ſectori lapidũ funeſtiſſime accidit, qui cùm ad pietatis Chriſtianæ opera, exercitiaque religioſis viris adnitentibus, & ad id à ſuperioribus ſpeciali titulo illuc directis, vt vna cũ aliis adeſſet, conueniretq; ſuæ memor ſalutis inuitaretur, ſuum neutiquã opus, quo victum ſibi diurnum procurabat, intermittendum, vacandumque à manuum labore, vt animę operam daret, audacter reſpondit: *Neque enim*, *vt quod verũ eſt fatear* (inquit) *concionatorum verbis*, *ſed manuum laboribus victito*; *cibus quippe eſt*, *qui vẽtrem implet*, *verba autem aures dumtaxat ſonitu titillant*: Miſer autem, vt Chri-

Ex relat. à viro probæ fidei.

Inuitatus ad pia opera contemnens perit.

Chriſti oraculum ſibi omnimodis occinere comprobaret: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; dum ſuo inſiſtit operi, rebuſq; ſpiritualibus impendere operam detrectat, ſubito, repentinoque è vita caſu ſublatus, de ſe benè ſperandi mortalibus ſpem abrupit. Demùm quoniam hi, qui dũ amicè corripiuntur, in furorem conuerſi, exhibita vltrò ſalutis monita ne dum reiiciunt, contemnuntque, ſed & prauis inſuper, doloſiſque conſiliis aures adhibere conſueuerunt, de his conſultò hic à nobis agendum eſt.

Matth 4.4.

Infelix exitus.

CAP. XI.

Conſiliarij praui, ac doloſi.

1 ANtequàm triſtes, ac peſſimi hominum, perperã cõſulentiũ exitus à nobis recẽſeãtur, illud hic cõſultò pręmittendum eſt, conſiliarios videlicet, qui ea, quę carnis, ac mundi ſunt ſapiunt, ſuis interceptos dolis, fraudibusq; acerbos tandem, funeſtoſque conſiliorũ fructus demetere. *Conſilium quippè malum conſultori peſſimum*, vt ſapiẽter Heſiodorus affirmat: Iuſto etenim Dei nutu plerũmque fit (quod ſemel, atque iterũ experimento verum comprobatur.) vt praua hominum conſilia in ipsũ auctoris caput recidant, & vnde ſuũ blanda doloſorum fraus initium habuit, illuc certo conſultoris diſpendio haud impunè redeat. *Facienti nequiſſimum conſilium* (Siracides inquit) *ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vndè adueniat illi*. Cui & Sapientis Oraculum illis aptè, elegãterque verbis conſonat: *Qui in altũ mittit lapidem, ſuper caput eius cadet, &c. Et qui foueam fodit, incidet in eam. Et qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo; Et qui laqueum alij ponit, peribit in illo*. Non vno igitur, ſed multiplicibus diuinarum paginarum oraculis improbè, fraudulenter conſulentium artes, veluti peſtes cũctis noxiæ ex orbe terrarum proſcriptæ ſũt, quę nõ tã verbis, quàm iaculis diuinitùs percelluntur. Verùm haud vno dũtaxat exemplo, ſed pluribus aſſertionis propoſitum hic in præſens euincitur, improborumque malè ſana ſapientum conſilia ſuos laqueo, ac cladibus deuouiſſe auctores compertum redditur. Et vt primo loco quod è ſacris excerptũ in tabulis, præ ſceleris immanitate vniuerſo orbi teſtatiſſimum eſt, ob oculos proponamus; Impiùs ille Caiphas peſſimorum cõſultorum anteſignanus, qui plus Romanos, quàm Deũ reueritus, calumniam potius, quã veritatem dilexit, & Chriſti, dum ſe Dei filium diceret, reſponſo offenſus, ipſum veritatis oraculum blaſphemiam appellauit, ſuum conſciſſis (vt mos erat) veſtibus, piaculum vaſtitatemque futuram teſtatus eſt.

Heſiodorus de conſult.

Siracides. Praua conſilia primum conſultori nocent

Eccl. c.27. n. 30. & 28. nu. 29

Suis improbi conſiliis pereunt.

Et iuſtè, ſiquidem enimuero tam ipſe, quã cæteri conſultores immanè inter cõſultãdũ delirabant: *Quid facimus* (inquiunt) *quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Ita prorsùs inuidi, qui non tã ratione, quam liuore in inſontis necem præcipites agebantur: *Timuerunt* (inquit Auguſtinus) *regnũ terrenũ amittere*. At potiſsima timendi, conſultandique cauſa non alia, quam inuidiæ liuor extitit: *Hæc enim* (inquit The-

Io cap. 11.

Caiphas in conſulendo delirus.

Aug. in pſ. 53

Digitized by Google

Theophilactus) *præ malitia dicebant, ne viderentur enim inſidiari Chriſto propter inuidiam, commune periculum in medium offerunt*. O cæcas mentes, inſanaque hominum conſilia! ex miraculis, diuiniſque operibus culpæ reatum innocentiæ, & vitæ auctori necem inferunt. Sed præ cunctis Caiphas ſacerdotum princeps in conſulendo aberraſſe dignoſcitur, qui vt prouidus in gentem ſuam videretur, perfidus in Deum, impiuſque videri non erubuit, his enim verbis Chriſti neci calculum tulit: *Vos* (inquit) *neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis; vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat &c. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Atqui infidum impiorum conſilium in ipſorum caput recidit, cunctos enim ideò ſupremã ſub Tito à Romanis cladem incurriſſe cõſtat, quia cladem Chriſto priuatis abducti cõmodis parauerant: *Iudæi* (inquit Euthymius) *prætextum ſumpſerunt occidendi Chriſtum, ne à Romanis internecioni traderentur: quia vero occiderunt, internecioni traditi ſunt: & quæ fecerunt, vt effugerent, ea quia fecerũt, non effugerunt.* Miſera igitur Iudæorum gens regno ſimul, ac ſacerdotio orbata eſt, & Caiphas, cœteriq; perditi conſultores principatu, munere, ac vita ſimul iuſtiſſimè exciderunt. Condignam quippe iã tũ ſuã, ac ſuorũ cladẽ præſtito palã ſigno, cõſciſſiſque veſtibus impẽdentem prophano ſacerdotio; ac ſibi conſultori perdito finem viſus eſt portendiſſe, vt optimè Iuglaris in rem præſentem eloquitur:

Theophil. in Ioann XI.

Cæca conſilia inſipiẽtis hominum ſapientia.

Ioan. c. xI.

Euthym. in Ioan.

Ex prauis conſiliis Iudæorum excidium

Offenditur malus princeps, vnde erudiri debuerat.
Indignum ſe probat veſtibus, quas lacerat.
Detegit diloricatus carioſæ conſcientiæ cicatrices,
Inſtare ſacerdotio ſuo finem,
Prophetauit ante cum neſciret quid diceret.
Apertiùs nunc cum nec ſciret, quid faceret.
At quid aliud Iudæa à ſacerdote ſperares.
Quem Herodes, non Deus dediſſet.
Rex malus raro ſibi diſſimilem elegit Antiſtitem.

Iuglaris elog. 51. Matt. 26. num. 64 Luca 22. Ioan. 30

Pari namque Caiphas, & Herodes, Rex, atque Pontifex exitio inuoluti ſunt, qui pari tum ſibi, tũ cœteris, dũ malè ſic conſuletẽt, ſcelere detinebantur, & adeò quidẽ iuſtè, vt innoxium ſanguinem, quẽ fuderãt, ſuum vterque per iugulum regeſſerit. Et Caiphas peſſimo fine abſumptus ſuorum meritã, condignãq; cõſiliorum à Deo mercedem acceperit: *Ipſum namque vita pertæſum, mortem ſibi conciſſe apud Clementem legitur*; vt Baronius in ſuis annalibus, ſradit. Sed alterũ hic ex prophanis rerum hiſtoricarum paginis Drexelio narrante hominis doloſè in ſuum malum conſulentis argumentum, hiſque verbis expreſſum ſuppetit:

Baron. tom. I. an. 35. n. 3.

Cùm (inquit) *in Pãnonia Solimannus Herculeam Vrbem, ſeu Budam ab incolis deſertam occupaſſet, arcẽ vir ſtrenuus, & exactæ fidei Thomas Nadaſtus defendit, & ſeruaſſet etiam, ni turbaſſet miles, clamaſſetque deditionem; nam cũ Nadaſtus ſolus perſiſteret in fide, milites arreptum vinxerunt, & in carcerem contruſerunt, arcem dediderunt hoſti. Promiſerat quidem Solimãnus militi ſecurum abitum caſtro tradito. At audita hac in Ducem ſæuitia omnes trucidari iuſſit, Ducem vinculis abire ſaluum.* Et iuſto quidem Dei cõſilio peracta res eſt, cũ de eiuſcemodî hominibus regius quõdã pſal-

Drexel. c. 8. n. 3. de lingua male conſul:

Pſ.9.v.16.17 tes prædixerit: In *laqueo iſto, quem abſconderunt: comprehenſus eſt pes eorũ cognoſcetur Dominus iudicia faciens*. Conſilium quippe malum (vt Drexelius ait) *Conſultori peſſimum*. Sed quid in rem præſentem ſupra à nobis laudatus ſcriptor ingerat, audiamus.

Drexel vbi ſupra.

Marius tyrannorum ſeptimus æuo Gallieni Cæſaris, vno die factus Imperator, altero viſus eſt imperare, tertio occiſus eſt à milite, qui illum gladio confodiens: Hic eſt (inquit) gladius quem ipſe feciſti: Fuit enim Marius antea Macheropæus. Nimirum faber quas fecit compedes geſtauit. Pſalmiſtæ igitur in huius necem proclamãtis oraculum adimpletum eſt, quo de viris perditis, ac fallaciarum dolo præditis, illud olim cecinerat: *Gladius eorum intret in corda eorum*. En Goliathus alter gigantei corporis mole præcellens, inermi tandem Dauidis manu, ac ipſomet, quem geſtabat, gladio ad internecionem ſic datus, caputque eius malè ſanum in triumphi pompam elatum, delatumque eſt; vt malè conſulentibus documento ſit: Sed alterum hic conſiliarij nequam ſuoquemet ſapientis damno, ex eodem Drexelio exemplum nobis repetendum eſt. Ait igitur.

Drex. vbi ſup. Marius ex fabro Imperator factus ferro quod conflarat cæſus.

Idem ille Imperator Solimannus in expugnanda Rhodo opera proditoris vſus, cui poſt partam victoriam filiam cum dote grandi ſpopondit: Vicit, ac pactis ſic ſtetit. Filiam produci iuſſit ornatiſſimam, & ad hominem: Vides ne (inquit) quod pepigimus? At mali coniuges eritis, niſi tu intùs, & in cute Muſumulanus, hoc eſt, fidelis ſis. Quare non tantum tuus tibi Chriſtus negandus ſed pellis etiã Mahumetana eſt inducẽda; & mox miſero cutem diripi, ſic excarnificatum in lectum ſale conſperſum abijci iuſſit. Inter hæc tormenta exhalauit infelix. In hunc quoque, vt idem auctor meminit, aptiſſime decantatum à Dauide carmen recidit: *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcẽdit*. In eius enim caput doli, quos ſtruxerat, conuerſi ſunt. Pſ.7.17

Drex. vbi ſupra pag. 121. Iuſtum proditoris ſupplicium inflictum à Solimanno

Porrò ſi antiquarũ rerũ pro malè conſulentibus hiſtorias conſulamus, hæ quidem Salomonis ſuſtultæ Oraculo praua hominum conſilia probatiſſimis per ſe argumentis ſuggillant: *Suis* (inquit) *conſilijs ſaturabitur*. Quibus idem Drexelius conſonam in hæc verba narrationẽ proſequitur. *Tarpeia Romana Virgo, Capitolium Tarpeij Patris cuſtodiæ commiſſum proditura Sabinis in mercedem petijt quidquid ſiniſtris brachijs geſtarent, armillas intelligens, quas illi aureas, gemmataſque læuo brachio ferebant. Annuerunt illi, iamque arce Capitolina poſiti Virginem armillarum & ſacrorum congeſtu obruerunt, & necarunt. Aurum, & armillas appetijſti, en auri* (inquit Drexelius) *affatim eſt, ſaturare tuis conſilijs*. Suis quippe conſilijs Virgo capta, dũ ſuos prodit, prodita eſt; & dum aureas deperit mamillas, auri onere oppreſſa perijt. Huic æquè infelix fœminæ malè ſibi cõſulentis exitus, eodem, qui ſupra narrante ſubtexendus eſt: Ait igitur.

Prouerb. c.5 v.31.

Drexell. vbi ſupra.

Tarpeia virgo proditionis iuſta præmia tulit

2. *Senonũ Dux Brennus Demonicam mulierem, quæ auiditate monilium, quibus ille ſpectabibilis erat, Epheſum illi prodidit; Vrbem ingreſſus iam victor tanto auro feminam onerauit, vt ſtudio viuam oppreſſerit, ac ſi tacito diceret: Ergo, & tu ò miſera tuis conſilijs ſaturare, omnis in te felicitas conuolat, votorum tuorum ſummam attigiſti, imbres* tibi

Drex. vbi ſup. Proditrix optato auro obruta.

Digitized by Google

tibi fluunt aurei; excipe, ſaturare. En etiam fœminas habemus(inquit auctor) *teſtes, conſilium malum conſultori peſſimum eſſe.*

Verùm vt à fœminis ad viros ſtylũ contrahamus, Diomedes Traciæ Rex ſuis hoſpites canibus laniandos apponebat (ſi fides adhibenda eſt tragicis.) Demùm, & ipſe ab Hercule iiſdem datus eſt paſcendus, laniandusque conuiuis. Atque ità, quod in alios crudeliter commentus fuerat, ipſe æquiore iure ſupplicium expertus eſt. Sed ne vnus, qui inter cęteros facilè princeps, iniquorumq; conſiliorum auctor, ac doli, pœnarũque inſignis præ cunctis artifex, architectuſque, malè cõſulentium numero deſit, gratis iſthæc apud Drexelium auribus accipienda ſunt:

Valer. lib. 9. cap. 2. inter externa Plin. lib. 4. c. 2 ante finem. Diomedes hoſpitum carnifex laniatus à canibus.

Perillus Athenienſis ænei tauri ſæuus inuentor, qui execrabilem illam machinam ex ære ſic fabrefecit, vt ea incluſi ſubditis ignibus, longo, & abdito cruciatu mugitus edere cogerentur, ne illorum eiulatus vocis humanæ ſono expreſſi, Phalaridis tyranni miſericordiã implorare poſſent. Sed tantæ diritatis vltio nihil cunctata eſt: Nã ipſe artifex boue hoc æneo incluſus, tã deteſtabile artis ſuæ opus, ſui ſupplicio primus imbuit, & mugijt vt bos, qui hominem inuentu tã crudeli exuerat. Ità oportuit, vt conſilium malum conſultori eſſet peſſimum. Suis quippè dolis, artibusque impiùs iuſtiſſimè comprehenſus candentem ænei bouis primus omnium ſuo alios docturus exemplo cathedram conſcendit, vbi ingenioſa hominis crudelitas ſui condignum ingenii præmiũ accepit: quod Claudianus Poetarum acutiſſimus eleganter expreſſit, ſuoque metro cecinit.

Perillus incauto ſupplicio perit.

Pœnam ſibi iuſtam inuẽtor peperit.

Quàm benè diſpoſitum terris, vt dignus iniqui
Fructus conſilij primis auctoribus inſtet!
Sic multos fluuio Vates arente per annos
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inuentis primum Butiridis imbuit aras,
Et cecidit ſæui, quod dixerat hoſtica ſacri
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexperto Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuitque ſuum mugire iuuencum.
Nullius Eutropius, quàm qui ſe protulit antè,
Direptas poſſedit opes, nullumque priorem
Perculit exilio, ſolumque hoc ritè peregit,
Auctorem damnare ſuum.——

Claud. lib. 1. in Eutropiũ.

Periere & plures alii inuentis pœnis.

Malum quiſque ſuum ſibi fabricat

Ex quibus ſat benè, vt apparet, nouarum, inuiſarumque pęnarum architecto, arcano numinis conſilio, acerbiſſimo fato parentatum eſt. Sed vt ab antiquioribus dicendi initium nacti, ad ea, quę poſterioribus ſæculis contigere ſtylum conuertamus; Solemne illud eſt, quod olim Siracidis ore percrebuit: *Et qui voluit lapidem* (inquit) *reuertetur ad eum.* Hęc enim apte Drexelius: *Anno milleſimo octogeſimo quarto; Henricus* III. *Imperator degebat Romæ: Hic in Auentinum montem ſe recepit, vbi B. Mariæ Virginis ædem frequentabat. Inuitatus loci opportunitate homo nefarius è plebe, qui necem Imperatori moliebatur, prægrande ſaxum in tranſeuntis caput* de-

Drex. c. 8. n. 2 pag. 125

deuoluere cogitabat: ſed dum occaſioné captat, dum ſaxum parat, mouetque ipſe cum ſaxo præceps deuoluitur, & occumbit, hęc ille: In hunc ſanè hominem ſuo malè inſiſtentem conſilio, lapidibuſque perniciem alteri molientem conſonè quondam Siracides, Drexellio teſte, verba illa intorſiſſe viſus eſt: *Et qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*. Huic item iure optimo regius pſaltes imprecatur: *Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abſcondit apprehendat eum*.

Ecclef.c.26. v.27. pſ.34. ver.8.

Praua igitur conſilia, quæ alienũ tum caput tnm famam, fortunãque impetunt, et quibus perditi quique, vt ſibi benè inter conſulendum ſapere videantur, totis viribus adnitũtur, certum ipſis primùm auctoribus afferre exitium conſueuere, vt Trugillo Canuto Regis olim Suecię Gubernatori, ac fratrũ eius Vvaldamari Ducum tutori contigit; is enim quo tempore præfecturam geſſit, cum ſub regio nomine, per fas, & nefas graſſari non deſiſteret, regemque, vt ad regium fiſcum, qui ſubditorum bonis inexplebiliter inhiabat implendũ in ſacras, quoque Eccleſiarum gazas manum protenderet perperam adhortus fuiſſet, perditi hominis cõſilia haud proſperos tandem ſortita ſunt exitus, vt Magnus in ſuis paginis tradit his planè verbis. *Præcepto* (inquit) *eorum* (*nimirum regis fratrum, quos in illius odium adduxerat*) *in villã Vueſtrogothorum Lena captiuatus & compedibus ferreis conſtrictus in regiam Stocholmenſem deporta tur; vbi decollatus Eccleſiaſtica caruit ſepultura, donec ad petitionem regis Nicolaus* Archiepiſcopus *Vpſalenſis permitteret ipſum in monaſterio Minorum ſepeliri accepto pro eius reconciliatione ingenti copia auri, & argenti, quod Eccleſiæ perſequutor exiſtens ipſam grauiſſimis damnis implicaſſet*. Prædo enim ſacrilegus, qui aurum per vim, fraudemque ab Eccleſia extorſerat, ſuam quoque ceruicem ferro crebras inter rapinas viſus eſt deuouiſſe.

Rainal ann. 1305 n. 13

Magnus lib. 5.c.17.

Trugillus improbus his conſiliis captus.

Verùm enim verò Suecus Rex Birgerus, qui rapinarum, prauorumque conſiliorum ne dum conſcius, ſed conſors extiterat, pœnarum minimè expers fuit, & qui prauis deceptus conſiliis de Eccleſia in ſeruitutem redigendâ inter conſulendum particeps fuerat, funeſtiſſimè quoq; illius neci aſſociari meruit, de quo apud Rainaldũ in ſuis annalibus, hæc pręmemoratus auctor tradit: *Hic Birgerus primus rex erat, qui huius Trugilli ſuggeſtione Eccleſiã regnorũ Gothiæ & Sueciæ tributis, ac oneribus grauare non verebatur, Archiepiſcopũ que Vpſalenſem Nicolaũ, et reliquos epiſcopos pro eccleſiaſtica libertate reſpondentes eodem auctore captiuaſſet, niſi ſe ad tutiora loca à conſpectu tyranni confeſtim recepiſſent. Sed quem fructum tũc aſſequutus eſt Birgerus ex rebus Deo pridem conſecratis, & poſtea in Regium fiſcum ſacrilega audacia translatis? Profectò nullũ aliũ, niſi vt ad pericula inſuperabilia deiectũ ſeſe, & omnes ſuos, atque vtrumq; regnum ad extremam ruinam præcipitaret, & tandem poſt inſanem vitam, infami morte periret: primò namq; ad inextinguibile odium cũ fratribus ſuis deuenit. Sub quo totis ſexdecim annis adeo periclitatum eſt totum Gothorum & Suecorum imperium, vt nihil vltra ad illarum terrarum deſolationem addi poſſe putaretur.* Hæc Magnus dum non paruas, quæ Birgero ob Eccleſiarũ prędas, prauaque conſilia, obtigere, calamitates retexit.

Birgerius malis conſiliis perit.

Magnus lib. 1.c.14.

Infamis mors, vitam malam ſequitur.

Digitized by Google

5. Peſſima quippè praue conſulentiũ ſuis dũtaxat lucris,& priuatæ,haud publicæ rei,ac vtilitati intẽdentium ſtudia, conſiliaque iuſto tãdem Dei conſilio infatuata in ipſummet callidorum caput recidunt,iuxta id,quod Pſalmiſtæ oraculo decantatum eſt: *Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant*. Ita planè Bolomerio ſcribarum principi, qui prauis conſiliis Amadeo Sabaudiæ Duci ad Antipapatum arripiendum, retinendumque, & ad acerbiſſimum in Eccleſia protrahẽdum ſchiſma auctor fuit, contigiſſe conſtat; Miſer quippè proditorum inſtar ingẽti ſaxo ad collum alligato in flumẽ præceps actus eſt,adeo ut,qui præcipitiũ alteri thronum aſcendendo ſuaſerat, præceps aquis dari meruerit; poſtquã enim Amadeus errore agnito ſe pſeudopontificatu abdicans, debitũque Romano pontifici obſequium deferens diem tandem feliciter clauſit, hæc de impio, qui dictis obſtiterat, conſultore in ſuis annalibus Rainaldus ſcribit: *Eo defuncto* (inquit) *Bolomerius ſcribarum princeps, conſiliorũ maleſanorum inuadendæ Baſileenſiũ opera pontificiæ dignitatis auctor, qui etiam obniſus admodum fuerat,ne inſignia pontificia poneret, quaſi infamiæ maculam grauiſsimam ſuſcepturus eſſet, ac propterea odia Ludouici filij Amadei in ſe incenderat, digna impietatis tuliſſe traditur*. Hęc ille.Quibus mirifice Gobelinus in ſuis hiſtoriarum paginis conſonat, dum inſanum,perditumque conſultorem, qui exitiale diutiſſimi ſchiſmatis ſcandalum ſuis in Eccleſia dictis fouebat,& neutiquam tollendum eſſe adnitebatur, malè ſuo tandem capiti conſuluiſſe affirmat his planè verbis; *Bolomerius, qui vnus erat ex conſultoribus acceptandi pontificatus,in iudiciũ raptus, tanquam falſæ cuiuſdam ſententiæ fuiſſet auctor, ad necem damnatus eſt, & ingenti lapide ad collum ſuſpẽſo in lacum præcipitatus*.Hic perditi hominis, qui alterius Achitophelis vicem exhibuit inter ſua delirantis conſilia finis extitit: qui enim conſulendo, ac lingua procax tàm immanè deliquerat, mutis piſcibus in aquas demerſus eſca ceſſit. Porrò haũd vnum hoc nequiſſimo homini crimen iure impingitur,qui præter ſuos conſiliorum dolos, auaritia inſuper irretitus coaceruandis per nefas inter ſchiſmatis diſſidia opibus inhiabat, vt Rainaldus ex hiſtoriarũ tabulis tradit: *Proditum fuiſſe ſuis opibus, quas in ſchiſmate ex diuenditis ſacerdotijs coegerat, refert Sabaudica hiſtoria,ad eas enim cumulandas vir ardens auaritia omnia mala ſuaſerat*. Quid enim homini cupiditati,ac lucris dedito ex malè partis diuitiis non funeſte obtingeret?

Pſ. 10. 2. Praua conſilia auctori exitium pariunt.

Rainal. ann. 1450. n. 20.

Ne antipapatum alter depoueret obſtitit.

Gobelin. in Comm. Pij 2. lib. 7.

Saxo inſerto collo in aquis perit.

Rain. vbi ſup.
Hiſt. Saband. ex Guilel. Para lib. 3. c. 42.

5. Quoniam verò malis nunc cõſiliaris recenſendis inſiſtimus,iuſtam alteri ſceleſto homini, qui contumeliarum rebus Deo ſacris inferendarum ſe architectum exhibuit,inflictam diuinitus vltionem Florimũdo narrante exponimus: *Perinus* (inquit) *è Caluini ſchola homo factioſus ex ara ſacrum lapidem, in quo Chriſti corpus offerri conſueuerat, in infamẽ ſupplicij locum,vbi rei plectebantur, transferri curauit, vt deinceps maleficorum ſanguine tingeretur. Non putabat miſer ſe primã fore victimã ad hoc altare immolandam. Sed neque hic aliter euenit: conſilium malum conſultori peſſimũ fuit. Perinus ad hunc ipsũ lapidem capite truncatus eſt*. Hæc ibi.

Florimund. Raemund. lib. 7. de ortu hæreſ. c. 17. n. 2.

Perinus Gebennenſis ex ara ſacrum lapidem in cataſtam transfert.

4. Et ſanè Eutropius Perino iſti ſacrilego viam tum ad ſcelus tum ad

pœ-

pœnam præmonſtaſſe viſus eſt, quippe qui auctoritate apud Arcadium Imperatorem præcipuus, parique, conſiliorum exitu miſer redditus, dignus pariter eſt, vt his noſtris paginis, etſi alibi eiuſdem meminerimus, adſcribatur; de quo iſthæc obiter Drexellius: *Sic* (inquit) *& Eutropius, qui Arcadio Imperatori à cubiculis fuit homo flagitijs coopertus, magiſtratus vendebat, milites calumniabatur, Senatum varijs contumelijs afficiebat, eos, qui in templa confugiſſent, comprehēdi iubebat, legem incredibili ſupercilio dictabat, qua illos, vel ab aris abſtrahere permiſſum eſſet: At ea lex promulgata eſt, cum peſſimi Conſilij tyrannis ſuum tetigit auctorem: Nec enim multo poſt Eutropius imperatore offenſo in templum confugit ad aram, ſed inde ſua lege abſtractus, & nocte capite plexus eſt. Ità Goliathus ſuo gladio perijt, ita gigas Aegyptius ſua haſta occiſus eſt à Banaia, ità Saul ſuo enſe cecidit, quem Dauidis iugulo toties intentauit. Ità Pharao ipſe ſibi peſſimus conſiliator, ecce populus filiorum Iſrael* (inquit) *multus, & fortior nobis eſt: Venite ſapienter opprimamus eum. Oppreſſus ipſe oceanum pro ſepulchro habuit, qui ipſis penè aſtris minabatur. Sic, & Aman ille Aſſueri Regis oculus ſuam ipſe Crucem, quām Mardocheo ſtatuerat, ſuo corpore veſtiuit, digniſſimū hac trabe funus Exitum impēdebat ab Amane Hæbreis omnibus: ferales litteræ, iam valuis pendebant; iam laqueus omnium iugulis hærebat, iam Machæra ceruicibus imminebat: ſubito Dei iuſſu ſors vertit, & omnis in auctorem ſuum recidit calamitas. Crux altiſſima Mardocheo fixa Amanem amplexa eſt, Hæbreorum iàm iàm pereuntium ingenti plauſu. Nimirum facienti nequiſſimum conſilium ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vnde adueniat illi.* Hæc apte Drexellius in rem præſentem in conſultores peſſimos inculcat. Quo malorum conſiliorum auctores recenſitis aliorum cladibus è praua eiuſcemodi contentione auertat. Sed ne hic Achitophelis, qui conſiliorum nequam facile princeps, aliorumque perditorum ſapientum anteſignanus fuit, auctoritas deſit, eius demum rem totā auctor exemplo confirmat: *Quid memorem* (inquit) *Architophelem, qui Dauidi Regi ab arcaniſſimis conſilijs, veluti oraculum adorabatur? Vbi verò Abſalonem degenerem filium peſſimis conſilijs armauit in patrem, ſua ipſius conſilia luit, & infami laqueo vitam abrupit nempè ſuis conſiliis ſaturatus eſt*. Optimè verò Auguſtinus in rē præſentē concludit: *Prorſus fratres mei* (inquit) *ità credite, ità certi eſtote, ità ſi eſt in vobis excellentior prudentiæ ratio, videte, atque perſpicite; nemo malus, quin prius ipſe ſibi noceat.* Ex quibus haud ſatis vnquam deplorandos, calamitatique obnoxios doloſorum conſulentiū exitus vnius Achitophelis reſte adauctos, notatoſque videre eſt. I nunc; tù quis es, & vbi religionis potiſſimum, ac publicæ rei negotium agitur, ſis inter conſulendum vel blandus palpo, aut certe doloſus mendax, in tuum profecto caput mortalium infeliciſſimè praua Achitophelis conſilia recidēt.

Drexell. vbi ſup. ſ. 118.

Eutropius ſupplices ob aris diuelle dos ſancit.

Legis acerbitatem paſſus.

Aman parato Mardochæo exitio perit.

Eccleſ. c. 27. v 30

Drex. vbi ſup. Achitophel malus conſultor ſibi laqueo fauces elidit.

Aug. tract. ... ſſ. 7.

5. Atqui præcipuo Dei nutu fit, vt & qui dolos ſeminant, dolores metant, & qui alteri offendiculum parant, ipſam, quam parauerant, demum foueam incurrant: *Conuertetur* (inquit Pſalmiſta) *dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Enim verò iuſto Dei iudicio qui cladem alteri per dolos machinantur, hanc proindè iu-

Pſalm. 7.

ſtiſſimè Deo annuente, ſuamque vti mercedem accipiunt: *Infixæ ſunt* (inquit) *gentes in interitu, quem fecerunt.* Qui igitur ſuis in orbe mendacijs adnituntur, qui dolis in dies inualeſcunt, qui muſcipulam, ruinãq; aliis per fraudem inſtruunt, concinnantque, ſuo tandem impendio pœnam exoluunt, vt Sapiens quondã conſultores fatuos aptè ſuggillans edixit. *Qui decipit iuſtos in via mala, interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt bona illius.* Quod ſanè, vt ſua dictis ſtet fides, verſipelli homini contigit, qui alios dolis capere, vt ſuæ faceret ſatis cupiditati, ſtudebat, ſed tantum operæ ſtudium infelici demũ exitu, Satanæ illuſus fraudibus, certoque ſui diſpendio miſer exoluit, vt à Petro Damiano hunc in modum traditur:

Pſalm. 9.

Fraudes, & doli plus dolosis nocent. *Prou. c. 29.*

In Longobardiæ (inquit) *finibus vir erat verſipellis ingenij, & acutiſſimæ ſubtilitatis, duplex animo, ſermone lepidus, concinnandis, fabricandiſque comœdijs edoctus, in reperiendis conſilijs vehementer aſtutus, nunquam enim erigebat brachia contra torrentem, ſed ex quocumque latere mundi cum turbinis aura perflabat, ille protinus aptũ calliditatis, atque verſutiæ pallium opponebat. Accidit, vt quidam frater nocturna viſione conſpiceret lacum, qui erat igneus, qui flammicomis euaporabat incendijs, & crepitantibus ignium globis terribiliter incutiebat horrorem: Quem lacum trabalis enormitatis videbantur obſidere dracones, variaque ſerpentum genera hinc indè per circuitum ſpatiari, vir autem ille, quem diximus in ipſa flãmarum ſtridentium voragine detentus tentabat quidẽ coarctatus effugere, ſed obſtãtibus beſtijs dolebat aditum non patere. Modò ſcilicet ex hac parte fugam parabat, per aliã partem erumpere ſatagebat: Sed ecce rurſus alia beſtia laxo gutture frẽdens occurrerat. Ille rurſus, & alia ad euadendum loca tentabat, ſed inſurgentibus belluis omnino meatus effugijs non patebat. Porrò cùm veritas dicat, eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis; hoc illi iuſto Dei iudicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis aſtutiæ vanitatem ex quibuslibet huius ſæculi ſe nouerat laqueis expedire, ità poſtmodum verſa vice nullo valebat ingenio ſupplicium, quo cruciabatur, euadere.* Hæc Damianus. Ex quibus fit, vt homines conſilio, haud dolis prudentia, haud aſtutia inter conſulendum in votorum ſuorũ ſpem eniti oporteat, ne ſuis capti aliquando laqueis, ſe non alieno, ſed ſui detrimento laboraſſe, & ſibi dumtaxat, non aliis perditioni fuiſſe deprehendant. Ad quod euincendum etſi teſtatiſſima paſsim ex antiquis cũ ſacris, tũ prophanis tabulis argumenta non deſint, id certè tragica Saulis hiſtoria ſatis per ſe docet, qui dum ſuis Dauidi vitam, ac Regnum machinis, fraudibuſque præcidere geſtit illi, quidem regnum, ſibi verò contumeliam, æmulo deniquẽ cũ ſceptro vitam, ſibi contra cladem inglorius funeſtiſſimam peperit. Verùm quia peccandi conſuetudo ità hominem in malo obfirmat, vt reiectis monitis, contemptiſque ſalubriter ſe monẽtibus ſuas doloſis, prauiſque potiſſimum cõſiliarijs aures adhibeat, conſulto nunc ad conſuetudinarios peccatores ſermonem inflectimus.

Petr. Dam. op. 13. ad Deſider. c. 4.

Exemplum viri aſtuti dolis ſuis conſtricti.

Doloſus miſer in quãto periculo.

Saul ſibi ſtatum obſuit.

CAP.

CAP. XII.

Conſuetudinarij peccatores.

1 PRaua, atque inolita peccandi conſuetudo difficillimè ſoluitur, nec prōpta, ac facili manu dimittitur, quod ab ipſis teneris vnguiculis, per longam annorum ſeriē in mores tādem cōuertitur, ipſiusque naturæ impetu, ac magiſterio in alteram fere naturam deriuauit. Quapropter eos, qui vitijs aſſueuerunt, haud facili negotio vitioſos mores exuere, & hæc, quibus iam plerumq; callum homines obduxere, nullatenus deſeri diuinum illud oraculum eſt: *Si poteſt Aethiops mutare* (inquit) *pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, ita, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malè*. Irritus igitur in bonum eorum conatus apparet, qui perperam agere multiplici infelicitatis cumulo per longam temporis moram didicere: *Deſinit quippè* (vt moralis aiebat Philoſophus) *remedio eſſe locus, vbi quæ fuerūt vitia, mores fiunt*. Adeo vt quod idem alibi ait, id aptè conſuetudinis morbo conſonet. *A conſuetudine homini quotidianū periculū nullū malū frequētiùs, nullū pertinacius nullū blandius; ſubita eſt ex conſuetudine pernicies, & eò diligentius tegitur, quo propius accedit*: Obfirmatus, quippe in malo animus, cum peccati onus iam non plenè ſentit, extremè laborat, periclitaturque. *Et peccator* (inquit Sapiens) *adijciet ad peccandum*. Difficulter igitur ad ſalutis remedia peruenitur, cū ob inolitā inique agendi conſuetudinem *obſcurat, & obruit intellectum*, vt Emiſſenus inquit) *& onus peccati, & aſſiduitas delinquendi*.

Conſuetudo mala maximū in vitia pōdus habet.

Hier. c. 13.

Seneca quaeſt. moral.

Seneca lib. 18. ep. 104.

Eccl. c. 13.

Quam quidem non tam humani generis infelicitatem, quam ferream planè tyrannidem ſuo olim, haud alieno Auguſtinus obdoluit, ingemuitque experimento edoctus, dum tam difficilè ab inolitarum voluptatum cœno emergendi viam, etſi maximè vellet, non inueniret. *Suſpirabam* (inquit) *ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate velle meū tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me; quippè ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis* (*vnde catenam appellauit*:) *tenebat me obſtrictum dura ſeruitus*. Inolita namque vitia ſic hominem in mala quæque trahūt, captiuūque faciunt, et vix vllam inde emergendi facultatem, vel maximè adnitenti relinquūt; adeò vt prius ipſū hominē vitia, quā vita deſerant. *Nihil enim tam firmū eſt* (inquit Chryſoſtomus) *in rebus humanis, quam veteris conſuetudinis tyrannis*. Verùm ne noſtra longiùs aberret oratio; teſtis, teſtis inquam nobis in rem præſentē ſit iuuenis, qui (vt accepimus) annos quatuor ſupra viginti natus, cum ad ſupremam vitę periodum veniſſet, lectuloque ex morbo decumberet, perditū ſe omninò, nullamque ſibi ob inueteratum peccandi vſum, ſalutis ſpem ſupereſſe inclamans: *Væ mihi* (inquit) *qui perditè hactenùs vixi, & nil boni toto, quo vixi tempore, me præſtitiſſe memini. Enim verò, vt quod verū eſt, fatear, vix die vnum, aut alterum integrum à peccatis continui, Deique amicitiam illibatam ſeruandi, imò ne vna quidem hora*

Difficile vitia inolita depōnuntur. Aug. confeſ. lib. 8. c. 5.

Chriſoſ. ſerm. de capue.

hora, niſi enim vno tantùm ſacratiſſimo Paſchatis die me Numini non inſensū vixiſſe recolo, cū ſtatim ad inolitas carnis illecebras redierim. Quāobrem manifeſta deſperati animi cum verba, tùm ſigna aſtantibus præſeferens, vti perdite vixit, ita & perdite diem clauſit. Veh igitur his, qui poſtquā Dei amicitiam conſequuti ſunt, iterùm, iterūque ad priſtinas culparū fœces redeunt, Deoque iniuriam iugiter recidiuando infligunt; clamabunt etenim ad eum in tempore neceſſitatis, iuſtamque ab eo repulſam patientur: *Opus enim ſequitur conſuetudo conſuetudinē neceſſitas, ac neceſſitatem deſperatio.* Ex quo ſubindè fit, vt cū antiquis tandem animi morbis decedat, & cum ſuis inolitis culparum illecebris, atque iniquitatibus ſepeliatur.

Recidiuus vix diem à peccato abſtinet.

Gloſ. in Ioh. 21.

Verū vt in primis aſſertionis propoſitum exemplo; quod noſtro ſæculo (vt à fide dignis accepimus) contigit, & quod prauam, inolitamque peccandi conſuetudinem cūctis ad viuum ob oculos ponit, in præſēs validè comprobetur, hæc ſuggerenda voluimus. Vir quidam impuris amoribus adeò impotenter vinctus tenebatur, vt licet à cordatis viris, qui cum eo conſueuerant, ſemel atque iterum, grauique verborum pondere admoneretur, prauæ tamen conſuetudinis vi perurgēte, e laqueo pedem, mentemque è cœno, in quo volutabatur, contrahere neutiquam poſſet: *volūtas quippè* (Criſologo teſte) *neſcit expleri.* Obſcęnis itaque voluptatibus iugiter intentus pulchras, laſciuaſque mulierum formas auidis perluſtrare oculis, ac ijſdē animum oblectare geſtiebat, eoque tādem infelix inſanis oculorum blādimentis, vitiorumque irritamēto proſilijt, vt oculis lenocinantibus totus iam libidini mancipatus ea prophetici Oraculi verba concineret; *Oculus meus deprædatus eſt animam meā.* Atqui graui tādē morbo correptus, & ſi multò acerbior is, qui animo inſederat, morbus pronunciādus eſſet, lecto miſer decubuit. Non defuere interim amici, qui languentem de more inuiſerent, ſolarenturque, à quibus cum ſemel, atque iterum vt conſuleret animæ, admoneretur, ſalutis monita nil curans, nullamque ſibi ſuper ſalutis negotio ſpem reliquam eſſe reſpondens: *Iam de me* (inquit) *ac de ſalute mea actum eſt: Heù me mortalium infeliciſsimū: peccatiſque vltra modum enormibus onuſtū, quid enim mihi vltra ſpei ſupereſt, cum diuinæ vti ingratus bonitati, ac beneficijs in me munifica manu collatis contumelioſus iam in profundū abyſſi deuenerim.* Quæ verba qui adſtabāt amici audientes; vbi in deſperationis inſtigante diabolo baratrum, hominem prouolutum vident vehementius obdolentes, eiuſque ex animo caſum commiſerati, vt ſi qua poſſent, titubantem erigerent, verbis conueniunt, bono animo eſſe iubent, ac diuinæ miſericordiæ, quæ cunctis ſemper præſto eſt, in ſupremo rerū diſcrimine innitendum ſuggerunt, deſperationis crimen criminibus cūctis eſſe longè deterius, acerbiſſimāque Deo iniuriam inferri, dum quiſpiam de eius bonitate diffidit, conſtantiſſimè aſſerendo, iuxta id, quod Auguſtinus aiebat: *Negat Dei bonitatem, qui de peccatorum venia deſperat.*

Iuuenis vitiatus amoribus nunquā ſatur.

Criſol. ſer. 2.

Temeraria ſpes in deſperationem deſinit.

Negat Dei bonitatem qui de venia deſperat.

Aug. in ſerm.

2. At quò magis miſer peccatorum pregrauatus mole, ac diffidentiæ morbo inſuper laborans, pœnitentium exemplo ad benè ſperandū erigebatur, cum quidam Beatæ Mariæ Magdalenæ imaginem in tabella,

la, quę ad lectuli caput pendebat, affabre coloribus effictam conſpexiſſent, hanc tutelarem decumbenti patronam, quæ peccantium, ac pœnitentium itidem exemplar, ac ſingulare perfugium eſt, exiſtimantes, opportunumq; inde in rem præſentẽ argumentum nacti, ſanctiſſimæ fœminæ, cuius obſequio credebatur addictus, patrocinio fidendum, totiſque neruis de Dei miſericordia ſperandũ edixere: Sermonem igitur aptè ex inſpecta apud eum tabella deriuantes: *Et quotus* (inquiunt) *tu de ſalute deſperas? cùm præſertim hic tibi propoſitam ob oculos habeas Beatæ Magdalenæ imaginem: eius inquam, quæ erat quondam* (*vt Lucas ait*) *in Ciuitate peccatrix, & de qua Dominus ſeptem dæmonia eieciſſe legitur. Hæc verò vbi anteactæ vitæ errores lacrymis abluit, reatum culpæ diluit, peccatorumque à Deo cumulatiſſimè veniã una præ cæteris ſortita eſt, adeò vt periucundum illud eius auribus prolatum Chriſti ore verbum inſonuerit: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; & certior iam de venia, quã lachrymis perorauerat, reddita, illis in domũ verbis recreata abierit: Vade in pace.* Vt quid ergo (addebant) tuum in pręsens animum non erigit, maximèq; permouet ingẽs miſericordię peccatrici vltrò exhibitæ beneficiũ? dũmodò enim in pręſens anteactorum criminum intimè dolor animum remorderet, firmiterque nunquam de cætero iſthæc perpetrandi mente decerneret, certã ſibi à Deo veniam repromitteret. His attenta quidem, ſed parũ grata cordis aure acceptis, haud improbus, vt par erat, annuens, ſed caput, ac faciem magno huc illuc impetu diſtorquens, ingẽtique adſtantes eiulatu inclamans:

Deſperanti, pia monita vt bene ſperet propoſita ex B. Magdalenæ exẽplo.

Luc. cap. 7. 37

Inuitatur ad pœnitentiã fruſtra.

Et iſta, iſta (inquit) *cuius appenſam ad lectuli caput imaginem cernitis, haud mihi ſperandam à Deo miſericordiam repromittit, quin potiùs hæc vna, potiſſima perditionis, quã nũc irreparabiliter incurro, cauſa eſt: hæc mihi tartarum modo, non Paradiſum ſuo aſpectu indigitat, portenditque, nec veniam, ſed certam iuſtiſſimæ perditionis ſententiam ingerit; deſperatus igitur, e vita abſcedam, qui nullum hactenus feci obſcænis voluptatibus finem.* Hæc ille, & paulò poſt toruis, defixiſque in imaginem oculis, dentibus frendens, atque horribiliter eiulans, infelicem Orco animam exhalauit: Porrò metu, ac ſtupore hi, qui aderant perfuſi, attonitique cũ altius rẽ indagando comperiſſent, impuris hominem moribus, atque inexplebilis prorsùs laſciuię mancipium fuiſſe deprehendunt. Imago quippè, quã ſub typo Beatæ Mariæ Magdelenæ ad lectuli caput colendam ſibi, venerandamque propoſuerat, haud fœminæ inter pœnitentes ſanctiſſimę, ſed impudiciſſimi, quod deperibat, ſcorti, cuiuſque aſpectu incunctanter laſciuiens fœdum ſe in modum delectare cõueuerat, imaginẽ illi aſpectu prę ſe ferebat: Quibus & illud ad malorum cumulum accedebat, quod ementita ſanctitatis larua oculos intuentium fallens, attamẽ ſemetipſum, non alios grauiſſimo piaculo obſtrinxerat. Iuſto igitur Dei iudicio factum eſt, vt ex fœmina, eiuſque imagine, ex qua libidinem, atque impudentiam hauſerat, deſperandi quoque cauſam, copiamq; ſub vitæ finem deriuaret. & ab ipſamet, cũ qua diù perdite vixerat, in imagine tandem pertranſiẽs, ac perditiſſime moriens exoptato à dæmone aucupio in Orcum pertraheretur.

Scortũ in B. Magdalenæ ſpeciem depictum coluerat.

Idem cauſã deſperandi attulit.

Por-

Digitized by Google

3. Porrò, vt alterum hic ad rei propoſitum in medium proferamus exemplum: conſimili ferè exitu æquè impurus alter ſuos inter amores è vita abſceſſit, cuius rem hiſtoricè tragicam Iulius Cæſar recupitus è Societate Ieſu his verbis deſcribit; *Alius* (inquit ille) *qui inhoneſte mulierem adamauerat, cum poſt ſuſceptũ pœnitentiæ Sacramentum laboraret in extremis, tabellam pictam petijt, quæ, proximo parieti pendebat. Qui aſtabant, rati imaginem eſſe cuiuſpiam ſanctæ, quam ille coleret, eam ægroto attulerunt; erat autem effigies mulierculæ illius, de qua dixi; eam mox inſcijs adſtantibus quidnam eſſet, ac pietatis ſenſui tribuentibus, oſculari cæpit ardentiſſimè, atque inter illa infelicia oſcula infeliciſſimè perijt.* Qui enim turpibus, laſciuiſque irretitus amoribus diu iam impudentiſſimè vixerat, impudicè pariter, & non ſecus ac vile, abiectumque libidinis mancipiũ mori debuit; ex eius enim imagine, quam, vt vidimus, deperibat, vel moriens lethales antiquati amoris illecebras hauſit, ob quas gehennæ addictus vna cum ſuis amoribus perpetuò miſer periret, inolitæque blanda inter vitia conſuetudinis vim ſentiens, iuſtam quoque pœnã teneret.

Iulius Cæſar Recupitus in opuſ. de ſignis prædeſt. trac. 2. c. 7. n. 32. pag. 71.
Exemplum aliud laſciuientis.

Perpendenda ſtupenda diuina iudicia.

4. Quoniam verò ad rem confirmandam adhuc exemplis agitur, & aliud à Ioanne Dominico Ottonello Societatis Ieſu excerptum, latineq; à nobis redditũ hic lectori delibandum proponere haud incongruũ viſũ eſt. Quod olim Angelus Ormbellus patria Veronenſis, eiuſdemque Societatis eximius diuini verbi præco, prima recurrentis quadrageſimalis ieiunii die, Romæ in Farneſiano Societatis eiuſdem templo populo coram è ſuggeſtu perorans homini quondam in Patauienſi Ciuitate ſibi notiſſimo contigiſſe his verbis retulit.

Vir (inquit) *nobilitate conſpicuus, ſed ad obſcena dedecorũ vitia à ſe ipſo ob animi in malo pertinaciam turpiſſimè degener impudicam fœminam vehemẽtius adamare cæpit, cuius conſuetudine eum in modum irretitus tenebatur, vt voluptatum illecebris eius animus obrui potiùs, quam expleri videretur, ac propheticum illud Oſeæ oraculum illi iure merito occineret: Comedent, & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſauerunt. Cùm is igitur a recto tramite deuius in turpiſſima quæque probra in præceps ageretur, leni, blandoque ſermone, & ſi fruſtra à probis, piiſque viris ſæpè ſæpiùs ſalubriter admonitus, monentium dictis aures neutiquam adhibens, emendationi, quam ſperabant, omnimodis viam præcluſerat. At Deus (cuius miſericordiæ non eſt numerus) quò à malis improbus reſiliret, flagella haud ſemel intentans, obdurato iam corde reluctantem, graui preſſum morbo lectulo affixit; atqui dum morbi vis in dies inualeſceret, breui contigit, vt decumbenti nullam prorſus vitæ ſpem reliquã certiſsimè medici enunciarent, quid igitur? amici, qui frequentes ad hominem inuiſendum, ſolandumque aderant, vbi de corporis ſalute à medicis conclamatum vident! perditi hominis à vitiorum cæno, ad bonam traducendi frugem zelo perciti, & religioſi inſuper viri ad id euocati omnem in eo potiſſimum operam adhibendam ſatagunt, vt miſer vel ſerò reſipiſcens toto ad Deum conatu mentem traduceret, & ad benè moriendum quod Chriſtianis maximè in votis eſt, ſub vitæ exitum ſe ſe diſponeret, præmuniretque. Diſpone (inquiunt) domui tuæ quia morieris, & non viues: Adeſt enim nunc tuæ opportu-*

Otton. lib. de famil. multorum conſuet. vitanda, itaılice edito. Admot. 6. pag. 249
Infelicis impudici aliud exemplum.

Oſea c. 4. n. 10

Adhibita fruſtra ad eum conuertendum ſtudia.

portunum animæ conſulendi tempus, cum de ſalute corporis, medicorum, vt vides, iudicio actum ſit. Ad *iſthæc, quæ non tam verba, quàm fulmina audientium auribus videri potuerant, infelix, ac ſi neutiquam eum tangerent corde penitus obſurduiſſe videbatur; quin imò ſuas alio cogitationes dirigens, in id, quod in ſupremo laboranti diſcrimine vnicum negotium eſſe debuerat, nil, aut parum intendens, cũ in certam quandam cubiculi partem oculos direxiſſet, defixo obtutu hærebat immobilis, illac videlicet, vbi picta ex pariete tabella ſuſpendebatur, in qua ad oculos animumque oblectandum ſuæ ad viuũ affabrè coloribus elaboratã* Amasiæ *imaginem repreſentandam curauerat.*

Nullis monitis cedit.

Hanc miſer inter deliciarum fucos, vel dum iam cùm ſupremo ſpiritu conflictabatur, non tam fœminæ; quàm ipſius Veneris inſpiciendam imaginem contemplandamque propoſuit, nec ſemel atque iterum hanc aſpexiſſe contentus, ingentes ab imis interdum præcordiis gemitus edens, ſupremis arcana, interciſaque labris, quæ non tam laborantis, quàm præ nimio amore geſtientis, ac delirantis vim exprimerent, verba inſuſurrabat, inſaniſque membrorum motibus, nè dum animi affectibus in ſimulachrum, quod in tabella effictũ erat, toto exiliens, laſciuienſque corpore ferebatur, adeo vt qui eum inter mortis deprehenſum anguſtias ſolaturi aduenerant, ignorantes, cuius nam, quæ tũc oculis obijciebatur, imaginem tabella præferret, ad tam crebros, validoſque decumbentis conatus vehementius obſtupeſcerent, eumque eiuſcemodi motibus aut inſanire, vel ſaltem præ nimio geſtire gaudio arbitrarentur: Verùm dùm ſinguli inter iſthæc attoniti, pauidique, hæſitant, religioſus vir, qui vnus erat e numero adſtantium, rem probè, pro vt ſe habebat, aſſequi cupiens: Quorſum iſthæc ab homine peragerentur, famulum adſtantem, qui ex diutina viri conſuetudine intimos eius mores, ac longo edoctus experimento optimè calleret, diligenter interrogat. Atqui effrenẽ hominis libidinem haud obſcuris indicijs famulus coniectare aſſuetus, ego ſi quidem (inquit) heri præſentiſſimum morbo remedium noui, quod vbi fatiſcenti applicitum fuerit, ille protinùs haud parũ animo, ſi mihi experto creditis, releuabitur, & continuo ſe quieti tradet.

Impuros amores motibus impuris alit.

Praua laſciui conſuetudo.

5. *Hæc dixit, et dicto citiùs pendentẽ ex aduerſo pariete impudicæ, quam miſer deperibat, mulieris imaginem arripiens è conſpectu ante lectulum, in quo ægrotus iacebat ipſiuſq; ob oculos poſuit. Quis verò rẽ crederet? vix tabella conſpecta, qui pridẽ ſtupidus, ac ſemimortuus videbatur, illico reuixiſſe propemodũ uiſus eſt, uegetusq; apparuit; totis enim repentè viribus è ſtrato exſiliens, vlnis feſtiuum in morem protenſis, in amicæ amplexus ruere, tabellamque ob oculos ſibi propoſitam, non ſecus ac ipſamet impudentiſſima, quæ illi in delicijs fuerat, adeſſet fœmina, perhumaniter amplectens exoſculari, gemitus quoque, ac ſuſpiria ex imo pectore trahere languidus cæpit: quibus non abſque adſtantiũ ſtupore præſtitis, ſolutiſque ſubindè viribus, ac ſubito deliquio abreptus, ſupinaq; in ſtratum facie prouolutus ſub Amaſiæ, cui miſer impudicè aſſueuerat, conſpectu, abſque vlla ſalutis ſpe infeliciter è vita abſceſſit.* Et iuſto quidem Dei iudicio improbus eiuſcemodi ſuas inter carnis illecebras finem ſortitus eſt, vt magni illud Gregorij ipſo moriente oraculum mortalium auribus occineret. *Tunc* (inquit) *gemunt homines, quando dũna recuperarẽ non poſſunt.* Cui & Salomonis aptè, eleganterque impuros, petulanteſq; homines blandæ vitiorum voluptati addi-

Scorti effigiem amplexibus, oſculis, & geſticulationibus adorans moritur.

Greg. in mor.

addictos perſtringentis acriter verba conſonant: *Ne des* (inquit) *alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, nè fortè gemas in nouiſſimis.* Hic igitur, & peſſimus quidem inter aculeatas libidinum illecebras, ſcortaq; inſanientium finis deſcribitur.

Prouer. cap.

Sed nè hic de praua peccandi cõſuetudine dicendi finem faciamus, recenſitis hactenus exemplis mirificè cõſonat, quod mulieri inter impuros adulterinosque amores inſordeſcẽti, dũ nobile in Vrbe meretriciũ exerceret, Reuerẽdiſs. P. Io: Paulus Oliua Socieratis Ieſu, & in Apoſtolico Palatio apud Alexandrum VII. Pontificem Optimum Maximum laudatiſſimus diuini verbi præco, dũ olim in Farneſiano eiuſdem Societatis tẽplo è ſuggeſtu, quadrageſimali tempore ad populum de rebus diuinis peroraret, veluti rem hoc planè ſæculo teſtatiſſimam, ac probè ſibi notam hunc in modum ediſſerẽdo narrauit.

Exemplum aliud adulteræ.

Deperditi (inquit) *pudoris fæmina, ſui pulchritudinem corporis, atque animi ſimul pudorem, alienæ inceſſanter libidini, magna tam ſui, quam aliorũ offenſione proſtituerat: Hæc dum turpiter in cæno volutatur, & in effrænes amorum cupidines fertur, nihili prorſus animæ curã, ac ſalutis negotium faciens ſupremam felicitatis, quam in votis ſẽper habuerat, attigiſſe aleam videbatur, Verùm quoniam malis, ærumniſque ſatis per ſe diues eſt humana felicitas, graui ſubinde miſera corporis languore corripitur (totum autem præcipuo* Dei *conſilio agebatur) vt de animi tũ morbo, tum cura, ac ſoſpitate mulier vel nolens languoribus edocta cogitaret: Lectulo igitur decumbens, eluerandæ ſalutis viam ſibi diuinitùs præmonſtrari, ac veniæ ſpem repromitti intelligens, Sacerdotem inter eiuſmodi anguſtias deprehenſa accerſiri iubet, à quo, vt priſtinos pertæſa errores ad bonam ſe frugem, Deo opitulante, traduceret, paternis verbis admonita dictis continuò acquieuit. Quamobrem ſuæ negotium animæ feriò agens, ſingulas eidem ad aperiens anteactæ vitæ culpas, obtinendæ ſpe veniæ permota, lacrymiſque vberrimis faciem perfuſa ſingula, quæ hactenus perpetrarat turpitudinum probra maiore, quo potuit, doloris ſenſu proſequuta eſt, fide inſuper de præcauendo impoſterum Sacerdoti præſtita, Sacramentalis abſolutionis beneficium ſibi impertiri, popoſcit, obtinuitque. Interim vero qui aderant, perditamque nouerãt fæminæ laſciuiam, mirabantur ſubitam, inſperatamque contritionis vim diuinitus cordi infuſam, & lachrymas, quibus ora iugiter rigans, ſecretas animi maculas abſtergebat, conſpiciẽtes Magdalenæ nouo prorſus, miroque pænitentium typo inſtauratum Chriſtiano Orbi exẽplum auſpicabantur. Quid plura? Certatim ſinguli cum illi, tum ſibi gratulãtes, felicemque renunciantes mulierem, huic modò inuidebant, cuius miſerrimam paulò ante ſortem miſerabantur. Aliquot igitur dies pijs pænitẽtiæ ſtudijs intenta laudabiliter trãſegit, cùm Religioſos, proboſque viros, qui ægrotantem crebrò inuiſentes, ſalutem animæ procurabant, & Sacerdotem præcipuè, apud quem ſuas rite culpas expiauerat, haud dubia ſalutis ſigna præſeferens, incredibili gaudio perfunderet.*

Ex relat. Reuere diſs. P. Ioan. Pauli Oliua à Soc. Ieſu.

Metitur illa fælicitatem libidinibus.

Monita officii viſa eſt reſipiſcere.

6. *Verùm ingraueſcente iam morbo ſacramentis Eccleſiæ præmunita, omnẽque ſpem ſuam in Deo collocans, ſe ad proximum è vita exitum pijs, deuotiſque colloquijs excitabat, rebuſque ritè diſpoſitis, animæ ſuæ negotio feciſſe ſatis videbatur. Vnũ verò ſub extrema tẽporis momẽta cupere ſe inſtãtiſſimè aiebat, vt certo videlicet cuidã iuueni, cui iam pri-*

Expoſcit amaſii conſpectu frui.

pridem turpiter aſſueuerat, vel vnicũ priuſquã è vita decederet, verbum diceret. Atqui mulieris petitioni ſacerdos indulgendum cenſuit, haud mali quidquã latere ſub ſpecioſo iſto verborũ propoſito corticè ratus, qui & impudico quoque iuueni ex hoc proſpiciens, rẽ illi feliciter ex voto proceſſuram exiſtimauit, ſi amicam in ſupremo vitæ termino conſtitutam loquentem audiret, videretque ſubindè feſtino ad æternitatem gradu properantem; Dictis itaque, ac votis fœminæ annuit. Euocatus igitur Iuuenis *in Amaſiæ domum venit, vbi ſacerdos, alijque præsẽtes aderant, quẽ fixis illa oculis contemplata, vt nonnulla eius auribus ſuggereret, lectulo appropinquare iuſſit: exporrectiſque interim vlnis eumdem, etſi reluctantem arctiſſimè complexata, nouiſſima iſthæc illi verba edixit: Ego te quidẽ* (inquit) *amice, amoris vtpotè mei delicias vnicè ſemper dilexi, & probè iã noui, infelix, quod tui cauſa æternæ perditionis laqueo irreparabiliter addicta in Orcũ abeo, ſed tui, tui inquam, quem depereo, amore lubens, libenſque huius animæ diſpendium ſubeo, & cũ iam te viderim, voti compos effecta in tartara abire neutiquã refugio. Vix iſthæc mulierum impudentiſſima ore protulerat, cum viribus deſtituta manus, quibus trementem iuuenem tenaciſſimè apprehenderat, contrahens ſupina in lectulũ recidit, & nolens, atque inuita Amaſiũ, quem deperibat, ſupremis præuenta angoribus, quẽ iam tenere non valuit, à ſe quidẽ dimiſit, ſed miſera nõ dereliquit.* Vt aptè illud Auguſtini Oraculum decedenti mulieri occineret: *Peccata te dimiſerunt, non tu illa. Intimo etenim ſudore actutum perfuſa, omniq; mẽbrorũ ſenſu orbata, haud multò poſt deperditam in diaboli manus animam efflauit; Illud planè ſub extremi momẽta temporis, quod & moralis ille* Philo*ſophus aiebat, eos, qui impuris aſſueſcũt amoribus, opportunè præmonens: Quod videlicet, deſinit eſſe remedio locus, vbi ea, quæ vitia fuerant, mores fiunt.* Hic formoſę mulierculę, atq; in ſuis flagitiis obſtinatæ fœdiſſimus item exitus fuit. Huic haud abſimile eſt, cum par ſit vitiorum obſcænitas, id quod anno M. DC. XXXXIV. ſe à religioſo fratrum Cappuccinorum Ordinis accepiſſe Ottonellus à Societate Ieſu in ſuis moralibus paginis tradit, atque in hunc plane modũ, vt à nobis latinitari redditum eſt, narrat:

Addictã ſe æternis ignibus ait in eiuſque amplexu mori.

Auguſtin. in ſerm.

Senec. ep. 39.

7. *Mulier* (inquit) *quæ alienæ corpus libidini, turpibuſque ſe ipſam ex ea lucris addixerat, ac diabolo inſuper ſuam animam venalem fecerat, cũ vni præ cæteris valido amore conglutinata fuiſſet, cuius miſera impenſis, moriens, ne dum viuens in dies victitabat, & quem vnum præ cunctis deperibat, morbo graui præuenta lecto decubuit. At cùm de vitioſa, ac turpi abolenda conſuetudine, in aperto vitæ conſtituta diſcrimine nil cogitaret, nec vllum contriti (vt par erat) cordis ſub ea potiſſimum momenta ſignum exhiberet, religioſi è Cappuccinorum familia patres euocantur, ut pijs, aptiſq; fœminam iam deceſſuram verbis adhortentur, qui continuo accurrentes, eamdem, vt* Chriſtianos decet, *ſacramentis* Eccle*ſiæ præmuniendam, abolitiſque anteactæ vitæ erroribus ad pium è vita exitũ ne alioqui in tartarum proſiliret, diſponendam curarunt.* At *pijs religioſorum hominũ dictis deſperatæ ſalutis, ac proculcatæ pudicitiæ fœmina neutiquam acquieſcens, ſuadentium fruſtra laborem, atque operam defatigabat; miſera quippè de animæ negotio actum omnino aſſerens, obteſtabatur adſtantes, & non ſecus ac maniũ furijs exagitaretur, malos genios, vt in Orcum eam* ſe-

Otton. in lib. de mulier. vitanda con ſuet. adnot. 1. pag. 53.

Triſtis alterius meretricis exitus.

Negat illa ſibi ſpem vllam ſalutis ſupereſſe

ſecum pertraherent, iam adeſſe, nullāque ſibi ſpem ſupereſſe inclamans cauſabatur; quæ cùm opportunis ſubindè ſermonibus è ſacrarum promptuario paginarum excerptis, prolatiſque in medium, pœnitentium exemplis validè confutarent, vnum poſtremo mulier loco inſtanter popoſcit, nempè vt amicum, cui iam longo temporis decurſu viuendo turpiter in delicijs fuerat, ſibi nedum morituræ, ſed iam præmortuæ alloquendi, ac paucis antè obitum verbis ſalutandi facultas daretur.

Poſcit amaſii conſpectu potiri.

8. *Quod pij, qui aderant, viri opportunum ad fœminam Deo elucrandam remedium rati: virum quoque & ſi laſciuos inter amores olim deperditum, prompta tamen manu animæ in præſens laboranti opem ſuppeditaturum arbitrati ſunt, adeò vt nil in id potiſſimum temporis ad euincendam mulieris petulantiam magis commodum, atque efficax, quam ſi ipſemet culparum conſors, ac conſcius in conſilium euocatus veniret, omnes conſtantiſſimè crederent, affererentq; quem non multò poſt, verbis iam benè, conſilijſque ad eam opportunè inſtructū introduxere; ingreſſus ergò cubiculum, ac lectulo, in quo mulier iacebat, appropriáns, gratis primùm oculis amicus conſpicitur, quæ res ſpem bonam adſtantibus vltro ingeſſit: Sed tota protinus res in luctū vertitur; Petulantis enim ingenij fœmina vbi adſtantem, quem anxia requiſierat, amicum videt ſalutis immemor, præteritarumq; libidinum, atq; amoris, quo eum ardentiſſimè diligebat memor, è lecto infirmis licet viribus proſilit, ac feſtiuis coma Iuuenis arrepta manibus iſthæc in intimā amici aurem cunctis, qui aderant, audientibus immurmurat: peccatorum, quæ nos huc vſque malè inuicem delectando admiſimus, & quorum me numerus præterit, nulla (vt quod verum eſt fatear) me cura remordet, ſollicitatque: flocci enim iſthæc, ac tanti quanti vnū capitis capillum facio. Illud tamen me ſub hoc vitæ momentum grauiùs premit, perurgetque, quod viribus omninò deſtituta, iiſque in viuo adhuc corpore præmortuis, in conſuetas noſtrarum, vt vellem, turpitudinum illecebras proſilire non valeo.* Hæc dixit, ac perpetuæ ſemetipſam deſperationi, ac perditioni pariter deuouens, diabolumque impio ſemel atque iterum ore compellans, nequiſſimam in eius, cuius voluntati inſeruierat, manus animàm profudit. Quo poſt hac vel ſilens illa Chriſoſtomi verba legentibus ſuo infelix exitu ſuggereret: *Perniciosa* (inquit) *eſt hæc carnalis affectio, omnia ſuſcipienda capto perſuadet, donec in Inferni profundū ducat.* In tartarum igitur mulier vna cū ſuis amoribus perditè è vita diſcedens abiit, momentumque illud, quod vitæ, haud culpis finem indixit, perennium extitit tormentorum initium.

Acceñſæ magis ad eius adſpectum libidinum faces.

Chriſ. hom. 59. in Geneſ.

9. Quantum verò inolita, cuius hic mentio eſt, peccandi conſuetudo inualeſcat, vel illud palam euincit, quòd ſub extrema vitæ momēta hominum mens ad deploratas, quibus diu operam dedit, delicias, vel inuiuita recurrat, iiſdemque, quibus irretitus quiſque vitijs vixit, vel cùm iàm è vita abit, in malo tenaciſſimè obfirmatus inhæreat, ex quo certum ſubindè ſalutis diſpendium cōſequitur: At nè longiùs ſermonem protrahamus, Recupitum è Societate Ieſu in ſuis paginis iſthęc vno exēplo enarrantem conſulamus.

Nefariæ cōſuetudinis exemplum aliud.

Concludam (inquit) *rem totā alio memorabili exēplo, cuius ab antiquioribus Societatis PP. traditio certa ad nos peruenit, qua perſpicuè apparebit inueteratus in malo vſus quantum in ipſo vitæ*

Digitized by Google

Iulius Cæſar Recupitus lib. de ſignis prædeſt. tract. 2. de num. prædeſt. & reproborum pag. 74. in fin.

vitæ fine valeat, præſertim ſi, vt ſæpiſſimè contingere ſolet, inter morbi vices aliqua vitæ ſpes affulſerit; dum iuxta illud, quod diximus ex Sancto Auguſtino: caro ſperat, medici confortant, conſanguinei applaudunt. Quidam mulieris prauo amore per plures annos detentus in morbũ incidit. Quo

Impudicus morbo oppreſſus lachrymis ſcelera expiare viſus.

inualeſcente ſtimulis conſcientiæ acriter incitatus confeſſarium è noſtris aduocat, peccata magno animi dolore aperit, impuro amori planè renunciat. Soluuntur oculi in lacrymas, abſolutionem impetrat, mulieris illius neque congreſſu, neque conſpectu poſtea admiſſo. Sacrum illi viaticum adminiſtratur, tanto animi ſenſu, ac deteſtatione peccati, vt confeſſario videretur illa vehemens contritio tam plenè ſatisfactura, vt is purgatorio ſolutus mox liber euolaret ad Cœlum. Breui moritur exultãte confeſſario, ac Deo de ſalute illius animæ maximas agente gratias. Hic, vt ſacri tempus aduenit, ad altare acceſſit miſſam pro defuncto celebraturus. In ipſo ſacrificij exordio vmbra illi quædã ſe ante oculos obtulit, ſed ità obſcurè, vt dignoſci ſatis non poſſet: cùm vero ad altare aſcẽdiſſet introitũ incohaturus, & Requiẽ

Vetat pro ſe fieri ſacrum.

æternam dona eis Domine dicturus, clarè is, qui modo defunctus fuerat diſpiciendũ ſe dedit, atque hæc verba diſtinctè pronunciauit: Ne facias pro me ſacrum, damnatus enim ſum. Perturbari ſacerdos, vt par erat, horreſcere, contremiſcere, ad ſacrũ proſequendum deficiente etiam habitu, ac voce: Sed à Deo ſuffectis viribus, & ſacro pro alijs defunctis, vtcumque potuit peracto, ad arcanum locum ſe contulit. Certa iam proculdubio hominis perditio, quæ portentoſis eiuſcemodi, tùm viſis, tùm vocibus enunciabatur, ſed ne alter iniuſtè damnatus fuiſſe crederetur, potiſſima admiſſi ab eo criminis cauſa manifeſtanda erat, vti ſcriptor proſequitur: *Ibi Deum* (inquit) *non ſinè lacrymis precatus, vt quando dignatus erat ſibi detegere animæ illius infelicitatis interitũ, cauſam etiam detegere dignaretur. Sollicitabatur quippè pius Sacerdos ea cura, ne forte miſer ille ipſius negligentia*

Iulius Cæſ. Recupitus vbi ſup.

Cauſam dãnationis exquirit à Deo ſacerdos.

perijſſet: ne morer pluribus, orauit, exorauit; namque inter has preces iterum ille conſpectui ſe reddidit, ac lamentabili voce: ne puta (inquit) *me tua culpa, aut iniuria perijſſe: Confeſſio, qua tibi peccata detexi, integra fuit, & ſalutaris: deteſtatio peccatorum vera: votum non vlterius peccandi firmum, & efficax: Abſolutio, quam mihi ſæpiùs impẽdiſti, nunquam irrita cecidit, ſed ablutus omni peccati macula in gratiam cum Deo redij. Atque vtinam*

Remiſſa vi morbi, peccati voto aſſenſiſſe ait

tunc anteuertiſſet me mors, nunc inter damnatos non eſſem. Sed cùm poſtea viatico ſanctè, & fructuosè ſumpto, morbi vis remittere videretur, ſpemq; vitæ conciperem, obtulit meæ menti diabolus mulieris illius ſimulacrum, cui me longo vſu laſciuus amor deuinxexerat, quæ amoris ſpeciem præferens ità me alloqui videbatur: Nonnè ſi vixeris, & conualueris ad priores ſimul delicias redibimus? Annui miſer ex praua conſuetudine ad aſſentiendum procliuis, & vix aſſenſu præſtito iuſto Dei iudicio, reualeſcente repente morbo efflaui animam infelicem. Heu ob momentaneam cogitationem æternis addictus flammis, vt tibi faciet aſpectus fidem. Inter hæc verba veſtem, qua videbatur indutus, aperuit: & flammas delite-

Flammis ſe ſuccinctum oſtendit.

ſcentes, quibus acerrimè inardeſcebat, detexit. Mox ab oculis euanuit, et à dæmonibus denuò arreptus, ac retruſus ad tartara. Diſcant hinc alienis, vt dici ſolet, impenſis, qui nimium ſibi fidentes pœnitẽtiã prorogãt ad extrema. Nimis ſerò initiũ fit bonæ vitæ, cũ finis eſt vitæ.

Qui

Qui igitur inſanis captus mulierum amoribus, ac brutorum inſtar totus luxuriæ deditus muliebriter viuere longo iam vſu didicerat, lubricus quoque inter ipſas mortis anguſtias deceſsit, & ſcelus, quod carne non potuit, mente compleuit.

10. Enimuerò conſuetudinis prauæ ex eo potiſſimùm ſeriò recolenti vis innoteſcit, quòd nimirùm homines peccando aſſueti, ac blandis, obſcæniſque præſertim voluptatibus irretiti, poſtquam diutiùs in malo perſtitere, nõ monitis, non precibus, non exemplis, ne dũ flagris, pœniſq; ab illicitis, quibus aſſueuere cupiditatibus retrahãtur: Conſuetudo quippè adeò homini, ad nocendum præualet, vt ad noxias, ſemelque prægustatas vitiorũ illecebras, vel per funeſtas ipſas, ſi opus eſt, plagas, ac verbera captiuum hominem pertrahat. Quo portenti genere rem planè nouam, inauditamque, ac ſupra quàm dici poteſt, portentoſam, ſatis laudatus ille Mirãdulæ Comes in ſuis monimentis his verbis tradit:

Conſuetudo impudica tenaciſsima.

Viuit adhuc (inquit) *homo mihi notus, prodigioſæ libidinis, & inauditæ. Nam ad Venerem nunquã accẽditur, niſi vapulet: & tamen ſcelus id ita cogitat, ſæuientes ità plagas deſiderat, vt increpet verberantem, ſi cùm eo lentiùs egerit, haud compos planè voti, niſi eruperit ſanguis, & innocentes artus hominis nocentiſſimi, violentior ſcutica deſeruerit. Efflagitat ille miſer, hãc operam ſuis precibus ab ea ſemper fœmina, quàm adiuit, præbetque flagellum pridiè ad id officij, aceti infuſione duratũ, & ſupplex à meretrice uerberari poſtulat: à qua, quantò cæditur durius, eò feruentiùs incaleſcit, & pari paſſu ad uoluptatem, doloremque contendit: unus inuẽtus homo, qui corporeas delicias, inter cruciatũ inueniat. Is cũ non alioquin peſſimus ſit, morbum ſuum agnoſcit, & odit: quoniamque mihi familiaris, multis iã retrò annis, quid pateretur, liberè pateſecit. A quo diligenter tã inſolitæ peſtis cauſam cum ſciſcitarer: à puero, inquit, ſic aſſueui, & me rurſus conſuetudinis cauſam interroganti: educatum ſe aiebat cùm pueris ſceleſtiſſimis, inter quos conueniſſet, hac cædendi licentia, quaſi pretio quodam mutuum ſibi uendere flagitioſa alternatione pudorem. Hoc ego factum licet graue auribus liberalibus ideò non ſuppreſſi; ut cognoſceremus euidentiam ipſam, quantùm illis affectibus ualeat conſuetudo.* Si tantas itaque vires praua, ac vitioſa, in viuido adhuc homine conſuetudo, obtinet, quam profectò in homine conſopitis iã ſenſibus, & quaſi ſeminece, atque animo viribus ſuis orbato exercere tyrannidem credendum eſt? adeò vt hic illa opportunè Auguſtini verba in mentẽ veniãt, *Et dũ conſẽtitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dũ conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſsitas.* Iiſdem igitur, quibus homines aſſueuere peccatis, iiſdẽ denique obnoxii, abſque vlla ſalutis ſpe è vita decedunt.

Picus Mirandul. lib. 3. in Aſtrolg. c. 27.

Verberibus ad impudicitiam ſtimulat viri exemplum

Deliciæ ab hoc inter cruciatus inuentæ.

Aug. lib. Confeſ. cap.

11. Ea quippè voluptuoſæ vitæ, & blandæ cõſuetudinis regula eſt, vt inter impuros præſertim amores acriùs inualeſcendo recrudeſcat, & antè vitam, quàm vitia viros peccando aſſuetos intermittere ipſomet experimento comprobetur; quod certè teſtatiſſimis à rerum noſtri huiuſce ſæculi ſcriptore in ſuo libello exemplis euincitur: *Incontinentiæ* (inquit) *ac libidinis uitium eſt huiuſmodi, ut niſi ab ineũte ætate reprimatur, ac procul à nobis eſſe iubeatur, ſeſe in animũ influat, eumdemque quibuſdam quaſi uinculis alligatum vſque ad extremũ uitæ ſpiritum habeat in poteſtate; Ad hæc animaduerſũ eſt eos, qui ſe libidinibus*

Ian. Nicius in ſelect. ext. vir. ac vit. exempl 76. pag. 93.

nibus

Digitized by Google

nibus conſtringendos tradidiſſent, ſubita ſæpè morte oppreſſos nullum, vel ſaltem exiguum, ad ſe comparandos ſpatium obtinuiſſe.

Pictor quidã, omniũ omnis ferè ætatis multò præſtantiſſimus, Leoni X. Pont. Max. ob eximiam eius artis ſciẽtiam ſummè carus, feria IV. maioris hebdomadis, in Villam Vaticano proximam ſeceſſerat, vt eſſet ibi cum muliere, apud quam eius erat animus clauo cupidinis fixus; vbi cùm totum illum diẽ, quo ſacra redemptionis noſtræ myſteria ſumma omnium cum religione, celebrantur, flagitiosè, ac nequiter contriuiſſet, veſpere ex intemperantia, in febriculam incidit, ac delatus domum, atque acceſſitis medicis, interrogatus eſt ab eis, quibus fortaſsè notus erat eius animi morbus, nunquid intemperanter feciſſet. Negauit ille pudore fortaſsè deterritus; tũ medici ſanguinem mittendum decreuerunt: quo miſſo, tũ ille veram morbi cauſam aperuit, neq; fuit quiſquam, qui de eius ſalute deſperandum non iudicaret; nec perperam; nam poſtridiè, ſummi Pontificis, aliorumque, qui eius artificio delectabantur, cum mœrore tanquàm per ludum, iocumque deceſſit. Alter item, cui magnum erat in pictoribus nomen, octuaginta ferè annos, hoc immerſus cœno, confecerat: verũ die quodam, cùm nihil minùs cogitaret, repentè exanimatus concidit. Hęc Nicius, qui vt vitioſæ item cõſuetudinis vim lectorum animis ad viuum contemplandã obiiciat, impudicam mulierem libidini longo iam ex tẽpore addictam, funeſto quoque tandem exitu deſperata animi ſalute decedentem his verbis meminit:

Pictoris laſciui funeſta mors.

Alius repente exanimatus.

12. *Sacerdos quidam à confeſſionibus mulieri, quæ longum cum neſcio quo viro commercium habuerat, neque ab eo diſtrahi poterat, ſæpiùs conatus erat perſuadere, vt flagitioſam illam ſocietatem dirimeret, ac ſaluti animæ ſuæ conſuleret. At mulier, crebris boni illius ſacerdotis cohortationibus, atque etiam obiurgationibus victa, pollicita eſt ſe morem illi geſturam: Sed aliquod ad eam rem ſpatium expoſtulauit, quod cuperet, veterem cum eo vti conſueuerat, vſum, amicitiãque potiùs diſſuere, quàm dirimere: ſtultè prorsùs, atque ineptè. Etenim eiuſmodi vinculorum genus non diſſuendum, ſed diſtrahendum eſt, ac præcidendum; aliter enim nulla ſe ab eis expediendi ratio relinquitur. Quod ità eſſe, in ea ipſa muliere res docuit; nã cũ protelãdo, ac diem ex die ducendo, rem ſibi difficiliorem in dies redderet, neq; inueniret, quomodò, quæ fecerat, promiſſa, impleret, ea ex improuiſo cunctantem vis morbi oppreſſit, vt omnibus ferè sẽſibus amiſſis, nec ſatis compotem mentis vix ſacerdos adduxerit, vt manus vel oris ſignificatione aliqua indicaret, ſe velle peccata confiteri.* Praua quippè peccandi conſuetudo perditum quoque, ac deplorandum condignę mercedis inſtar ſortiri exitum conſueuit.

Nicius, in exem. v. i. & vitior. 76. pag. 93.

Meretrix iã confeſſioné differt, repentè extincta.

13. Magna igitur inter peccandũ conſuetudinis vis, quæ hominem, vel inuitum, nolẽtẽque ad ea, quibus diù aſſueuit, violenter trahit, prouoluitq; *Si poteſt* (inquit propheta) *Æthiops mutare pellem ſuam, ſic et vos cùm didiceritis benè facere.* Difficilè quippè vnuſquiſque mores exuit, quos à primis annis ebibit, iiſdemque cũ vitiis moritur, quibus anteà implicitus vixit. Nouiſſimum en tibi hominis, qui cùm in ipſius iuuentę flore inter blandas, titillanteſq; carnis illecebras honeſtæ cuidam fœminę immodico amoris glutino inhęreret, ante ipſius ædes, vt muliebrem ſibi gratiam cõciliaret, noctu carmina, cantilenaſq; adamãtium more cantitabat, quibus tandem reciprocam nactus beneuolen-

Hier. 13.

Ex relat. à fide dignis

Digitized by Google

lentiam, funeſtam planè ſub vitæ finem, Amaſiæ tũ gratiam, tũ memoriam ſibi expertus eſt; Cùm igitur in dies magis in iuuenis pectore amoris plaga recrudeſceret, vt miſer à libidinis æſtu temperaret, conceptumque ſemel ignem reſtingueret, corpore ex improuiſo languere cœpit, breuique in manifeſtum vitæ diſcrimen medicorum iudicio venit.

Funeſta eſt conſuetudinariis peccatoribus mors.

Verũ quia iuuenis præferoci erat animo, eſtræniſq; in tã manifeſto, tũ corporis, tũ animæ periculo nullus, qui eũ periculi admoneret, & ad curãdũ animi morbũ adhortaretur, nemo prorſus ex tot amicorum numero, ne languẽtẽ (vt aiebãt) metu, terroreque conficerent, nemo inquã fuit; At vbi languentis periculum pio ſacerdoti, qui ad piis excolendum populum exercitationibus ibi tunc aderat, innotuiſſet, ſacerdote altero ſibi comite adiuncto, infirmum quantocyùs adiit, eumque, vt domui ſuæ, vbi negotium animæ; ac æternitatis momentum agebatur, benè diſponeret aptis, cõceptiſque verbis vrgere, perditumque, in quo tunc miſer verſabatur, ob oculos ſtatum proponere non deſtitit. Expauit iuuenis ad inopinum, qui afferebatur nunciũ, & anteactam vitiis, quoquomodo valuit, vitam retractare cogitans, ſuas ſacerdoti culpas ſacramentaliter aperuit, & cum ſeriò rem ageret obdoluit, ingemuitque patratas à ſe hactenùs culpas, necnon dominici etiã corporis viatico ſuũ præmunire iter voluit, ac extremæ tandẽ vnctionis oleo perfuſus conſueto piæ deuotionis ritu, modiſque (vt apud fideles uſu venit) omnibus iuuari ſe popoſcit, adeò ut adſtantes eius exemplo, ac feruore mirificè compungerentur; Vbi verò è proximo inſtare mortẽ, & concito ſe ad æternitatem gradu

Nullam ſalutis ſpem præſefert

Sacramẽtis munitus adhuc ad reſiſtendum impotens.

properãtẽ vidit, ſacroſanctã Chriſti domini cruci affixi, in quo tota ſibi ſalutis ſpes, imaginem manu apprehẽdens, defixiſque in eam oculis, manifeſtis contriti cordis indiciis, quinquageſimum Dauidicum pſalmũ, ad implorandam Dei tunc maximè miſericordiam ex intimis præcordiis recitauit. Porrò mira ſunt, quę dixit, quæ fecit ex contriti cordis abũdãtia aſtantibus coram, Deum alloquens: crederes illius cor præ doloris, præ amoris erga Deũ magnitudine in præſẽs vim pati, & pene inter loquendum diſrumpi, adeò ut qui aderant, eius dictis perculſi in lacrymas ſoluerẽtur, diuinamque indultã homini tam vberem pietatẽ extollerent. Quid plura? intermiſſa loquela in agone poſitus iã cũ morte luctari cępit, cũ ſacerdoti, qui aderat per nutũ ſignificauit, adamatæ mulieris à dæmone obiectam tam ad viuum fuiſſe oculis formam, adeòque inhoneſtis ad animum titillandum modis propoſitam, vt ex peccandi conſuetudine illectus, conſenſum ab eo prauũ extorſerit, ob quod ſacramentaliter abſolui percuperet, quod re ipſa à ſacerdote pręmiſſis ſignis hominem abſoluendo præſtitum eſt.

In agone conſtitutus vim prauæ conſuetudinis ſentit.

14. At benè quidem hominis diuinam pro ſe in ſupremo vitæ agone opem implorantis, impertitæque abſolutionis beneficio negotiũ peragi videbatur, niſi vlteriùs lucta procederet, ſuiſque ſtygius hoſtis multipliciter tentando machinis inſtaret, vrgeretque vehementiùs, ac ſuos ad pręualendum dolos, ac iacula adhiberet; Vix enim exiguo temporis interlapſo momento turpibus iiſdem obiectis infelix ſe pertentari ſenſit, pręſtitoque conſenſu iterùm abſolui petiit. Neque hic res ſtetit: oh certè deplorandam obfirmatam in ma-

Iuuatur ſacramentali abſolutione ſed adhuc impetitur acrius

lo

Digitized by Google

lo conſuetudinem, ò fraudulentas, validasq; dæmonum erga hominem ſub extremã vitæ periodũ artes! Verũ proculdubio eſt, quod modo ſum dicturus, quis tamen, niſi dictis ſacerdos fide digniſſimus teſtis accederet, id verũ crederet? Certè quater miſellus à dæmone iiſdem techuis, propoſitoque eiuſdem fœminę obiecto tentatus, illectus, ac facili negotio cedens preſtito aſſenſu deuictus eſt, ſed ſignis quibus potuit, priuſquã omni ſenſu deſtitueretur, ſacerdoti quæ intus agebantur, detecti, ſacramentalibus verbis à culpa ſolutus eſt; Verũ vbi poſtmodùm anima in exitu vehementiùs anxiari cœpit, nec vllũ adſtanti ſacerdoti decumbens ſignũ exhibere valuit, acerbiorẽ ſuſtinuiſſe luctam, facilè ſibi prudens quiſque cogitando ſuadere poteſt. Parum tamen de ſe benè ſperandi, incertumque tandem luctæ exitum vir iſte peccatis aſſuetus, & qui recidiuum patiens tot vicibus diabolo tẽtãti ceſſerat, dereliquit; ſacerdos quippè, qui ei adfuit, ex valida, qua dæmon impugnãdo aduerſus hominem inſtitit vi, & ex fragili ſuccumbentis in prælio ſocordia, prauaque ex conſuetudine, prona in Venerẽ, ac in malum voluntate, ſatis cogitabũdus, triſtiſque de animæ ſalute domum abſceſsit, & ſatis ambiguum benè ſperandi argumẽtum nactus timere valdè cœpit, ne qui aſſuetus, totieſque tentatus, vt ſignis innotuit, diabolo ceſſit, releuatusq; poſtmodũ eſt à ſacerdote; & pluries ſubindè à diabolo, acrioribuſq; titillatus inſuper tẽtationũ iaculis, infeliciter tãdẽ nõ abſque animæ iactura nũquã poſthac releuãdus ceſſerit. Et hęc de conſuetudinariis peccatoribus dixiſſe ſufficiat, dũ interim ad eorũ, qui malis aſſueti cõuerſionem vel differunt, aut certe cõtemnunt, exitus recenſendos properamus.

Dubia ſalutis ſpe è vita abit.

Ex praua vitiorum conſuetudine pauca de eius ſalute ſpes.

CAP. XIII.

Conuerſionem differentes, aut contemnentes.

1 INſana mortalium cogitatio in ſalutis negotio, & in æternitatis periculo ſtertentium, atq; oſcitantium, ſanaque mentis cõſilia, dum tempus vacat, temerè in ſuprema vitæ momenta reijcientiũ; cùm tamen Sapiens ſui vnumquẽque oblitum, futurorumque improuidum, ac benè de ſe, vel longas inter moras ſperantem illis præmoneat verbis: *Non tardes* (inquit) *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Quod & Chriſtus in Euangelio cunctis intonuit: *Vigilate quia neſcitis diem, neq; horam*. Enimuerò incerta mortis, quæ mortalium capiti ſemper impendet hora, pro ſe quẽque ſollicitum eſſe, non tam Auguſtino teſte admonet, quàm compellit: *Quia neſcis* (inquit) *quando veniet, paratum te inueniat, cũ venerit: ad hoc enim fortè neſcis, quando veniet, vt ſẽper paratus ſis*. Adeòque pœnitentia, quam homo dum valet, ac ſanus eſt, negligit, fruſtra plerumque in morte à Deo quæritur, expetiturque: *Serò* (inquit Auguſtinus) *parantur rememedia, cùm mortis imminent pericula*. Quapropter & magnus Leo ſuis intimè mortalium animos peruadens vocibus, ſuique præmonitos officij volens: *Nunquam ſit* (inquit) *mors morituro improuiſa, nec in inordinatum*

Ecc. 5. 11.

Matth. 25. 3.

Aug. de diſcip. Chriſ.

Aug. vbi ſup.

S. Leo ſerm 5. de ieiun.

Digitized by Google

incidat finem, qui ſe nouit eſſe mortalem. Vocantem igitur Deum quantocyùs audire, ac ſequi opportet, nec vlla, vbi ſeriò animæ negotium agitur, temporis morula nectenda eſt, ne ſalus videlicet in apertum diſcrimen cunctando veniat. Nam cùm Deus plerumque vocanti ſibi haud vltrò, promptèque aures patere intelligit, iuſtè ad iracundiam concitatus, ac terga vertēs, ſuis dorſum, & non faciem cōtemptoribus oſtendit, adeòq; infelices proindè, qui ſic à Deo relicti ſūt, in cōtumacię pœnā exitus ſortiuntur: *Clamaui* (inquit) *& renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Quod ſuo infelix dāno (vt res confirmetur exemplis) Ioannes magiſter militum apud Neapolitanam Ciuitatem præpotens comprobauit, de quo teſtatiſſimis Damianus verbis in ſuis Epiſtolis plura ſcribit; hic enim cū perditiſſimè vitam duceret, Deique beneficio de anteactæ vitæ erroribus pænitentiæ pharmaco expiandis, ac de ſe ad meliorem frugem traducendo præmonitus fuiſlet, bonum mentis propoſitum, quod ſemel atque iterùm Deo aſpirante conceperat, ad religioſæ vitæ inſtitutum conuolando, poſthac operè exhibiturum vita comite cogitabat, ſed morte præuentus, ſemetipſum infeliciter diē claudens perdidit; ſed Petri Damiani verba hic repetenda ſunt: *Porrò* (inquit) *dū ſtyli huius exaro dictator articulū, ecce Deſiderius religioſus Caſſinenſis Monaſterij Abbas accedit. Qui nimirū ſicut Beato Danieli cognatione iūgitur nominis, ſic eū ab illo non ſeparat aſſertio veritatis. Hic itaq; mihi narrat aliquid, quod ipſa ratio perſuadet, vt ſcribā. Seruus* (inquit) *Dei Neapolitanæ Regionis in prærupta rupe iuxtà viam publicam ſolitarius habitabat. Qui nimirùm, dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram, cellulæ horarum explorator aperiret, ecce videt multos nigros homines tanquàm* Aethyopes *iter carpere, & longo tractu onuſtos fœno ſagmarios comminare. Cūque eos curioſus inquireret, qui eſſent, cuiuſue rei gratia hec iumentorum pabula deuectarent; maligni (inquiunt) ſpiritus ſumus, & paramus, non pabula pecoribus alendis: ſed fomenta potiùs ignium hominibus comburendis. Præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ* Pandulphum, *qui iā decumbit, & Ioannem Magiſtrum Neapolitanæ* Ciuitatis, *qui adhuc incolumis viuit. Illicò vir* Dei *præfatum Ioannem impiger vir adijt, quæ viderat, quæq; audiuerat, fideliter cuncta narrauit: Per idem tempus Imperator Otto Secundus aduersùs Saracenos præliaturus Calabriam feſtinabat: His igitur auditis, Ioannes ait: modò nos neceſſe eſt* Imperatori *reuerenter occurrere, & cum eo ſimul de huius terræ ſtatu prouida conſideratione tractare. Porrò poſt Imperatoris abſceſſum ſpondeo, quoniam et ſæculum deſeram, & Monachici Ordinis habitum ſumam. Vt autem probaret vtrū verū eſſet, quod ille narrabat, nuncium protinùs ad mœnia Capuana direxit, qui veniens Pandulphū iā mortuum reperit. Ipſe quoque magiſter militum* Ioannes, *antequàm illas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim ſuperuixit. Quo mortuo* Mons *Veſuuius, vndè videlicet gehenna frequenter eructat, in flammas erupit, vt liquidò probaretur, quia fœnū, quod à dæmonibus parabatur, nil aliud fuit, niſi ignis trucis incendij, qui prauis, ac reprobis hominibus debebatur. Nā quandocumq; illis partibus reprobus diues moritur ignis erumpere de prædicto monte videtur, tantaque ſulphu-*

Prou. 1. 20

Ioannes Magiſter equitū Neapolitanorum extra ctæ pęnitentiæ ſpe deluſus.

Pet. Damian. lib. 1. epiſt ep. 9 ad ſum. Pōtif. pag. 16.

Oſtenſus diuinitus viro pio duorum reproborum interitus.

Admonitus Ioannes de imminente exitio.

Nocuit traxiſse moras.

Digitized by Google

phureæ reſinæ congeries ex ipſo Veſuuio protinùs fluit, vt torrẽtem faciat, atque decurrente impetu in mare deſcendat. Vbi ſcilicet corporaliter videri poteſt, quod in Apocalypſi Ioannis de reprobis dicitur; quià pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Inſana prorsùs, incertaque hominum in cõſiliis, quæ ſanam mentem reſpiciũt, protelandis ſtudia, & cæcitas nuſquã ferenda; morte enim, plerumque intercepti, hęc, quę mente conceperãt, cũ certo ſalutis diſpendio exequi nõ valent. Et plura quidẽ his ſimilia recenſeri poſſunt exempla, ex quibus optima quæque consilia ſalubriter operi demandanda, in aliud tempus reiecta, iuſtum pigritantibus exitium peperere; ſed quod alteri ad bonã frugem ſe recipere detrectanti funeſtè contigit, in medium afferre eodem Petro narrante operæ pretium eſt.

Apocal.c.19. nu.20.
Mors exitio eſt.

Idem Petr. Dam. vbi ſup.

2. *Enim verò* (inquit) *Salernitanus Princeps, illius videlicet Guaimarij æquè Principis, qui antè non plurimos annos pro multis violentijs, atque tyrãnicis oppreſſionibus ſuorum gladijs interemptus eſt, auus, cũ procul aſpexiſſet quadam die de prædicto Monte Veſuuio piceas, atque ſulphureas repẽtè flammas erumpere, protinùs ait; proculdubiò ſceleratus aliquis diues in proximo moriturus eſt, atque ad Inferos deſcenſurus. Sed ò cæca mens reprobi hominis, imò terribile ſuper nos iudicium* Conditoris! *ſuperueniente ſiquidem proxima nocte, dũ ſecurus cũ meretrice concumberet, expirauit. Quẽ illa, vt poſtmodũ referebat, quid contigiſſet, ignorans, diutiùs pertulit, et vix tandem à ſe non hominem, ſed cadauer exanime proſtituta deiecit.* Enimuerò iuſtè plerumque Dei nutu fit, vt peccatores, qua hora non putant, conſuetiſque irretiti culpis, dum nil recogitant, ad Dei tribunal non tam è vita abeant, quã præcipiti caſu abripiantur; princeps enim iſte inter cõſuetas amorũ, voluptatũq; illecebras, repentinũ Dei iudicium ſubiit. *Eſtote ergo parati* (inquit Chriſtus) *quia qua hora non putatis filius hominis veniet.*

Princeps Salernitanus ex montis Veſuuii incendio prædicit.

Ipſe proxima nocte in meretricis amplexu extinctus

Luc.12.40

3. Idem planè alteri contigit, qui inter iuges culpas, de pœnitẽtia tamẽ perperam ſibi adblandiens, Deum irridere quodãmodò videbatur, ſed demũ malè ſibi conſciùs è vita præreptus certam pro ſpe dubia perditionem incurrit, vt Bzouius in ſuis annalibus hunc in modum tradit: *In Regno* (inquit) *Poloniæ miles quidam in proprios ſubditos iuxtà, ac exteros impius, & ſæuus, de vita futura nihil penſi gerens, cũ aſſiduis præuaricationibus in Deum, confiteri, & pænitere pro ludibrio ducens, iras in ſe cæleſtium coaceruaſſet, in grauem incidit languorem. Sed nec tunc quidem ſcelerum conſcientia per tactus, quidquam ſibi de impetranda propitiatione diuina, ratus ſe ſuperuicturum, & ſuas transgreſſiones reſumpturum, proſpexit. Inualeſcẽte tãdem morbo, fratres Prædicatores per conſortem illius pro ſanãda mente ægri acciti, militem ad pænitendum multifariè per ſalutaria monita inducebant. Quibus miſer homo commotus: ſeriùs (inquit) me ad pænitentiam impellitis: Seriùs confeſſionem iudicato, & iã damnato ſuadetis, cum pænitentiæ, & gratiæ tempore elapſo, confeſſionis, et pænitẽdi ſpatio mihi ſubrepto, iuſto Dei iudicio, in poteſtatem traditus ſim ſpirituum tenebrarum. Vrgentibus deindè maiori inſtantia ægrum fratribus, & ne qua deſperatione commiſſorum facinorum à confitendo, & pænitendo abſtraheretur opem, di-*

Bzou.Annal. to.13.ann. 1276.n.17.

Exemplum aliud peccatoris reſipiſcentiam differentis.

Exclamat ſe dæmonibus traditum.

Digitized by Google

uinam, ſi pænitere, & confiteri vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem: fruſtrà (inquit) ingeritis de confitendo monita, proprio damnato arbitrio, & iã in dæmonum poteſtati conſiſtẽti, à quorum cateruis ſuperimminentibus torquendus, & flagellandus iã appetor. Auditæ illico ſunt percuſſiones horrendæ, ictus frequentes, & atrociſſima ex ſonitu, & colluſione, atque ex reciprocatione flagellationum verba, et in ægri corporis liuore, plagæ, vulneraque à fratribus, & alijs circumſtãtibus viſibiliter, at inuiſibilibus tortoribus illata, conſpecta. Inter quæ ille infelix, & execrandus nec vocem, nec gemitum edens, miſerabiliter expirauit. In *quo* Beati *Auguſtini ſermo pro diuino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus, impletus eſt: Hæc eſt, inquit, iuſtiſſima lex* Dei, *vt qui viuendo obliuiſcebatur Dei, moriendo obliuiſcatur ſui.* Vocãti igitur nunc vnuſquiſq; cordis adaperiat aurẽ, ne contempta ſubindè Dei maieſtas iudiciũ inter peccata ob ſurdeſcenti grauiùs inferat, adeòque illis non tàm verbis, quàm fulminibus repulſam à Deo ſub vitę exitum incurrens, vel dũ propitium ſibi Deũ inuocat, eludatur: *Vocaui* (inquit) *& renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.*

Reſpuit ſalutis conſilia.

Aug. tract. in Ioan. Moriendo obliuiſcitur ſui, qui viuẽdo oblitus eſt Dei

Prouer. 1. 26.

4. Cõſimilẽ planè ad Dei tribunal iudicii calculum Adoleſcẽs quidam excepit, qui ſemel arreptum ſacrum monaſticę vitæ inſtitutum, prolixioris vitæ ſpe ductus deſeruit, futurũque ſibi falſis deluſus auguriis, vt ad clauſtrum regreſſus ſana mentis exequeretur conſilia, repromittens, ſubito, inopinoque exitu periit, cuius tragicam ex Zehentner in ſuo malæ ſpei Promontorio, hiſtoriam hic lectori delibandam volumus: *Hos inter* (inquit) *quondam fuit Iuuenis ille, qui poſtquàm ſe Ordini ſacro tranſcripſiſſet, vano turpiter augurio, deceptus, religioſæ vitæ iugũ turpiùs abiecit, non ſine lamentabili tandem exitu: Nã vt ad ueris initium cantantem aliquando Cuculum audiuit: Secundũ viginti duas interruptiones, quas fecerat auis (ex recepta etiam tũ anicularum perſuaſione) credidit ſe totidem annos ſuperuicturũ. Ea propter homo nimis ſuperſtitiosè credulus, & pertæſus prioris in clauſtro aſperitatis: ſtatuit Religioni valefacere, ſeque ad mundi illecebras propediem recipere, certus viginti annis perdelicias malè abſumptis, reliquos duos ſeriæ pænitudini conſecrare: honeſtam coronidem morti adiecturus. Sed falſus eſt miſer ſpe ſua, quã ex cuculi vaticinio hauſerat; vix enim infamis apoſtata, guſtare cæpit, adeò calidè amaras ſeculi cupedias, & prohibitus eſt proſequi cæptas: ſtatimq; poſt alterũ tã fœde migrationis annum miſerabiliter extinctus fuit: iuſtiſſima numinis vindicta, vt neque quos ſibi promiſerat, viginti in voluptatibus annos exigeret, neque poſtremos duos, quos pro reſipiſcentia ſomniauit, inueniret: Rẽ hanc omnẽ, & miſelli iuuenis ſtultitiã, aptiſſimis verantè oculos ponit Chriſtianus Poeta in hunc modum.*

Zehtn. in promont. malæ ſpei lib. 1. §. 2. n. 7.

Ineptus iuuenis a cuculo vaticinium accipit longioris vitæ.

Ea illecebra delinitus religioſa inſtituta abiicit

Turpis ab excelſa ructabat Cuculus orno
Dulciſonas inter Cantor ineptus aues.
Bis decies fractum iàm riſerat aura ſonorem,
Addiderat pauſas vox repetita duas.
Audĳt hoc iuuenis, quid de virtutibus, inquit,
Et florem tanto tempore perdo meum?
Augurium accepto potiùs, me Cuculus annos
Viginti cantat, viuere poſse duos.

Alphabetum diabol. V. Zaiph.

Ergò

Ergò vale virtus, viginti ſcilicet annis,
Quos genio viuam, deliciiſque, vale.
Qui reſtant, tibi dono duos, quod ſufficit. Eheu?
Quàm fati iuuenis prodigus iſte ſui eſt!
Credit auis geminum nondum compleuerat annum.
Cùm iam calua leuis, iam breuis vmbra fuit.
Vigintique vbi ſunt, cecinit quos Cuculus annos?
Næ dignus famulo eſt, iſte Propheta ſuo.

Zebat. vbi ſup.
Summa eſt amentia pœnitendi ſpe peccare.

5. Quibus aptè in rem præſentē decātatis, iſthęc ſubdit auctor: *Ità nimirū cum hoc iufelici homine, fiunt vtriuſque orbis fabula non rarò illi, qui longam vitam, ſeroſque annos ſibi per ſomnium ſpondent, vt perſuaſi de felicitate olim pœnitendi, pergant audaciùs interim peccare. Stultum nimis eſt, ſana conſilia in eam ætatem velle transmittere, ad quam, aut pauculi vitam ſuā perducunt, aut nonniſi ægram, & morbis, & ſenio fatiſcentem.* Sic planè illuſus eſt, qui velox peccando, reſipiſcendo autem tardus, dum morum recantare palinodiam Deo repromitteret, malè ſibi adblandiebatur; ſubitò enim miſer ad iudicium raptus, Deum, quem contempſerat, ſeueriſſimum vindicem expertus eſt:

Illuſus ſimiliter eſt vana reſipiſcēdi ſpe iuuenis, qui dum perditè viueret, tamen priuſquā decederet, ad bonam frugem traducendum, ac piè tandē ſe moriturum ſomniabat, quē in ſuo malæ ſpei promontorio ſcriptor nobis exhibet contemplandū: *Adoleſcens olim* (inquit) *et genere nobilis, et copioſus diuitijs, et vitijs famoſus præſertim laſciuia, familiari iuuētutis malo: hic tamen quotidiè Deum rogauit, vt eum mori non ſineret, niſi præmonitum de fatis appropinquantibus. Nempè arbitrabatur, tunc ſe ex chriſtianæ legis diſciplina, neceſſaria paraturum pro felici ad æternitatem itinere. Neque vanæ fuerunt preces; nā bonus Angelus, homini ſemel inter orandum adſtans, ſignificauit apud Numen ratas eſſe; nec moriturum ſine mortis prænūcio: diligenter modò animū illi venturo aduerteret. Sed hinc miſellus adoleſcens cum ſecuritate audaciam hauſit, factuſque eſt proteruus diuinarum legum trangreſſor, amator voluptatum, & primus inter Veneris troſſulos amaſius. Contigit, vt non diù poſt, dolor caput occuparet, tùm deindè corpuſculum febris: iamque conſanguinei de periculo docti, ſuadent ægro confeſſionem peccatorum: quibus ille reſpondit iſtud breue: Infirmitas hæc, non eſt ad mortem. Sed quià inualuit morbus, iterùm illi ſuggerunt pœnitentiæ ſacramentum; neque æger omninò abnuit, expectare tamē vult conualeſcentiam, vt reſumptis viribus rectiùs, & pro dignitate tàm diuinum opus poſſit perficere. Interim quoniam recruduit malum, tertium, & amici, & ſacerdos hominem admonēt, rogantque, vt Chriſtiani piè morituri officium faceret, animumque tandem, ſalubri confeſſione expiaret: ſed ille cauſatus ægritudinis vim, molemque ingentium dolorum, quibus vndique vrgebatur, nihil egit. Dum ſic moram trahit miſerabilis adoleſcens, & ſpe valetudinis recuperandæ, ſeipſum alioſq; lactat, qui ſupra eum conuenit bonus genius iterùm adeſt, ſed ingratus oppidò: quia diem illi, imò horam dicit: ſcilicet iam iàm migrandum eſſe, mortem ad limen domus ſuccinctam ſtare, vt eum æternitati ſiſtat, et Numinis tribunali. Attonitus homo ad iſtud fulmen, queri cæpit fidem nuper datam, & pacta violata eſſe: à nullo hactenùs ſe*

Zebrat. in ania ſpei promont. lib. 1. §. 7. n. 13. pag. 72

Impudicu iuuenis Deū orat, vt præmoneatur de imminenti obitu.

Correptus morbo ſæpiùs monetur, vt crimina expiet. Io. c. 11, 4.

Monetur ab Angelo pro perandum eſſe ad diuinū tribunal.

ſe præmonitum de hac tam ſubita, tàm inſperata migratione. Quin imò, ait Angelus; nam cũ acceſſit infirmitas, mortis fuit prænuncia: quoties deinde agnati inſtabãt propter exhomologeſim, quoties Sacerdos, toties, vt te componeres ad felicem hinc abitum, monitus fuiſti: nunc abeundum eſt, nihil tibi induciarum conceditur, vitæ tuæ clepſydra effluxit: vix tres guttulæ, tria granula ſuperſunt. Deſijt Genius dicere, & ſimul viuere infelix adoleſcens; futurus ſanè beatus, ſi non traxiſſet tempus in pœnitentia. O! quàm verũ, quod diſertis Auguſtinus verbis inculcat: *Pœnitẽtia,*(inquit)*quæ ab infirmo petitur, infirma eſt*. Et tu, *qui hæc legis, qui hæc audis* (ait Scriptor) *adhuc cogitas in morbum tuam differre reſipiſcentiam? ſalutaria melioris vitæ propoſita? virtutis amorem, odiũ ſceleris, deliciarum fugam, integram cũ Deo amicitiam?*

Pœnitentia quæ ab infirmo petitur infirma.

Aug. ſerm. 67 de temp.

Iuſto igitur Dei iudicio fit, vt qui viuens, valenſque ſui obliuiſcitur, infirmus tandem, ac moriens ſui, ac Dei pariter obliuiſcatur, prout idem, qui ſupra auctor hominem malè ſibi de conuerſione ſub vitæ finẽ adblandiente his verbis meminit: *Hunc grandem memoriæ lapſum nulla æternitate corrigendum incurrit olim quidam, ſola impietate præſignis. Rogabant amici amicè hominem, vt maturaret ad meliorem mentem redire: ſed reſponſum aliud non tulerunt, quã plenum illud vaniſſima præſumptione: cũ migrandum hinc fuerit, tribus ſe verbulis Deum ad Clementiam expugnaturum, & Cælum exoraturum. Verũ res aliter cecidit, cũ enim poſteà equitando tranſiret in ponte fluuium, & improuidum pedem equus impingeret ſaxo, vna ſecum ſeſſorem herum in ſubiectam aquam effudit. Iã miserando caſu præcipitabat eques: cũ ſubitò, vbi periculum animaduertit; ſenſitque intra fluctus non ſicca ſe morte occubiturum: contentiſſimo niſu, clamauit tria nouiſſima verba. Et quæ illa? vtique quibus ſalutem, & aſtra momento vno apud Deum impetraret, quemadmodum iactauerat non ſemel, facturum ſe in vltimo vitæ diſcrimine. Dixerit itaq; cũ regio vate:* Miſerere mei Deus: *aut illud:* Tibi ſoli peccaui *vel cum Publicano*, Deus propitius eſto. *Sed heù! de ſceleribus ſuis, de cælo, de Deo, altum ſeruauit ſilentium: illud vnum ingeminauit:* Rapiat omnia Dæmon. *Ita miſerum ſua memoria deſtituit, & cùm deberet in eo caſu, tria ſalutis verba dicere, tria deſperationis protulit: tractus inter vortices ad eum, quem vocibus vltimis compellauit.* Iterũ repeto Diui Auguſtini ſẽtentiam; *percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui cum viueret, oblitus eſt Dei.* Et hæc ſuprema Auguſtini verba ſaluberrimi inſtar pharmaci ad opportunè præcauendum culpas, expiandaſque perpetuò menti inhæreant.

In vita Thomæ mori c. 32

Zebent. in ſua prom. lib. 1. §. 9. n. 6. pag. 82

Lapſus obliti pœnitentiæ æternitate non emẽdatur.

Tribus verbis ſua omnia moriens addicit.

6. Funeſtus planè, & haud abſimilis homini exitus contigit, qui ſe corrigendo moras innectens, morumque ſuorum emendationem negligens, vel ſub extrema vitæ momenta conſequuturum ſe à Deo veniã mendaciſſime delirabat, & poſtmodùm votis, ac ſpe fruſtratus certã pro indulgentia, quam ſomniabat, à Dei conſpectu repulſam, ac pro venia perditionem incurrit, vt prælaudatus auctor, tanquàm rem ſibi notiſsimam, ſuoque geſtam ſæculo his verbis tradit:

Zebe. in promens. malæ ſpei lib. 4. §. 4. n. 25. pag. 577.

Exemplum iuuenis dilapſi ad vitia.

Toleti(inquit)*in Hiſpania nobilis Adoleſcẽs, ante annos no adeò multos ignobilẽ ſanè, et vel ſãguineis deplorãdã lacrymis, vitæ ſuæ clauſulã impoſuit. Exuto religionis ſuſcipiendæ conſilio, quòd ali-*

aliquandiù ſecum coxerat, Canonicum induit. Et initio quidem officio ſuo functus eſt non illaudabili induſtria. Sed quemadmodum cera iuuentus facilis eſt ad omnem ductum, ita improuidus homo, nactus peſſimos ductores preſſo veſtigio ſecutus fuit præeuntes ad vitia, tandem, & ipſe factus aliorum anteſignanus, ad ſcelera non mediocria duxit ſequentes. Miſerum Iuuenem! ſi putabat turpitudines ſuas aut citiùs abſcondi ſub toga ſerica, aut ſpecioſius palliari: ſed tandem, ſicut Deũ *habuit inſpectorem ſuæ improbitatis; itá, & vindicem expertus eſt. Nam breui eum febricula expediuit, iuſſitque ad plures ire: ſiuè ſubterra in cinere ſuo fatiſcentes mortuos, ſiuè ad ipſos Erebi incolas, magnum infeliciſſimæ ſocietatis numerum: Audi ò bone, & obſtupeſce non tantum vim,*

P. Reeb in reg. & Mor. prud Chriſt. c. 11 n. 19.

roburque imbibitæ ſemel impietatis, ſed etiam ſeueri Numinis formidãda iudicia. Vix rumor Vrbem peruaſit, de morbo Canonici iã paſſim à probris ſuis, inſolentiaque infamis; cùm Toletanus Eccleſiaſtes ægrum adit, monetque vt conſcientiam excutiat, erratorumque ſemper periculoſo onere, ſe ſe leuet. Negare ille eius rei neceſſitatem ut alter dicebat, tunc eſſe, ſi ægritudo accreuerit, memorem fore animum datæ admonitionis.

Monetur in ægritudine vt peccata expiet.

Interim medicus ponè aſſiſtens, neſciõ ex quibus ſignis deprehenderit, mortem intra pauculas horas adfuturam: Quare conſternatus Eccleſiaſtes, magis cæpit inſtare, etiam diuini Iudicij interpoſito rigore. Vbi verò Aethiopem *ſe lauare vidit, cubili egreſſus, nobiles, quos obuios ſibi habuit, familiares decumbentis, in partem laboris ſanctiſſimi vocat; iamque omnes hominem Chriſtiani officij in eo diſcriminis articulo commonefaciunt. Sed nullo effectu. Adeſt iterum medicus, iterumque vicinum nunciat periculum: poſt horam actum fore cum vita ægrotantis. Itaque Eccleſiaſtes, cæterique lecto circumfuſi, maxima, qua poſſunt vehementia contendũt, vt ſalutarẽ Canonico morituriẽti, dolorẽ ſuadeãt, ſcelerumque, & præſcripto diuinæ legis faciendam confeſſionem, ſed neque tũc quidem proficiunt, aſſerente ægro; periculum remotius eſſe, quàm ipſi arbitrentur.*

Reſpuit proteruè ſacerdotis, et ſociorum monita.

Iactat abeſſe periculum, moxq; obmutèſcit.

Mox obmutuit miſer, & ratione turbata, nihil ampliùs pro ſano egit. Ergo deſperatis iam propè rebus, opem à Numine implorandam cẽſuit Eccleſiaſtes; ſimulque apprehenſa Chriſti è cruce pendentis effigie, pſalmũ deprofundis *exorſus eſt. Iamque ad illa venerat Dauidis verba:* fiant aures tuæ intẽdentes in vocẽ deprecationis meæ: *cũ ecce tibi lignea imago, tota præſentium corona inſpectante, brachia ad Crucem fixa reſoluit, & vtraque manu aures obſcrans, formidabilem hanc vocem miſit:* Quia vocaui te, & renuiſti, ego quoq; in interitu tuo ridebo. *Fulmen hoc fuit, quod vbi ab imagine iactum eſt, infelicem animam ex corpore ſcelerati Iuuenis in tartarũ deturbauit.* Miſer planè iuuenis, qui dũ de venia inaniter præſumeret, ſibiq; malè adblandiens, Dei vocibus ſanus, vegetuſque non acquieſceret, pro futili ſpe intolerãdam perditionis ſentẽtiam incurrit. Quo item iudicij calculo iuſte voluptuoſus alter perculſus eſt, qui nullum faciens peccandi finem, ſalutiſque conſilia in ſuprema vitæ momenta reijciens infeliciter vitã abrupit, de quo in ſuis iſthæc ſelectis exemplis Nicius:

Nicius in ſelect. virt. ac vit. exempl. exem. 103. pag 128

7. *Non videtur* (inquit) *mihi prætereũdũ hoc loco, quod de duobus quibuſdam amicis legitur, quorum vnus laudi, atque virtuti, voluptatibus alter ſtudebat. Mortuus eſt voluptarius ille, &*

impudici dãnati exemplum ſociũ admonẽtis.

aliquanto poſt conſpectus, & auditus ab altero, qui ſuperſtes fuerat, verba illa proferre: Peccátem me quotidiè, & non me pœnitentẽ, timor mortis cõturbat me) *& interrogatus cur reticeret ea, quæ ſequuntur:* miſerere mei Deus, & ſalua me. *Quia miſero mihi, inquit, ſempiternis, etiam acerbiſſimis apud inferos ignibus tradito, nulla neque ſalutis, neque miſericordiæ relicta ſpes eſt. Quæ cũ dixiſſet, e conſpectu euolauit; intolerabilem odoris teterrimi fœditatem ex ſe relinquens.* Væ igitur his, qui cum morte fœdus, & cum inferno pactum ineuntes, manifeſtam tandem animæ ruinam incurrunt! Quod his potiſſimùm cõtingit, qui terrenarum rerũ amore, prauiſq; inſuper cupiditatibus irretiti, ſe tanquã viliſſima Diaboli mancipia eius obſequio, ac nutibus deuouent, & vt res hac noſtra ætate exemplis comprobetur; Iuuenis quidam in Vrbe ſuæ prouehendæ conditionis percupidus, cum rudi præditus ingenio, litterarumque ignarus haud ſtudiorum, ſcientiarumque opera ſuam adaugere fortunam poſſet ad militiã confugiens, armis inter alios præcellere, ac palmam certaminibus ferre tentauit, quibus audax magis, quàm fortis deſperatorum inſtar, nec abſque periculo periculoſa queq; prælia aggreſſus, miles non tã fortis alieno iudicio, ſtrenuuſque, quàm præceps, ſtultuſque magis, quàm cordatus armorum pertractator haberi cæpit. Verũ cũ nec fortuna homini, nec operi vota reſponderẽt, aliã miſer ſibi aleã pertentandã ratus, dum multa ſecum animo voluens, per viã triſtis incederet, hominem caſu offẽdit, à quo triſtitiæ, perturbatiq; animi quem vultu præ ſe ferebat, cauſa, & quonam tũc pergeret interrogatus: incerto ſe gradu, ambiguiſque greſſibus, parum ſibi, votiſque ſuis fortunæ arridente alea viam terere reſpõdit, nec ſcire, cuinã ſe operi addiceret, eo quòd cuncta, quibus manũ admoueret, ſiniſtro obtingerent exitu; Quibus ille auditis, vt ſuis titubãtẽ dictis releuaret, confirmaretque: *Heù tu* (inquit) *Vir bone quid times? bonã tibi futuram ſortem certiſsimè repromitto, diuitiarumque tibi copiam, dummodò meis annuas verbis haud de futuram certo ſcias; Atqui priuſquàm quæ tibi præſtiturus ſum aperiam, firmũ inter nos fœdus ineundum eſt:* ad quæ iuuenis in hæc planè verba reſpõdit: *Et quodnã pactũ iſtud, quod tu à me in præſens vltrò poſcis, exigiſq; vnico* (inquit alter) *verbo rem proferam: nec multa ex te requiro, hoc vno dumtaxat contentus, vt animam mihi tuam oppignoratam velis: futurus ſubinde mortalium feliciſsimus,* Hæſit aliquantiſper ob inexpectatę rei quæſitũ iuuenis, ſuęque experiundæ aleæ cauſa animoſior factus: S*ed quoto* (inquit) *tempore votis fortuna meis arridebit, proſperiſq; in ſæculo obuentibus, vt tu dicis, fruar? Per longa temporũ ſpatia* (ſubdit alter) *optatis vltrò bonis potieris.* Quid plura? Ambiguis negotium tenebroſum à tenebrarum principe verbis, vtpote qui dolis maximè ad fallendũ nititur, altero conſenſum præbente peractum eſt, adeò vt cùm iuuenis certos viginti ex ſponſione annos in ſumma rerũ affluentia iã ſibi re promitteret, ſponſor è contra decem tãtùm, & nil vltra pollicitus fuiſſet.

8. Deluſor itaque, vbi primùm iuuenem, velut vile mancipium ſibi addictum vidit, variis eumdẽ verbis, ſubdoliſque demulcens: *Heus tu* (inquit) *bono animo eſto; Futurum eſt enim, vt patrocinandis cauſis locum prin-*

Voluptuarius pœnitẽdi tempus ablatũ ſibi conqueritur.

Armius fortunam ſuam prouehit. Ex relat. viri fide dig. è Soc. Ieſu.

Falſo felicitatem illi repromittit.

Quę diaboli fraudes

Promittit illi in patrocinandis cauſis efficaciã

Digitized by Google

principem tenens; diuitias profectò plurimas vnà cũ honorum inſulis conſequuturus, ſi quod ſuadeo, opere adimpleueris. Annuit miſer ſuadenti, cauſarumque in Vrbe patrocinio ſuſcepto, cũ egregie ſemel ad Præſidis tribunal ſuo munere perſunctus fuiſſet, peritiam, doctrinam alter demiratus, exindè adeò beneuolo erga eum animo eſſe cæpit, vt filiam, quã vnicè diligebat, multò dotatam aſſe, illi matrimonio copulauerit, ex qua ſuſceptis liberis, cũ Præſidis tũ cõſãguinitate, tũ gratia, & in patrocinando præſertim in dies præcelleret, diuitias immane auxit; At dum ſic res ſe haberet, & fortuna hominem magis, magiſq; in dies ad ampliora proueheret, decem iam exacto annorum curriculo, vltimus inſtabat dies, cũ en tibi præſtigiator, qui iam pridem ſpoponderat, hominem ſolũ in cubiculo conuenit, animam videlicet, quã ſibi deuouerat, præterlapſo iam ſpõſionis tempore, bonus vti exactor ab eo repetens; Iuuenis interim vbi ſe dolis circumuentum videt, irritũ, caſſumque pactum, in quo dolus tã manifeſtus obtigerat, magnis vocibus inclamans, aſſerenſq; obteſtabatur; & vt illi promiſſis ſtaret, viginti annorum complendum numerum affirmabat; Quoniam verò ſponſor callidus, fideſraguſque veterator vim fraudibus nectere conſueuit: timens iuuenis, ne per vim extorqueret, quod alter iniuſtè repetebat, diuinum illicò auxilium implorans: *In te Domine* (inquit) *ſperaui non confundar in æternum*. Quibus dictis tamquã valido perculſus fulmine tartareus hoſtis ſe ab eius oculis in hæc verba proripuit: *Abeo iã* (inquit), *& te in præſens inuitus, coactuſq; relinquo, ſed infauſtus diſceſſus tibi meus proculdubiò futurus eſt; proſpera enim, quæ hactenùs affulſit, me abeunte fortuna te inopem, ac miſerum, cunctiſque commiſerandum relinquet*; Extimuit ille ad comminatam ſibi felicioris aleæ, rerumq; ſuarũ inuerſionem, fugientemq; hoſtem iterũ cõpellans: *Ineamus ſi vis* (inquit) *denuò quod ſimul ante pepigeramus, ad alios decem annos fœdus*. Quibus humani generis hoſtis, qui alienũ detrimentum ſuum computat lucrum, & animæ vnius lucrandæ cupidus cuncta pluſquã libenter diſtrahit, aſſenſum incunctanter præbuit.

Promiſſis antiquus ſerpens non ſtat

Pſ 30.1

Fraudes deteguntur.

Denuo fœdus init

9. Dum verò iſthæc aguntur, ac ſponſio inter vtrumq; denuò inſtauratur, famulus, qui fortè in angulo deliteſcebat, cuncta ex ordine, quæ dicebantur auribus percepit, narrauitq; ſubindè, vbi rem, ſicuti audierat, adimpleri vidit. Vxor prętereà nequiſſimi hominis, mulier vtpotè valdè pia, cũ virũ nulla Chriſtiani nominis ſigna pręſeferentẽ, ſed totum ſæculi negociis, cauſarumque ſtudiis immerſum cerneret, malum de viro omen coniiciens, impendentemque conſortis capiti diuinæ gladium animaduerſionis verita, mœſtiſſime vitã obibat; Currebat interim alter ſui, ac ſalutis immemor ad perditionem præceps, ſed vbi eius completa eſt malitia, & vltionis tẽpus poſt ſibi impertitam miſericordiam aduenit, viginti annorum curſu vix expleto, Diabolus affuit, & ſubito, ingẽtique ſtrepitu è vita impęnitentẽ hominẽ abripuit; Atqui cũ ſubindè cadauer, vt ſepulturę demandaretur adinuẽtum non eſſet, vt famę conſuleretur, ingens quoddam pro cadauere ſaxũ tegumentis inuolutum, tumulo illatum eſt. Congruè igitur qui ſaxei planè cordis à Deo recedens, ac per ſummum ſcelus Diabolo homagiũ faciens, ſaxi ad inſtar obduruerat, è vita abſque vlla ſalutis ſpe deceſsit, fa-

Qui male vixit male moritur.

ſaxumque ſuæ obſtinationis teſtem poſteris reliquit. Sed iam ad homines crapulæ, & ebrietati deditos ſermonem conuertimus.

CAP. XIV.

Crapulæ, & ebrietati indulgentes.

1 Opportunè Salomō, ſapientū ſapientiſſimus, appoſitiſq; ad mores ſalubriter informādos verbis, pernicioſā crapulę, ac ebrietatis inſaniam omninò ex orbe eliminandam inculcās admonuit: *Noli* (inquit) *eſſe in conuiuijs potatorum, & eorum, qui carnes ad veſcēdum conferunt, quia vacantes poculis & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.* Cui conſona itē ſunt ipſius Chriſti verba, dum in Euangelicis tabulis ait, *Videte ne fortè grauentur corda veſtra crapula, aut ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat vobis repente dies illa.* Enim verò crapula, ipſiusque ventris ſagina vitām hominis corripi, infeliciterque abſumi Hieronymus, funeſtos hominū exitus ſuggillās, apte ex Galeno ediſſeruiſſe viſus eſt, cū ait: *Athletas, quorum vita, & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe: animaſque eorum nimio ſanguine, & adipibus, quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleſte. Sed de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare.* Qui enim ſic viuunt, vt ſemper comedant, tam infeliciter viuūt, quā funeſtè tandē moriuntur.

Prouer. c.23. nu.20.
Sacra aduerſus ebrietati deditos oracula.

Luc. c.21. nu. 35

Hier. lib. 2. aduer. Iouinianum.

Crapulæ quippè vitium cùm animæ ſimul, & corpori non parum obſit, geminum præter innumera morboſæ ſenectutis incommoda, iugi malorum auctuario diues, hominibus exitium affert, vt ſuis olim carminibus breui verborum cōpēdio poeta expreſsit, decantauitq: (*ctus.*
Hinc ſubitæ mortes, atq; inteſtata ſene-

Iuuen. in Satyr.

2. Quæ enim bonorum detrimenta ſunt, quæ ex ingluuie mortalibus non proueniant. Et turpium quidem vitiorum ex crapula, ac ebrietate ſcaturiginem Hieronymus ſubindè reuelans: *Venter* (inquit) *mero æſtuans citò deſpumat in libidinē:* Appēdix igitur crapulæ Luxuria eſt; quod adeò verū eſſe comprobatur, vt vix vnquam laſciuiam à crapula, atque à vino venerem ſeiungi, ipſoq; Tertulliano teſte mōſtra eiuſcemodi diuortiū ab inuicem pati contingat. *Monſtrum* (inquit) *haberetur libido ſinè gula: ſaginæ ſubſtructa laſciuia eſt, per edacitatem ſalacitatis tranſit.* A vitiis igitur quibus venter diſtenditur, ad triſtes deriuat interitus: ſi quis enim ſeriò recolat, quæ & quāta in orbem terrarum tum crapula tum ebrietas detrimenta inuexit, inde cuncta ſuo, veluti primæuo è fonte malorum incommoda originem traxiſſe deprehendet. Nam præterquā quòd ebrietas captiuum hominem facit, ac nobiliorem eius partem, rationem ſcilicet, altiùs obnubilat: *vinum quippè* (vt Propheta ait) *& ebrietas auferunt cor.* Et cùm id in homine ſit cor, quod & gubernaculum in naui, conſequens eſt, vt quemadmodum nauigia ſuo deſtituta gubernaculo ad ſaxa, ſcopuloſque vel cum certo periculo impingunt, ſic homo crapula, meroque diſtentus, certum procul dubio fidei diſpendium incurrit: teſtatiſſimi autē nobis teſtes Iſraelitæ ſunt, qui ſibi inuicem poſt vina vnanimes impietatem propinado, in perditionem mortalium infeli-

Hier. ep. 83. ad Oceanum.
Venter mero æſtuans deſpumat in libidines.

Tertull. aduerſ. Phiſicos c.1.

Oſea c.4. v.11.
Feruente mero oritur venus, mentiſque gubernacula aufert.

ciſ-

ciſſimi impegere: *Sedit populus mãducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* At quibus nã miſeri ludis poſt crapulam inſtitere, quos iocos poſt ingluuiem, ac uina exercuere? eos planè ludos, quibus Deus illuditur; à veri quippè numinis cultu reſiliẽtes, dum aureo ſibi conſtituto vitulo immolant, à fidei portu in Idololatriã ſenſim, vt aptè Ambroſius ediſſerit, prolapſi deſcribuntur: *Videmus* (inquit) *ſacrificiũ ebrietati fuiſſe cõiunctũ: nàm ſicut mater fidei continentia, ſic perfidiæ mater ebrietas eſt.* Ebrietas igitur fidem continuo, potenterque abolet, ac menti perfidiam ingerit. Quòd ſuneſta pſeudo illius martyris ac perfidi apoſtatæ (Tertulliano teſtante) ruina docet, qui, & ſi Priſtinus nomine, haud priſtinum, illibatumque (quod nomen præſeferebat, Chriſtianæ fidei vigorem, mero ingurgitatus ſeruare potuit; nam carceri ſubindè fidei cauſa mancipatus, plus epulis, quibus impenſiùs fo ueret corpus, quàm lacrymis, quibus ſalubriter expiaret animum, delicatulus indulgebat. Quin imò inter reſtes, ac vincula, ipſos que intra ſquallidos carceres, ne maciem contraheret, ſagina, vinoque pro medicamento vſus, ipſomet ſummo diluculo, cũ ad tribunal ſiſtendus eſſet, indeque ad martyrium, & ſi conſtãs in fide perſtitiſſet, ad palmam prouehẽdus, multo ſe mero, vt nõ iam fidẽ, ſed perfidiam eructaret, impleuit: quo miſer non tàm nobilis Chriſti, quã Bacchi athleta, *veluti præmedicatus*, vt Tertullianus ait, *antidoto ad pugnam deſcenderet, & illata cruciamẽta, vel conſopitus negligeret, vel roboratus ſuperaret.* Quid ergò? vix prima delicatus, ac morbidus pugil martyrii tentamenta ſubierat, vix paratas ſibi vngulas viderat, quibus nedum excarnificari corpus, ſed nec leuiter attrectari cœperat, cũ en tibi non iã Chriſti martyr, ſed Bacchi myſtes fidem deſerit, Chriſtũ eiurat, nouuſq; miles vino largè perfuſus, Chriſti proditor, ac in ipſis intemperantiæ caſtris pugnaturus, non tã Chriſti laurea, quàm Bacchi furentis hedera redimitus bellũ auſpicatur. En quales demum crapula, ac vini intemperãtia Chriſti cõfeſſores dedicet, producatq; in aciem, non iam martyres ſed fidei deſertores. Portentoſus igitur, ac funeſtus ebrietatis, ac ſaginæ finis ſemper proculdubio extitit.

Exodi c. 32. nu. 6.

Chryſoſt. ſer. de vtr. Apoſt.

Ambr. lib. de Elia c. 12.

Continentia fidei mater eſt, perfidiæ ebrietas.

Tertul. lib. aduerſ. Phyſic. c. 12.

Nemo quippè, (vt perſtrictim bibonum priùs vitia, quàm funera retexantur) nemo, inquam, ad imprecandum, ad maledicendum, imò ad eiurandum, nemo deniq; in mala cuncta facilis, promptuſque magis, & ad contumeliam, tũ Deo, tũ hominibus inferendam propior eſt, quàm is, qui ſe liberaliter mero replet, ſuamque ebrietati operam impendit. Quamobrem illis concinne verbis Sapiens ſobrietatis pharmacum vnicuique propinans: *Ne reſpicias* (inquit) *vinum cũ ſplendeſcit in vitro: ingreditur blãdè, in fine autem mordebit vt coluber, & quaſi regulus venena diffundet.* Ità planè infelices plerumque bibones iſti exitus ſortiuntur. Et vt propudioſæ ebrietatis turpitudo, eiuſdemque incommoda exemplis innoteſcant: quid ex Cantipratenſi Drexellius de ebrio homine, qui inter pocula vitam abrupit in ſuis paginis, ſuoque eleganter ſtylo hunc in modum narrat, audiamus.

Nec vitia, nec funera ebriorum cenſeri poſſunt.

Prou. 23. 31.

Vini inſidiæ deſcriptæ à ſapiente.

3 *Horrendum eſt* (inquit) *quod Cameracenſis Proepiſcopus narrat, cum tres combibones in taberna mero incaluiſſent, de alterius orbis arcanis, de immortalitate animæ, & ſupplicijs gehennæ ſermonem iniecerunt, inter facũdos*

Drex. de ... uerſ. l. g. mala c. 4. de lingua bacch pag. 65.

dos

dos calices. Hic vnus procacior, id totum pro nugis habere, & velut ſacrificorum commento explodere, cæteri iocanti applaudere. Hoc audet lingua Bacchea, & ebria. Decipiunt nos Sacerdotes noſtri, aiebat ille impius, qui neſcio, quæ aurea ſæcula ſomniãt futura. Dum hæc garriunt, & rident, interim quidam vir altæ ſtaturæ, & vt videbatur, eximiè robuſtus, qui blandè aſſidens: Et quid ò viri, ait, ſermonis, quid riſus, & hilaritatis eſt? De anima (inquit proteruus ille) ſacerdotũ ſomnia narramus: Addit etiam ſe quidem *licitanti haud magno pretio animã venditurum, quin, & pecuniam pro Sympoſij ſymbola collaturum: Tu verò (inquit) aduentor, quanto eam mihi uindicas? emptorem habes, ſi tu velis eſſe mercator. Nec mora: Conueniunt de pretio, numerat emptor præſentem monetam: addicitur illi anima, potatur ſtrenuè, liberalitas emptoris commendatur, cachinnis, & poculis certatur; Denique ſub adultam noctem, equidem, ait emptor, ſuccumbimus vino, & in ſomnum fatiſcimus: tempus eſt, vt ſuã quiſque domum repetat: ſed vos ò ſocij ius dicite: ſi quis equum capiſtro ligatũ emerit, nunquid, & capiſtrum cũ equo auferat ſinè venditoris iniuria? Dixit, & trementem venditorem in omnium oculis abripuit eò ducturus, vbi videret miſer, quod credere noluit. Talibus ſe flagitijs lingua Bacchea, lingua ebria obſtrinxit, Caueat vinum, qui linguæ ſuæ, imò qui ſuæ vitæ vult cautum.* Hæc quidem de temulento, ac procaci meri bibulo funeſtis Drexellius notis, ac lugubri ſtylo non ſecus, ac fatidicus alter Iudaicrum præco calamitatum Hieremias tragicam acceptã à Cantipratenſi hiſtoriam decantauit, ut aduertere liceat, quàm facilis à vino ad lethum, à menſa ad feretrum, à conuiuio ad tumulum, & à Bacco

Reputatum eſt corpus à dæmone, vt capiſtrũ equi collatione facta cum anima.

O funeſtam viciſſitudinẽ à menſa ad æternam lanienam.

demum ad Orcum, maneſque, expeditusue bibonibus trãſitus fiat; Quapropter qui exitialem meri vim probè norat Apoſtolus, non niſi parcè illo Chriſtianis vtendum edixerat: *Nolite* (inquit) *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Adeò enim à vino ſectatoribus Chriſti timendum eſt, vt nõ ſecus, ac à fatalibus, noxiiſque pharmacis virgini præcauendum, Hieronymus Apoſtolicis inhærendo verbis præceperit: *Virgo* (inquit) *Chriſti vinum pro veneno fugiat.* Mors quippè nec latũ quidẽ vnguẽ à vino diſtare experimento conſtat: Ad quod cõprobandum Sacerdos crapulę magis, ac ebrietati, & Baccho potiùs, ac Veneri, quàm Chriſto, ac religioni deditus hic nobis contemplandus obiicitur, qui Thoma Cantipratenſi narrante funeſto tandem exitu è vita abſceſſit: hæc enim ille:

Eph. 5. 18.

Hier. ep. ad Euſto.

4. *Erat* (inquit) *in villa Bruxellenſi Brabantiæ ſacerdos quidam, vita & moribus plurimum inhoneſtus. Hic gulæ, & luxuriæ deditus, nihil ferè aliud videbatur meditari. Poſt finem verò annorum paucorum poſtquã presbyter fuerat ordinatus, iuſto Dei iudicio impræmeditatè defunctus eſt. Nec multò poſt quidam presbyter commenſalis eius, & ſocius, cũ in crepuſculo noctis viam ageret extra villam, audiuit miſerabilem uocem, quaſi ſub terra clamantis, & plangentis. Conſternatus autem presbyter, quiſnam eſſet, cuius uocem audiret, cruce ſe ſignans inquirit: Quis es tu? Et uox: Egò (inquit) ſum infelix ſocius tuus: Et rurſus presbyter. Quomodo (inquit) tibi eſt, & quare de humo eloquium tuum? Cui ille, dato rugitu magno, imo maximo: Vox (inquit) mihi, uæ, uæ, quoniam clauſit ſuper me puteus os ſuum: Et cũ quaſi pennigero uolatu uox plangentis deferretur, in longum audita eſt: Mirabi-*

Thom. Cantipr. ex lib. 2. Apum c. 30. part. 10.

Aliud ſacerdotis nefarii triſte exemplum.

Hic ſe damnatum ſignificat.

Digitized by Google

rabilius tamen intelligas, ipſum, qui hoc audiuit presbyterum in nullo vitam miſeram prorſus correxiſſe, ſed obijſſe morte turpiſſima, & fœda nequiſſimæ cōuerſationis veſtigia dereliquiſſe. Crapula quippè ſacrilegus iſte vitiatus, parique inter vina, atque epulas diſtentus laſciuia pecudū more, infelix tandem Orco victima ceſsit.

Viſis nil factus.

Sed vt ad helluones, bibonesque orationis ſtylus recurrat, blanda epotantium pocula, ferculaque turpes tādem, infelices, atque amarulenti exitus conſequūtur; vina quippe vitam, mentem, conſilium, animamque ipſam deperdunt. Quod exemplo militis palam fit, qui epotandis calicibus apprimè intentus certum denique ſui diſpendium ſubiit: ſed Cæſarium iſthæc tradentem audiamus:

Cæſ. lib. exemplorum c. 41. Aliud exēplum miſeri compotoris eccleſiarum feſta.

5. *In Dioceſi* (inquit) *Colonienſi, non procul à Colonia miles quidam erat, nomine Rudingerus, ſic totus deditus vino, vt diuerſarum villarum dedicationes tantū propter bona vina frequentaret: Hic cū infirmatus moriturus eſſet, filia eum rogauit, vt infra triginta dies ſibi appareret: quo reſpondente, hoc faciam, ſi potero, expirauit. Poſt mortem verò filiæ ſuæ per viſum apparens ait: Ecce præſens ſum, ſicut poſtulaſti. Portabat enim vas paruum, & fictile, quod vulgò cruſelinum dicitur, in manu ſua, in quali in tabernis potare ſolebat. Dicente filia: Pater, quid eſt in vaſe illo? Reſpōdit: potus meus ex pice, ſulphure cōfectus ſēper ex illo bibo, nec eum epotare valeo, ſicque diſparuit. Et ſtatim intellexit puella, tàm ex præcedenti vita, quàm ex præſenti pœna modicam, vel nullam eſſe ſpem ſaluationis eius: Vinum quidem hic blandè ingreditur, ſed nouiſſimè mordebit, vt coluber.* Infelix planè ebrioſi hominis, qui inter pocula natabat iugiter, & cùm morientis, tum mortui lacrymis cōdigna calamitas, qui enim vinum, alter veluti Holofernes Aſsyriorum Dux cum iucunditate bibebat, apud Inferos tandem ſtomachabundus regeſſit, & calicem iræ Dei, quam inſana bibendi cupiditas præmiū ſibi meruerat, pleno ore, iugiq; malorum compendio miſer exhaurire compulſus eſt.

Defunctus ex pice & ſulphure potare ſignificat.

Vtinam, Vtinam ergo bibones ſacrilegi, qui ſibimetipſis interitum plerumque inter bibēdum propinãt, & ſi obiurgantem Apoſtolum audire detrectant, moralium ſaltem philoſophorum Principem ſeriò conſulãt, immaniaque temulentorum hominū detrimenta recenſentē gratis hic auribus excipiãt: *Non eſt* (inquit) *animus in ſua poteſtate, ebrietate deuictus: Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, abditū effertur, & prodit in mediū, ſic onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec ſecretum quidem: quod ſuum, alienumque eſt, pariter effundunt: Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit; non facit ebrietas vitia, ſed prodit, tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet, creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido, omne vitium detegitur, & prodit: Adijce illam ignorationem ſui, dubia, & parum explanata verba inceſtos oculos, gradū errantē.* Hæc quidē Christiano digna viro ethnicus homo aduerſus bibone luculenter peroraſſe voluit: At vinū, cū ſuæ admixtum dulcedini aculeum exhibeat, quo miſerè epotantes conficiantur, quod nam Drexellius, oportunūq; liberaliter bibētibus pharmacū his verbis ſuggerat, videamus: *Caueat* (inquit) *vinū, qui linguæ ſuæ, imò qui ſuæ vitæ vult cautum.*

Senec. ep. 8. poſt med. Ebrius vt nec cibum continet ita nec ſecretū.

Hierom. Drexel. c. 4. de ling. Bacchea num. 1.

Enim-

6. Enimuerò ebrietate, nō tàm vinum corporibus, quàm funeſtum temulentorum animis interitum parari addubitandum non eſt: Balthaſſari quippè Aſsyriorum regi, ipſa inter vina triſtem è vita exitum portēdi, àc diuinitùs prænunciari contigit; vt ex Daniele conſtat: *Præcepit iàm temulentus* (inquit) *vt afferrentur vaſa aurea, & argentea de templo, vt biberet in eis rex, & optimates eius.* Dum autem iſthæc, maxima bibonū, epulonumque regi adblandientium lætitia peragētur, res in luctum conuerſa eſt: *Nam in eadem* (inquit) *hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis &c.* Regis quippè bibentis iugulo iam gladius parabatur, condignamq; in bibonē ſacrilegum viſa iā tū dextera in pariete ſententiam conſcribebat. Quia infelix Balthaſſar ſacra Hieroſolymitani tēpli vaſa prophanis manibus attrectās, hęc ſuę, ſuorumq; tū luxuriæ, tū ebrietati inſeruire fecerat. Balthaſſari autem iungitur Ammon, qui dū liberaliter inter cōuiuas mero diffluit, diſtrictis miſer Ab ſalone iubente impetitus gladiis, animam inter epulas effudit, vinumque per vulnera temulentus regeſſit: *Obſeruate* (inquit) *Ammon cū tumulentus eſt, & tunc percutite eum.* Splendido igitur infelix cùm lętus in conuiuio recumbit, ac menſa mero redūdat, inopinā planè mortem incurrit. Pari quoq; infelicitate ſuos quondam hoſtes, nuptiales inter dapes interceptos, Ionathas, & Simon Machabeorum præcipui inuadētes, gladiis crudeliter confecere, adeò vt fercula in vulnera, in vrnam menſæ, conuiuia in ſepulchra, epithalamiorū carmina in epicedia, in dolorē riſus, cantus in planctum, feſtiuaque in luctum præter ſpē gaudia ceſſerint. Quā obrē eleganter periucundam ſęculi inter vina laſciuientis faciem Ambroſius viuis in tabula coloribus adumbrans expreſſit; dum ait: *Rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem. Inuitas ad prandium: efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas: Vina prætendis, venena ſuffundis.* Ità prorsùs: conuiuiis plerumque funera, tumulus menſæ, lamenta gaudiis, ac vino lacrymæ iungi conſueuere; Adeò vt, quod olim Iobi filiis, qui ritè primogeniti in domo epulabātur, id iuſtiſſimè vino madentibus obtingat, dum miſeri à conuiuio, plerūque ad tumulum ex inſperato tranſeūt; Nam cū extemplò præ nimia ventorū vi domus, in qua illi feſtiuè conuiuabantur corruiſſet, cūctos, non tā viuos ruina oppreſſit, quàm inter rudera mortuos contumulauit: *Quæ ipſis* (vt Chryſoſtomus ait) *vna, eademque hora domus, & ſepulchrum & conuiuium, & tumulus, & feſtum & fletus facta eſt.* Idem planè hominibus vino diſtentis, conſopitiſq; Dei nutu accidit, quos certo ebrietas exitio deuouet.

Daniel. c. 4. num. 2. Balthaſsari ebrio pronunciata eſt iudiciaria ſententia.

2. Regum nu. 28. Ammonis epulę ſanguine cruentatæ.

2. Regum 28

1. Machab n. 9. c. 40.

Amb. lib. de Elia, & ieiunio c. 4. n. 14 Vina ſæpè in venena commutata.

Chryſoſ. hom. 1. in Iob.

7. Quot verò, ac quanta mortalibus à vino detrimenta proueniant, haud vno palā exemplo euincitur; nam vt alterum hic proferamus: nóne Loth, qui inter Sodomitas caſtitate pręfulſit, turpiter inter vina defecit inceſtuoſusq; caſtas inter filias fuiſſe deſcribitur, & qui ſolidam illic animi ſobrietatem tenuit, hic turpiſſimè in ebrietatem primū, ac in laſciuiam poſtmodùm proſiliuit? *Ebrietas decepit* (Origenes inquit) *quem Sodoma non deceperat. Vritur flammis mulierum, quem flamma ſulphurea non vſſit.* Itaque ebrietas nedum bibētibus laſciuiam, ſed & ipſammet inter vina conſopitis crudelitatem inſtillat, vt aptè Chryſologus de ſeruo in Euangelicis tabulis ebrietati dedito,

Loth ſobrius in Sodoma caſtus, ebrius, in deſerto inceſtuoſus.

Geneſ c. 19. ver. 34.

Orig. hom. 5 in Geneſ.

to,

to, & crudeli hunc in modum explicat: *Propriè dixit* (inquit) *inebriare, & percutere: Ebrietas cædis mater, parens litiũ, furoris genitrix, petulãtiæ deformiter eſt magiſtra.* Ebrij quippè ferinos mores ebibũt, humanosque prorsùs à ſe abdicant, adeò vt ſatiùs ſit Leonum adire ſpeluncas, quàm Ganeonũ popinas intrare, in quibus quandoque, quantũ vini infunditur, cruoris tantumdẽ profunditur, vt vel in ipſo quõdã terrarũ orbis Domino vinolentiæ ſeruo, ac ſub ſpecioſo nomine, ac magni cognomento vili ebrietatis mancipio, Alexandro videlicet comprobatum eſt, qui, vt geſtorum eius ſcriptores aſſerunt, plures temulentus in cõuiuio amicos, quã armatus in prelio hoſtes interfecit: adeò vt optimè moralis ille philoſophus: *Omne* (inquit) *vitium ebrietas, & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam remouet; plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat emergit: Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſinè dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur, & publicat: tunc petulans non linguam, non manũ continet: creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur, & prodit Alexãdrum, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum, locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculeanus, ac fatalis ſchyphus perdidit.* Hæc ille.

Chryſol. ſer. 26

Ebrietatis deſcriptio.

Alexandri amici in conuiuio trucidati.

Senec. lib. 2. ad Lucilium ep. 48.

Alexander vicit hoſtes à vino victus eſt.

8. Atqui, vt immanes huc quas paſſim progignit brietas clades recẽſeamus, quid parenti, qui filiũ malè educarat, ab eodem ebrietati addicto funeſtè contigerit Auguſtino narrante audiamus: *Accidit hodie* (inquit) *terribilis caſus præclariſſimo ciui noſtro Hypponenſi Cyrillo: Ecce enim, vt ſcitis, potens erat inter nos opere, & ſermone, & ferè dilectus ab omnibus: Filium habebat, & eum vnicum poſſidebat: Et quia vnicus erat, eum ſuperfluè diligebat, & ſupra Deũ. Ideò ſuperfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat, dans etiam poteſtatem faciendi omnia, quæ placita eſſent illi. O doloroſa libertas! ò grandis filiorum perditio! ò paternus amor mortiferus! Ecce filios ſe dicunt diligere, quos iugulari procurant. Dicũt eos amare, quibus iam ſuſpendia parãt. Dicunt patres filios ſe nutrire. Sed ecce iam pater, & filius ambo in foueam cadunt. Quare pater cùm filio cadit in foueam, niſi quia pater cæcus eſt, quia malus, & quia ſalutem ſuam, & filiorum videtur negligere? Quando, & quomodò pater hæc neglexerit, niſi quãdo filio libertatem donauit, quãdo eum corrigere neglexit, quando virgæ pepercit, quando ei ſemper ſerenam faciem demonſtrauit? Cupitis audire nunc quomodo Pater, & filius ambo in foueã cadunt: Licet enim ſciatis, tamen quia eſt neceſſe, vt vos quandiu viuitis, timeatis, ideò quæ hodie facta ſunt, iterũ dicere non erubeſco. Ecce enim Cyrillus veſter filium habebat, vt ſcitis, quẽ corrigere negligebat, & luxurioſè viuendo conſumpſit partem bonorum ſuorum: Sed ecce hodie ebrietatem perpeſſus matrem prægnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem cecidit, & duas ſorores ad mortem vulnerauit.* Ebrietas itaque iſtius parẽti necem, matri probrum, ſororibus contumeliam, toti demum proſapiæ infamiam intulit.

Aug. in ſer. de temp. Triſte exẽplum patris filios non corripientis

Horrida filii ebrij in parentes flagitia.

9. Verùm enim verò quoniam vi-

vinum homini cor aufert, merumq; largè hauſtum, haud ſobriā peccatis animam ſinit eſſe, quid temulento homini accidit, qui infelicem planè facundos inter calices, animam euomuit, videamus, Cauſidico nimirū, qui epotãdo plus nimio operā dabat, & cuius item opportuna alibi mentio incidit, vt his planè verbis in ſuo malæ ſpei Promontorio his verbis, auctor enarrat: *Cauſidicus erat* (inquit) *legum peritiſſimus, qui ſicut omnium aulicorum cauſas optimè, ità animæ ſuæ peſſimè egit, perdiditque. Nā quia ex frequentibus clientelis, magnæ opes creuerunt homini, indè natæ ſunt magnis quoque ſceleribus occaſiones, præſertim verò tempore à cauſis dicendis libero totus inter Bacchi pocula natabat in mero: atque, vt fieri ſolet, ſui, recti, Dei oblitus: quorum memoriā cōtinua temulentia ſepeliuit. Miſer quippè neque in fatali morbo factus eſt melior inter dolores: ſemper quaſi ebrius aut vino, aut voluptate aſſueta, excluſit, quæ ſancta ſobrietas ex cæleſti penu promebat conſilia.* Sed miſer demum conſilij inops, ac vino madidus non aliud ſub vitæ finem inter vina eructare potuit, quàm blaſphemas ſacrilego ex ore voces, quibus ſuam diabolo animam adiudicauit; hæc enim ſcriptor. *Inter has blaſphemias* (inquit) *& deſperatione pleniſſimas voces, infelix homo migrauit ad eum, cui victoriam aduerſus* Deum *deſcripſit: ipſe victori diabolo, ſiue in præmium, ſiue in ſpolium ceſſit.* Vinum igitur, quod dudum tam liberaliter hauſerat, deſperata iam ſalute apud Orcum miſer digeſſit, & poſt diutinas, quibus aſſueuerat, cōpotationes, iræ Dei calicem amarulētis faucibus guſtare compulſus eſt. Porrò, qui ebrietati vacant, quàm triſtem inter pocula finem ſortiantur innumera planè malorum incommoda, quæ ex vino proueniunt, animæque inſuper detrimēta euincunt; cuius funeſtum hic tibi excerptum ex theatro vindictæ diuinæ exemplū ob oculos ponimus.

Zeth. in promont. lib. 4. § 10. n. 24. Bellard. lib. c. 27.

Aeger dolores ſopire vino ſtudet.

Preces matutinas (inquit) *acceſſurus vir pius, & Sanctus, ænopolium pretorijs: in quo iuuenes quidam compotationibus; & luſibus iam totam noctem triuerant, & inter iurgia, & rixas atroci blaſphemia Deum offenderant: Cùm ergò paululùm ille perrexiſſet, conſpexit hominem fœdè per totum corpus vulneribus laceratum: admirabundus accedit, à quonam fœdè adeò ſauciatus ſit, ſciſcitatur: reſpondit iſte, ſe à Iuuenibus iſtis, qui in cella vinaria ludunt tetris adeò vulneribus affectum. E veſtigio itaque ille in cellam vinariam deſcendit, grauibuſque verbis Iuuenes percontatur, quanam de cauſa miſerum hominem foris in platea iacentem fœdè adeò lacerarint? Attoniti Iuuenes reſpondēt, neminem in cella vulneratum per eam noctem fuiſſe: ſe ſolos perpetem noctem ludo duxiſſe. Interim cùm eo egrediuntur viſuri, quiſnam eſſet ille, qui vulneribus coopertus foris iaceret. Sed nuſquam ille reperiebatur. Itaque nimis turbati prorſus credidere, ſe ſe horrenda ſua blaſphemia* Chriſtum, *quaſi de nouo excarnificaſſe.* Sacrilegorum quippè hominum madentes vino linguæ in blaſphemiarum plerumq; latratus temerè proſiliunt, adeò, vt Deum verbis iaculorum inſtar validiſſimè impetant, ſed vt reliqua nūc proſequamur.

Tympius in teatr. diu. vind. pag. 533.

Chriſtus ſe vulneribus laniatur à blaſphemis, queritur.

Vinum blaſphemiarum iacula in Deum intorquet.

10. *Oenopola quidam promiſcuam impiorum militum, ſcurrarum, prædonum, ſcortatorum turbam hoſpitio fouebat, eorumque luſibus, blaſphemiæ, turpitudini, impudicitiæ, choreis indecentibus vltrò applaudebat; viliſ-*

ſimi

Digitized by Google

ſimi lucelli gratia. Tandem cũ die quadam dominica vinum è cella deprompſiſſet, & aſtans foribus plurium hoſpitum aduentum expectaret, licèt hoſpitibus iàm referta eſſet domus, ecce turbo ſubitò exortus magno impetu eũ ſublatum per aerẽ è conſpectu omnium abſtulit. Qui igitur funeſtam ſcelerum, ſuis in taberna bibonibus vina exibendo, officinam patefecerat, peſſimus veluti nundinator ab Oenopolio præreptus turbine ad Orcum diuertit.

Ebrietas exitio eſt.

Demum, vt nonnullas hic, coronidis inſtar intentatas temulentorum hominum ceruicibus, clades recenſeamus, cùm ſemper mortalibus ſua in primis fatalis ebrietas extiterit: quædam tamen in primis tragica in ſuo malè ſpei Promótorio Zehétner exempla relegit, nobiſque velut in orbis theatro ſalubriter inſpectanda proponit: Solemne autem illud eſt, quòd Iulius Capitolinus in ſuis rerũ geſtarum paginis apud prælaudatũ auctorem hunc in modum tradit.

Iulius Capitolin. in Maximino. Zeher. in prom. lib. 2. & 4. c. 13.

Cùm (inquit) *Maximinus olim ab exercitu Imperator vocatus eſſet, totius Romani Senatus, populique, mulierum quoque, ac liberorum, publicum, priuatumque fuit votum, ne vir ille vnquam videret Romam. Timor exercendæ crudelitatis hominem fecerat exoſum, vt qui negaret abſque ea, conſiſtere Imperij maieſtatem poſſe. Itaque ne reſpublica, ne ſummi, ne imi vim paterentur, quam ſuſpicio nõ vana metuebat: Senatus Romæ Imperatorem iàm renunciatum publico decreto repudiat, & velut hoſtem proclamat. Hæc, vt Maximinus intellexit: indignari primùm, furere, atq; inſanire, tum deinde, vt obliuiſceretur tàm grandis iniuriæ, vino ſe cæpit obruere aucturus noua inſania priorẽ, vtramque morti ſociaturus. Ita etiã euenit, qumaquam nolenti: nã & temulentus à milite occiſus fuit, & caput eius conto præfixum, Romamque miſſum eſt.* Hæc ex Capitolino apud auctorem de temulento homine, ac mero iugiter ęſtuante memoriæ tradita ſunt. Sed quid inſuper Attilæ Hunnorum Regi vinolento funeſtè contigerit, ſtudioſo apud eundẽ lectori ex Fulgoſo delibandum eſt.

Maximinus Imperator memoriam iniuriæ vino obruere conatur.

11. *Attila* (inquit) *Hũnorũ Rex, Tyrannidis ſoboles, flagellum prouinciarum, magnum orbis portentum: quo tempore reuerſurus in Italiam ſe accinxit, ducta priùs vxore in Pannonia; nocte prima infauſtarum nuptiarum, cũ nimio cibo, meroque preſſus obdormiuiſſet, manante copioſiſſimo ſanguine è naribus, atque per os patulum in guttur defluente, citiùs enectus eſt, quã mori ſe præſentiſceret: Crediderim ſic nutu, & conſilio magni numinis factũ eſſe, vt vinolentus Attila mergeretur in ſuo ſanguine, qui toties alienum fudit, nunquàm minùs nocuit hæc ſanguiſuga, quàm cùm proprio ſe cruore inebriauit ad interitum vomiturus tartaro purpuratam iã dudum animam ſanguine Innocentium.* Enimuerò iuſtiſſimè inſignis iſte inter Bibones, vino vitam abrumpens, antiquæ pœnas vinolentiæ exoluit, adeò ut, qui blandè inter vina diffluere conſueuerat, cruore ebrius, & vino præfocatus, haud hoſtili manu perierit, ſed ipſe infenſiſſimus ſui hoſtis, condignum ſibi lethum conſciuerit. At illud planè ſilentio prætereundũ nõ eſt, quòd homines, qui, dum res in prælio agitur, ferro inuicti, indomitique, & pluſquã ferrei extitere, vino ſubindè ſopiti, imbelles, atque inglorii ſuis turpiter hoſtibus triũpho ceſſere, vt idem auctor his verbis:

Zehetner vbi ſupra. Fulgoſus lib. 9. c. 12.

Attila terror orbis vĩno et cruore præfocatus.

12. *Italia Europæ* (inquit) *margarita, delicium terrarum, illicium*

Vuifrefridus lib. 5. de geſt. Longob. c. 5.

Zeben. vbi ſupra.

exterarum gentium , non ſemel Francos ad ſui traxit amorem, iamque ſæpiùs ſua exciti patria , venere alienas guſtaturi opes: ſæpiùſque reiecti ſunt. Contigit, ut Grimoaldus Rex Longobardorum, cùm cerneret ingentem Francorũ exercitum irruere in Italiam ingenioſo ſtrâtagemate eluſurus hoſtem , fugam ſimularet, caſtraque uino , ac cætero commeatu pleniſſima relinqueret inſequentibus? Galli igitur , quia tuta omnia putabant, perſuaſi de miraculo renouati illius panici terroris , quo correpti quondam Syri Samariæ obſidionẽ ſoluerunt per fugam : inuadunt deſerta à Longobardis caſtra , & mox ſumptuoſiſſimis conuiuijs ſe mutuò ad hilaritatem acuunt, condimentum illis fuerunt probra in turpem profugorũ inertiam paſſim coniecta ; ſed denique temeritatem ſuam grauiſſimè luerũt, quã do vino , ſomnoque ſepulti à superueniente Grimoaldo , plerique omnes cæſi ſunt : ebrietas illis ſua exitium tulit.

Galli vino obruti à Longobardis cæſi.

Fortes itaque hi iure meritò inter ſolidos auri, argentique theſauros, ſed inter vina imbelles fuere : ſemper inter gladios, hoſtiumque prælia victores, inter pocula uero uicti, imò ipſimet poſt victoriã Baccho, ac hoſtibus victima extitere : Atqui, vt deploratiſſimam hic, quam vel ipſæ horrent aures, cladem ſubtexamus, qua vti crapulæ, ac ebrietati laſciuiã, ita ebrietatem quoque crudelitati infelici conſortio copulari contigit, luctuoſiſſimam ipſiuſmet ebrietatis cataſtrophem hunc in modum ab eodem Zehentner luculenter expreſſam, audiamus:

Zehtr. in pro. . . mala . . b. 2 §. 4 . . 16. . . . lib. 3 . m. pecca. . . c 7. in append.

13. *Helluo* (inquit) *erat maritus, qui rem omnem ſolebat in popinis abſumere , multùm interim domi eſuriente pauperrima familia. Euenit , vt hominem vxor ſua aliquando adiret expoſitura res domeſticæ penuriam , & ad temperantiam hortatura : Sed ille iã inter pocula accenſus ad martem, Velut hoſtem haberet frequentiſſimo verbere , tantùm non conficit immeritam coniugem . Itaque miſella ægram animam ægris pedibus domum vbi reportauit, & obuios inuenit duos puerulos, qui veſtem matris prenſantes , magnis vociferationibus petebant panem , iàm integro ſe biduo ieiunos tolerare inediã: tùm illa: ah , filioli mei , pignora meã, chariſſimum vteri mei pondus, quid agimus? Quando omnia abligurit genitor veſter? nihil nobis ſupereſt ad victum, neque bolus quidem ſolaturus latrantem ſtomachum . Itaq; mortis ſumus victima , & (quod miſerrimum eſt) longæ , ac diuturnæ mortis . Sed tamen remedium aliquod huic malo eſt : ſi acceleramus fata , & abſoluimus breui, quòd diù ferendum eſt, præſtat citò interire , quàm lõga fame torqueri ad tarda ſupplicia . Ergò redimamus vna morte mille ſecuturas: Dixit hoc deſperabunda mater , ſimulque filiorum iugulo cultrum fixit , chariſſimis animabus viam apertura , vt inediæ , ac duraturæ diu tyrannidis moleſtias ſemel euaderent. Sub noctis crepuſculum domum reuertitur maritus , omni ſubſtantia exhauſtus : Sed ſolo plenus vino , ac probè ebrius ; quem , vt ſomno ſopitum vidit vxor , nouis indignationibus exæſtuans in dormientem ſeſe armat : & accepto cultro, morieris (inquit) lurco, ſanguinis tui cruẽtus ſicarius : ingluuies tua , & continua crapulæ frequentatio perdidit liberos tuos , meoſque; iam pignora noſtra facta ſunt funera, & hoc ferro, & mea matris ſuæ manu, helluatio tua ſuggeſſit tàm ſanguinarium conſilium : credebã pietatem forè , ſi ſic ſæuirem in carnem noſtram , & diuturnæ morti , per breue vulnus eriperem, nunc cultrum in te verto, iugulum tuum peto , non ampliùs*

Triſte exẽplum viri helluonis familiam perire fame patientis.

Furens illa liberos trucidat.

coniu-

Digitized by Google

coniugis mei, ſed tyranni: Morieris, & morieris dextera vxoris tuæ, imbellis quidem fœminæ, ſed quam ebrietas tua armauit aduerſus te, fortemque fecit. Ergò ferrum recipe, ebriamque animam ad æternas tenebras mitte indignus, qui poſt tuorum filiorum indignam necem, ſolem aſpicias. Hæc, aliaque id genus, quæ præceps ira, furorque exaſperato dictauit animo, vt mulier abſoluit, collo dormientis profunde mariti ferrum immerſit. Denique, & ipſa comprehenſa ſupplicium capitis luit: habita priùs ad coniugatos exhortatione, ne ſua prodigagalitate, atque intemperantia, familiam ad neceſſitatem vltimam, vxores ad extremam deſperationem adigerent.

Stertentem virũ iugulatẽ

Ex quo aptè rem conceptis Sapiens verbis in præſens, ebrietatem ex orbe proſcribens hunc in modũ cõcludit: *Veh* (inquit) *qui ſtudent calicibus epotandis, et ſunt viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. Et hæc de crapulæ, & infelici temulentorũ exitu hic ſalubriter propinaſſe voluimus.

Prouerbior. c. 23. n. 30

CAP. XV.

Crucis Sacroſanctæ violatores.

Sacroſanct: Crucis gloria.

Hier. ad Nebridium q. 9.

1 CRucis *gloria Saluatoris, &* (vt Hieronymus ait (*patibulum triumphantis*, viuifico Chriſti ſanguine, ac pœnis dedicata, honori cœpit eſſe, quæ cunctis antea horrori erat, atque ignominiæ; adeoque *à tergo latronum* (vt Auguſtinus docet) *trãslata eſt ad frõtes Imperatorum. Vnde enim mors, inde vita.* Attamẽ crux, quæ vitæ ſymbolũ, ac ſalutis vexillũ eſt, latronibus, cõtumelioſiſue ſui hoſtibus funeſta ſẽper certoq; vt Apoſtolus ait, exitio ſẽper fuit. *Multi quidẽ* (inquit) *ambulãt, quos ſæpe dicebã vobis, inimicos crucis Chriſti, quorũ finis interitus.* Certa quippè vel ab ipſo ſalutari crucis ſigno in contemptores impios perditio prouenit. Et crucis quidem gloriam, cõtemptumq; Auguſtinus adũbrãs: *Attẽde* (inquit) *gloriã Crucis ipſius: Iã in frõte Regũ Crux illa fixa eſt, cui inimici inſultauerũt. Effectus probauit virtutẽ, domuit orbẽ non ferro, ſed ligno; lignũ Crucis contumelijs dignũ viſum eſt inimicis.* Signum igitur, quod olim apud homines inuiſum adeò, contumelioſumque extiterat, per honorificum iam Chriſti virtute, & cõtactu redditum, & ſuis vitam, ſoſpitatem cultoribus, contemptoribuſq; e cõtra certũ creare interitum nouit.

Aug. in pſ. 63

Ad Phil. 3. 18

Aug. pſ. 54.

Porrò, vt ſuſceptę vela enarrationi pandẽtes, nobiles ex Dunaano Homeritarũ Rege, & Choſroe Perſarũ Regibus, Chriſti, cruciſq. eius inſẽſiſſimis hoſtibus triũphos, cladeſque ijs diuinitùs intẽtatas pręmittamus; cõtemptu quidem ſacroſanctæ crucis, (vt ab horum altero dicendi initium faciamus) funeſta Dunaano Hæbreo, qui quõdam Arabiam Felicem obtinuit, ab Elesbano AEtiopum principe, acerrimo Chriſti, ac eius religionis propugnatore vaſtitas obtigit. Cuius etſi, vbi ſupra de Apoſtatis dictum eſt, eius infelicem recolendo exitum mentionẽ fecimus, hic tamen, vbi opportunus de ſalutari crucis vexillo, eiuſque contemptoribus ſermo recurrit, perditus eiuſdem finis in mentẽ reuocandus eſt, qui ob contumelias Dominicæ crucis myſterio à prophano, ac perfido homine illatas potiſſimũ conſequutus eſt; ſed ad rei noſtræ propoſitum, quæ ex Arethæ martyris actis excerpta, in ſuis Baronius annalibus refert, repetenda hic ſũt, in quibus peſſimus hominis finis

Haud impune ſãctiſſimæ cruci inſultatur.

Baron. tom. 7. ann 522 nn. 23.

 poſt ob-

Digitized by Google

obſeſſam, obtentamque Negraá ciuitatem, & poſt ſacroſanctæ crucis proculcata myſteria, his verbis de-
Baron. ann. 522. n. 23. ſcribitur:

2. *Inuidens ergo malignus totũ (quãtus erat) ſubiens Hebræum, eum armat aduerſus Ciuitatem, partim quidẽ opinans fore, vt id etiam moleſtum pio Regi Aethiopum, partim autem eo ſpectans, vt in Chriſtum ſuam expleret inſaniam, & genus Chriſtianorum omnino euerteret.* Itaque *uenit validum*
Baron. nu. 27 *ducens exercitum: & cùm circũcirca eſſet caſtrametatus, valloque, et foſſa omnia circumſediſſet, obſedit. Nagraã minitans ſe illam expugnaturum, etiam omnes, qui in illa erant, interempturũ, niſi* Cruce *Domini à ciuibus in excelſo poſita, quàm execrationis ſignum (proh dolor) ſtultus vocabat, ad nihilum redacta, deinde Chriſtum quoq; negaſſent qui fuerat in ea ſuſpenſus.* Quibus iſthæc Baronius ad Eccleſiaſticam illuſtrandam hiſtoriam, piáque Chriſtianorum conſuetudinem inculcãdam, appendicis inſtar ſubtexit: *Vides* (inquit) *vbique gentium in vniuerſa Eccleſia laudabilem illum ſemper viguiſſe morem, vt cruces à fidelibus colendæ in ſublimi loco cunctis perſpicuæ ponerentur.* Sed reliquam nũc hiſtoriæ narrationem proſequamur: *Quod quidem eo conſilio faciebat, vt cum eos illo, quod inde veniebat, præſidio nudaſſet, hoc tam valido deſtitutos auxilio inuaderet. Quidam ergò execrandi illius Regis ſatellites in orbem obeuntes Ciuitatem, cædem vociferabantur. Et ſi parerent quidem dicebãt fore, vt dona, et honores conſequerentur, ſin autem non parerent, et Galilæo animum ad hiberent pro monarchia inducentes multorum principatum, igni, et gladio traderentur. Porrò autem ipſe quoque Dunaan execranda, et audaci lingua his falſa quædam addebat, et iactanter dicebat: nullam potuit Ieſus opem ferre Chriſtianis in mea poteſtate conſtitutis, quos omnes, et ipſos illorũ Sacerdotes, et Monachos gladio, et igne priùs conſumpſi, ne parcens quidẽ ſacris illorum templis; et nunc maximo coacto exercitu, nempè centum viginti millibus hominum ad vos veniam omnino perſuaſurus, aut perditurus.* Hæc perditus homo, perfidusque Iudæus, infenſus crucis Chriſti inimicus ex imis precordijs, quot verba, tot eructare blaſphemias non deſinebat. Cui ciues, quippè qui ex toto corde Chriſti crucem colentes, eius iugiter virtutẽ prædicabant, eiuſdẽque tutelari præſidio fidentes, ſpem ſuam omnẽ in ea repoſuerant, in hec plane verba reſpondẽtes dixere: *Poſtquã autem vidit martyres omnino aures non præbere promiſſis, contra autem, quàm poterant clariſſima voce clamare: Non te negamus, qui es vnus Trinitatis, ò verbum Dei, & Chriſte: neque inuidemus ſuſceptæ carnis diſpẽſationem, neq; tuis, quas propter nos paſſus es, perpeſſionibus, & cruci Iudaice inſultamus, eos quidem vinctos adhuc detinuit; in aliam autem multitudinẽ, quæ collecta fuerat, ex omni genere, & ætate mortis tulit ſententiam.* Admirãda interim mulierum fides, ac feruor cunctis extitit, dum tyranno multa ſibi, ſi Chriſto renunciantes, eiuſdemque ſacra crucis myſteria execratæ fuiſſent, promittenti, diuinam crucis virtutem his vocibus extollẽtes percepit: *Omnibus ò rex, quæ à te offeruntur, ſiue ea ſint bona, ſiue aliter ſe habeãt lubenter hodie renunciantes, quæ à maledictis inceſsitur, Chriſti crucem extollimus, & qui in ipſa noſtram procurauit ſalutem Chriſtum, ſequimur.* His igitur ad crucis virtutem, magis, magiſque celebrandã intentos, nec quidquam tyrannicis minis abſterritos

Crucem perfidus execrationis ſignũ vocat.

Baron. n. 27. Cruces è ſublimioribus locis à chriſtianis tollendas curat.

Martyrum fidem, et conſtantiam iniquis oculis perfert. Baron. n. 35.

Baron. n. 38. Chriſtiani crucis laudes celebrans in tyranni odiũ

ritos cernens, funeſtam à Chriſti fidelibus plagam accipiẽs, ne aliquam illis moleſtiam inferre, terroremque incutere viſus eſt. Verũ impius Iudæus, vt Chriſti gloriam, crucisque ſacroſanctæ triũphos ex ſe ampliores redderet, cum Elesbanus Aethiopũ Rex vnà cũ auxiliaribus copijs ſaluti Chriſtianorum præſto futurus aduenisset: vbi barbarus, perfidusque iam Regiam ab hoſtibus ciuitatem captam, expugnatamque intellexit, timens ne fortè ſui ad aduerſarios deficerẽt, aurea cunctos catena, ac ſe ipſum pariter vnà cũ illis ligatos, regia veluti mancipia, triumphatoſque diuiniſſimę crucis virtute captiuos, vti exuuias haud ignobiles ſeligendos, reſeruãdosq; curauit, vt miſeri videlicet priùs ſe vinctos, quã victos, & ante captos, captiuoſque, quã debellatos iuſto Dei conſilio animaduerterent. Sed hiſtoriã ex actis proſequamur: *Verùm cũ captam vrbem, & regiam occupatam, atque ſuos bello captos Dunaan audiſſet: timens ne aliqui ex cognatis deficerent ad Elesbaam, mẽt. ei à Deo ablata, cũ aurea catena, ſe et illos alligaſſet, ſedebat nullam rerũ curam gerens.* Sed eum iam Chriſtianorum triumpho victimam ipſius Dei conſilio paratam videre eſt; poſt victoriam enim hæc ijſdem in actis leguntur: *Et cũ inueniſſet* Dunaan *aurea illa vinctum catena, ipſum interfecit, & cognatos,* Deum laudans, *& inſultans Chriſti hoſtibus pœnam dantibus audacium ſuorum facinorum, quæ admiſerant in Chriſtum, et Chriſti cruce: lætabitur autẽ iuſtus (inquit Dauid) cũ viderit vindictam. Et ideò, qui ex eis fuerũt vulnerati nõ fuerũt vulnerati gladio (ut dicit Iſaias) neq; mortui eorũ mortui bello.* Crux itaque, cui iſte pridem inſultauerat, condignam, nec ſerã ex hoſte vltionem recepit, adeò

Barbarus conſcientia recens ſe ipſum, et ſuos catena aurea religat

Triumpho crucis ſe ipſos ſponte dant.

Pſ. 57.

Iſai. 22.

vt quæ *eſt omnium* (vt Leo ait) *fons benedictionum, triſtem impio homini, Chriſti, et Chriſtianorum inimico interitum intentaret.*

Qui igitur ſalutari Dominicæ crucis vexillo, ac humanæ ſalutis ſigno, cui omnis honor debetur, impias admouere manus, & quod deterius eſt, inſultare auſi ſunt, cõtẽptæ profectò religionis, violatique cultus pœnas dedere, vt ſacra hiſtoriarum monumenta teſtantur. Sed ne iſthęc recenſẽdo longiùs oratio aberret, & ad id quod nobis propoſitũ eſt veniamus, funeſtiſſimam Coſroe Perſarum regi cladem contigiſſe, quòd ſacroſanctũ Dominicę crucis ſignum armorum vi in ſuam poteſtatem redactum, è ſuoq; temerè amotum loco in prædam inter reliquas prophanas victorum ſarcinas, exuuiaſque, vt ſuum ex ea nobiliter poſt victoriã triumphũ augeret, aſportare auſus fuit. Eccleſiaſticorũ annalium paginæ ſatis, ſuperque teſtantur: Rex enim impius, diù alioqui à Deo in ſua impietate toleratus, quouſq; à crucis iniuria abſtinuit, at cùm in eam iniurius extitit, vltricẽ protinùs Dei in ſe manum expertus eſt, de quo iſthęc Baronius:

3. *Cũ* (inquit) *Coſroes fugere tentaſſet, nec valuiſſet tentus eſt, & validè vinctus, ferreis compedibus colligatus, cui & circa collum, ferrea pondera imponunt: & mittunt eum in domum tenebrarum, quam recens extructam ipſe muniuit ad recondendas pecunias, paniſque parum, & aquæ tribuentes fame necabant. Aiebat enim Syroes filius: Comedat aurum, quod incaſſum collegit, propter quod etiam multos fame necauit, mundumque deleuit. Porrò miſit idem* Syroes Satrapas *ad eum iniuriis impetendum, & conſpuendum: & ductũ* Mardeſam, *quem coronare volebat, filium*

Apud impiũ nè ſanctiſſimæ cruci inſultatur.

Baron. tom. 8 an. 637. n. 17.

Coſroes auarus æquè ac impius immenſas diuitias congregarat.

filium eius ante ipſum occidit, & ſic reliquos filios eius in conſpectu ipſius peremerant, et miſit omnes, qui inimici eius eſſent, vt eum iniurijs afficerent, percuterent, atque conſpuerent. Denique per quinque dies hoc facto iuſſit Syroes ipſum arcubus interficere, ſicq; paulatim in malis nequiſſimã animam ſuam tradidit. Hæc Baronius de infelici Coſrois exitu ex Teophane, Græcorumque annalibus. Quibus illam potiſſimam calamitatum, quæ impij hominis capiti accidere, causã addit, quòd ſanctiſſimæ crucis ſignum, captiuarũ inſtar exuuiarum in triumphum in ſuas regiones abducere, & Chriſto Domino, qui in ea pati humanæ ſalutis gratia dignatus eſt, ſuam triumphando imbecillitatem obijcere, nec non propriam iactare potentiam, vireſque ſuas in eius oſtentare propudium auſus eſt; Sed Baronij hic verba ſubtexere operæ precium eſt.

Ob crucis contemptum Rex Perſarũ adeò miſer euaſit.

Talis (inquit) *profectò decebat finis deſtructorẽ Oriẽtalis orbis Coſroes, taliſque exitus expectabat nefariũ, atq; ſacrilegũ regem, peſtem, facemque ciuitatum Romano Imperio ſubiectarum. Nõ alia quidem, quàm iſta digna ſupplicia per filium miniſtrata debebãtur homini, qui auſus fuerat poſt plurima admiſſa nefanda, etiam in ſacroſanctam dominicam crucem Hieroſolymis manus violentas iniicere, inter manubias collocare, et in Perſidem ſecũ ferre.* Decuit profecto iſta omnia perpeti ingratum, & perfidum Regem, & poſt multa ſuperbæ eius mentis narrata facinora, illatas cruci ſacroſanctæ iniurias eius nece iuſtiſſimè vindicatas his verbis tradit: P*utauit infelix, vbi crucem captiuam duxit, ſe Deum Chriſtianorum pariter ſuperaſſe. Ita quidem ſubire à ſuis Perſis tormenta meruit Rex, qui paucos ante dies in ſanctiſſimum martyrem Anaſtaſiũ Perſam ſæuierat; Pugnauit ſanè, et vicit tyrannum martyr occiſus, et captiuata ſanctiſſima crux crucem duriſſimam intulit capienti. Eiuſmodi eſſe ſolent Chriſtianæ victoriæ, vt tunc in omnibus vincat Chriſtus, cũ omnia videri poſſunt ab hoſtibus ſuperata.*

Baron. vbi ſu.37.

Infanus putabat poſt captiuam crucẽ chriſtianũ orbẽ in ſuam ditionem venturum.

4. *At non caruit tanta victoria glorioſo triumpho, imò triumphis. Et vt dicamus de ſingulis, triũphauit martyr occiſus, cũ eius venerandum corpus religioſa pompa Cæſaream transfertur è Perſide; Triumphauit ſanctiſſima crux, cũ illæſa priſtino loco redditur, et ſoluto è vinculis Zaccharia Pontifice celebri cultu Hieroſolymis reſtituitur.* Hęc Baronius, quibus planè immenſã ſãctiſſimę crucis gloriam, poſt acerbiſſimam impio inſultanti cladem diuinitùs illatã, vniuerſo olim terrarũ orbi (vt videre eſt) teſtatiſſimã fecit. Si quis autem hic, vbi Crucis gloriã meminimus, innumeras palmas, frequẽteſq; ex hoſte triumphos Crucis vexillo reuehi, ac certam hoſtibus potẽti eius virtute perniciẽ intẽtari neſcit, Euſebium iſthæc prolixiori, ſermone recolentem item Thomam, Bozzium, ac reliquos digniſſimos portẽtorum crucis Chriſti præcones iſthæc excribẽtes, ad quos lectorem amandamus, conſulat.

Baron. n. 19

Nobilis crucis Chriſti triumphus.

Nicef. Caliſtus eccleſ. hiſt. lib 7. c. 47. Thom. Bozz. lib. 8. de ſign. eccleſ. c. 7. & lib. 17. de ſign. eccl c. 7. ann. 1507 Hier. Orſor. Cor. de rebus geſtis Emmanuelis. Petr. Malf. lib. 3. hiſtor. Indicarum.

5. Verùm enimuerò, vt ſacroſanctæ Crucis contemptus lugubri contemptores exitio deuouiſſe palàm fiat: Hunnis quidem Eccleſias Saxonum deuaſtantibus, ac in apertã Crucis cõtumeliã, temerè proſilientibus, ſubita, inopinaque vlciſcente Deo clades oborta eſt, vt apud Baronium in ſuis annalibus hunc in modum deſcribitur: *Redemptoris noſtri* (inquit) *anno nongenteſimo decimo ſexto, quo Vngaris, ſiue Hunnis Saxonum Eccleſias deuaſtantibus inter alias Bremenſem comburentibus, &*

Hunni in crucem debacchantes diuina vindicta percuſſi

San-

Sanctiſſimas Cruces ludibrio afficientibus, diuina ſunt aduerſus eos oſtenſa prodigia ſub Reginuardo Hamburgenſi Archiepiſcopo, cuius tempore hæc contigiſſe Adam ſic enarrat: In diebus illis grande miraculum fertur à poſteris Bremæ contigiſſe, Vngaros ſcilicet incenſis Eccleſijs Sacerdotes ante altaria trucidaſſe, Clerum vulgo mixtum, aut impunè occiſos, aut ductos in captiuitatem. Tunc etiam Cruces à Paganis truncatæ ludibrio habitæ, cuius ſigna furoris vſque ad noſtram ætatem durauerunt: Sed Deus Zelotes, cuius paſſio ibi deriſa eſt, incredulos abire non paſſus eſt inultos. Nam ſubitò, & mirabilis orta tempeſtas à ſemicremis Eccleſiarum tectis ſcindulas eleuauit, quas in facies, atque ora paganorũ rotans, dum fugæ præſidium quærunt, aut in fluuium præcipitari conpulit, aut in manus ciuium concludi. Suam igitur haud inultam ex hoſtibus Crux Chriſti contumeliam abire permiſit, dum multimodis inſultantes exitio tradidit.

Baron. an. 916 num. 1.

Adam Cenol. c. 46

6. Idem planè Saracenis ſacroſancta Dominicæ crucis myſteria ad Sidoniorum Vrbem deridẽtibus, proculcantibuſque apud Gretſerum obtigiſſe legimus; quibus præcelſa, quo ſe in tutum veluti aſylum, orthodoxæ fidei hoſtes receperant, turris, vbi crucis ſigno à nebulonibus, palàm, ac liberè inſultabatur, ac ſi terræ motu repentè cõcuſſa ab imò dehiſcens contemptores, non modò oppreſſit, ſed viuos, ſpiranteſque vix vllo ſuperſtite tumulauit: ipſius autẽ Grethſeri verba hic inſerẽda ſũt *Operæ pretiũ erit* (inquit) *annotare hic id, quòd in obſidione Sidonis euenisse ſcribit Anonymus. Habebant Chriſtiani ſecum, more conſueto, ac ſolemni, crucem Dominicam; quam Rex à Hieruſalem detulerat ad protegendum populum Dei. Hanc Apoſtatæ quidam, & præuaricatores fidei, cuiuſdam turris propugnatores conſpicati, deridentes illudebant, & ſibi contrario crucẽ facientes, & in culmine turris figentes ſputo, & vrina ipſi inſipientes, & maligni inhonorare præſumebant: Quod pius Rex, & omnis populus deplorantes, Deum Cæli flebili voce inuocant, vt fontem miſericordiæ ſuæ aperiens, apoſtaticis viris, & ſtultis Saracenis demonſtrare velit, quod non rectè agentes diuinæ Maieſtati blaſphemiã irrogare præſumpſiſſent. Mox eorum precibus exauditis, abſque hominum labore, ſic turris illa concuſſa, & diruta eſt, iã veſpere mundo imminente, vt lapis ſuper lapidem non remaneret, & increduli homines ruina illius ſuffocati obruerentur.* Enim verò dominicæ crucis contemptus, nõ impios duntaxat perdidit contemptores, ſed turrim ipſam validis inſuper machinis arietaſſe, ac ad terram eum in modum deieciſſe viſa eſt, vt ne lapis quidem ſupra lapidem in rei monimentum poſthac remaneret:

Saraceni crucem deridẽtes repentina turris ruina eliſi.

Gretſer. to. 3, de cruce lib. 2 c. 11. ex lib. 10 de bello ſacro c. 47. per Anonymum

Vniuerſi diuinitus colliſi.

7. Funeſtus quoque Paganis ſacroſanctæ crucis contemptus extitit, vt ex Sigeberto Baronius in ſuis annalibus hunc in modum tradit: *Mater Soldani* (inquit) *de Iconio veniens ad extrema reuelauit filio ſuo, quod ſemper celauerat, ſcilicet, quòd eſſet Chriſtiana, & rogauit eum, vt crederet in Chriſtum, qui eſt Dominus, & Rex omnium ſeculorum, & quòd amaret Chriſtianos. Quod ipſe ſpopondit ſe facturum, ſed dixit: quòd non auderet apertè credere in Saluatorem propter Paganos. Dixit ei mater ſua: Fili, cùm mortua fuero, fac mihi excelſam ſepulturam, & pulchram*

Sigibertus in Chron. ſuppl. ſub an. 1181. Baron. to. 12. an. 1169. num. 44.

Regina Iconii Chriſtiana filium ad crucẽ Chriſti colendum erudit.

ſicut

ſicut pyramidem: & pone ſuper eam ſignum Crucis Chriſti. Cui ille ſe hoc de luce facere non poſſe reſpondit: Tu fac (inquit) mater eius, de nocte: Quod & factum eſt. In craſtino cũ Agareni vidiſſent ſignum illud, indignati ſunt contra Principem, & volebant eũ occidere: tunc quidam ex ipſis ſubleuatus per machinas, conabatur deponere crucem, qui voluntate Dei corruit, & mortuus eſt, ſimiliter & alius interemptus eſt alia vice. Tertia vice cũ conueniſſent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud, inter quos erat vnus promptior ad deponendum illud, venerunt fulgura, & coruſcationes, & illo primitus perempto, multa millia perierunt igne diuino. Tunc apparuit Angelus Domini, & clariſſimum ſignũ crucis poſuit ſuper pyramidem illam, ex quo multi crediderunt in Chriſtum, & adhuc crucem illam venerantur, & adorant. De cœlo quippe aduerſus inimicos perfidos dimicatum eſt, ac ipſa ad vlciſcendam perfidiam elementa proſilijſſe viſa ſunt, vt diuinum adimpleretur oraculum: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit pro eo orbis terrarum aduerſus inſenſatos.* Ex aliorum enim clade, qui reliqui fuerant admoniti pietatis ſenſum, condignæque erga domini crucem venerationis cultum didicere.

Crucẽ ſepulchro inſigniuit.

Crux ab Angelo defixa viſoque miraculo plures conuerſi.

Et ſacroſanctæ quidem crucis vexillo clades, ac funera hoſtibus intentari, palmas verò, ac triumphos Chriſti fidelibus prouenire contigit, vt ex rerum geſtarum tabulis chriſtianis in Palęſtinorum ditione periclitantibus ſalutiferi vexilli huius virtute præſtitum VVilelmo Tyrio apud Dauroultium narrante his verbis cõſtat. *Anno Domini 1144, qui ſecundus numerabatur Balduini pueri Regis: Vuilelmus Syriæ Archiepiſcopus ſcribit exercitum Chriſtianorum, dum ſpe potiundi Boſtro, Metropoli Arabum, laboraret, inſidiis fuiſſe circumuentum, et virtute crucis ereptum in hæc verba: Hoc videntes hoſtes ad ea ſe conuerterunt molimina. Erat ſanè regio tota vepribus, et frutetis humilibus, cardonibus aridis, et ſinapis ſylua veteribus ſtipulis, et frugibus iã maturis obſita: his omnibus ignem ſubiiciunt vento noſtris obuio fomitem, et vires miniſtrante: Hic incendij vicinioris afflatu, fumique occurrentis nube denſiſſima noſtris ingeminatur moleſtia. Cũ ecce ad venerabilem virum Dominum Robertũ Nazarenum Archiepiſcopum, qui Crucem Dominicam baiulabat, omnis populus cũ clamore, et eiulatu conuerſus, poſtulabat, cũ lacrymis dicens: Ora pro nobis Pater, et per hoc viuificæ crucis ſignum quod manibus geſtas: in quo noſtræ ſalutis auctorem, credimus pependiſſe, erue nos ab his malis, nam diutiùs ſuſtinere non poſſumus: Erat autem Populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie, quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor, & tam æſtatis, quàm incendiorum caumate duplicato, ad ſupremum afflictus ſiti ſupra vires laborabat: Ad has itaque gementis populi voces vir Deo amabilis contritus corde, & animo valdè compatiens, ſalutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant, & inuocato de ſuperius auxilio, ſtatim adfuit virtus diuina, & in momento conuerſis in oppoſitum flatibus, incendia tetra ſimul, cũ fumi caligine in hoſtes, qui noſtrum præcedebant exercitum ſe dirigunt, & quæ in noſtram parauerant læſionem, in ſuam vident retortam perniciem.* Stupẽt *hoſtes nouitate miraculi: & ſingularem reputant Chri-*

Dauroul. cat. hiſt. lib. 8. c. 1. tit. 33. pag. 81. VVilel. Tyr. lib. 16. c. 11. 13. Baron. tom. 12. ann. Chriſti 1144.

Chriſtiani virtute crucis ad hoſtes triumphant de Saracenis.

Deuotæ populi preces, et fiducia erga Chriſtĩ crucem.

Flammarum globi diuinitus in hoſtes verſi.

Chriſtianorum fidem, quæ tã præſens à Domino Deo ſuo pro votis impetraret beneficium. Crux igitur, quæ ſe piè colentibus propugnaculum extitit, impijs vaſtitatẽ hoſtibus intulit, & flãmarum ad eoſdem perdendos incendia vltrò miniſtrauit: Enimuerò tũc ſacroſanctæ Crucis ligno inſtaurari viſum eſt portẽtũ illud, quo veluti imbrifero quodam rore prunas extingui contigit, quod, & Paulinus celebri olim miraculo præſtitũ ſcribit, quem, qui vult, iſthæc narrantem apud Baronium conſulat.

Crucis virtus mira ad ignes reſtinguendos.

8. At quoniam multiplices diuina Crucis virtute intentatas orbi clades reteximus, quid Lithuanis Polonorũ ditionem inuadentibus, prædaſq; ex ea agẽtibus funeſtè contigerit his ex Cromero verbis excipiamus: *Sub annum Domini* (inquit) *M. CCCLXX. Lithuani excurſione in Poloniam facta, maximas prædas egere, & monaſteriũ mõtis Calui diripuerunt. Inter alia autẽ portionem Crucis Chriſti auro incluſã aſportabant, ſed cũ perueniſſent ad Poloniæ fines, plauſtrum, quo illa vehebatur, nulla vi, neque iumentorum, neque hominum moueri potuit: quia ſubitò concidebant exanimati homines, equi boues, & quicumque illud attigiſſent. Cùmque Lithuanorum Duces perterriti à Ruſſo quopiam cladis cauſam cognouiſſent, crucem cũ nobili captiuo ad ſuũ locum remiſere, & iter propoſitũ mox cũcti incolumes tenuerũt*. Præda quippè mox crucis, nec nõ mortis extitere, quotquot ſacrum Crucis theſaurum hoſtilẽ in modum prædari contendebant, ac indè certam pro contumelia vaſtitatem retulere, vnde pro impẽſis alij obſequijs ſoſpitatem diuinitùs hauriebant.

Maſſiminus Cromerus lib. 13. Thom. Bozi. lib. 15. de ſign. eccl. c. 21

Lithuani gentiles Crucis virtute exanimati.

9 Verũ quoniam hæretici, qui Eccleſiæ Chriſti vnitatẽ proſcindũt, inſenſoſque ſe Dominicę Crucis hoſtes exhibent, haud hic eorũ, qui crucem Chriſti cõtumelijs afficeret, clades, vaſtitateſque ſilẽtio pręterire voluimus. Hi enim cũ praua hæreſi vitiati, hoſtilibus inſuper armis validè cincti, valde vndiq; coarctarentur, ob religionis contemptum, & poſt viuificę crucis contumeliã, feſtiuo S. Crucis recurrente die in hoſtium manus venerunt, iuſtaſque pro illatis ſalutis, ſigno iniuriis miſeri contemptores pœnas dedere, vt in Ciſtercienſium Chronicis hoc modo habetur.

Hæretici vt dæmonis ſatellites, ita crucis hoſtes.

Memorat Petrus Vualſamienſis id, quod non licet ſilentio præterire, diuina prouidentia effectum eſſe, vt quia obſeſſi irriſiſſent ſignum crucis, in eius die feſto (*menſe nimirùm Maio*) *et caperetur caſtrum, & præcipui ex propugnatoribus eius trucidarentur. Quadã die* (inquit) *erexerunt noſtri propè murum Caſtri Vauri caſtella quædam de lignis ex cuius ſummitate Chriſti milites poſuerant ſignum Crucis. Aduerſarii verò ad Crucis vexillum inſtantiùs cũ machinis iaciẽtes, inde ſupradictæ Crucis brachium confregerunt. Statim canes impudentiſſimi tantùm emiſerunt vlulatum pariter, & cachinnum, ac ſi de confractione Crucis maximam victoriam reportarent. Sed dedicator Crucis iniuriam iſtam miraculoſè, & manifeſtiſſimè vindicauit: Contigit autem nõ multò poſt res mirabilis, & mirificè extollenda, quòd Crucis inimici, qui de crucis confractione exultauerant, Cruce iniurias ſuas vindicante, in feſto Crucis capti fuerũt, ſicut inferiùs, oſtendemus. Hæc ibi, atq; hactenùs de Caſtri Vaurenſis expugnatione*. At quæ in eo ſupplicia inflicta hæreticis, iubente haud dubiè Abbate, Cuiræ Dei, idẽ, qui ſuprà Petrus pergit ſcribere.

Angelus Maniq. in Annal. Ciſter. tom. 3 an. 1211. c. 1. p. 537. n. 8. et 9.

Albigenſes ſignũ crucis telis appetunt.

Feſto crucis expugnati.

Mox eductus eſt de Caſtro Aymericus, qui fuit Dominus Montis regalis, et alii milites, vſq; ad octogintas. Nobilis autem

Manriq. in Annal. Ciſter. vbi ſup.

Extrema interneciore deleti.

autem Comes propoſuit, quòd omnes patibulo ſuſpenderentur: Sed cũ Aymericus, qui erat inter illos, ſuſpenſus fuiſſet, cadentibus furcis, quæ præ nimia feſtinatione terræ non fuerant benè affixæ, videns Comes, quòd magna mora fieret, alios occidi præcepit: quos peregrini auidiſſimè ſuſcipientes, deciderũt citiùs in eodem loco. Dominam etiam Caſtri, quæ erat ſoror Aymerici, & hæretica peſſima in puteum proiectam Comes lapidibus obrui fecit: Innumerabiles etiam hæreticos peregrini noſtri cùm ingenti gaudio combuſſerunt. Ex quibus contra impios Crucis Dominicæ violatores è cœlo dimicatum eſſe, diramq; ipſos pro contumelia cladem accepiſſe innoteſcit.

Odor. Rain. to.13. an.1247 nu.77.

10. Ad quod item euincẽdum portentoſã alterã hominĩ in Chriſti crucem cõtumelioſo inflictam diuinitus cladem ex Nangio apud Rainaldum, ſuiſq; Eccleſiaſticis annalibus inſertã ſubteximus. Saracenus namque dum ſacroſancto viuificæ Crucis ſigno ſacrilegus, iniuriam mingendo infert, infelici protinus, repentinoque exitu ſublatus eſt; ab ipſiſmet quippè belluis illatas ſalutari crucis vexillo contumelias vindicari probè edoctus, pro cõtumelia honorem, cultumque meritum afferre debuerat: Sed rem Nangio enarrante diſcamus: *Anno* (inquit) *Domini M.CC.XLVII. mẽſe Iunio accidit miraculum quoddam apud Iconium Turquiæ Ciuitatem in loco communi, vbi crux erat ſculpta in quodam palatio. Quidam enim iaculator ibi ſtabat, & in facie omniũ aſtãtium cum vrſo ludebat. Vrſus autem leuato crure, ſuper crucem propè ipſum exiſtentem minxit, ſtatimque omnibus videntibus ibidem expirauit. Cùmque Chriſtiani aſtantes ſuper id, quod acciderat, Dominum benedicerent, atq; laudarent, quidam Sarracenus indignatus eſt valde; quòd ibi ſuper miraculo facto Chriſtum attollebant. Ideòque accedens in impetu, tanquam in contẽptũ ipſius Crucis, & Chriſtianorum, cũ manu crucem percuſſit; ſtatimque brachium eius cũ tota manu, quæ illã percuſſerat totaliter exaruit. Iterumque Sarracenus quidam alius ebrietati vacans, illamque Chriſtianorum admirationem, & laudem vilipendens, continuò quaſi amens à potatione ſurrexit, & in contemptum Chriſtianitatis ſuper Crucem mingere volens, morte ſubitanea percuſſus interijt: ſicque Chriſtianorum multitudine Dominum magnificãte ſuper tribus miraculis iam ibidẽ oſtẽſis, quidam Græcus inſpiratione diuina inflammatus acceſſit ad baiulum Ciuitatis rogans, vt illum locum, vbi crux prædicta erat inſculpta, venderet, in quo ad honorem Dei, & Sanctæ Crucis Eccleſiam permitteret ædificari, pro quo etiam ſi id ſibi facere cõcederet, promiſit, quod viginti duo millia ſoldanorum Soldano daret. Quod Epiſcopus Torquiorum audiens, fieri omnibus modis, quibus potuit, impediuit.* Hæc Nãgius de vltione Saraceno, qui Crucis ſigno impiè inſultarat, diuinitus inflicta, quæ etiam apud Vincentium Bellouacenſem pari deſcriptam methodo videre eſt.

Nangius de geſtis S. Ludouici.

Prodigium quod Iconii apud Turcas contigit.

Saracenus alius crucẽ dehoneſtans repentina morte percuſſus.

11. Atqui portentoſum planè eſt, quòd Aleatori impio, qui tum cruci, tum etiam Chriſto Domino in ea clauis ſuffixo perditè contumelioſus extiterat, diuinitus accidit; poſt contumeliam enim continuò, diráq; non niſi numinis impulſu cladem à lanio accepit, vt Tilmannus Brẽdebachius his verbis demonſtrat: *Buda* (inquit) *Pãnoniæ vrbe duo aleatores ità cõuenerunt, vt alter in Dei nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui Deũ nequitiæ fautorẽ faciebat pecunias omnes, ipſas quoque veſtes amiſit, intempeſta*

Contumeliæ in Dominã crucem, vltio protinus reſpondit.

Tilmannus Brendemb. lib. 3 collat. ſacr. c. 13 ex lib. 14 ſpecul.

Digitized by Google

ſta nocte deſperabundus domum rediẽs per cæmiterium iter facit. Ibi Saluatoris crucifixi imaginem conſpicatus ira & furore plenus, ſaxum arreptum violenter fronti illiſit. Miraculoſè igitur ſaxum in vulnere hæſit, & copioſus ſanguis profluxit,

Chriſti effigies læſa ſanguine manat

Cæmiterio vicinus habitabat lanius ſenex podagricus, is per quietem vocem incertam audit, ſurgeret, & cultro proximum quemuis ſibi obuiam factum confoderet. Quàm vocem cùm tertio iteratam, multis cùm minis inſtãtem audiuiſſet, parere decreuit. Itaque cùm priùs ne mouere quidem ſeſe lecto poſſet, impigrè ſurgens, laniario cultro arrepto in Cæmiterium deſcendens aleatorem infelicem furibũdum ſibi obuiam factum cultro cõfixit. Hoc patrato facinore, Iudicis ædem accedens, aditum, & colloquium poſtulat.

Sacrilegus diuinitus cæſus.

Iudex non credere, ſed phantaſma dæmonis arbitrari: tandem admiſſus ſomnium, & cædem indicat: Cùm iàm illuxiſſet, ad cæmiterium conueniunt, cadauer circumſtant. Interim dæmones cũ terribili vlulatu in ſublime raptum cadauer ex hominum conſpectu abſtulerunt. Ea res præter vulnus Crucifixo illatum aleatoris perfidiã arguit, & lanium à periculo liberauit. Vides concitã ex impio ſacroſancta tũ crucis, tũ Crucifixi contemptore expetitam diuinitus vltionẽ; qui enim impio tàm ore, quàm manu, diuinis reparationis noſtræ myſterijs inſultare auſus fuit, lanio diuina voce excito, brutorum, ac pecudum inſtar laniandus, iugulandusque traditus eſt.

Eius cadauer abreptũ à dæmonibus.

12. Porrò Crux Chriſti, vnicũ ſalutis noſtræ ſymbolum, cui ſummus honor debetur, ne dũ ab hominibus, ſed à brutis quoque acceptas haud impunè iniurias abire permiſit. Ad quod pio lectori comprobandum, huc aptè referendum eſt, quod apud Indorum Regiones Elephanto, qui venerandum ſacroſanctæ Crucis ſignum deiecerat, contigiſſe fertur, vt ex annuis, probatiſq; Patrum ſocietatis eiuſdem litteris hunc in modũ deſcribitur: *In Pago non ità longè à Coulana Ciuitate Prouinciæ Indiæ diſſito, præcelſa crux defixa erat. Ad illam euertendam Regina miſit cũ ſuo Doctore, alijſque miniſtris elephantem, ſed adfuit vltor Deus iniuriæ: Nàm bellua crucem quidem eruit, & in proximum abiecit profluentem: Sed confeſtim diſrupta exanimata eſt. Et Naires, qui pecudem regebat, poſtero die interijt: reliqui omnes impij mandati adminiſtri, cũ alijs ſcelerati facinoris ſpectatoribus grauiſſimis puniti cruciatibus. Quibus malis territa Regina, facti pœnitens Crucem iuſſit reſtitui, quàm eodem adhuc hærentem loco, quo proiecta erat, inuenerunt, cùm tamen profluens rapidiſſimo impetu volueretur. Quæ res vna cùm admiratione maiorem etiam erga crucis ſignum venerationẽ, & Chriſtianis, & Ethnicis incuſſit. Sed Ethnici timore, Chriſtiani in omnibus his terrarum tractibus admirabili eam reuerentia proſequuntur. Multæ paſſim locis diuerſis iam dudum defixæ à Patribus cernuntur. Ad eas non viri, fœminæque tantùm, ſed pueri etiam tenera ætate, votiuas ſuſcipiunt peregrinationes: eaſque ieiuni nullo ſumpto cibo, obeunt, ſuas preces ſoluunt, dona offerunt, petita quoque conſequuntur.* Hæc ibi. Ex quo ampliori ſtudio sãctiſſimæ Crucis, tũ apud Chriſtianos cultus, tũ apud gentiles metus exindè, cũ in modum propagari cœpit, vt vnius clades belluæ, quæ Cruci haud impunè inſultauerat, nobilis Crucis Chriſti, ac Chriſtianorum triumphus extiterit. Crux igitur, quæ de membris Domini decorem hauſit, condignumque ſacro eiuſdem cruore perfuſa, honoris cultum ſibi pro-

Ex litteris annuis PP. ſociet. Ieſu ſub.an.94.95

Bellua crucem euertẽs repente exanimata.

Ductor belluæ poſtridie perit.

Cultum ab Ethnicis crucis ſignum.

promeruit, acceptas tàm ab hominibus, quā á belluis haud inultas iniurias præterit: Illud demum hic ſub extremā huius narrationis periodū, quod hæretico homini, Crucis ſigno petulantiùs inſultanti, funeſtè obtigit, dictis hactenùs coronidis inſtar Brēdembachio narrāte ſubteximus: *Subiungitur* (inquit) *& hoc exemplū memoratu dignum de duobus Geneua Lauſannam euntibus, cùmque tempeſtas grauis ingrueret, cùm tonitruo, & fulgure, atque alter illorum ſe ſignaculo ſanctæ crucis, antiquiſſimo Chriſtianorum ritu muniret, alter eum irridens: ſiccine, inquit, vis muſcas à naſo tuo abigere: nam huiuſmodi facetijs omnia ſacra ludificantur, & ecce protinus denuò cœlum intonat, idemq; ille irriſor fulmine percuſſus emoritur, altero iſto cruceſignato incolumi manente, qui mox rem geſtam per totam Geneuam diuulgauit; ad omnem progreſſum* (inquit) *Tertullianus, atque promotū ad omnem aditum: & exitum; ad veſtitū, & calceatū, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacūq; nos cōuerſatio exercet frōtem crucis ſignaculo terimus*. Crucis igitur ſacroſanctę aduerſus impios inſultantes gloriam his, aliiſque portentis toto Chriſtiano orbe mirificè adauctā, propagatamque recoluiſſe ſufficiat.

Tilman. Bren d. in l. ach. mi l. 7. collat. ſacr. c. 58.

Crucis ſignū deridens Caluinita percuſſus fulmine.

Crucis ſignaculum Chriſtianis munimentum eſt.

CAP. XVI.

Crudeles infeliciter pereunt.

1 SAeuire hominem, qui ad manſuetudinem diuino opificio formatus eſt, nullo pacto decet: *Crudelitas quippè* (vt moralis aiebat philoſophus) *minimè humanū malum eſt, indignum tam miti animo*. Feræ namque, quibus crudelitas inſita eſt, haud ſemper, & nonniſi, dum ad famem duntaxat explendam prædæ inhiant, ſæuitia, & ſanguine delectantur: adeòque, qui crudelitatem in homine exercēt, ipſis proculdubio belluis deteriores pronunciandi ſūt, humaniſque reiectis ad ferinos tranſiſſe mores cenſendi. *Ferina* (inquit) *iſta rabies eſt. ſanguine gaudere, et vulneribus, et abiecto homine in ſylueſtrem animum tranſire*. Seruilis itaq;, abiectique animi nota eſt crudelitas, vbi è contra lenitas, ac manſuetudo eos demum magnos renuntiat, qui iraſci neſciunt, qui obliuiſcuntur iniurias, qui denique vltionem non expetūt, ſed vel læſi interdū, à remordendo tēperant. *Magni* (inquit) *eſt animi proprium, placidum eſſe, tranquillum, et iniurias atque offenſiones ſemper deſpicere; muliebre furere in ira*. Nobiliores etenim feræ, ne crudeles, niſi cum famelicæ ſunt videātur, naturæ quodam inſtinctu manſuetudinem edoctæ inultas facilè iniurias patiuntur. *Ferarum* (inquit ille) *nec generoſarum quidem præmordere, & vrgere proiectos. Elephantes, Leoneſq; tranſeunt, quem impulerunt. Ignobilis beſtiæ pertinacia eſt*. Hinc deteſtanda planè in hominibus crudelitas, quæ ipſis grandioribus beſtiis, etſi congenita, naturæ tamen ductu adeò inuiſa eſt.

Sen. lib. de Clem. c. 24

Crudelitas in homine maximè execranda.

Senec. vbi ſup.

Senec. vbi ſup.

Crudelitas vilis, abiectique animi nota, & nil ita ingentis conuenit.

Sen. de Clem. c. 5.

2. Verū peſtis hæc, vbi hominū animo ſemel inſedit, & ad iras, vltionemque præcipites agit, impunè vix vnquam abit, & quæ aliis pręter modum pœnas intentat, iuſtas à ſe quoque haud ſerò pœnas repoſcit; Quod & in Apibus videre eſt; hæ enim ad vlciſcendum armatæ, dum ſuos aculeos exerunt, ſęuiuntque alienis miſeræ

Sæuitia vix vnquam impunita remanet.

Digitized by Google

ſeræ vulneribus cruentę vitā finiunt: *Iracundiſſimæ nāque* (Philoſopho teſte) *ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt Apes, & aculeos in vulnere relinquunt, Rex ipſe ſine aculeo eſt; Noluit illum natura, nec ſæuum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere, telumq; detraxit, et iram eius inermem reliquit.* Salubri itaque deriuato ab Apiculis documento vlciſci, ne dum ſæuire in hominem homines dediſcant, & à reliquis quantumuis per ſe feris belluis māſuetudinis exempla deſumāt.

Sen. lib. de Clem. c. 19. Apicularū exemplo vltio ab hominibus fugiēda

3. Atqui homines à ſe ipſis adeò per ſæuitiam degeneres fiunt, vt ac ſi ferarum æmulari lenitatem dedignentur, in primæuos earumdē mores tranſire furendo non vereantur. Indè fit, vt iam plus homini ab homine, quā à feris ipſis timendum ſit; quod facto Darius ille Medorū Rex docuit, qui Danielē ſeruare innoxiū cupiens, hunc neceſſitate adductus leonibus ipſis obiecit, eumdem vix ab hominum furore tutū fore ratus: *Quamobrem obſignauit* (inquit ſcriptura) *annulo ſuo, et annulo optimatū ſuorum, ne quid fieret contra Danielē. Qui enim* (vt Hieronymi verbis vtamur) *de leonibus ſecurus eſt, de hominibus pertimeſcit.* Quod ſanè rex eo cōſilio fecit, quaſi magis homini ab hominū foris inſidias parantiū, quā à leonū intus ferociētium feritate metueret; Enimuerò quem ille à leonibus illęſum fore non deſperabat, eidem ab inſano hominum liuore ſollicitè prouidebat. Quod & Eliæ quoque dum terra, marique profugus ageret, accidiſſe memoriæ proditum eſt. In eius quippè obſequio, in quē Acab, & Iezabel ad necem expetendo ſæuiebant, Corui immite, & ſanguinarium volucrum genus, opportunam prophetæ eſcam miniſtrando miteſcere, ſeque ad alienum ſuo ingenio

Magis ab homine hominum quā ferarum crudelitate timendum.

Daniel 6. 17.

Corui crudeles alioqui volucres Eliæ adblandiuntur, in quem Reges impii ſæuiūt

blandiendi officium componere viſi ſunt. Ex quo Cyprianus humanam crudelitatem carpendi, perſtringendique aptum deriuans argumentum: *O' humanæ* (inquit) *malitiæ deteſtanda crudelitas! feræ parcunt, aues paſcunt, homines inſidiantur, et ſæuiūt.* Quod & in Iona ab hominibus in mare ad certum naufragium proiecto, & ab immani Cœte intra alueum tuti ad inſtar nauigii excepto maniſeſtiſſimo comprobatur exemplo: *Quem enim* (inquit Hieronymus) *malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit.* Idem quoque beatiſſimis Chriſti martyribus Abdon, & Sennen contigiſſe nouimus, quibus cū feræ ſuū præter morē diuino planè nutu pepercissent, barbari gladiatores ſæuientes diram ferro necem intulere. In quos concinnè, eleganterq; Martha Marchina virgo Parthenopenſis pietate, ac eruditione hoc noſtro ſæculo celebris, metro hunc in modum luſit;

Cyprian. ser. de orat. Dom. Beſtiç ſāctis viris miſerando deſeruiūt & homines ſe in eoſdem crudeles exhibent.

Hieron. vel qui auctor ep. 29. de reſurr. Dom.

Quos nec dente Leo, nec ſarmata læſerat vrſus,
Romano lictor perfidus enſe ferit.
Si potuit Roma, humanos dediſcere mores,
Mirer barbaricos dedidiciſſe feras?

Mart. March. in ſuis carm. de SS. Abdon. Senen,

4. Ferina quippè ſibi iure meritò in Romanorum pectoribus palmam crudelitas vēdicet, dum nouis, inſolitiſque modis ferę ad parcendū, commiſerandumq; promptæ, ac faciles miteſcunt, & ac ſi lædere neſciæ, omni pietatis officio inſontes proſequuntur. Etſi quidem barbari homines, vt omnem humanitatem exuerent, pietatemque à ſe abdicarent, haud ſemel patriis è ſedibus pios homines extorres fecere, vt dum hi ſe tutos nunſquam, nulloque dignatos hoſpitio vident, ad ferarum latibula cōfugientes, ex inſperato recepta-

Genſericus in Valerianum ſæuiens exilio mulctatum ſub dio pernoctare cogit.

Digitized by

ptaculum inuenirent, adeoq; dũ terra vbique per ſummum nefas proſcribuntur, cœlo felicius tandem adſcribantur, Quapropter barbarus ille Genſericus Vuandalorum Rex, dũ patria ſuis ciuibus tecta per ſummã iniuriam inuidet, Valerianum digniſſimum Chriſti pugilem in via publica ſub dio iacere compulit, ibidemque ſæuientis cœli incommodis afflictatũ pernoctare iuſſit; Rem verò eadem Martha Marchina ſuis aptè carminibus beato viro gratulabunda, ſuâq; impio tyrãno ſæuitiam exprobans hunc in modum expreſſit:

Mart. Marchin car. de S. Valerian. mart.

Omnibus exluſus tectis, excluſus & agris,
Cogeris in media membra locare via.
In terris ne quære domum cœli incola, poſthac
Te manet in patriò dignior axe locus.
Sperne Chorintiaco rutilãtes marmore ſedes:
Hæc te, quam calcas, ſemita ad aſtra feret.

Quæ verò acerba magis pæna, ingenuoq; homini iniuria, quã nullius criminis reũ patrijs, ſedibus exulare? & quæ piorum ſors hominum felicior, quàm mundi exules, ciues cœli: ac domeſticos Dei barbari vnius calculo renunciari? quos enim terreno ob Chriſti fidẽ tyrannus hoſpitio excludebat, hos procul dubio vel neſciens, vel inuitus promerentes cœlo inſerebat.

Cœlo donantur, qui terrena domo excluduntur

5. Sed hæc leuiſſima omnia videri queunt præ nobili, ac paſſim per hominũ ora iã decantata impij Neronis crudelitate, qui cũ iam ciuium cruore madidus ipſum patriæ ſolum immanè cædibus reſperſiſſet, tandem ſemet ipſum, vt noxio ſuimet terram, patriumque ſinum ſanguine, ob tot ſublatos inſontes expiaret, ferro iuſtiſſimè deuouit; Adeò vt qui alijs Nero fuerat, iuſto Dei conſilio ſibi quoque non defuerit Nero; Poſt quã igitur impius patriam incendit, matremque ſuſtulit, ſupplicio dilatus, ſed iam ferro addictus, haud ab alio, quàm à ſe ipſo, crudelis vt pote crudeliter impeti, ac è medio tolli meruit; Hic enim vnus, cũ vniuerſũ gladio Senatum demetere, ac Romanos proceres tollere decreuiſſet, vix iã ex his, qui conſulatum ſub ipſo geſſerant, alter vllus Neroni ſuperſtes fuit; quapropter cõgruè Plinius Iunior iſthæc in rẽ præſentẽ expreſſit: *Quid enim* (inquit) *tã circumciſum, tàm breue, quã hominis vita longiſſima? An non videtur tibi Nero modo fuiſſe: cum interim ex ijs, qui ſub illo geſſerunt conſulatum, nemo iàm ſupereſt.* Quod & paribus à Suetonio verbis cõprobari videtur: *Conſules* (inquit) *ante tẽpus priuauit honore, atque in vtriuſq; locum ſolus inijt conſulatum: quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari niſi à conſule, ac ſuſceptis facibus.* In omnes quippè Neronis gladius impune, ac liberè graſſabatur: ſed vt ſcelerũ tandem ſceleſtiſsimus pœnas exolueret, condignus ſibimet carnifex deſtinatus eſt.

Funeſtum in Nerone exẽplum.

Plin. Iunior ep. lib. 3. ep. 7.

Suet. in Nerone c. 43.

6. Nero igitur à Prætorianis militibus derelictus, deſperatiſq; iã rebus violẽtas ſibi manus cõſciuit. Sed hęc interim ex Baronio accipiamus: *Cũ* (inquit) *quod ipſe Nero conceperat, vniuerſum Senatum interficere nõ poſſet, & à Prætorianis militibus deſertus eſſet, deſperatione melioris ſtatus omnino deficiens, vili indutus veſte fugam arripiens, vna cũ tribus, vel quatuor libertis in prædium vnius ex his Phaõtis nomine inter viam Salariam, & Nomentanam, quarto ab Vrbe lapide poſi-*

Baron tom. 1 an. Chriſt. 70 n. 3.
De illius fuga ex vrbe & captata latebra

poſitum venit: Vbi in ſpelunca deliteſcens, cũ equites ſe quærentes aduentare cognouit, ſibi ipſe licet pauidus intulit manus: quem ægrè morientẽ vnus ex libertis Epaphroditus confecit, quarto Idus Iunij (ea die, qua olim Octauiã coniugem interfecerat) agens ſuæ ætatis annum trigeſimum ſecundum, cũ imperaſſet annos tredecim, menſes ſeptem, & dies viginti octo. Hęc de cruento Neronis exitu Baronius.

Prima perſequutio in Chriſtianos à Nerone indicta *Tertull. apolog. c. 5.*

Et Neroni quidem ob crudelitatis infamiam, primãq; in Chriſtianos Romæ agentes, quæ indicta eſt perſequutio, aſcribendã omnes ferè ſcriptores vno ore affirmant, ac Tertullianus inprimis, qui iſthæc habet: Conſulite (inquit) *commentarios: illic reperietis primũ Neronẽ in hãc ſectam tum maximè Romæ orientem Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Qui & in ſcorpiaco paribus Neronem verbis Romanæ in Chriſtianos perſequutionis auctorem proclamat: *Vitas* (inquit) *Cæſarum legimus, Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit.* Quibus ſanè verbis nonniſi ad Suetoniũ, Baronio teſte, alluſiſſe voluit, iſthæc de Chriſtianis ſcribẽtẽ: *Afflicti ſupplicijs Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ, & maleficæ.* Eiuſcemodi enim Chriſtiani olim à gentilibus probris, atq; criminibus paſſim prænotabãtur *Quos*, vt Baronius ait, *modò præſtigiatores modò impoſtores, modo ſophiſtas execrabiles Critias apud Lucianum appellãt in Philopatro, apud quem, & illæ de ipſis irriſiones ipſius Critiæ, euangelicam ſubſannantis prædicationem, & in hunc modum deridentis, ac deteſtantis, leguntur: Phy Phy Phy Phy, megas illas. Heũ, Heũ, Heũ, Heũ, conſultationes malas: Væ, Væ, Væ, Væ, ſpei inani.*

Baron. tom. 1 Ann. Chriſti 66. n. 9.

Tertull. in Scorpiaco. 14

Suet. in Nerone c. 16 Suetonii in Chriſtianos blaſphemũ conuitium.

Baro. vbi ſup.

7. Illam autem Nero Chriſtianæ inſectandę Religionis occaſionẽ, quæ à ſacris quoque ſcriptoribus aſſertur, auſpicatus eſt; quòd inſtaurandæ Vrbis deſiderio incenſus, ac antiquæ faciem peroſus, vt ſuã abolendæ manum admoueret, ignem, priùs Vrbi admouit, ex quo ſubinde incendio, cùm omnium animi in incenſorem exarſiſſent; ipſe, vt ſe purgaret, Vrbanæ conflagrationis crimen Chriſtianis, eorum expiandum ſanguine impegit, calumnia igitur, ac Principis crudelitas exquiſitiſſimis Chriſtianos veluti incẽdiarijos pœnis, ac demum exitio ſubiecit, vt Tacitus rem geſtã his verbis deſcribit: *Sequitur* (inquit) *clades, fortè an dolo Principis incertũ: nam vtramq; auctores prodidere: ſed omnibus, quæ huic Vrbi per uiolentiam ignium acciderunt, grauior, atque acrior; initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino, Cælioque montibus contigua eſt &c.* Sed funeſtam tunc vrbis inter ignes faciem in cõmuni vaſtitate ob Principis inuidiam, crudelitatemque alijs ſubindè verbis repreſentat, ad quem lectorem remittimus.

Incenſa vrbs Nerone ſuperbiente

Tacitus lib. 15. hiſt.

Et certè non alium quàm Neronem, vt ſuæ morem gereret crudelitati, incenſæ Vrbis, cuius ille rogo gaudebat, auctorẽ pronũciãdum quis non videt? At perfidus ſibi crimen reſeruans, inſontibus famam, ac criminis pænam impegit, dum inurendã eiuſcemodi noxam innoxijs, exurendoſque, ac variis exagitandos modis Chriſtianos, vt turbas ſedaret, ad libitum in eoſdem ſæuiens ex condicto ſategit hæc enim Tacitus: *Sed non ope* (inquit) *humana, non largitionibus Principis, aut Deum placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incen-*

Crimen in Chriſtianos deriuatum.

Tacitus hiſt. lib. 15. in Nerone.

Digitized by Google

cendium crederetur. Ergò abolēdo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio Imperante per Procuratorem Pōtium Pilatum ſupplicio affectus erat: repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modò per Iudæam, originem eius mali, ſed per Vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturq; Igitur primò correpti, qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingēs, haud perinde in crimine incendij, quā odio humani generis conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarū tergis contecti, laniatu canū interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; vbi defeciſſet dies in vſum nocturni luxus vrerentur. Hæc Tacitus.

Taciti blaſphemæ in Chriſtum voces.

8. Funeſtis autem ſpectaculis ad indulgendum crudelitati, & ad miſerabilium pœnam ritè comparatis ſuos Nero hortos deſtinauit, vt idem Tacitus his verbis: *Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens: Vndè quanquàm aduerſus ſontes, & nouiſſima exempla meritos miſeratio oriebatur, tanquam non vtilitate publica; ſed in ſæuitiā vnius abſumerētur.* Hæc ille, qui dum Chriſtianos ob flagitia eū in modum exagitatos deſcribit, id certè ex eo cōtigit, quod cū hi gētiliū Deos conſtantiſſimè execrarētur, ob id vnū impij ab omnibus habiti, vel quod hæretici tunc quā plures obſcęna quæque perpetrantes ſub Chriſtiani nominis pallio euagarentur; ex quibus ſubindè perperam in Chriſtianos calumniæ, vt diſertè Baronius in ſuis annalibus tradit, corriuarēt; quod & Tacitus illis tacitè verbis inſinuaſſe viſus eſt, dum nomen

Tacitus hiſt. lib. 15. in Nerone.

Chriſtianū nomen crimini, & crimen nomini ab idololatris adſcriptum. *Baron. tom. 1 an. 66. n. 5*

ipſorum dumtaxat crimini, vel certè crimē nomini adſcriptū fuiſſe teſtatur: *Haud perindè* (inquit) *in crimine incēdij, quā odio humani generis cōuicti ſunt.* Quo planè modo Nero in inſontes ſæuire conſueuerat, adeò vt ſi quis ſibi inuiſus, tollendus è medio eſſet, falſa mox crimina, recēteſq; excogitatę calūniæ, nactis è veſtigio accuſatoribus in promptu eſſent, vt idē aptè Baronius ex Tacito recēſet: Idē enim ſcriptor ementitam in Chriſtianos calumniam ſat diluiſſe videtur, cùm Subrij Flauij Tribuni militū, ipſimet coram Neroni Vrbis incēdium exprobrantis verba recenſet: *Odiſſe* (jnquit) *cæpi, poſtquàm parricida Matris, & vxoris, auriga, hiſtrio & incendiarius extitiſti.* Et meritò quidē incendij crimē Suetonius Neroni adſcripſit, dum ait: *Nam & quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, & anguſtijs, flexuriſque vicorum incendit vrbem, tā palam, vt plerique conſulares cubicularios eius cū ſtupa, tædaque in prædis ſuis deprehenſos attigerint: & quædam horrea circa domum auream, quorum ſpatium maximè deſiderabat, vt bellicis machinis labefactata, atq; inflammata ſint, quòd ſaxeo muro conſtructa erant.* Hæc Suetonius, eademque Diō, ac alij, quorum nemo eſt, qui inſontes Chriſtianos ei crimini affines dicere audeat.

Tacitus vbi ſup.

Bar. vbi ſup.

Tacit. hiſtor. lib. 15.

Obiecta paucis verbis multiplicia Neroni crimina

Suet. in Nerone c. 38.

9. At qui Neroniani huius incēdij flamma nobiliſſimos Chriſti martyres fecit, illuſtrauitq; ac veluti candidatorum Eccleſiæ primitias in cœlū prouexit, quorū ſpectatiſſima, ipſoſq; inter ignes rutilās virtus, in Romano Martyrologio, condignis laudū præconiis recolitur, ac perennis in Romana Eccleſia adhuc mentio perſeuerat: *Romæ commemoratio ſanctorū plurimorum Martyrum, qui ſub Nero-*

Romanorū martyrum primitiæ ſub Nerone.

rone Imperatore de Vrbis incendio per calumniam accuſati, diuerſo mortis genere ab eodem iuſſi ſunt ſæuiſſimè interfici, quorum alij ferarum tergis cõtecti laniatibus canum expoſiti ſunt, alij crucibus affixi, alijque incendio traditi, vt ibi defeciſſet dies in vſum nocturni luminis deſeruirent. Erant illi omnes Apoſtolorum *diſcipuli & primitiæ martyrum, quas Romana Eccleſia fertilis ager martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.* Hæc de Martyribus incendij calũnia notatis, quos Neronianæ perſequutionis, & crudelitatis gladius ad coronam prouexit.

Erant Apoſtolorum diſcipuli.

10. Nero igitur Chriſtianorũ ſanguine vix vnquam ad ſatietatem ebrius, cũ crudelitati ſuo ex more intẽderet, ipſe demum gladio demeti, ac ſuamet ipſius manu cadere promeruit. Verùm vt iſthæc vel obiter recenſeamus, adeò ſemper triſtis, inuiſaque Eccleſiæ Dei Neronis memoria fuit, vt Antichriſtus iure merito credi potuerit; Apoſtolus enim ad Theſſalonicẽſes ſub hæc potiſſimùm tempora ſcribens, ac de Antichriſto, ac ſi tunc viueret, proloquutus illud (vt Baronius adnotat) conſultò adiecit: *Myſterium iã operatur iniquitas.* Apoſtolum ſiquidem ad Neronem alluſiſſe Chryſoſtomus præcipuè teſtatur, cũ ait: *Neronem myſteriũ iniquitatis vocat dicẽs: myſteriũ enim nũc agit iniquitas.* Sed quòniam ab vno in alium errorem facilis via eſt, duæ ex Auguſtino, quod ad Neronẽ ſpectat, ſententiæ recẽſentur, quem nõnulli à mortuis ſurrecturũ, ac ipſum futurum Antichriſtum perperã arbitrati ſunt: *Vnde nonnulli* (inquit) *illum reſurrecturum, & futurum Antichriſtum ſuſpicantur. Alij verò nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potiùs, cùm putaretur occiſus; & viuũ occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit, cũ crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in Regnum: Sed multum mihi mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio.* Hæc Auguſtinus. Sententię verò, quę poſteriori loco recenſita eſt, Seuerus, etſi non auctor, aſſertor tamen accedit, dum ait: *Vndè creditur, etiamſi ſe gladio ipſe transfixerit curato vulnere eius eſſe ſeruatus, ſecũdùm illud, quod de eo ſcriptum eſt: vt plaga mortis eius curata eſt ſub ſæculi fine mittendus eſt myſterium iniquitatis exerceat.* Hæc & alia Seuerus; quę iure merito à Gelaſio inter apocripha (vt Baronius ait) reiecta ſunt. Cui itidem opinioni quæ Suetonius tradit, optimè conſonare videntur, dum eius ſepulchrũ magno hominis cultu habitum, ac diu, vt tãdem rediuiuus fieret, expectatum enunciat: *Non defuerunt* (inquit) *qui longũ tempus vernis, æſtiuiſque floribus tumulum eius ornarent, vt modò imagines prætextas in Roſtris proferrent, modò edicta, quaſi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuerſuri quin etiam Vlogeſes Parthorum Rex miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda ſocietate hoc magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique cùm poſt viginti annos, adoleſcente me, extitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe iactaret: tã fauorabiliter nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus ſit.* Hec Suetonius: ſed eadẽ magis perſpicuè Tacitus his quidẽ verbis: *Sub idem tempus Achaia, atque Aſia falſò exterrita, velut Nero aduẽtaret, vario ſuper exitu eius rumore, eõq; pluribus viuere fingẽtibus, credentibuſq;* Hæc ille, qui & de ſeruo arte, ac vultu ei quam ſimillimo, qui ſe Neronem

2. ad Theſſal. cap. 3.

Baron. tom. 1 an. 70. n. 34.

Chryſ. ſer. de alem. [illegible]

Primum ille Antichriſti membrũ, vel præcurſor extitit.

Aug. lib. de ciuit. Dei lib. 20. c. 19.

Falſa de Nerone reſurrecturo opinio

Seuerus hiſt. lib. 2.

Suet. in Nerone c. 57.

Graſſata per Parthos ea fama.

Tacit. hiſt. lib. 2.

Digitized by Google

nem eſſe confingens, flagitioſoſque vndique colligens, ad defectioné populos ſollicitabat, quem Calphurnius Aſprenas, qui tūc temporis ſub Galba principe Galatiam, atq; Pamphiliam adminiſtrabat, occidit. reſectūq; hominis caput ad abolēdam inualeſcentem vulgi opinionem in Aſiam, indèque Romam aduehendum curauit. Quin & Parthos non leuiter huiuſce Neronis fama permotos idē Tacitus his verbis affirmat: *Mota etiam propè Parthorū arma falſi Neronis ludibrio*. Spontanea igitur abſumptus nece Nero deceſſit, perpetuaq; inuiſæ crudelitatis infamia notatus obliuioni, ac tenebris addictus eſt.

Tacitus hiſtor. lib. 1.

At poſt recenſitam hactenùs cladem Neronianæ crudelitati, ipſiſmet ab ingenioſo ſcriptore inſculptis nūc notis parentare in ſtudioſi gratiam lectoris libet. Hæc igitur ille de funeſto Neronis exitu:

Ex libell. elogior. in 12. Cæſares Sueton. apud Th. ſa.

Hic inter priuatos optimus, inter Principes peſſimus fuit.

Regno dignus niſi regnaſſet.

Regno dignus Nero eruditus niſi regnaſſet.

Depreſſit illum fortuna, dum erexit.

Molles illius mores in duris, induruere in mollitie.

Atqui idē poſt multa, condignas barbari hominis laudes his planè verbis ſcriptor perennauit:

Ex eodem libell. elog. Depingitur ſuis coloribus.

Matris viſcera quæſiuit ferro, dubius an ferrea eſſent:

Cui occiſæ Romam fecit Rogum:

Patriam incendit, vt extingueret.

Romæ demum vitam reddidit, cū ſuā proiecit.

Qui Nero fuit alijs, ſibi non defuit Nero.

Iniuſtus alijs Iudex, iuſtus ſibi:

Alienum ſanguinem, quem biberat, per ſua vulnera regeſſit.

Ignis auara fuit Roma, quæ tantū ignem acceperat.

Defuit ext incto rogus.

Et hæc interim in Neronem hic, eiuſque cōdigna crudelitate probra potiùs, quā elogia cōgerēda voluimus.

12. Nec à præmemorato impius ille inter Imperatores Domitianus, acerrimusque Chriſtianæ fidei hoſtis ſecernendus videtur, qui cū ſæuitia cunctos anteiret, poſtquā, in viros, ac fœminas nobilitate præcipuas gladio animaduertiſſet, iuſtè pœnas ſæuitiæ dedit, prout Tacitus in vita Iulij Agricolæ, qui antè ſuorū funera ciuiū extinctus eſt, his verbis refert: *Nō vidit* (inquit) *Agricola obſeſſam curiam, clauſum armis Senatum, & eadem ſtrage tot conſularium cædes, tot nobiliſſimarum fœminarum exilia, & fugas*. Enimuerò, quod ad Imperatoris Domitiani ſæuitiā, Baronio teſte in ſuis annalibus, ſpectat, haud ſilentio prætereundum eſt, Domitianum, quoq; præ nimia crudelitate tragicos in miſerorum corpora in theatro caſus, ex vero repræſentare conſueuiſſe, quod Martialis de vera Laureoli Cruce epigramma, alijque palā edocent, vt Iuuenalis præcipuè funeſta hæc tempora verſibus hiſce deplorans:

Domitiani crudelitas nefariis exēplis nobilitata. *Baron. tom. 1 an. 98. n. 4. 5.*

Tacit. in vita Iulij Agricolæ.

Miſerorum ficti caſus ex vero à Domitiano repræſentantur. *Martial. lib. 1. epig. 7. de pœna Laureoli.* *Iuuen. ſat. 3 in fine.*

Qua fornace graues, qua non incude catenæ?

Maximus in vinclis ferri pondus: vt timeas ne,

Vomer deficiat, ne marræ, & ſarcula deſint, &c.

At qui cæteris bellum nimia actus crudelitate indixit, haud ſuum pacificè diem clauſit: ſed præſtat hic Baronium iſthæc narrantem audire. *Verùm* (inquit) *cū tàm atrociter in Chriſtianos perſequutionis impetus fureret, meruit Domitianus vlciſcente numine tandem gladio tolli*. Quod in ſuis

Baron. tom. 1 an. Chri. 98. n. 9.

ſuis

Digitized by Google

ſuis egregiè carminibus eodem Baronio teſte Iuuenalis cecinit: etſi gentilium more, probri, ac ignominiæ cauſa, Chriſtianos perindè, ac viliſſimos homines, haud alio, quàm Cerdonum nomine appellet, hæc dicens.

Iuuen. in ſat. 4. in fine.

Perit ob exercitã in chriſtianos ſæuitiam.

Atque vtinam his potiùs nugis tota illa dediſſet.
Tẽpora ſæuitiæ, claras quibus abſtulit Vrbi,
Illuſtreſq; animas impunè, & vindice nullo;
Sed perijt, poſt quàm cerdonibus eſſe timendus
Cæperat. Hoc nocuit Lamiarũ cæde madenti.

13. Hæc ille, qui non niſi propter effuſũ (vt Baronius inquit) vberrimè Chriſtianorum ſanguinem Domitianũ occiſum fuiſſe putauit. *Nã cũ ait* (inquit) *tunc illum perijſſe cùm cerdonibus timendus eſſe cæperat, haud dubium alludit ad necem ipſi illatam à Stephano Flauiæ Domitillæ Chriſtianæ fæminæ, quam in inſulam ab eo diximus relegatam, procuratore, qui ſimulans ſe de coniurationis indicio, illi offerre libellum, è brachio, quod ad collum appenſum fractam manum fingens doloſè geſtabat, exerens gladium, atq; percutiens, fortiter agens, illum ſe defendentem confodit, atque necauit: ſed hæc pluribus Suetonius, Philoſtratus, Dio, & alij, licet diuerſo modo rem geſtam referant. Occiſus eſt igitur Domitianus (vt idem Suetonius tradit) decimo quarto Kalendas Octobris, anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto, ac die prætereà quinto.* Hæc de cruento Domitiani exitu Baronius.

Baron. vbi ſup.

Vt cęſus ſit per inſidias à Domitillę procuratore.

Suet. in Domitian. c. 17 Dio in Domitian.

Sed iuſtè, violentaque manu propter ſua ſcelera Domitiano extincto, ob inuiſam crudelitatem attritis ſtudioſa ciuium opera, proſtratiſque eiuſdem ſtatuis, obſcura prorſus eius apud poſteros memoria remanſit; ſed rem ex Dione hic lectori delibandam volumus: *Flagrabant* (inquit) *odio in Domitianum ciues, quare ſtatuæ omnes tùm aureæ, tum argenteæ, in illius honorem conſtitutæ, ſubitò in maſſam conflatæ fuerunt: Arcus prætereà in eiuſdem vnius titulum, & nomen ſubſtructi euertuntur*; Hęc in Principis odium; ac contumeliam Dio. Ipſius inſuper nomen è ſaxis abradi, abolerique iuſſum his Macrobius verbis teſtatur: *Octobrẽ verò ſuo nomine Domitianus inuaſerat: ſed vti infauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo placuit eradi, menſis quoque vſurpatione Tyrannicæ appellationis exutus eſt.* Hæc ille.

Dio in Nerua.

Abraſum populari odio Domitiani nomen ...

Huic iure Antonius Caracalla iũgendus eſt, qui inuiſus cunctis tùm vita, tùm imperio, ob crudelitatis infamiam turpiſſimè excidit, de quo, vt eius haud obſcurè legentibus vitia, cuius ſatis per ſe clara exitu reddita ſunt, innoteſcant, hęc Spartianus: *Hic autem* (inquit) *omnium diriſſimus, & vt vno complectar verbo, parricida, & inceſtus, pàtris, fratris, & matris inimicus, à Macrino, qui eum occiderat, timore militum maximè Prætorianorũ inter Deos relatus eſt: habet templum, habet Salios, habet ſodales Antonianos.* Sed quid de funeſto eius interitu Dio enarret audiamus. *Antonius Imperator in Meſopotamia inter Edeſſam, & Carras, Matrini opera à Mariano Centurione pugione confoſſus occiditur, cùm imperaſſet annos ſex, mẽſes duos, dies quinque, ætatis annum agens vndetrigeſimum.* Hæc Dio.

Baron. tom. 2. an. 218. n. 1. Antonius Caracalla diritate teterrimus.

Spart. in Caracalla.

Dio in Antonin. Caracal.

14. Quanta autem vnus hic cęteros crudelitate antecelleret, vel ex eo coniici poteſt, quòd vel in ipſos ſanguinis affinitate coniunctiſſimos deſæuiret: Seuerum enim patrem gladio confodere pluries, vel fruſtra

Digitized by Google

tentauit, illæſum inter ipſas parricidæ manus, amicorum beneficio ſeruatum, vt Dio his verbis refert: *Antoninus filius palam ſua eũ manu occidere eſt conatus, nàm cũ ſorte equitarent vnà, equitaretque pariter reliquus exercitus, & hoſtium copiæ viderentur; Antoninus equo refrænato, magno ſilentio percommodè gladium diſtrinxit, vt tergum patris percuteret: quod vbi animaduerterunt ij, qui ſimul equitabant, exclamauerunt protinus, eoque clamore perterritus* Antoninus *ſe abſtinuit*. Eum verò redarguit (vt Baronius ait) qui rem ſenſerat pater, nec tamen quidquam ei moleſtiæ intulit, ſed tantùm obiurgauit: At licèt tum tẽporis rẽ diſſimulaſſet, tamen quod reliquum vitæ fuit cùm mœrore duxit, quippe qui etiam intelligeret, ipſum fratrem Getam, cùm primùm ei poteſtas daretur, interfectũ iri, *ſicq; mœrore magis* (inquit Herodianus) *quã morbo conſumptus, vita defunctus eſt*. Hæc ille.

Dio in Seuero

Parentem occidere meditatus

Baron. ann. 212. vbi ſup. tom. 2.

Herodiã. lib. 3

15. At quis Antonini pueritiã, eiuſque mores planè dociles, aptèque ad virtutem compoſitos, Chriſtiano quidem homine, ac nomine pariter dignos non miretur? Euodus enim illi nutritius extiterat, qui Chriſtianã mulierem coniugẽ ſortitus, optimos ex ea mores imbiberat, vt palã Tertullianus teſtis eſt, cũ ait: *Antoninũ Chriſtiano lacte educatum fuiſſe*. Porrò egregium illud Antonini pueritię Chriſtianis imbutæ moribus editũ iã tũ ſpecimẽ his à Spartiano verbis recẽſetur: *Huius igitur* (inquit) *pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, grata ſenatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris fuit. Nõ ille in litteris tardus, non in beneuolẽtia ſegnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, ſed ſub parentibus viſus: denique ſi quando feris obiectos damnatos vidit, fleuit, aut oculos auertit: quod populo pluſquàm amabile fuit: ſeptennis puer cùm colluſorem ſuum puerum ob Iudaicam religionẽ grauiùs verberatum audiſſet, neque patrem ſuũ, neque patrem pueri, vel auctores verberum diù reſpexit*. Hęc ipſe, qui per Iudaicam religionem (vt egregiè Baronius adnotat) Chriſtianam proculdubio fidem deſignaſſe, quæ ſupra ex Tertulliano recenſita ſunt, facile indicant; Id autem Baronius ex eo accidiſſe putat, quòd cùm Antoninus adhuc puer Chriſtiano lacte educaretur, colluſorem æquè Chriſtianum collactaneum, atque Euodi educatoris filium ſortitus ſit; quẽ tamen, quia Chriſtianam Antonino inter iocos (vt puerуli ſolẽt) religionẽ ſuaderet, Seuerus, ac Euodus pueri pater, qui ipſius educandi curam gerebat, bene ſuadentẽ puerum acriter plecti iuſſerunt. At *ob indignum* (vt idem Baronius ait) *facinus, æqua lance eſt penſata vindicta, nimirum, vt pater eum iam virum factum contumacẽ ſenſerit, quem adhuc puerulum à pijs ſanctiſſimiſque vitæ optimæ inſtitutis colluſoris verberibus diſtraxiſſet, diuulſiſſetque; paternis enim monitis, eum à puero excedentem, animo elatiorẽ, vultu que trucem redditum eſſe tradunt. Sed, & pueruli pater meritò de verberibus inflictis puero pœnas dedit, dum vt mox dicemus, ab eodem Antonino vna cũ alijs occidi iuſsus eſt*. Hæc in rem præſentem Baronius.

Tertull. ad Scapulã n. 4.
Vt educatio rem optimã corruperit.

Spart. in Caracalla.

Signa virtutis in puero viſa.

Illata puero verbera ſentit, ac ſi ipſe iã alter verberatus fuiſſet

Baron. vbi ſupra.

Tertull. vbi ſupra.

Baron. vbi ſup. to. 2.
Pater a filio ad necẽ expetitus, ſuæ in eodẽ educando impietatis pœnas dedit.

16. Antoninus igitur, qui tam bonam de ſe ſpem cũctis præſagiſſe viſus eſt, quod ad mores, quos à teneris vnguiculis vna cùm lacte ſuxerat, demum ſub ſceptro abortum fecit; in vitia quippe & in omnẽ crudelitatem præceps, ſe, ac Regios faſces vna cùm moribus turpiſſimè

Virtutes cõmutauit cũ vitiis.

ſordi-

ſordidauit; ſubſequuto enim patris, quem intenſè cupierat, obitu, Romanique Imperii vna cùm Geta fratre adminiſtrationem nactus, longè aliũ ſe ab eo, qui pridẽ fuerat, præbuit, vt Herodianus his planè verbis enarrat: *Ille* (inquit) *qui diutiùs morte patris expectata, ac pro uiribus intẽtata, ſero nimis (vt ſibi videbatur) voti compos factus erat, ea audita, nactus ſtatim ſummam imperij poteſtatem, confeſtim* (inquit Herodianus) *vniuerſos ab ipſo lare (quod aiunt) interficere cæpit: nam & medicos ſupplicio affecit, quod ſibi parum obtemperauerant iubenti, ſenis maturare necem, nutriciòſque ſuos iuxta, & fratris, quòd de reconciliandis eis egiſſent, ne vno quidem reliquo ſuæ crudelitatis facto ex eo ordine hominũ, qui in honore aliquo fuerant, quique eius parentem obſeruauerant:* Hæc Herodianus. Ex nutritiis autem, qui primùm apud principem obtinere locum videbantur, Euodus eodem iubente neci traditus eſt.

Herodianus lib. 3. in fin.

Medicos occidit, quod agere nollet veneficos.

17. Quantam verò is vnus Alexandrinorum ciuium ſtragem fecerit, vel ex eo palam fit, quòd cum idem Antoninus Germaniam, indè Aſiam, ac Syria poſtmodũ peragrata Alexandriam veniſſet, vt de Aegyptiis ſe irridentibus vltionem caperet, ſuæ ibidem pluſquam alibi morẽ geſſiſſe crudelitati viſus eſt, vt Spartianus inculcat: *Dato namque* (inquit ille) *ſigno militibus, vt hoſpites ſuos occiderent, magnam cædem Alexandriæ fecit.* Rem verò geſtã Dio fuſiùs his planè verbis proſequutus eſt: *Antoninus* (inquit) *licet ſe maximo amore proſequi Alexãdriã oſtenderet, tamẽ ciues eius omnes penè ſuſtulit: cùm enim ſe ab eis argui, & illudi intelligeret multis de cauſis, ſed præſertim propter cædem fratris; diſſimulata ira profectus eſt Alexandriam, fingens ſe magno eorum deſiderio teneri.* Et poſt multa, hæc in rem præſentem ſubtexit: *Et ne ſingillatim calamitates perſequar, in quas tunc miſera vrbs incidit; tantam in ea cædem fecit, vt non ſit auſus numerum interfectorum proferre. Sed ſcripſerit ad ſenatum non referre qui, & quot occiſi eſſent, propterea quòd omnes idem meriti fuiſſẽt.* Plura Dio de cædibus à barbaro homine patratis, de latrociniis quoque in ciues, ac peregrinos exercitis, ac demum de templis Deorum eiuſdẽ manu expilatis meminit: Porrò condignas tunc potiſſimùm tẽporis Alexandrini (vt Baronius ait) de Chriſtianis, quos ſub Seuero principe acerbiùs inſectati fuerant, diuino pœnas nutu dedere.

Spartl. in Caracalla.
Alexandriæ in Aegyptios deriſores ſæuit.

Dio in Caracalla.

Dio vbi ſup.
Inſignem in Alexãdrinos crudelitatẽ exercuit.

[illegible] vbi ſu pra.

18. Ex quibus profectò palã fit, quantum Antoninus à ſe ipſo mutatus, in immania quæque ſcelera proſilierit: Sed quia, vt ſacræ docent paginæ: *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos.* Ipſe quoque ſibi, ac vitæ, non tàm diebus, quàm criminibus traductæ, non parum (vti mos peccatorũ eſt) pertimeſcens dũ vindictã, quæ in ianuis cõſciẽtia extimulatus adeſſe præſenſit, magicis cõſulendis artibus, perſcrutandiſq; totum ſe addixit. Cùm enim de futura breui (vt Baronus ait) eius morte plura, nec obſcura quidem præſagia eſſẽt, ipſe dæmonum vſus opera, magiciſq; fretus ſuperſtitionibus futura, quo ſibi conſuleret, prænoſcere ſatagebat: ſed nobis in rem præſentem Dio, qui iſthęc de eo ſuggerit, conſulendus eſt. *Ipſe inuocatis* (inquit Dio) *multis dæmonijs malum ſtudebat effugere.* Eadem planè de flagranti eius ſectandæ magiæ ſtudio his quidẽ verbis Herodianus meminit: *Cũ ſuapte* (inquit) *natura curioſior eſſet, non huiuſmodi modò res cognoſcere*

Alienæ vitæ inſidiatores ſuum ſuccidunt.

Baron. vbi ſupra.

Dio Elagabalo.

Herod. lib. 4.

re ſtudebat, ſed deorum, dæmonumq; etiam rimari arcana; metuque ſemper inſidiarum, nullis non oraculis incumbebat, accitis vndiq; Magis, Aſtrologis Aruſpicibus, ac nullo planè prætermiſſo, qui huiuſcemodi fallacias profiteretur, ſed eos quoque ſuſpectans, vt parum vera loquentes, omniaque ad aſſentationem vaticinantes, ſcribit ad Maternianum quemdam, cui rerum ſuarũ omnium curam in Vrbe crediderat, & quem ſibi ex amicis omnibus fidiſſimum putabat, conſciumque omnium ſecretorũ habuerat, magos vndique optimos conquirat, atque euocatis Manibus de fine ipſius vitæ conſulat:

De vitę exitu pręsagia tores cõſulit

Vtinam vir ſibi malè conſcius, vitia, quibus ſcatebat, metu adactus amputando, & quæ hactenus malè egerat retractãdo. Magis, quibus præfidebat, omnino poſt habitis, virtutem amplexatus benè ſuis iam rebus proſpiciens vel ſerò ſapere dediciſſet. Funeſto igitur exitu gladiis confoſſus vitæ, ac vitiis, at non vitiis priùs, quàm viuendo finem fecit.

19. Verùm hic, vbi de crudelibus ſermo eſt, Phocas quoq; Imperator, homo æquè impurus, ac ferus adnumerandus eſt, qui cùm ad Romani culmen Imperii euectus, publicam impiè rẽ adminiſtraſſet, quã pluribus ſe cœdibus obſtringẽs, ſtupris præſertim, inceſtuoſiſq; maritales talamos probris violaſſet, Deo tandem ſcelerum vindice infeliciter ſublatus eſt; nauali quippè bello ab Heraclio, qui iam Imperator renũciatus fuerat, & à militibus expugnatus dirã vltrò iuſtã que cladem accepit, vt rem Cedrenus deſcribit: *Tunc* (inquit) *Photinus quidam, cuius vxori Phocas ſtuprum intulerat, in regiam cùm militibus irrumpit. Phocam ignominiosè è ſolio detrahit, Imperatoria veſte ſpoliat; nigraque circumdatum veſte, & numellis incluſum contemptim ad Heracliũ deducit. Qui vt primùm conſpexit Phocam: miſer (inquit) itá ne rempublicam gubernaſti? At deploratus Phochas reſpondit: tuum eſt rectiùs eã gerere: Illicò autem Heraclius iubet manus, & pedes, mox humeros, & pudenda amputari, tandem & caput: quod reliquum fuit, milites in foro Bouis combuſſerunt.* Hic tandem poſt mille dedecorum probra vir cruentus viuendi finem fecit. Hic autem adeò cunctos improbitate anteire viſus eſt, vt illo ad regnandum deterior nemo inueniri potuerit, vt pote qui ob plectenda (quod populi merebãtur) delicata ad thronum euectus à Deo fuiſſet, vt ex his, quæ conſpicuæ ſanctitatis monacho diuinitus reuelata ſunt, innotuit: quod item, à Cedreno his verbis exponitur. *Porrò* (inquit) *quidã ſãctus Monachus Phoca imperante Deum ad diſceptationẽ prouocans quæſiuit, cur tã impium Chriſtianum impoſuiſſet* Imperatorem? *Audiuitque vocem, cùm quidem neminẽ videret ſibi dicentem:* Deteriorem illo *alium inueniri potuiſſe nullum, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia.* Propheticum quippe illud adimpleri tunc oraculum contigit: *Qui propter peccata populi regnare facit hypocritam.* Phocam igitur orientaliũ imperio ad Conſtantinopolitanorum hominum plectendos mores, Dei tũ prouidentia, tùm indignatio præfecit.

Phocas impurus, et ferus.

Baron. tom. 8. an. 609. nu. 3

Cedreni in Phoca.

Crudelis Phocas ab Heraclio crudeli morte conſumptus.

Cedrenus in Phoca.

Iob. 34. 30

20. Porrò Heraclium quoque Conſtantinopolitanam in Vrbẽ aduenisſe, initoque cum Phoca prælio eumdem obtinuiſſe Theophanes his in miſcella verbis affirmat: *Cũ autẽ abiiſſet Heraclius Abidũ, inuenit Theodorum Comitem Abidi, at ſciſcitatus ab eo cognouit, quæ Conſtantinopoli mouebantur, At verò Phocas miſit fratrẽ ſuum*

Phocas multipliciter tãdem pœnas luit.

Theoph. in Miſcella Heracl. an. 1

Digitized by Google

ſuum Domentiolum magiſtrum ad cuſtodiendos muros longos, qui cùm comperiſset Heraclium Abidum adiſſe, muris dimiſſis fugit, & introiuit Cõſtantinopolim. Porrò Heraclius apud Abidum recepit omnes exules Principes, quos ibidem Phocas relegauerat in exilium, & aſcendit cum eis Heracleam: Stephanus autem Cyzici Metropolites acceptum ſtemma ſanctæ Dei Genitricis Mariæ de Eccleſia detulit Heraclio. Prætereà cùm Conſtantinopolim perueniſſet, diuertit ad portã Sophiæ, initoq; bello vicit gratia Chriſti tyrannum: Vulgus autem hunc comprehenſum interfecerunt, & igne apud Taurum, ſiue dixeris forum bouis, cremauerunt. Hæc de perditi viri, ac ſæuitia duntaxat præcellentis clade Thophanes.

Heraclio aduerſus Phocam Chriſtus fauit.

21. Verũ enim verò, vt hic, quæ ad Phocã ſpectant, lectori ob oculos proponamus, non niſi ad Mauritiũ Imperatorem pro ſuis ſceleribus iuſtiſſimè exagitandum Phocas ex milite Princeps renunciatus eſt, atque ex ima ſorte, ad Imperii apicem præter ſpem omnium conſcendit; eius quippè gladio perimendum ſe iàm pridè Imperator intellexerat, vt his Cedrenus verbis affirmat: *Monachus* (inquit) *quidam, cuius vitæ exercitatio illuſtris erat, ſtrictum gladium tenens à foro, vſque ad æneam portam procurrit, omnibus prædicens Imperatorẽ gladio occiſum iri. Sed Herodianus palàm Mauritio, quæ ipſi euentura eſſent, denunciauit.* Quæ de Phoca dixiſſe ſatis ſit.

Cedrenus in Mauritio. Prænunciatũ à monacho Phocam gladio cæſum iri

22. Porrò hic vbi de hominibus feritate præditis mẽtio agitur, cõgruè noſtris hiſce inſerendus eſt paginis Iuſtinianus iunior dictus, Cõſtãtini Romanorũ Imperatoris filius, qui regnare cæpit anno Chriſti ſexcẽteſimo, octuageſimo quinto. Is autem cùm vindictæ appetentiſſimus, immiſſo in Cherſonenſes, qui rebellauerant, exercitu, in eos plus quã par eſt, deſæuiſſet, nulli prorſus ſexui, aut ætati parcẽs, inſontesq; vnà cũ noxiis gladio demetens, diuinam in ſe indignationem iure merito concitauit; adeò vt Philippico ad Romani apicem Imperii euecto, ipſe vna cum filio miſerrimè trucidatus ſit: Sed hic rem ex ſcriptoribus excerptam proferre in mediũ libet; quod enim ad vltionem de Cherſonenſibus expetitam attinet, iſthæc ex Græcorum annalibus legẽti ſuppetunt.

Baron. ... an. ... Iuſtiniani ... ſæuiti... nas exc...

23. *Memoria recolens Imperator inſidias ſibi à Cherſonenſibus Boſphorianis, aliiſque paratas, aduerſus eos naues ſuas, à minima ad maximã omnes miſit, mandato, vt quicumque ea loca habitarent, vniuerſi gladio trucidarentur, neque vitæ cuiuſquam parceretur. Miſſi ergò hoc perfecerunt, nemine ipſis reſiſtente, ſolis ab infantibus cædem abſtinuerunt, quippè in ſeruitutem mancipandis Principes Cherſonenſium viri numero quadraginta duo, addita cuſtodia ad Imperatorem miſſi ſunt, alios ſeptem ligneis ſublicis in altum ſuſpenſos igni aſſarunt, alios in mare abiecerunt: His cognitis Iuſtinianus etiam in obſeruatos infantes inſaniit: Cùm in reditu Claſſis iàm Byzãtio appropinquaret, periclitata eſt, mortuorum numerus initus, repertuſq; millium ſeptuaginta trium: Id gaudium Iuſtiniano auxit.* Hęc Theophanes de Iuſtiniani animo intẽperãter nimis vlciſcẽdis iniuriis dedito, ipſoſq ne dum paruulos crudeliter obtruncando deſæuiente meminit; neque hęc barbarus homo præſtitiſſe contentus, quippè qui, vt conceptam ſemel iram magis coqueret, parata claſſe iterum ad vlciſcendũ ex Cherſonen-

Theoph... drev. in Iuſtinian. Terra ... Iuſtiniani ... ris in ... ronenſes ... mantras.

Septuaginta tria millia ab eo interfecta.

Digitized by Google

ſonenſibus ſe totis animi neruis accinxit, quo demũ cũcta ſolo ęquaret; Quod cùm illi cognouiſſent, parati vltro Imperatori, eiuſque conatibus obſiſtere, comparatis à Caiano Gazarorum principe auxiliis ſe validè pręmuniendos curarunt: Verùm Iuſtiniano, qui inexplebili adhuc in cædes ſiti anhelabat, è Cælo Deus praua eius conſilia, ac machinas eludens, haud cœptis propitius adfuit, quippè qui aduerſus inſoleſcentem barbarum, viros nobilitate præcipuos Eliam Spatharium, atque Bardanem Philippicum ex Cephalonia inſula, quò ab ipſo ablegati fuerant; concitauit. Hos quippè Imperator cũ apud Cherſonã tumultuãtes cõperiſſet, alios ipſorum loco ſuffectos duces miſit, qui intra eiuſdem vrbis mœnia dolosè recepti, miſerè à Ciuibus contrucidati ſunt, apertam iàm (vt Baronius ait) aduerſus Iuſtinianum Imperatorem, defectionẽ, conclamantibus, & Bardanem inſuper Philippicum Imperatorem conſalutantibus.

Baron. tom. 8 vbi ſupra. Philippicus Imperator in eum concitatus

24. Quibus cognitis Imperator in Eliam, veluti nouarum rerum auctorem vehementer ſuccenſus; cũ in eum non poſſet, eiuſque domeſticos irã ſuã explere, eius in matris ſinu filium mactauit, eiuſdem verò coniugẽ coquo, homini Indo ignominiæ cauſa matrimonio iunxit. Cũ aliã verò aduerſus militares rebelliũ copias claſſem direxiſſet, & hi rerũ difficultate abſterriti, ad principẽ vlciſci paratum, re infecta redire pertimeſcerent, Philippicum abſentem Imperatorem conſalutarunt, à Caiano, ad quem is confugerat, ſibi ipſũ reddi poſtulantes. Nouo igitur iam fauſtis omnium votis, ac vocibus Imperatore renunciato; læti ad ſua remearunt. Atqui Philippicus Cõſtantinopolitanæ Vrbi aduẽtans militarem claſſem diuiſit, & Eliam quidem aduerſus Iuſtinianum, Maurum verò Patricium, & Ioannem Spatharium contra Tiberium eius filium proficiſci iuſſit; quid verò iſti aduerſus Iuſtinianum Deo feliciter aſpirãte præſtiterint, repetendũ nobis eſt ex lugubri planè, condignaque lacrymis hiſtoria, quam Theophanes his verbis tradit.

Condignas crudeles homines pœnas ſuis intercepti conſiliis reportant.

25. *Vbi autem* (inquit Theophanes) *Maurus cùm Ioanne ad Blachernas perueniſſet (templum illic erat Dei Genitricis Mariæ) inuenit Tyberium altera tenentem manu columellã Sanctæ menſæ Dei, & Dei genitricis altaris; & altera pretioſa ligna, & in collo philacteria (erant hæ ſacroſanctæ reliquiæ) extra ſacrarium autem reſidentem* Anaſtaſiam *patris eius matrẽ, quæ* Mauri *prouoluta pedibus flagitabat, ne ſuus occideretur nepos Tyberius, vt potè, qui nihil geſſiſſet prauum: Cũq; ille pedes huius teneret, & cũ lacrymis ſupplicaret, ingreſſus eſt* Strutus *(id erat cognomentum Ioanni Spathario), & vi arripuit illum, & pretioſa quidam ligna ab eo ſublata ſupra menſam poſuit, philacteria verò in collo ſuo ſuſpendit: Puero autem foras educto, & ſpoliato, ſupra limen expanſo, guttur eius inſtar ouis ſecarunt: & hũc in templo ſanctorum* Anargirorum *(Coſmæ ſcilicet, & Damiani) quod Paulinæ vocatur, ſepeliri mandarunt; Comprehenſus præterea, & Bariſbacurius primus patricius, & Comes obſequij, & interemptus eſt: Porrò Elias vna cum eo, qui ſolus erat, deſcendẽte in Damaſſim, & ad ſermones cũ eo, qui illic erat, exercitu veniente: verbumque impunitatis populo, qui erat cũ Iuſtiniano præbente, ſequeſtrati ſunt vniuerſi, & diſceſſerunt à Iuſtiniano, ſolum hunc deſerentes, & ad partes*

Theophan. in Iuſtiniano. Tiberii filii Iuſtiniani flebiles cædes.

Aliorum clades.

Phi-

Philippici confluentes. Tunc prædictus Elias furore repletus currens, collo eius comprehenſo, pugione, quo erat accinctus, caput eius amputauit, & per Romanum Spatharium ad Philippicum miſit. At verò Philippicus per eumdẽ Spatharium hoc ad occidentales partes vſque Romam tranſmiſit. Huc vſq; de Iuſtiniani Imperatoris, ac Tiberii eius filii nece Theophanes lugubri ſtylo proſequutus eſt, ſed de tragico barbari Imperatoris caſu, quem recenſuimus, de vltione inſuper crudeli homini diuinitùs exhibita Baronii altiùs rem geſtam repetẽtis verba ſepulchralis inſtar lapidis Iuſtiniani tumulo inſculpenda ſunt: *Qui igitur* (inquit) *tanquam fera beſtia humanum ſanguinem ſitiens, adeò in ſibi ſubditos populos fuerat debacchatus ſuo, ſuorumque ſanguine ſupplicium luit. Poſteris relinquens exemplum, in ſe ipſos, ſuoſque ſæuam à Deo debere expectare vindictam, cùm in populum ſibi creditum immanes principes ſæuiunt: factumque ſecundum verbũ Domini ad Hieremiam: Adducam inimicos tuos de terra, quàm neſcis: quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ſuper vos ardebit. Dum exulem Philippicum, & poſtea latentem inter barbaros accinxit vindice gladio hominem, alioqui Deo multipliciter inimicum, nimirum ob deprauatos vitæ mores, &, quod deterius eſt, hæreſi labefactatum Monothelitarum hæreticorum.* Nã vt nonulla hic vel obiter inſeramus, Philippico à quodam pſeudomonacho Monothelita, Aſtronomiæ dedito, regnum prænunciatum fuerat, ſi ſextam à ſe ſynodũ abolendam ad Imperium euectus, polliceretur, vt Theophanes his verbis narrat:

Baron. tom. 8. an. 711. nu. 8.

Fuſi ſubditorum ſanguinis pœnas luit.

Hierem. ait

Philippico prædictũ fertur imperiũ à mago pſeudomonacho.

26. *Priuſquam imperaret, erat quidam incluſus in Monaſterio Calliſtrati prauiſor, qui ſcilicet Aſtronomicis inſpectationibus futura prædicere conſueuerat, hæreticus Monothelita, qui ad ſe venienti Philippico dixit: Imperium tibi eſt repoſitum &c.* Hæc, pluraq; alia Theophanes de Philippico immitis ingenii homine hæretico, qui dirã Iuſtiniano, vt par erat, necẽ inflixit; & crudelitatem, quam ille in alios exercuerat, ipſius Dei nutu pari compenſandam crudelitate curauit.

Theop. in Philippico.

Prememoratis verò Imperatoribus qui crudelitate dũtaxat celebres fuere Alboinus quoque Longobardorum re, Rex aggregãdus eſt, qui è Pãnonia, quam vi occuparat, ac duos, & quadraginta annos ſub iugo detinuerat, oriũdus ex Scãdauia Inſula vnã cũ militaribus copiis ſigna mouens, validiſque ſuffultus viribus contẽdens, Italiam anno Chriſti quingenteſimo, ſexageſimo octauo, & Iuſtiniano Imperatore tertium in Imperio annum agente inuadit; cõplures itẽ alios barbaros Rex barbarus ſibi auxiliares nactus, ad Romani cladẽ Imperii viſus eſt conſpiraſſe. Nàm Hunnis, quibus Pannoniam liberè poſſidendam precario iure conceſſerat, fœderis ſocietate iunctus, Saxones quoque, aliaſque inſuper nationes, quarum vel ſingulæ Romano Imperio per ſe negotium faceſſere poterant, ad nutũ ſibi obſequẽtes præſto habuit: Porrò quænam vna cùm Alboino ad inuadendam Italiæ ditionem gentes conſpirauerint, ex Paulo Diacono, ſatis liquet, dũ iſthæc habet: *Certum eſt autẽ* (inquit) *Alboinum tunc multos ſecum ex diuerſis gentibus, quas vel alij reges, vel ipſe ceperat, ad Italiam adduxiſſe: Vnde in hodiernum vſque diem populos in his, quos habitant vicos, Hipedas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, & alijs huiuſcemodi nominibus appella-*

Baron tom. 7 an. 658. nu. 1

Paulus Diac. lib 2. c. 12.

Quanta Barbarorum colluuies infuſa ab Alboino in Italiam.

Digitized by Google

lamus. Hæc Paulus, dum innumeras Barbarorum copias, ex diuerſis gentibus, ac populis æquè barbaris conflatam ſe in Italiæ ſinum infudiſſe meminit.

27. Sed Longobardorum gens, quàm turpis, & ad vitia quæq; procliuis quàm feris inſuper prędita moribus eſſet, funeſto ipſius Italiæ experimento ſub Narſete quondam Duce, aliquot ex his aduerſus Gothos in auxilium euocatis, ità compertum eſt, vt vel ipſorum deploranda adhuc memoria, cunctiſque execrãda perſeueret; quippè qui cùm cuncta, quæ amicorum erant, expilando, incendiis, libidinibuſque miſcerẽt, ac igne inſuper, ac ferro vaſtarent, intoleranda prorſus res viſa eſt, eoſdem, quantũuis auxiliares Romanis præſeferrent, diutiùs tamen apud Italos demorari: Quapropter illud inter anguſtias deprehẽſis mẽti conſilium ſubiit, eos in ſuas quãtocyus regiones dimittendos, ne ſupremam Romanorum tum genti, tũ ditioni inferrent potiùs cladem quã auferrent: Sed Procopius fidem facit in hæc plane verba legentibus: *Illa namque*, (inquit) *Longobardi videlicet, ad cæteram vitæ, fauorumque impietatem, & ſcelus, vel ædificia ipſa, in quæ fortè diuerterant, iniuſtè cremabãt, ſtuprumque fœminis, & vim inferebãt ſacras in ædes refugientibus: vnde magna pecunia hos primum donatos ad proprios redire penates permiſit*: Si talia igitur, ac tanta, dum pro Romanis adhuc militarent, crudelitatis in eoſdem barbari homines facinora perpetrabant, quid ſubindè, poſtquã ſe iam hoſtes in Romanorum ditionem fudere, nullis coercitos legibus, nullaque habita boni, ac ęqui ratione præſtitiſſe credendum eſt? Porrò quàm immanes Longobardorum in Italia conatus extiterint, qui noſſe cupit, eos potiſſimùm conſulat qui hac ſuper re commentarios edidere. Et ſanè lugubtem Italiæ faciẽ, deploratasque eiuſdem res, Magnus ille præ ceteris Gregorius in ſuis paſſim paginis lectori exhibet contemplandas: In Epiſtola enim ad Conſtantinam Auguſtam funeſtis planè notis, crebriſq; ſingultibus diuturnã hanc barbarorum tyrannidem deplorans, hæc lacrymis proſequenda commemorat.

Longobardi apprimè crudeles.

Procop. de bello Got. co lib. 3.

Longobardi pręter ſtupra, et rapinas etiam tectis faces iniecere.

28. *Viginti iã* (inquit) *& ſeptẽ annos ducimus, quod inter Longobardorum gladios viuimus*. Quæ quidem ſanctiſſimi paſtoris verba, cùm nequaquàm, vt Baronius ait, ad tempus, ex quo primum Lõgobardi Vrbem inuaſere, referri queant, vtique de tempore, quo ſe in Italię Regiones intruſere intelligenda videntur, quemadmodùm eiuſdem ad Phocam ſcribẽtis ac præſentes inſuper, quæ irrepſerant, calamitates calamo ad viuum adũbrãtis verba hũc in modũ concepta demõſtrãt: *Qualiter enim* (inquit) *quotidianis, & quantis Longobardorũ incurſionibus ecce iàm per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis ſupplere vocibus ſuggeſtionis valemus*. Iſthæc enim ad annum, quo eorumdem Longobardorum in Italiam aduentus fuit, referre opus eſt.

Greg. lib. 11, ep. 34.

Baron. vbi ſupra.

Greg. lib. 11, ep. 43.

Italię clade Gregorius luget.

Verùm enim verò, quod ad occidentalis Orbis funeſtam, ſpectat, deplorandamque, quam cuncta depopulando, barbara Lõgobardorum gens ſub Alboino, cuius mentio eſt, Italiæ vaſtitatem intulit, Paulus Diaconus ſatis lugubri ſtylo pluribus verbis recenſet, ad quem lectorem amandamus. Atqui dum Alboinus Rex, immiti ingenio prædıtus, ingenitæ morem gerens crudelitati aduersùs obluctantes ſibi, & Romanos

po-

Digitized by Google

potiſſimùm excandeſcit, ſæuire enim religionem ratus, iuriſiurandi ſacramento ſe obſtrinxit cunctos,qui ſuis ſe dedere imperijs detrectaſſent, gladio abſumendos; at cúm iàm victor Ticinum cũ exercitu triumphãtis in morẽ ingrederetur,repentè equo immobiliter conſiſtente, ipſe in media pariter via ſubſiſtere coactus, quãtũuis validè equum calcaribus vrgeret, haud tamẽ vltrà equitando iter proſequi valuit, ni priùs à voto, quo ſe impiè obſtrinxerat, pacem cunctis, ſecuritatemque ciuibus indulgendo reſilijſſet, ſed rem à Paulo Diacono his narratam verbis excipiamus: *At verò* (inquit) *Ticinenſis Ciuitas, tandẽ ſe Alboino tradidit, & obſidentibus Longobardis: In quam cũ Alboinus per Portam, quæ dicitur S. Ioãnis ab Oriẽtali Vrbis parte introiret, equus eius in portæ medio conſidens, quamuis calcaribus ſtimulatus, quamuis hinc inde à ſtratorio verberibus cæſus non poterat eleuari. Tunc quidam de Longobardis ità Regem allocutus eſt: memento Domine rex quale votum vouiſti: Frange tàm dirum votũ, & ingredieris in Vrbem: Verè enim Chriſtianus eſt Populus in hac ciuitate:* Siquidem *Alboinus vouerat, quòd vniuerſum populũ, qui ſe dedere noluerat, gladio extingueret. Qui poſtquàm tale votum diſrumpens veniam promiſit, mox equo ſurgente Ciuitatem ingreſſus, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis Populus in palatium, quod quondam Theodoricus conſtruxerat, corruẽs poſt tantam miſeriam de ſpe iam fidẽs, cœpit animum ad meliora futura leuare. Qui rex poſtquàm in Italia tres an nos, & ſex menſes regnauerat inſidijs ſuæ coniugis peremptus eſt.* Hæc Paulus, qui barbaro eidẽ regi, ob intolerandã crudelitatem, à Roſimunda coniuge, quæ Regis Chunimundi patris profuſum vlciſci ſanguinem decreuerat, illatam dolis fuiſſe necem aſſerit. Rẽ verò Paulus his verbis narrat:

Ticinum ingreſſus Alboinus ac uaſtandam vrbem diuinitus hæret immobilis.

Paulus Diac. de geſtis Longobard. lib. 2, cap. 13.

Promittit ciuibus incolumitatem.

29. *Cauſa autẽ* (inquit) *interfectionis huiuſmodi hæc fuit: Cùm in conuiuio vltra quàm oportuerat, apud Veronã lætus reſideret, cum poculo, quod de capite Chunimundi Regis ſui ſoceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit; atque eam, vt cùm patre ſuo lætanter biberet, inuitauit. Hoc ne cui videatur impoſſibile, veritatem in Chriſto loquor: ego hoc poculum vidi in quodam diẽ feſto Ratichis principem, vt illud conuiuis ſuis oſtentaret, manu tenentẽ.* Ex quo ſanè barbarũ tyranni ingenium, mentemque hominis ab humanitate procul abhorrẽtis videre eſt; quippè qui poſt illatam alteri necem, ſæuire adhuc in demortuum non deſinit, ac ſi immanem cædis, ac ſanguinis, vel bl da ipſa inter pocula explere ſitim cupiat, dũ obtruncati caluariam Regis in calicis miniſterium conuerſam ipſius filiæ ori admouet. Verùm mucronis gladium, qui adeò crudelitatem ſitiebat, immiti (vt par erat) ingenio, ſuo miſer iugulo intentauit, quod Paulus hunc in modum proſequitur: *Igitur Roſimunda* (id erat Vxori Alboini regis nomen *vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quẽ compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris cædem vindicatura exarſit: conſiliumque mox cum Helmige, qui Regis ſcilpor, id eſt Armiger, & collectaneus erat, vt Regem interficeret, inijt. Qui Reginæ ſuaſit, vt Peredeum, qui erat vir fortiſſimus in hoc conſilium adſciſceret.*

Baron. tom. 7 an. 571. nu. 1. 2. & 3 ſequ.

Paul. Diac. de geſt. Longobard. lib. 2. c. 16

In ſoceri Regis cranio potare conſueuerat.

Paul. Diac. vbi ſup.

Conceptum inde iuſtum odium.

30. *Cùm verò Peredeus Reginæ ſuadenti tantùm nefas, conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuæ Veſtiariæ, cum qua Peredeus ſtupri conſuetudinem habuerat, ſuppoſuit:*

Subornatur adulterio Sicarius.

Digitized by Google

Vbi Peredeus inſcius fraudis cum Regina concubuit: cùmque illa patrato iã ſcelere, ab eo quæreret, quam ſe eſſe exiſtimaret: & ipſe nomen ſuæ amicæ, quã eſſe putabat nominaſſet: Regina ſubiũxit: Nequaquam eſt, vt putas: Sed ego Roſimunda ſum, certè nunc Perdee rem talem perpetraſti, quòd aut tu Alboinum interficies, aut ipſe te ſuo gladio extinguet. En quibus inſtructa artibus, inuitum hominem improba, deperditiq; pudoris fœmina in mariti cædem concitauit, quem vt ſuis facilem votis, ac ſe vlciſcendi, quo tenebatur impatiẽs deſiderio, morem gerentem haberet, inſcium execrandi ſtupri conſortem fecit, vt ſubindè ab eiuſcemodi crimine audacter in ſanguinem alter proſiliret, inuiſamq; mariti crudelitatem pari vxor crudelitatis ingenio vindicaret: ſed reliqua proſequamur.

Regina alterum ſtupri conſcium, cóſortemq; in mariti cædem inſtigat

31. *Tunc ille intellexit malum, quod fecit, & quod ſponte noluerat, tali modo in regis necem coactus aſſenſit: Tunc Roſimunda, dum ſe Alboinus in meridie ſopori dediſſet: magnũ in* Palatio *ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, Spatham illius ad lectuli caput ne tolli, aut euaginari poſſet, fortiter colligauit; et iuxta conſilium initum, Peredeum, & Helmigem, aut* Amechildem *interfectores omni beſtia crudelior introduxit: Alboinus ſubitò de ſopore experrectus, malum, quod imminebat intelligens, manum citiùs ad Spatham porrexit, quam ſtrictiùs, ligatam cùm trahere non valeret, apprehenſo ſcabello ſuppedaneo, ſe per aliquod tẽpus defendit. Sed heù proh dolor! vir bellicoſiſſimus, & ſummæ audaciæ nihil contrà hoſtẽ præualens, quaſi vnus de inermibus interfectus eſt, vniuſque mulierculæ conſilio periit, qui poſt tot hoſtium ſtrages in bello fortunatiſſimus extitit.* Infelix planè Regis Longobardorum finis, qui pari in cunctos crudelitate ſæuiens, ſuiſmet inuiſus tandem cõiugem paternis acriter exacerbatam iniuriis, imbellem alioqui fœminam, in ſui armauit, animauitque iniuriã, adeò ut, qui tot populos armis ſubegerat, vnius mulierculæ dolis domi inter otia inglorius tãdem ceciderit: armis quippè ſtrenuus vir iſte vicit, at vitiis turpiter victus eſt: Hic (inquam) peſſimus barbari exitus, qui armis Italiam peſſundedit, ac malorum, quæ poſtmodùm conſecuta ſunt, & quæ vnus præ cæteris in ſuis commẽtariis D. Gregorius deplorat, auctor extitit. Hæc enim ille ad rei propoſitum meminit: *Vndique gladiis* (inquit) *circumfuſi ſumus, vndiq; imminens mortis periculum timemus: Iam cogor linguam ab expoſitione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ.* Et alibi iſthæc, dum inualeſcentem Longobardorum ſæuitiam, cladem que deſcribit: *Quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, immenſa vaſtitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit.* Atqui idem ſubindè Sanctiſſimus Pontifex amarulentis verbis, quam tota tunc Italia vaſtitatem pateretur, palàm deſcripſiſſe viſus eſt, dum præſentia mala tangens ait: *Vbique luctus aſpicimus, vndique gemitus audimus, deſtructæ Vrbes, euerſa caſtra, depopulati ſunt agri, in ſolitudinem terra redacta eſt, nullus in agris incola, penè nullus in Vrbibus habitator remanſit &c. Finem non habent flagella cæleſtis iuſtitiæ, quia nec inter flagella correctæ ſunt actionis culpæ.* Et paulò infrà, ac ſi narratis lugubre carmen ceciniſſe ſatis non fuerit, iſthæc ſubdit: *Et tamen* (inquit) *ipſos nos paucos, qui remãſimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innume-*

Paulus Diac. vbi ſup.

Inducti à Roſimunda interfectores.

Perit gladio tot populorũ carnifex.

Longobardorum ſæuitia defletur à D. Gregorio.

Greg. hom 22 in euang.

Greg lib. 7 ep. 78

Non ceſſauerũt flagella, cum non ceſſarant flagitia. Greg. vbi ſup.

ræ

re tribulationes premũt. Hæc Gregorius. Quibus planè verbis ad viuum lugubrẽ totius Italię, ac ipſiusmet Vrbis faciem velut in ſpeculo contemplandam proponit: Quãtorum igitur criminũ reus, & quibus itẽ ſupplicijs dignus Alboinus pronunciandus eſt, qui malorum iſtorum omnium, dũ primum in Italiam irrumperet, cauſa extitiſſe conuincitur?

Roſimunda Secundum virũ necat veneno, vt tertium ſibi conciliet.

32. Sed poſt infelicem Alboini exitum, Roſimundæ quoque coniugis, quæ illi crudelitate haud impar fuit, poſt intentatam viro cædem, pari notatum infelicitatę exitum videamus; haud enim improba mulier, quæ dolos, ac necem, iterato ſtupri flagitio cæteris ex more parauerat, diuinæ tandem (vt merebatur, vltionis gladiũ effugit; vbi enim diues nobili Lõgobardorũ theſauro, vt vitæ proſpiceret, ad Romanos cõuolaſſet, callida Helmigi marito, vt Lõgini Rauẽnatis Exarchæ nuptias ſibi cõciliaret, venenũ porrexit; re autẽ cõperta, gladijs ab eo ad bibẽdum cõpulſa, non tàm ſibi nuptias, quàm funera lętifero veneni poculo paraſſe viſa eſt. Rẽ verò Paulo Diacono narrante audire præſtat: *Tunc* (inquit ille) *Longinus præfectus* (erat is miſſus ab Imperatore Hexarchus, morabaturque Rauennæ) *ſuadere cæpit Roſimũdæ, vt Helmigem interficeret, & ipſius ſe nuptijs copularet. Illa vt erat ad omnem nequitiam facilis, cùm affectaret Rauennatium domina fieri, ad tãtum facinus perpetrandum aſſenſum præbuit, atque cùm Helmigis ſe in balneo ablueret, egredienti mortis poculũ, quod ſalutare aſſeruit, propinauit: ille vbi ſenſit, ſe mortis poculum bibiſſe, Roſimundam euaginato gladio ſuper eam, quod reliquum erat, bibere coegit. ſicque Omnipotentis Dei iudicio regis interfectores nequiſſimi vno momento perierunt.* Huc vſque Paulus tragicam viri, ac regiæ mulieris ſtrophẽ aptis verborum coloribus adumbrãs. Iuſto autem Dei calculo Rex, & Regina, qui crudeli iugiter ſtrage populos afflixerant, ſuam tandem in ſemetipſos retorquentes ſæuitiã, vterque in ſui perniciem manus carnificis ad inſtar armaſſe deprehenditur.

Paulus Diac. de geſt. Lobgobard. lib. 2. c. 14

33. Sed vt præcipuas hic, quarum Alboinus potiſſimùm auctor extitit, calamitates, ac eius, qui Alboino in tyrannide ſuffectus eſt, cladem conſultò recenſeamus: Clephis, proximè poſt Alboinum, Lõgobardorum Rex ſalutatus, infelici planè exitu, vita ac Regno, vbi annũ vnum, & menſes quinque regnaſſet, à ſeruo mucrone confoſſus excidit, quo tempore interregnum, annis decem contigit (vt Paulus Diaconus meminit); interim verò ſex, ac triginta numero militũ Duces, quas in Italia ſubegerant Ciuitates partiti, diram, funeſtamque cunctis tum Eccleſijs, tum Vrbibus, ipſiſquemet Sacerdotibus cladem intulere, adeò vt Longobardorum, tyrannidis iugum Italorũ ceruicibus intolerandũ fieret, vt Paulus Diaconus his verbis refert: *Quibus diebus* (inquit ille) *multi nobilium Romanorum ob cupiditatem* Ducum *interfecti ſunt: reliqui verò per partes diuiſi, tertiam partem frugum Longobardis perſoluerunt, & tributarij efficiũtur: Porrò his Longobardorum ducibus, ſeptimo anno ab aduentu Alboini, & totius gentis, expoliatis Eccleſiis, Sacerdotibus interfectis, ciuitatibus ſubrutis, populiſque, qui more ſegetũ excreuerant, extinctis, in regionibus, quas Alboinus ceperat, Italia maxima ex parte capta à Longobardis ſubiugata eſt.* Immanes quippè ſunt, quas Longobardorum in Italiam aduentus

Baron. tom. 7 an. 753. nu. 2.

Clephis Alboini ſucceſſor gladiis conſciſſus.

Paulus Diac. lib. c. 17

Quot duces, tot tyranni attriuere Italiam.

tus incolarum ceruicibus calamitates inuexit, vtpotè natio, quæ barbaris imbuta moribus, ac nulli certæ (vt aliarum gentium mos eſt) Religioni addicta, Orthodoxæ fidei, quãpluribus Chriſti cultoribus martyrio laureatis negotium faceſſere vix vnquam deſtitit.

34. Verùm intolerandam Longobardorum feritatẽ, quæ in Chriſti Eccleſiam perditè conſpirauerat, cõpreſsã diuinitùs Petrus Diaconus his verbis docet: *Super indignos* (inquit) *diuinæ miſericordiæ diſpenſationem, miror, qui Longobardorum ſæuitiam ità moderatur, vt eorum ſacerdotes ſacrilegos, qui eſſe ſic fidelium quaſi victores vident, orthodoxorum fidem perſequi minimè permittat.* Hæc ille, quibus & Gregorius paribus verbis adſtipulatur: *Hoc penè* (inquit) *facere plerumque conati ſunt, ſed eorum ſæuitiæ miracula ſuperna reſtitere.* Iſthæc tamen Gregorij verba non ita ſubintelligenda ſunt, vt hi nullum, veluti hoſtes Chriſti fidelibus negotiũ faceſſerent, cùm & barbaros in eoſdem gladium exercuiſſe, ac martyres inſuper ſub hæc tempora Eccleſiæ Deo affulſiſſe compertum ſit. Enimverò Sanctiſs. ſcriptor catholicos ruſticos quadraginta numero à Lõgobardis, cùm immolatas idolis carnes comedere nollent, eorumdẽ gladio trucidatos his verbis refert: *Cœpere* (inquit) *Lõgobardi, qui eos tenuerãt, niſi immolata comederent, mortem eis minari: At illi æternam potius vitam, quàm præſentem, ac temporariam diligentes, firmiter perſtiterunt, atque in ſua conſtantia ſimul omnes occiſi ſũt: Quid itaque iſti, niſi veritatis Martyres fuerunt, qui ne vetitum comedẽdo, conditorem ſuum offenderent, elegerunt gladijs vitam finire.* Alios item quadraginta ex orthodoxorum numero

Repreſſi diuinitus ne religionem orthodoxã abolerent. *Petrus Diac. in vit. S. Greg.*

Gregor. dial. lib. 3. c. 27. & 38

Greg. vbi ſup. Nonnulli martyrio aſſerti cum idolis immolatas carnes reſpuerent.

captiuos à Longobardis, quòd caput capræ adorare nollent, gladio cedente martyrii palma inſignitos fuiſſe Gregorius, ad quem lectorem remittitimus, eorum ſæuitiã perſtringendo meminit. Ingentem itaque Longobardorum opera catholicæ Eccleſiæ excitatam perſequutionis procellam Gregorius aſſertor locupletiſſimus adeſt, qui inflictam à Longobardis vaſtitatem inter funeſtas, quæ Eccleſiæ acciderant, clades, his planè verbis enumerat: *Sunt etiã portæ inferi quædã poteſtates huius mũdi: Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte, qui hoc tempore Eccleſiã perſequitur?* Quibus hæc appendicis inſtar addit Baronius: *Nempè Longobardorum populus nunquid non omnes iſti portæ inferi?* Verùm haud aduerſus Chriſti Eccleſiam pugnando impii homines præualuere; Dei enim ope, ac inſigni planè miraculo, nouoque ſub hæc tempora portẽto, vt Gregorius ad Ruſticanam Patriciam ſcribens teſtatur, etſi ſubacta iam ferè tota eorum furori Italia, eoſdem Vrbe neutiquam potiri contigit: *Si verò* (inquit Gregorius) *gladios Italiæ, & bella formidatis, ſollicitè debetis aſpicere, quanta Beati Petri Apoſtolorum Principis in hac vrbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi, ſine adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæſi Deo auctore ſeruamur.* Cæterùm ad barbaros propulſandos ab Vrbe, arcendoſque procul eorumdem impetus, dum iam violentus è proximo timeretur ingreſſus, nõ tàm ferro, quàm auro, argentoque Romanis interdum Pontificibus adnitentibus agendum fuit, concertandumque muneribus potiùs, quàm armis, vt ipſius Gregorii ad Conſtantinam Auguſtam ſcribentis verba illa teſtantur. *Vigin-*

Longobardi in eccleſiã ſæuiunt, ac plures perſequendo martyrio donant. *Greg. lib. 7 c. 23.*

Baron. tom. 7. an. 573. vbi ſupra.

Greg. lib. 7. ep. 23. ad Ruſticanam.

Roma D. Petri clientela contra Longobardorũ defenſa.

ginti iam (inquit) *& ſeptem annos ducimus, quòd in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus: quibus quã multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere poſſimus, ſuggerenda non ſunt.* Hæc ille.

Greg. lib. 4. ep. 34.

35. Verùm etſi Vrbs impendẽtẽ, à barbaris, vt vidimus ſibi vaſtitatẽ Dei nutu, Apoſtolorumque patrocinio ſuſtulta declinauerit, ſuburbia tamen impias, ſacrilegaſque eorum manus non euaſere; cũcta enim, quæ in antiquis Beatorũ Martyrum Cæmeterijs ſplendidè cõſtructa fuerant ædificia, & quibus Romana paſſim Ciuitas magis quàm nobili præcelſarum ſubſtructionum proſpectu illuſtris reddebatur, humi deiecta, ac proſtrata ſunt, vt Paulus Romanus Pontifex, in ſuo de erectione Eccleſiæ SS. Stephani, & Silueſtri, Romanorũ Pontificũ conſtituto nõ abſque lacrymis, de ſacris potiſſimũ cæmeteriis loquẽs in hæc verba meminit: *Igitur* (inquit) *cùm per euoluta annorum ſpatia diuerſa Sanctorum Chriſti martyrum, atque confeſſorum eius foras muros huius Romanæ Vrbis ſita Cameteria, neglecta antiquitùs ſatis manerent diruta: Contigit poſtmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus eſſe demolita. Qui etiam, & aliquanta ipſorum effodiẽtes martyrum ſepulchra, & impiè deuaſtantes, quorumdam ſanctorum ſecum depopulata auferentes deportauerũt corpora: Et ex eo tempore omnino deſidioſè, atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor: nàm & quod dictu nefas eſt, etiam & diuerſa animalia in aliquantis eiſdẽ Sanctorum Cæmiterijs aditum habebant, & illic eorum exiſtebant ſepta bouilia, in quibus fœtoris egerebant ſquallorem.* Ex quibus planè accidit, vt ad euertenda in Cęmeteriis (vt Baronius ait) ſtabularia, ſacrorum complures cœmeteriorum aditus occluſi omnino fuerint; ex quo illud cunctis longè deterius accidit, vt et quamplurimorũ tunc beatorũ martyrum memoria omnino exciderit, dum recolenda eorumdem nomina, abolitis ſepulchralibus titulis aboleri pariter contigit; Sæpè enim ſæpiùs, hac noſtra ętate à vinitoribus, aut certè à foſſoribus arenã inde eruẽtibus nouũ aliquod, quòd ibi latebat, detegi, ac in lucem, notitiamq; vrbis venire cæmeterium contigit: *Hæc autem* (Baronius ait) *vt quærantur, & quæſita religioſo cultu cuſtodiantur, ſcimus eſſe curæ Beatiſſimo Domino Noſtro Clementi VIII. Pontifici maximo, quod vt impleat,* Deus concedat. Hæc de ſacrorum cœmeteriorum, ſub dira Lõgobardorũ tyrãnide ſatis nunquã deploranda vaſtitate Baronius, de qua nos item pro rei argumẽto prolixiùs in latino ſubterraneæ Romæ opere, vbi opportuna ſe præbuit occaſio, ac præſertim lib. 1. cap. 1. ad inſtituti propoſitum diſertè egimus, ad quæ nũc ſtudioſum lectorẽ ſacræ antiquitati inhiantem vltrò amandamus: hæc autem vel obiter hic enarraſſe voluimus, vt lector impios Lõgobardorum gẽtis aduerſus Vrbem, vniuerſamque Italiam conatus, crudelitatemque, nec non iuſtam Alboino eorumdem Regi, qui primus in Italiæ regiones barbarorum gentem inuexit, eiuſdemque in tyrannico imperio ſucceſſori Chelphi, intentatam diuinitus vltionem ex iam narratis probè noſtra iſthæc quiſq; perlegens ediſcat.

Paul. Pont. in conſtit. de erect. Eccl. SS. Steph. & Silu. tom. 3. Concil.

Cœmeterii martyrum ab iis vaſtata, indeque neglecta.

Baron. to. 7. an Chr. 573 num. 5

Obſcurata plurĩu martyrum memoria diuturnitis ſepulchralibus titulis

Bar. vbi ſup. Data à Clemente viii. pro ijs detegendis piã opera.

Rom. ſubterran. tom. 2 lib. 4. c. 1. n. 1

36. Quoniam verò mulieres prę cunctis vindicta maximè gaudentes, facilè in ſæuitiam laſciuiẽdo declinãt, vtpotè quæ acerbis iracundiæ ſtimulis, inordinatiſque animi affectibus

bus

Digitized by Google

bus ſummopere exagitatur, vt ipſius met ſapientis oraculum palàm docet: *Non eſt virus* (inquit) *ſuper virus colubri, nec ira ſuper iram mulieris.* Iuxta quod, & aptè Iuuenalis cecinit.

Eccl. 25. 22.

Muliebris ora colubri nocentior.

Iuuen. 13. ſat.

——— *vindicta*
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

Vbi enim ſemel muliebris in crudelitatē animus iniuriarū impatiēs proſilit, in acerbiora quæq; portenta vel poſt mortē, vt hiſtoriales paſſim paginæ teſtantur, deſæuiendo impingit, quòd Gregorius Turonenſis in Francorum geſtis de Auſtregilde Regii Francorum ſanguinis fœmina, quæ lue correpta ſe apprimè vindictam, ac ſanguinem, vel moriens ſitire comprobauit, cùm ſua aliorum funeribus poſt mortem inſtrui, ac ſociari funera popoſcit, cruentaque eiuſcemodi ſpe, & cladis alienæ deſiderio ſuū vel moriens conſignaſſe exitium viſa eſt, ſed Turonenſem iſthęc narrantem audire præſtat: *His diebus* (inquit) *Auſtregildis Guntheranni Principis Regina, & ab hoc morbo cōſumpta eſt. ſed priùs quàm nequam ſpiritum exhalaret, cernens quòd euadere non poſſet, alta trahens ſuſpiria, voluit lethi ſui habere participes, agens, vt in exequijs eius aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more regem petijſſe dicens: Adhuc ſpes viuendi fuerat, ſi non inter iniquorum medicorum manus incidiſſem: nàm potiones ab illis acceptæ mihi vi abſtulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere: Et ideò ne mors inulta prætereat quæſo, & cùm iuramenti interpoſitione coniuro, vt cum ab hac luce diſceſſero, ſtatim ipſi gladio trucidentur: vt ſicut ego amplius viuere non queo, ità nec illi poſt meum obitum glorientur, ſed ſit vnus dolor noſtris pariter, & eorum amicis: Hæc affata infelicem animā tradidit: Rex verò peracto ex more inſtitio, oppreſſus iniquæ coniugis iuramento, impleuit præceptum iniquitatis: nam duos medicos, qui ei ſtudiū adhibuerāt, gladio feriri præcepit.* Hæc Gregorius. Ex quibus fœdum, ferumque regiæ fœminæ morientis, ac vel poſt mortem ſe vindicari iure iurando à marito expoſcentis animū videre eſt, quæ adeò in vltionem exarſit. Et congruè Regina hæc inter crudeles fœminas recenſenda eſt, quæ Herodis regis præter crudelitatem, impietatem quoque ad extremū vſque ſpiritum ebibens, priùs viuendi, quàm ſæuiendi finem fecit. Huic verò, quæ Herodianæ perfidię æmulatrix fuit, Herodias altera iuremerito ſocianda eſt, Geila videlicet, Goſberti quondam Ducis Franconiæ vxor, quæ eius item fratri ante ſacrum baptiſmum matrimonio iuncta, cum Beatus Kilianus ſubindè inceſtuoſas nuptias, ſacerdotali auctoritate, ac muneris zelo dirimendas curaſſet, mulier non ſecùs ac Herodias in Ioannem, furere, eiuſque cœpit caput in diſco petere inſtàtiùs; Quouſque votis potita, ac Dei virum gladio animaduerti præcipiens, Chriſti martyrem renunciauit. At immitis ingenij mulier dæmonem tortorē nacta, haud multò poſt infeliciter ab eo diſcerpta è vita, *cum magno*, vt Surius ait: *cruciatu ad cruciatus Diabolo paratos migrauit, vt ſuæ crudelitatis pœnas exolueret, diuinæque iræ calicem poſt effuſum Kiliani ſanguinem biberet.* Sed plura infra tom. 2. cum de inceſtuoſis ſuo nobis loco ſermo incurret.

Auſtregilde Regina ſua funera alienis funeribus ornāda cupit.

Poſcit à Rege, vt medicos vbi animam efflauerit, contrucidet.

Seruatum à Rege crudele, & impium iuſiurandum.

Geila ducis Franconiæ vxor crudelitatis in S. Kilianum pęnas exſoluit.

Acta S. Kiliani apud Surium die 8. Iulij c. 4.

37. Quoniam verò hic de hominibus crudelitati addictis ſermo eſt, Venceſlaus Polonorum, ac Bohemię rex cunctis tum vitiis, tum crudelitate pręſertim, tum ſe ipſum, quàm cæ-

Digitized by Google

cętero ſeparauit, adeò vt iugi aliorũ ſanguine, & carnificina tamquam optatiſſimo ſibi ferculo paſceretur, carnificeque inſuper, fideliſſimo aſcito comite, ſuoque eum lateri affixum volens, cœdibus paſſim inſontium hominum delectaretur. Quoniam verò vix vnum ſine alio vitiũ ſubſiſtit, ſe infelix princeps frequenter vino ingurgitabat, adeoque ſic madidus, ebriuſque Neronianam plerumque crudelitatem ęmulari viſus eſt. Itaque ebrietati ſæuitiam, ac ſæuitię impietatem iungens in alia quoque ſcelera, ſe ipſo in dies deterior impingens, haud à magorũ conſuetudine abſtinuit, Romaniſque inſuper Põtificibus, in Deũ ipsũ, ac Sacerdotes contumelioſus moleſtias haud ſemel exhibuit. Atqui iuſto Dei iudicio in publicũ coniectus carcerem, inde mulierculæ dũtaxat opera liber euaſit, ſed à Sigiſmũdo fratre poſtmodum in Viennenſi incluſus turri, doliſq; ſubindè è loco fugã arripiens, non niſi audacia ſuffultus ſceptrum recuperauit. Verũ perditus nihilo melior tot calamitatibus effectus, illud antiquis ſceleribus addidit, vt Antipapæ aduerſus legitimũ Chriſti vicarium pręſto fuerit, ſuaque in regno, publiciſque rebus adminiſtrãdis ſocordia Huſſitarum audaciam, impietatemque foueret, quàm ob cauſam Sbinga Pragenſis Archiepiſcopus ad Sigiſmundum Romanorũ regem cõfugere compulſus eſt, licet Huſſitas poſtmodũ experimẽto edoctus, ac neceſsitate cõpulſus inſectatus ſit, qui ſubindè audacter in eũ arma mouere meditãtes, ne in aciẽ dubia victoria proſilirẽt, pacati sũt. Rex tãdem hęreticorũ, quos fouerat, perduellione conſternatus cùm inualeſcentes eorumdem impetus non parum extimeſceret, apopleſia correptus, mœrore animi contabeſcens infelicisſime è vita, quam tot deturparat criminibus, abſceſsit.

Vuenceslaus crudelitate, vitiiſque pręcellens

Carceri mancipatus fugã init, & iterũ captus recluditur.

38. Porrò vt perditos regis, ęq; impuri, ac feri mores hic lectori contemplandos proponamus, ex quibus ille triſtem ſibi vitæ exitum comparauit, ſolemne illud eſt, quod cùm ob fœdam in adeũdis lupanaribus conſuetudinẽ, ab vxore aliquãdo reprehenſus fuiſſet, ira protinùs excandeſcens, ac ſi leges ſibi, ac monita à fęmina dari iniquiſsimè ferret, indecora protinùs verba protulit, ac Sacerdotem, qui Reginæ exhomolegeses excipiebat, eo quod eius peccata palam facere detrectaret, flumine ſacrilegus immerſit, vt Dubrauius his verbis tradit: *Hac* (inquit) *turpitudine Ioanna vxor maritum dehortari conata, offenſionem tantam ſubijt, vt audiret minantem ſi quoque in lupanar ab illo transferendam eſſe, ſi hac dehortatione non ſuperſederet: ac paulo poſt ira adhuc flagrante acceſit Ioannẽ Sacerdotem audire reginam ſolitum, quoties delicta fidelibus auribus committeret: quæ quidem delicta rex dum auctoritate, minis, carcere fruſtra explorat, victus iracundia Io annẽ de ponte Bragenſe deijci, ac ſubmergi iubet. Quàm verò Sanctus, & innocens Sacerdos ille fuerit, ipſe fluuius oſtendit, ita derepente arefactus, vt corpus nudaret ſub merſi: in ſtatuque illo triduum permanens, donec ſubmerſus ad S. Vitũ ſepeliretur; vbi in hanc diem quicumq; ſepulchro temerè inſultauerit, immunis ab infamia non euadit. Mortua deinde regina quoque eſt ex mæſtitia, et etiã dolore, quem ex iniquiſſima regis ſuſpicione cũ maximo animi cruciatu tolerauit*. Hæc ille de Vvenceslao, qui vt potè ſui impotens; & furore extimulatus humanum tygridis more ſanguinem, vel tunc maximè cùm

Adeo impurus, vt lupanaria adiret, adeo ferus, vt ſacerdotes necaret

Dubr. vir. hiſt. Boh. lib. 23

Tunc maximẽ ferus cũ vino maderet.

ẽpoto æſtuaret mero, profunderę con ſueuerat, quamuis dum ſobrius eſſet regiæ maieſtatis decus opportunis clemẽtiæ officiis, & vt Edmũdus ait, qui in ipſius aula familiariter verſabatur, perhoneſte, vt par eſt, ſuſtineret, *Quando* (inquit) *ad lætitiam, & ſobrie bibit, tum fuit optimæ conuerſationis, prudens, diſcretus princeps, comites Barones, & oratores ſiue nuncios regum, & principum ad ipſum venientes honorifice, ſicut regalem decet magnificentiam, acceptauit, benigne audiuit, & gratioſè pertractauit, prout ego vidi in illuſtri Erneſto duce Auſtriæ* & infra: *Quãdo verò Rex Vuenceslaus bibit exceſſiue, & ad ebrietatem, incurrebat in furiam, & fuit tunc multum peruerſus, & periculoſus, & dicitur quadam vice coquum ſuum, qui ad voluntatem ſuam, ſeu ſecundũ appetitum ſuum cibos non parauerat, ad veru ligatum aſſari iuſſiſſe. Item quodam tempore ad experiendum quid decapitandi ſub tẽpore exequutionis cogitarẽt, accerſiuiſſe ſpiculatorẽ cuius cõpater fuit, & flexis genibus, oculiſque ſuis velatis præcepiſſe, vt ſe decollaret, & quia ſpiculator enſe nudo diſſimulans ipſe cũ platto eum in collo percuſſiſſet, ſurrexiſſe regem, & dixiſſe ſpiculatori vt poneret ſe ſuper genua, quem ſic velatis oculis tunc decollauit.* Accidit *etiam quodam tempore, dum rex cauſa venationis ad nemus pergeret, & Monachum in via reperiret, vt ſtatim à mangone ſuam baliſtam peteret, qua tenſa, & ex pharetra, quam ſemper ad latus ſuum ferebat, ſagitta extracta monachũ ſic ſagitta percuſſit, vt inde mortem obiret, dicens aſtantibus, ſe feram ſingularem ſagitaſſe: quibus dicentibus, non feram, ſed monachũ eſſe, reſpõdit, monachũ manere debere in ſuo clauſtro, nõ in ſilua, vbi eſſet habitatio, & cõuerſatio ferarũ. Audiui etiã dici de eo, cũ quadã vice videret ad parietem ſcriptum. Vvenceslaus alter Nero, ſtatim accepta creta manu propria adiunxiſſe hæc verba: Si non fui, adhuc erò.* His planè egregiis dictis, elogijſq; ſuã barbarus rex tum nequitiam, tum crudelitatem ſuomet proproprio ore teſtatam orbi terrarum voluit, ne vnquam poſthac homines iſthæc audientes ambigerent.

Edmũd. apud chron. Belg

Coquũ ſuũ aſſari iuſſit, & eum qui ſuo capiti pepercit, ſua manu decollauit.

Monachum in ſyluis repertum ferarum inſtar ſagittis configit.

Non ægre fert, ſe alterũ Neronem appellari.

39. Vvenceslaus igitur Romano ſubindè ob ſcelera deturbatus imperio, cùm in vitiis adhuc ſodeſceret, parum abſuit, quin & Boemico ſolio, quod inſõtium ſanguine paſſim fœdabat, deijceretur: diram quippè clã, & palàm carnificinam exercens, vinoque madens, ac ſanguine, homines vel per iocum, proditoriis vſus artibus necabat, adeò vt non ſe tam regem, quàm verũ in rege carnificẽ exhiberet de quo iſthęc Dubrauius; *Rex alia occultiora* (inquit) *naufragia aduerſus ſuos aduerſarios excogitauit, extructo ſub arce vicegradenſi in ripa Vultauiæ balneo* (*nam ſæpiſſimè balneis vtebatur*) *machinoſo, in quo tabulæ pauimenti certa ſui parte ita leuiter coagmentatæ fuerunt, vt vel vno pede, proculcatæ facile laxarentur. Quos igitur ex ijs qui ad lauacra inuitati erant, perdere volebat, per hanc rimam, ruinamq; præcipites in flumen dabat, adeò natura ferus, & ſanguinarius, vt aſſiduũ penes ſe carnificem haberet, quem vulgari vocabulo compatrem familiariter appellabat: quia filium eius de fonte ſacro leuauit, & tam proximum ſibi adhibuit, vt aliquoties vno, eodemque equo ſecum vehi illum paſſus fuerit, deſilientemque rapi ad pœnas, quos iuſſerat, ſpectauerit.* Quo ſanè nil crudelius, nil regio animo indignum, magis dici, aut excogitari poteſt; vir quippè, qui non tam regimen, quam humanã adeò carnificinam ſitiebat, vt

Rainal. ann. 1403 n. 6.

Dubrav hiſt. Bohem. lib. 23

Per inſidias, dolos necem inferebat.

Carnificem eodem equo ſecum vehi nõ recuſabat

vt ſundere ſanguinẽ pro ludo habe-ret,dũ nè digito quidẽ à ſe diſiũgi,et abeſſe carnificem patiebatur, ſeque regẽ,ac vna carnificẽ nouis,cõſuetiſque ſæuiẽdi modis iugiter exhibebat.

40. Atqui ſæuitiam hominis immanè debacchantem Bohemorum animi patienter haud diu ferre potuerunt; quapropter proceres,ac populus ſimul conſpirantes ipſum cum paucis in villa laſciuientem aggreſſi, & miſericordiam, quàm omnimodis demerebatur,in hominem exercentes vitæ pepercerunt, in publicum tamẽ, reorum inſtar carcerem,à ſuis vtique improbitatibus coercẽdum coniecere, vt Dubrauius tradit: A *ſuis* (inquit) *captus eſt, qui in illum tam ex plebe, quàm nobilitate conſpirauerant, cæde recenti irritati, qua pridie duos ex procerũ ordine Giroſſiũ, & Hroſcã occidi gladio iuſſit; captum igitur(quod nulli vnquam regum ante contigit, in carcerem publicum, in quem ſupplicio afficiendi paſſim conijciebantur detruſerunt, & menſes ibi quatuor in fætore, & ſquallore miſeris modis habuerũt.* Sed inde per dolos aufugiens, veluti fera dilapſa è cauea,haud priſtinã crudelitatem oblitus in eos, qui pridem ipſum emendatum voluerant, atrociſſimè ſuo ex more debachari cæpit, & à ſæuiendo quidem(vt auctor tradit) cohiberi,ac mulceri,nonniſi à viliſſimo ſcorto valuit. At miſer haud culpam pœnitentia diluit, quin imò regnum, in quod fuerat reſtituus, malè adminiſtrans,hereticis inſuper fauere non dubitauit, adeò vt Vuicleffitica quoq;atq; Huſſitica hereſi infectus ſcriptorũ teſtimonio fuerit. Verũ cum regni Bohemici res interim dilaberentur, & cum impietate diſcordia in dies creſceret,Vuẽceslaus relaxans Hæreticis habenas, ſuo planè experimento didicit, (vt Rainaldus ait): *Euerſa religione regna ſimul euerti*. Conflata enim eſt Pragæ cõiuratio, & occupatum impetu Vrbis prætorium,ex quo Conſules partim fuga dilapſi,partim è feneſtris deiecti, haſtiſque transfixi ſunt. At verò dũ atrox facinus excuſſa parumper ſegnitie Vuenceslaus vlciſci meditatur,eã planè vlciſcente,& ſi non gladio, vt cruentus toties fuiſſe promeritus homo videbatur, paralyſi correptus, nulliſque editis pœnitentiæ ſignis infeliciter viuendi, ac regnandi pariter finem fecit,vt Coclæus his verbis tradit: *Mortuus eſt* (inquit) *an. Dom. M.CCCC.XIX. mẽſis Auguſti,ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo,cũ regnaſſet in Bohæmia annos quinquaginta quinque.* Cõgruè igitur crudelis homo membrorũ vſu,priuſquã vita deſtitui meruit, qui nonniſi ad laſciuiam, ſæuitiamque explendam,& ad impietatem inſuper eorumdem vertiſſe vſum noſcitur; adeò vt qui auxiliarẽ hæreticis manum prębuerat, eorum in ſe, regnumque audaciam proſilijſſe conſpiciens,mærore ſimul, ac dolore tabeſcens, duramque interim animo carnificinam perpeſſus deceſſerit,indignus planè carnifice, qui tot carnificinæ homines deuouerat, ipſius Dei calculo alter veluti Cain iure merito computatus.

41. Crudelitas igitur quæ mitem hominis animum, in ferinam prorſus transfert naturam,ſuos tandem ſectatores, alieniſque ſaginatos carnibus ebrioſque cruore, carnificinæ deuouet. Quod præ ceteris Frãciſco Mariæ ViceComiti, Mediolanenſium Duci accidit, qui cùm Ioãni Galeatio in principatu ſuccedens, vrbes Eccleſiaſticæ ditionis, quas à patre acceperat, reddere compulſus fuiſſet, ciuilibuſque bellis appetitus in eam morum feritatem de-

Rainald. vbi ſupra.

Dubr. vbi ſup. Cuſpin. in Vuenceslao. Eius ſæuitia irritati captum cuſtodiæ veluti reum tradũt

Rainal. an. 1403. n. 8.

Idem anno 1419 num. 10 Euerſa religione, regnũ euertitur, & rex ſi non gladio para lyſi moritur

Coclæus hiſt. Huſſit. lib. 4.

Qui hæreticis fauit eos inualeſcẽtes in ſe vicibus conſpicatus præ dolore tabeſcit.

Crudelis, qui hoſtes non gladio ferit, ſed canibus vorãdos obiicit

Digitized by Google

flexit, vt inimicos non tam gladio feriret, quàm crudeliter ſuis à canibus dilaniandos curaret, à quibus cũ humanitate barbarus homo vinceretur, nec miraculo ad clementiam inflecti potuit: quapropter à ſuis tandem iuſtiſsimè in patratarum cædium vltionem necatus eſt. Sed præſtat huic barbaram huiuſmodi crudelitatem ex his, quæ Rainaldus ex Antonio vicemercato in ſuis paginis narrat exponere: *Diuina* (inquit) *bonitas insigni miraculo hoc anno edito illius immanitatem ferinam confundere voluit; nam cũ duodennis puer filius Ioannis Puſterlæ, quem oderat, ipſi datus fuiſſet, iuſſit illum à canibus quos humana ſagina paſcere conſueuerat, laniari: cumque in puerum iacentem humi, principis miſericordiam implorantem, ferociſſimos canes, huic carnificinæ aſſuetos immiſiſſet, illi primum blande ſubodorati, nullam illi noxam intulerunt. Efferatus eo miraculo tyrannus, quãuis insõs puer miſericordiã cum lacrymis deprecaretur, ſuſpẽdium canum magiſtro interminatur eſt ni canes puerum diſcerperent. Ille igitur canem fœmnam truculentiſſimã laxauit in puerũ: cæleſti tamẽ prodigio ab illa innocens non eſt læſus. Tũ Ioãnes Maria rabie inflammatus iuſſit canum magiſtro, vt puero gulam ferro incideret. Paruit ſceleſtus ille carnifex tyranni imperio: ſed canes vtroq, carnifice humaniores, ſanguinem iugulati pueri deguſtare detrectarunt; quãtumuis hanc lanienam exercere ſollic ti eſſent.* Hæc ille, dum hominem ſeſinis planè moribus, feriſque ipſis longè ſæuiorem, ob oculos viuis in tabula coloribus exhibet, neq; his contentus, alia inſuper inuiſæ crudelitatis à Bernardino Corio mutuatus argumenta ſubtexit his verbis: *Nam cum imbellis* (inquit) *& inops ſenum, ac fœminarum turba belli malis attrita pacem ab eo poſceret, ducentos & eo amplius ex ipſis ſatellitio immiſſo interfecit. Sacerdotes preces inter ſacra pro pace apud Deum fundere vetuit, præcepitque, vt pro verbo pacis verbum tranquillitatis ſubſtituerent, idemque parochum, qui cadauer hominis condere ſepulchro detrectabat, niſi conſuetum ſtipendium reciperet, poſt quàm celebraſſet pro defuncto diuina, viuũ terræ infodi cum cadauere iuſſit; Ipſe verò poſt aliquot annos trucidatus ex inſidijs, & pariter ſæuitiæ adminiſter eſt qui canes ad humanam carnificinam alebat, à plebe Mediolanenſi diſcerptus raptatuſque fuit.* Carnificinam quippè, qua adeò in homines ſæuiendo oblectabatur, haud effugit, ſuorum ipſe manibus iugulãdus, diſcerpenduſque iuſto Dei nutu de quo hęc Rainaldus ad Chriſti annũ 1412. *Hoc anno* (inquit) *Ioannem Mariam Vicecomitem Mediolani Ducẽ à ciuibus, eius tyranidis pertæſis interẽptum tradunt, indeque magnos tumultus factos, principatum vero capeſiuiſſe Philippum Mariam fratrem, ſumptoq; de coniuratis ſupplicio priſtinæ amplitudini reſtituiſſe, auxiſſeque.* Homo itaque, qui in adminiſtrando principatu crudelitati potiùs, quã æquitati adnitebatur, ferinumque in morem in ſubditos ferebatur, eorum in ſe ad vlciſcendas iniurias, excutiendamque tyrannidem manus cõcitãdo, alieni profuſi cruoris pænas dedit.

Rainald. anno 1409. nu. 83 Ant. Vicemercat. Corius hiſt. Mediol. p. 4.

Canes feroces à Vicecomite in puerum immiſſi miſericentes eidem velut inſonti parcunt.

Nil permotus prodigio iterum canes in puerũ concitari, ſed fruſtra iubet non ſine prouidentia.

Corius hiſt. Mediol. p. 4. Inauditæ crudelitatis portenta.

Sæuus princeps poſt res crudeliter geſtas ex inſidiis perit.

Corius hiſt. Mediolan. p. 4.

Qui ſubditos vti hoſtes habuit, ab ipſis vti hoſtis habitus.

42. Demum, vt ſupremam narrationi manum imponamus, haud ſilentio hic, vbi de crudelibus agitur prætereundum eſt, quod Turcæ olim in Belgradi obſidione præſetulerunt inauditæ crudelitatis exemplũ; Cum enim Mahometes ad Trapezũtini imperij excidiũ peruolaſſet, & Scanderbeghus Belgradum in epiro

ac-

Digitized by Google

acceptis ab Apulia auxiliaribus copijs obſidione cinxiſſet, adeò moleſte id tulit Tyrãnus, vt intermiſſo bello Aſiatico Sebaliam, vt Rainaldus refert, cum quadraginta millibus equitum ad ſoluendã obſidionẽ miſerit; ſed cum oppidum iam iam noſtris eſſet dedendum, ac interim de deditione agerent, Sebalias Scanderbegho abſente ea per fraudẽ, ac vim velocitate in Chriſtianorũ caſtra irrupit, vt maxima noſtris clade illata horrendum barbaræ in Chriſtianos crudelitatis in mortuos ipſos deſæuiendo argumentum dederit, vt rerũ geſtarum Scanderbeghi ſcriptor his verbis teſtatur.

Rain. ann. 1457. num. 27

43. *Cæſa tunc* (inquit) *eo prælio noſtrorum quinque millia, tria peditũ reliqui equites: vulneratorum magnus numerus: regium auxilium Apulorum totum ferme deletum; nam maior pars eorum cum Muſachio fuit præter agmina quædam, quæ Caſtriottus in monte ſecum habuit, & in re tam ſubita inutiles ſclopi, & id genus armorum fuerant; quin ex noſtris quoque plurimi inermes, et ſternẽtes equos oppreſſi: viui octuaginta capti. Illud tamen fædiſſimum, & teterrimum fuit, quòd hoſtes cupientes teſtimonium aliquot priuatæ virtutis ſecum habere diſcurrentes per ſtragem noſtrorum palpitantia adhuc cadauera, vbi cæteris rebus nudaſſent, capitibus quoque, vt eorum mos eſt priuabant, & quia tum propter longitudinem viæ, tum calores æſtiuos ea ſubitò putreſierent, incommmodũ id onus erat, excoriabant ea, & cutẽ tantũ acceptã, quæ formam oris ſeruaret, palea implebant: de multis hoc factum, illis præſertim, quos vulnus, & habitus ipſe vel notiora nomina digniores eo odio fecerant. Muſachij non caput tantum omni fæditati, & iniuriæ deſtinatum, ſed diſcerpta ſingula membra & velut nefariorum graſſatorum regionatim ſparſa: alij quoque trunci tracti per loca, & valles adiacentes, ne fætore vexarentur oppidani, & feris, auibuſque relicti.* Hæc auctor de barbaris in Chriſtianorum cadauera, præ immani odio deſæuientibus, ſed haud impunè Chriſtianæ fidei hoſtes nobili præda, ac victoria potiti abiere; Scanderbeghus enim eoſdem, dũ Chriſtianos à tergo inſequerentur, aggreſſus magnã eiſdem, inopinamque cladem intulit, vt Rainaldus his verbis tradit: *Subdit* (ideſt præcitatus auctor) *nonnullis interiectis Scanderbeghum erumpendi in hoſtem tanto ardore efferbuiſſe, vt os ſanguine cruentaretur: nam illud memoratu dignum de eo ferunt, vt inter alia mutati vultus ſigna labrum inferius finderetur, cùm in procinctu pugnæ inardeſceret: ipſum autem incurriſſe à tergo in victores Turcas, qui fugientes noſtros perſequebantur, ac fuſum Chriſtianũ cruorem barbarico cruore vindicaſſe; de qua victoria in litteris Calliſti XXIV. Septembris exaratis, fit mentio.* Barbari quippè, qui nullum ſeuiendo modum fecerant, & ipſiſmet mortuis non parcentes, dignũ ſibi tũ victoriæ, tũ crudelitatis erexiſſe vexillum in Octomanico bello videbantur, Chriſtianorum ſubindè per vulnera cruorem regerentes, vnà cũ ipſis hoſtium exuuijs triumpho, antequàm domum reuiſerẽt, orbati una cum ipſis hoſtium ſpolijs cecidere; & hæc de infelici hominum, qui crudelitatem in alios exercent, exitu narraſſe voluimus, ad alia interim properantes.

Barlit. in vit. Scander. lib. 8

Ingens Cœſorum, ac vulneratorũ numerus.

Palpitantiũ adhuc cadauera Chriſtianorum nudata veſtibus capite priuãt

Rainald. vbi ſupra.

Ottomãnicus exercitus, qui nec viuis, nec mortuis Chriſtianis pepercit, à Scanderbegho trucidatus.

CAP.

CAP. XVII.

Cultui corporis plus nimio operam dantes.

1 Nimiam excolendæ formæ, ornandiq; corporis curam, à Chriſtianis, quibus animæ præcipuè cultus, ac virtutis decor curæ debet eſſe, amouendam procul, fugiendamque ſollicitè vnus præ cœteris Ambroſius admonet, amplioremq; cum formæ, tùm corpori gratiam refundi, dum nulla exteriùs gratia conquiritur, ac maiorem nullum formæ conciliari ornatum, quam cum omnis vltrò, libenterque ornatus abijcitur, diſertis aliquãdo verbis aſſeruit: *Neglecta* (inquit) *decoris cura plus placet, et hoc ipſum, quod non ornamus, ornatus eſt.* Verus quippè ſolidusque *ornatus Chriſtianorũ* (Auguſtinus inquit) *non modo nullus fucus mendax eſt, verũ etiam ne auri quidem, veſtiſq; pompa, ſed mores boni ſunt.* Chriſtiano etenim homini cũcta ab intus ornamentorum genera, quærenda ſunt, neque ab extrinſecis rebus ſollicitè comparanda; cum ab his procul ſint virtutum decora, à quibus blanda, fucataque iſthæc formæ lenocinia ſuppetunt; nam cui vultus decor magis placet, huic profectò parum animi pulchritudo ſapere, & cordi eſſe conuincitur: *Haud* (inquit Bernardus) *curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens, inculta virtutibus, et quanto magis corpus foris componitur, atque ornatur, tanto interius anima fœdatur, et ſordidatur.* Indeque fit, vt quidquid curæ corpori impenditur, totum nobiliori hominis parti iniquè ſubtrahatur. Quamobrem illud proculdubio verum ſemper eſt, quod clariſſima olim Romanas inter matronas fœmina, ipſius Hieronymi ore docuit: *Munditiam, videlicet corporis, atque veſtium, animæ eſſe immunditiam.* Nã pleraſque mulieres videre eſt, non tã auro, gẽmiſq. ornatas, quã oneratas: *Quæ* (vt inquit Bernardus) *monilibus fulgent, & moribus ſordent, adeoque quarum cultus* (Cypriano teſte) *pretioſior eſt, harum pudor vilis eſt.* De quibus profectò, vel ſuo cunctas viri opes veſtitu exhaurientibus illud aptè gentilis poeta cecinit:

Cura ornandi corporis fugienda.

Ambr. lib. de Virg.

Aug. ep. 75. ad Poſſidon.

Bern. ad Guilel. Ab.

Hieron. in epitaph. Paulæ

Bern. vbi ſup. Cypr. de habit. Virg.

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Repor. in car.

Quod & alter veluti ingẽtem pudoris labem deteſtatus, eiuſcemodi cultum proſcribendo exclamat:

Quis pudor eſt cẽſus corpore ferre ſuos?

Ouid. lib. 3. de arte amat.

Adeoque eiuſmodi fœminarum cultum inualuiſſe moralis ille philoſophus aiebat, vt bina interdũ ex auribus gemmarum patrimonia penderent.

2. Quapropter immodica corporis exornandi ſtudia, curioſamque mulierum præſertim ſe componentiũm ſedulitatem, conceptis ſemel Apoſtolus verbis proſcripſiſſe viſus eſt dum ait: *ſint mulieres cum verecundia, & pudicitia componentes ſe.* Quod; & paribus Apoſtolorũ princeps verbis inculcans: *Non ſit* (inquit) *extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Procul igitur meretricius iſte ornatus, velut animæ adulterinus, labemque pudori inducens à mulieribus arcendus eſt; *Quis enim non execretur* (inquit Cyprianus) *& fugiat quòd alijs fuerit exitio? quis, id appetat & ſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo:*

1 ad Reg. 2. 9.

1. Petr. 3

Cypr. de hab. Virg.

Digitized by Google

la: Et paulò infra nimios in muliebri ſexu ornamentorũ fucos perſtringens hæc ait; *Nunc quanta ignorãtia veri eſt id velle, quod inde ipſa nõ pereas, vnde alios periſſe cognoſcas.* Quam vehemẽter autem muliebris, quæ luxuriam fouet, ornamentorũ laſciuia numini diſpliceat, lugubris Prętextatę, quæ caput Virginis curio sè ornandum, excolendumq; curauerat, è vita exitus, manifeſtat, vt Hieronymus hunc in modum tradit; *Prætextata* (inquit) *nobiliſſima quondã fœmina iubente viro ſuo Hemetio, qui pater Euſtochij Virginis fuit habitum Euſthochij, cultumq; mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens, vt Virginis propoſitũ & matris deſiderium: Et ecce eadem vidit Angelum veniſſe terribili facie minitantem pœnas; & hæc verba frangentem: Tù auſa es viri Imperium præferre Chriſto, tu caput Virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ nunc iam areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris, & finito menſe quinto ad inferna ducaris, ſin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito orbaberis, & filijs; omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſere pænitentiã, velox ſignauit interitus. ſic vlciſcitur Chriſtus in uiolatoribus templi ſui.* Pœna igitur quæ poſtmodum conſequuta eſt, quod fœminæ ſtudiũ Deo inuiſum eſſet prodidit, ac nimiã exornandi corporis curã, ſollicitudinẽq; in muliebri ſexu dãnauit.

Cypr. de babi. u virg.

Hier. ep. ad Letam. Prætextata correpta diuinitus ob Virginem mundano cultu ornatam.

3. Immodicus itaque tã in viris; quàm in fœminis cultus, præter quã quod haud leuem numinis offensã contrahit, condignam quoque meretur vltionem: *Ornamenta enim iſta* (vt ait Hieronymus) *fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia sũt: Ornatus iſte non Domini eſt, velamen iſtud Antichriſti eſt.* Iſthæc quippè, vti libidinũ in hominibus incendia nutriũt, ſic curioſis tandem gehennã ſectatoribus parant, quod teſtatiſſimo quidem Petrus Damianus exẽplo his verbis teſtatur.

Hieron. ep. ad Furiam

Memini plane (inquit) *cùm apud Parmenſe Oppidum liberalium artium ſtudijs docendus inſiſterem, Clericus quidam nomine Teucolinus pellicem ſuam iuxta meum habebat hoſpitium, aſpectu lubricam, & inhoneſtam ſatis, decore venuſtam. Hic itaque nitidus; & ſemper ornatus, atq; conſpicuus incedebat, ità vt caput eius nunquam niſi gabelica pellis obtegeret, indumenta carbaſina, atque niuentia ſuligo per artem fullonis infieeret, calceus poſtremò ad aquilini roſtri ſpeciem non falleret: Affluebat vbique delicijs, rugiebant ora flammantia quotidiè cachinnis, atque ludibrijs, oculorum nutibus, ac ſcurrilitatis illecebris feſtiui applaudebant. Hi cùm per quinque ferè annorum luſtra in hac luxurioſa voluptate vixiſſent, ante annum, cùm commune Ciuitatis flagraret incendiũ, in vna domo reperti vtrique ſimul igne conſumpti ſunt.* Et congruè obſcæni iſti, qui nimio corporis luxu, luxuria pariter, ornatuq; diſſluentes, libidinum inuicem, certatimque ardores fouebant, ignibus abſumpti, vterque pabulũ tandem mortis euaſit; & ſic ab ignibus miſeri ad ignes infelici conſortio tranſierunt.

Petrus Dam. ep. ad Landul. Exemplum ex Damiano.

Impudicus & pellex luxuria diſtluẽtes ſimul exuſti.

4. At regiam hic mulierem, quæ dum inſano corporis cultu, ornatuque laſciuiret, funeſtè diem clauſit, Cantipratano in ſuis hiſtoriis exequente contemplandam lectori proponimus; *Prope noſtra* (inquit) *tempora fuit mulier nobiliſſima Maria Campaniæ Comitiſſa, hæc nupta nobiliſſimo Henrico Campaniæ comiti, filia fuit Ludouici Pij Regis Francorum,* Philippi *Regis ſoror, æque regis Francorum*

Mariæ comitiſſæ nimirũ laſciuientis funeſtus exitus,

Thom. Canti prat. lib. 4. Apum,

Digitized by Google

rum. Hæc multis annis mortuo marito cũ pōpoſiſſima ambitione circũiens, moriens talẽ finem ſortita eſt. Laborãs in extremis, Abbatẽ *Perſaniæ Sãctiſſimũ, ac eloquẽtiſſimũ virũ migratura venire mãdauit. Qui, vt venit intromiſſus nõ eſt, & præ foribus expectauit. Iã enim* Comitiſſa *deceſſerat, & diſtrahebantur à militibus, & miniſtris, & ſuis omnibus, vtenſilia aurea, & argentea; veſtes pretioſæ, culcitræque purpureæ, & tandem linteamina ipſa cùm peplis. Extremo quidam ex garſionibus mora nimia retardatus, lectum per cornua comprehendit, & reſupinatum corpus emortuum eminus in ſtramenta deuoluit. Moras autem Abbate cum tædio ſuſtinente, quidam nobilis ex circumſtantibus indignatus oſtium violenter infregit, & virũ venerabilem intromiſit. Qui cùm introiſſet, & nobile illud corpus nudum in ſtramine reperiſſet, volente quodam ex familia illud ſtraminis operire,* Abbas *exempli prouidus non ſinebat, ſed libera voce clamabat. O vos omnes venite, certe pompam nobiliſſimæ Comitiſſæ Mariæ:* videte *illud delicatiſſimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum eſt. Videte, quid ei pro multiplici honore, & gloria mundus finaliter exſoluit.* Inglorio quippè ac turpi exitu abrepta mulier, quæ ſæculi pompas, cultumque corporis adeo deperibat, nil ſecum ex rebus ſæculi, niſi nuditatem retulit, & infelix cunctis, altera veluti Iezabel, contemptibilis reddita, magnum de ſe cunctis humanæ infelicitatis argumentum exhibuit.

Extincta comitiſſa diſcurrunt ad prædam famuli.

5. Et ſanè mulieres, quibus plus forma, quàm pudor cordi erat, triſti vitam fine abrumpentes, ementitam ſæculi faciem, oculis contēplãdã exhibent, fugitiuãmque rerum humanarum pompam mortales docuere: Et vt exemplis inſiſtamus non vnam, aut alteram, ſed quatuor fœminas moribus planè incultas, ſordidaſque hic lectori contemplandas proponimus; quas diem infeliciter clauſiſſe modernus ſcriptor his verbis ſuam à plaſmorum oraculis narrationem auſpicatus narrat.

Inanes ſæculi curæ triſti exitu terminatę.

Deus (inquit) *audiui auditionem tuam, & timui; conſideraui opera tua, & expaui liceat mihi iiſdem verbis humiliter Deum affari quibus Sanctiſſimus Propheta in admirationem elatus eumdem Deum alloquitur; ita mihi ferè aliqua diuina eius iudicia offerunt, quæ ſua grauitate terrorem, metumque incutiant; è quibus primo loco illud proferam, quod primum venit in mentem. Quatuor vno fere tempore, me puero, mulieres nobiles, formæ, ac venuſtatis laude, cæteras anteire exiſtimabantur neque in eo homines decipiebantur, erãt enim re ipſa tales; ſed inerat illis non minor vanitas, ambitio, atque ſuperbia ex opinione, ac fama, de ipſarum forma, elegantiaque concepta. Quo fiebat, vt minus Deum, quàm par eſſet, metuerent. Nam quocumque pergerent cultiores, ornatioreſque, quã probas decet, incedebant: tum oſtentatationis, gloriæque cauſa, certatim amatorum, & ſpectatorumque greges ſecũ trahebant; neque alias magis in eiuſmodi iniquitatis operibus verſabantur, quàm diebus feſtis; cùm ſeſe in templũ agebant, vt rebus diuinis intereſſent; eo enim diligentius expolitæ, pictæ, ſictæque veniebant, eodemque exquiſitus, atque adeo ſuperſtitioſius ornamẽtorum genus deferebant. ibi maiorem circa ſe numerum eorum habebant, qui ſe dici volunt elegantes; ibi formas ſuas ocioſius ſpectandas præbebant, ibi modo hunc, modo illum intuentes, laſciuis oculorum obtutibus, cupidorum hominum inſanias acrius inflammabant; ſum-*

Ianus Nicius Erit. exemp. ſolar. 90. p. 60.

Pompaticæ mulierũ quatuor veſaniæ exemplum.

Ornatiores quã probas decerent incedebant.

ſumma eorum, qui aderant, cum offenſione, atque dolore, qui ferebant indignè, tùm inſignem Deo contumeliã inferri: ſed eæ ad vnam omnes vanitatis, petulantiæ, & ſacrilegij ipſius pœnas dederunt, nàm vni earum, quæ, vt fama erat, virum tollendum curauerat, quo alteri potentiori nuberet, à quo miſerè amabatur, in ipſo ætatis flore erepta vita eſt: alteri manus, ob cuius candorem, pulchritudinemque, ſe in primis circumſpiciebat præciſa; ne lethale uirus, quod contraxerat, totum uidelicet corpus inficeret; Sed nihilominus ſtatim eſt mortua: tertiæ, quæ palàm à uiro quodam Principe ad inſaniam adamata, in grauiorem populi offenſionem incurrerat, fœtidus obſcœnas partes cancer exedit; poſtrema cùm rem familiarem, quæ erat ampliſſima, propinquos, ornatiſſimos uiros, ac liberos lectiſſimos adoleſcẽtes amiſiſſet, diutina eſt tabe confecta. Tantum profectò virium pulchritudo corporis ad animi decorem abolendum, deformãdumq; habet, vt rara ſit in fœminis poetæ teſtimonio, formæ, ac pudicitiæ concordia. Quid verò puellæ cuidam acciderit, quæ à parentibus reprehenſa, quod accerſendæ per fucum pulchritudini nimium curę, induſtriæque collocaret, ab inſtituti leuitate non diſcedebat, ab eodem ſcriptore, ſi placet, audiamus.

Prima necato viro extincta in ætatis flore.

Secũdæ manus amputata

Tertiæ verenda cancro exeſa.

Nicius lib. exem. ſelect. exem. 107 pag. 131

Mulierculæ adulterinũ ſibi vultum affingentis triſtis exitus

6. *Mulier erat* (inquit) *quædam, quæ proprium, & naturalem oris ſui nitorem contemneret, eidemque ad vendicium, fucoq; quæſitum induceret, ac totos dies purpuriſſo, ceruſſa, alijſq; id genus pigmentis ſibi malas inficeret. Itaque cùm eſſet honeſtis orta parentibus, in morem meretricis ficta, pictaque in hominum conſpectum prodire nõ erubeſcebat; quæ res magnum propinquis, ac parenti ipſius in primis dolorẽ inurebat: qui non ceſſabant eam hortari, atque admonere, vt nimiam illam cultus ſui curam, diligentiamque remitteret. Sed nihil proficiebant: nulla enim cuiuſquam, neque auctoritate, neq; oratione adduci potuit, vt quidquã de inani illo ſtudio deponeret. Verùm cùm illi parens, deterrendæ eius gratia, atque ab inani illa ſollicitudine abripiendæ, Deo eſſe inuiſas diceret, quæ ſibi formã fingerent, & nouam quaſi faciem imponerent, eaſque procul à diuino ipſius conſpectu repelli: contempſit illa, atque arrogantibus ſanè verbis, ſi me (inquit) nolit Deus, ad ſe recipere, abigat quo velit, nihil eius conſpectum moror: nã certum eſt mihi, ſuum corpori cultum non eripere. Mortua eſt mulier, & Chriſtianæ ſepulturæ mandata; ſed tellus tanquam dedignaretur eam amplecti, quæ Deum à ſe repudiaſſet, ſuo è gremio foras excluſit. Quòd cùm patri renunciatum eſſet, elatam è templo, ad litus maris deportari iuſſit, atque in arena ſepeliri; quæ item retinere apud ſe eam noluit, cui propè fuerat Dei conſpectus inuiſus; itaque paulò poſt foras euomuit. Tum pater commotus euocaſſe dicitur dæmonem, & clarè omnibus audientibus inclamando dixiſſe, vt eius quoque ſibi corpus haberet, ſecũque ad Inferos traheret, cuius iam anima eſſet potitus: atque eius Imperijs præſto fuiſſe diabolus creditur. Nam infelix illud cadauer, ab oculis ſublatum, nuſquam poſtea eſt viſum.* Sic Deus immodicam puellæ in exornãdo corpore laſciuientis, curioſamque eius operam vindicauit. Terra quippè corpori, cuius anima fuerat Orco addicta, ſepulturam exhibere dedignata, ſignis haud obſcuris perditum eius è vita exitum declarauit. Quoniam verò, *Mulier ornata* (vt Ambro-

Monita in blaſphemas erupit voces

Ornata mulier nefario conſilio dæmonum demus eſt

Ambr. lib. de virgin.

broſius ait) *eſt domus omnium dæmonum infernalium*; congruè prophanicadauerisexuuiæ, condigna tartaro præda fuere.

7. Porrò in quas ſyrtes, tum viri, tùm fœminæ plus nimio formæ, ac corporis cultui incumbentes impingant, funeſtus adoleſcentis, qui apud Zehëtner his verbis deſcribitur exitus fidē facit, *Fuit* (inquit) *quem ſanguinis nobilitas, & magnorum Comitum familia, & opulenti cenſus, præſertim elegantiſſima corporis venuſtas fecerunt orbi commendabilem: ſed miſer inter hæc aliena potiùs, quam ſua bona, animam turpiter vitioſam circumferebat, ac potiſſimum tumidam propter formoſi corporis pulchritudinem. Nō tulit Deus hanc ſtolidam vaniſſimi hominis ſuperbiam: atque vt oſtenderet venuſtatem membrorum (quam faſtus ſequitur) fieri materiam vindictæ, à capitis vertice ad calcem vſque pedis fœdiſſima lepra correptus eſt; negantibus medicis id genus mali humanis medijs poſſe perſanari. Itaque aderant, qui percuſſum tam turpi, & immedicabili morbo hortarentur numinis prouidentiam non tantum agnoſcere; ſed eius quoque ſecretiſſima iudicia, cū humili oſculo, ac veneratione admittere. Cæterum ille omnia alia cogitare, dicere, facere. Denique inſano furore percitus ſupremo in cœlis Numini ſua lingua facturus vulnus. Quia igitur* (inquiebat ad Deum) *quo nuper gloriabar, bellum mihi corpuſculum abſtuliſti, ſubſtituta in vicem prioris elegātiæ, abominandæ lepræ deformitate. Et ego tibi auferam tanto pulchriorem animam, quanto à te pretioſius empta, ac redempta eſt; tradamque illam hoſti tuo magno Inferorum principi, ac tyranno. Ab eo tempore, & hoc inſaniæ verbo, nullo ſcelere abſtinuit, cuius facultas ſuppetebat. Tandem vbi ad extrema fata appropinquauit tenax propoſiti, & totus in priſtina voluntatis impietate obduratus, inter blaſphemias, & maledicta execrandam animam eiecit, eiectus, & ipſe poſtea in foſſam verius quàm ſepulchrum inhonorus, vt meruit, & inglorioſus.* Hæc ille: ex quibus nimium corporis cultum, ac procurandę venuſtatis ſtudium homini ſuperinduxiſſe Dei obliuionem, ac orco victimam, ac trimphum deuouiſſe conſtat.

Ioſ. Balaad. lib. 4 c. 16. Zehent. in promont. mal. ſpei lib. 4. §. 9. n. 690.

Lepra à Deo percutitur, qui corporis pulchritudinem deperibat.

Sanitatem tum corporis, tū mētis amittit.

Blaſphemas in Deū voces eiaculat.

8. Demum, vt nonnulla alia nouiſſimi ſęculi in medium proferātur exempla. Illuſtris proſapiæ fœmina, apud nobiliſſimam Italiæ vrbē, vt à viris nuper fide digniſſimas accepimus, adeo in excolenda forma nimia erat; vt modis quibus poterat, & ſi honeſtos dedeceret mores faciē, eaſque corporis partes, quibus maior verecundia debetur, & quas ob alienæ incentiua libidinis pudicæ fœminæ modeſtiæ legibus, ac magiſterio edoctæ celare conſueuerunt, hæc nō abſque ſui propudio, aliorumque offendiculo palàm oſtenderet: atque è domo procedens nudatum, cunctiſque inſpectandum per ſummam impudentiam totum fere pectus offerret. Verùm cùm tam verbis, quàm modeſta nobilium, pudicarumq; fœminarum conſuetudine, vt ab eiuſmodi luxu temperaret, prauumque vſum corrigeret, fruſtra moneretur, Deum tandem ſenſit vltorem: morbo enim correpta, poſt quam diù lecto decubuit, fœtidus cancer illis potiſſimum partibus, à quibus ſuæ lenocinium formæ petebat, enatus inſedit, adeò vt nō abſque ingenti cruciatu carnes ſēſim depaſceretur, viuētemque adhuc infeliciſſimè abſumpſerit: Cunctis qui pridem fœminæ vitium nouerant, manifeſto Dei iudicio id tribuentibus. *Per quæ enim* (Grego-

Ex relat. à fide dignis.

Mulier formę lenocinio alijs offendiculum præbet.

Cancer pectori enatus pectoris laſciuiam vlciſcitur.

Google

(Gregorio teſte) *quis peccat, per hæc & punitur*. Fiuntque inſtrumenta pœnarum, quæ fuerant inſtrumēta peccandi. Greg. in mor.

9. Quoniam vero ambitioſa mulierum leuitas, prauaque in exornando corpore ſollicitudo, eo vſque peruenit, vt ad expoliendam faciem, conciliandamque ori venuſtatem, haud communibus aquis contentæ; venena quoque pro fucis frequenter adhibeant, plerumque fit, vt nō tā oris pulchritudinem eiuſcemodi medicamentis procurent, quàm formam quandoque, ac ſe ipſas itidē perdant. vt nobili fœminæ quondā contigit, quæ cùm variis ad expoliendam faciem, pulchritudinemque ori accerſendam, pigmentis, venenatiſque inſuper aquis vteretur, dum die quadam lectulo ægrota decumberet, ſibique edulia à famula deferrentur, faſtidiente ſtomacho cùm præ languore nil ſaperet, & iuſculum ſibi delatum ſale nimis reſperſum videretur, famulam ad ſecretiorem arcam, in qua varia pigmentorū generis vaſcula aſſeruabantur, tranſmiſit: Hæc vero pro roſacea, quàm hera expetebat aqua, venenatam alteram (vulgo ſublimatum dictam) per errorem detulit. At illa ſuis manibus paratæ ad hauriendum ſorbitioni ſuperinfudit, mortemque per illud ipſum venenum, quod inficiendis intuentium animis præparauerat, ſibi ipſa cōſciuit. Sed plura fuſindè huius noſtri operis tom. 2, vbi opportunè de pompatico veſtimentorum luxu ſermo inſtituendus eſt.

Venena fœminis ad fruendam faciem præſto ſunt.

Venenatam aquam, quę faciem expoliebat, per errorem hauriens perit.

CAP XVIII.

Qui delicijs affluunt, & voluptatibus immodice ſeruiunt.

1 DEliciæ ſuis procul dubio ſectatoribus noxię, vel dum miſeris turpiter blanda inter vitia diſfluentibus arrident, animumque titillant, exitium tandem inferre conſueuerunt. *Impoſsibile enim eſt compunctionem cordis* (inquit Chryſoſtomus) *vigere in delicijs: Contraria enim hæc ſibi sūt inuicem, & peremptoria*. Quod adeò verum eſt, vt vix vnquam Bernardo teſte delicias vitiorum deſtitui aculeis contingat: *Mens quippè aſſueta delicijs, nec exculta diſciplinæ ſarculo multas contraxit ſordes*. Procul itaque à delicijs, qui ſordidari non vult, iuxta illud poetæ carmen.

Deliciæ exitio ſunt.

Chryſ. lib. de comp. cor.

Ber. in ep.

Vis rectè viuere? quis non?
Si virtus hæc vna poteſt dare, foris omiſſis
Hoc age delicijs.

Horat. ep. lib. 1. ep. 6.

2. Quapropter iure meritò ſtertentes inter otia, blandaſque ſeculi delicias certum conſequi interitum diſertis, iā Apoſtolus verbis aſſeruit; loquens enim de viduis, abigendam ab eis procul omnem carnis laſciuiā, voluptatemque, noxium veluti pharmacum, ne quid triſte, funeſtumque accidat, ab animo prorſus abdicandā præmonuit: *Mulier* (inquit) *quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt*. Quapropter grauiſſimis verbis præſens inde homini imminere periculū affirmauit; deliciæ enim, quę carnē fouēt titillantque, ne dum pungunt, atq; excruciant, ſed inflicto inſuper ani-

Delicię ſeculi exitio ſunt.

1. ad Timot. 6.

Digitized by Google

mam vulnere perdunt, ac iugulant. Hinc inuictiſsimi quondam Chriſtianorum pugiles, & Chriſti Athletæ, dum pro fide vltro in agone cõtenderent, blandientes magis tyrannos, quam ſæuientes horrebant; quippè qui diutino rerum vſu didicerãt, quanti res periculi ſit, cum felicitate luctari, quantæ item virtutis à felicitate nõ vinci, delicias vltrò amplecti, & ab earum aculeis non cruentari. Quapropter inuicti ille animi inter martyres, ſuoque portendens victoriã nomine Vincentius, qui tortorũ inter verbera, inter tormenta, atque ignes fortis in acie, repetitiſque plagis conſtans diù, immobiliſque perſtiterat, cùm inter flores prȩſidis iuſſu molliter recubaret, delicias ferre nõ ſuſtinens, protinus vita exceſsit; adeò vt præſentiſsimam martyri necem, quàm cruciamẽta non dederãt, mox deliciæ intulerint. Enimuerò fortis Chriſti pugil duris aſſuetus prælijs, ne qua molliter inter blanda diffflueret, inter flores emori, ac diros inter pænarum cruciatus nouo mortalibus ad cauendum, dimicandumque propoſito exemplo, viuere maluit, quod ſuis eleganter verſibus Martha Marchina à nobis ſȩpius laudata hunc in modum expreſſit.

Deliciæ carnem titillant & animam vulnerant.

Martha Marcllin. in car. de S. Vincẽtio

Quem nec virga furens, nec ſtridens
flamma peremit,
Cui peperit molles horrida teſta roſas,
Floribus in medijs Vincentius occidit, atque.
Delicijs certam ſenſit ineſſe necem.
Impietas ne quære ignes; nam perdere cũ vis.
Nil opus eſt flammis, floribus intermis.

3. Quis autem aſſuetum prælijs, ac triumphis Chriſti martyrem magis ad conſpectum deliciarum expauiſſe crederet, quàm ad propoſita ſibi, atque à tortoribus acerbiora quæque intentata tormenta, nec adeò tyrannum exhorruiſſe ferum, furentemque, quàm mitem, blandumque oculis auerſatum fuiſſe; hunc enim, ne quando cum animæ ſuæ periculo incautus videret, adblandientẽ ſurda aure, clauſiſq; oculis è vita abſcedẽs præteriuit: *Quæ enim maior* (vt Tertullianus inquit) *voluptas quam faſtidium ipſius voluptatis*. Procul igitur à recto ſalutis tramite aberrare conuincitur, qui lubricam potius, peramænamque ſæculi viam, quam aſperam virtutis ſemitam terit. Vt quid enim non mortem incurrit, qui vitam inter blandientis ſæculi voluptates inſtitués à Dei regno procul fieri, ac immortalem proſus negligere vitam comprobatur: *Eſt via* (inquit ſapiens) *quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*. Quod in præſens patẽtiſſimo fœminæ, diuitiis, æque ac nobilitate in ſeculo præcellentis exẽplo liquet; quæ cùm ſuam indulgentius, quàm par eſt carnem fouet, ac animæ prorſus immemor, deliciis iugiter vacat, demum infeliciſſimè è vita exceſſit: cuius tragicam inter ſæculi ſyrtes voluptuoſas, ſyreneſq; delirantis hiſtoriam flebili, elegantique Petrus Damianus hunc in modum ſtylo deſcripſit.

Tertul. lib. de ſpec. c. 29.

Prou. cap. 16 25

Chriſtiani magis timẽt tyrannos blãdientes quã ſæuientes.

4. *Sed ad id* (inquit) *quod aſſerimus roborandum, congruum eſt, vt etiam de viua carne proferamus exemplum. Veracis itaque, & honeſti viri didici relatione, quod narro.* Dux *Venetiarum Conſtantinopolitanæ Vrbis ciuem habebat vxorem, quæ nimirum tam tenere, tam delicatè viuebat, & non modo ſuperſtitioſa, ſed artificioſa, vt ita loquar, ſeſe iucunditate mulcebat, vt etiam communibus ſe aquis dedignaretur abluere: ſed eius ſerui*

Petr. Dam. ep. ad Blancam Comitiſſã c. 11

Inſigne exẽplum deliciarum in calamitatẽ deſinentiũ.

Bar. an. 998. nu. 20.

ro-

Digitized by Google

rorem cœli ſatagebant vndecumque colligere, ex quo ſibi laborioſum ſatis balneum procurarent. Cibos quoque ſuos manibus non tangebat, ſed ab Eunuchis eius alimenta quæque minutius concidebantur in fruſtra: quæ mox illa, quibuſdam faſcinulis aureis, atque bidentibus ore ſuo liguriens adhibebat: Eius porrò cubiculum tot thymiamatũ, aromatumque generibus redolebat: vt et nobis narrare tantum dedecus fæteat: et Vindicata diuitus *auditor forte non credat: ſed omnipetẽti Deo quantũ huius fœminæ exoſa fuerit ſuperbia, manifeſta fuit vlciſcendo cenſura: Vibrato quippè ſuper eam diuini mucrone iudicij, corpus eius omne computruit, ità vt membra corporis vndique cuncta marceſcerent, totumque cubiculum intolerabili prorſus fœtore complerent; nec quiſpiam tantam perferre narium iniuriam potuit, non coſmeta, non ſeruulus, vix vna duntaxat ancilla, non ſine ſpeciei redolentis auxilio in eius obſequij ſedulitate perman. ſit: Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abſcedebat. Diutius igitur hoc languore decocta, & miſerabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus, diem clauſit extremum. Quid ergò ſit caro, doceat ipſa caro; quodque perhibet mortua, teſtetur & viua:* Quæ horrebat omnia pię laſciuia omnibus horrori fuit

Funeſta prorsùs nobilis fœminæ inter blandas voluptatum illecebras laſciuientis, diffluentisq; hiſtoria, quæ apud celebres ſcriptores, aliorum documento ſat vbique decantata eſt. Mulier autem iſta, quæ felix iugiter in deliciis vixerat, doloribus tandem ſaucia, ac miſere adhuc viuens computreſcens abſũpta eſt: & quæ dudũ carni nimis indulgendo, Dei oblita fuit, ſui tandem ipſius, ac Dei moriens haud legitur meminiſſe; ſi qua enim miſeram anteactæ vitæ dolor intimè perſuaſiſſet, dum eam præſẽs inter manus vita deficit, deſeritq; aditũ ſibi proculdubio ad immortalẽ vitã patefeciſſet. Huic aptè alterius fœminę delicijs itẽ in ſæculo affluentis, ac impẽſius ſeipſam palpantis exẽplum Petro Damiano enarrante cõſonat; Mulieris delicatæ cadauer peſſime fœtet. Illius enim cadauer, adeò peſſimum, poſtquã tumulo illatum eſt, odorem efflare contigit, vt res cunctis intoleranda viſa ſit, & nõniſi in præteritarũ, quibus vacauerat, deliciarum pœnam, id ei obueniſſe diuinitùs, eodem Petro Damiano teſte creditum ſit: Sed eius hic obiter hiſtoriam excipiamus:

5. *At fortaſſis* (inquit) *è contra dicitur, quia corpuſculum tuum, gracile nimis, & delicatum ab ipſis lactantis infantiæ rudimentis, exculentiſſimis, ac pene regalibus fuit epulis molliter enutritum: nec ſororum potes nunc menſulis eſſe contenta, quæ magnificis olim fueras ferculis aſſueta: ſed nec olere quidem, vel communibus cũ eis vti potes edulijs, quæ marinas, exquiſitaſque delicias indicis aſſueueras infarcire pigmentis.* Petr. Dam. lib. 7. ep. ad Jacul. principes ep. 19. ad Blancã. Comitiſſam *His itaque malè blandientibus ſuadebis, immo litis melle ſagittis ex diabolica faretra manifeſtè vibratis, tu diſcipula Crucifixi prudẽter occurre, eaſque à te, conditionis tuæ ſedula conſideratione repelle. Perpende igitur quia caro, quæ nunc accuratis dapibus enutritur, paulo poſt vermibus ſcaturire compellitur: ipſaque tunc fit eſca rodentium, quæ nunc delectabiliter ſaginatur iucunditate ciborum, ac tanto grauiorem exhalat putrefacta fœtorem, quanto ſuauiorem ſibi procurauit educata mollitiem.* Vermium ſaginam excolere ſtultum eſt. *Ecce dum iſta conſcribimus, Sophia nobis ad memoriam redit, duorum ſcilicet Marchionum Vguzonis ſoror, Rainerij filia, quæ ante hoc fere ſexennium dum ſana adhuc eſſet; & incolumis Abbatem monaſterij S. Chriſtophori martyris, vt ſibi ſepulturam conſtrueret*

ret

ret petijt illoque renitente, eamque delirare perhibente difficilius impetrauit; factumque intra Monachorum clauſtra ſepulchrum; mox; vt ingreſſa conſpexit, neſcio quo iudicio in ægritudinem corruit, ac paulo poſt abſceſſit, & obijt. Cui, vt profecto tumulus, cùm eſſet gypſeus, artificioſiſque cæmentariorum ſtudijs vndique communitus, tantā fætoris illuuiem per continui circiter anni circulum exhalauit, vt tolerari vix poſſet, nec fratres quieſcere in tota clauſtri illius medietate permitteret: Et cùm multa circumquaque ſepulchra ſubſiderent, eademque minora ſatis impendia percepiſſent. nullum præter hoc ſolum moleſtias naribus ingerebat; vt luce clarius innoteſceret, quoniam humana caro quanto tenerius, ac mollius educatur, tanto deterius in putredinem, ac n uſeam vertitur: Enimuero fratres, cùm me, cur id fieret, inquiſiſſent, quod mihi videbatur expoſui. Hoc (inquam) vt opinor, ad ſalutem veſtram diuinitus agitur, vt in illo vno corpore, quod tam pulchrum, venuſtumque vidiſtis, quid etiam de cæteris mulieribus in tentatione luxuriæ ſentiri debeat, liquido colligatis: Quoniam caro illa, & tunc putredo veraciter erat, cùm ad ſe ſpectandum lubricos intuentium oculos prouocabat: Quid enim tunc fuerit, nunc euidenter oſtendit. Et qualibet hominis caro, quæ nunc viuere conſpicitur, nequaquam de ſe poſt obitum putredinem generat: ſed quæ ſemper fuerat, tunc ſe tantummodo putredinem manifeſte declarat. Nobile, ſpecioſumque in putrida fœmina humanæ calamitatis argumentum propoſitum eſt, quæ corpus, etſi blando pigmentorum fuco, dum viueret, dum vigeret intruentiū oculos fallebat, mortuum tamen, & iā putredini obnoxium nares, ne dum oculos qui... eſſet, ſatis docere viſum

Pulchrum ac delicatum corpus poſt mortem grauius fætet.

Putredo eſt ea caro quę laſciue ad blanditur.

eſt, adeò vt congrue huc illa Hugonis vmbraticam mulieris formam deſcribentis verba recidant: *Nihil aliud* (inquit) *caro eſt, cùm qua tanta eſt ſocietas, niſi ſpuma caro facta, fragili decore veſtita; ſed erit quandoque cadauer miſerum putridum, & cibus vermiam.* Hæc ille; quibus & alter humanæ ementitam propaginis, ac faciei pulchritudinem carminibus aptè eleganterque ſuis ad viuum adumbratam coloribus imaginem contemplandam proponens, hæc cecinit:

Hugo de clauſtro animæ lib. 1. c. 31.

Poſt hominem vermis, poſt uermem fætoret horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Homo in vermes, vermis in horrorem horror in fętorem abit.

6. Quę nos in deformem laſciuientis huiuſce quondam interueneris blandicias, ſubinde verò ſuam inter maciem, colluuiemque vermiū diffluentis, putreſcentiſque propudiū vltrò, libenterque decantaſſe voluimus. Peramæna igitur quā certatim plerique terunt ſęculi via, etſi deliciis redundat, haud tamen ſentibus carēs caſibusque iugiter obnoxia ſuos ad certum baratrum ſectatores deducere, eoſq, tandem perdere, neutiquā ſeruare nouit: iuxta illud Chriſti oraculum: *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam:* Quod quidem exemplo ex recentibus rerum hiſtoricarum paginis petito; ſed quod ſuperiori ſęculo hominibus exhibitū eſt, palàm fit: mulieris videlicet, quæ cùm inter lubrica ſæculi gaudia deperiret, ipſas inter voluptatum illecebras, ipſiuſmet ſuas inter delicias mortis aculeum perſenſit: ſed rem à probę fidei viris acceptam, & ab Auguſtino manno noſtræ Congregationis Presbytero in ſuis ſelectis hiſtoriis deſcriptam, his verbis accipiamus.

Matth. cap. 7 num. 17

In

7. *In Ciuitate* (inquit) *Crotonis anno Domini 1573. erat mulier in ætatis flore conſtituta, in primis nobilis, & diues, & eximiæ pulchritudinis, quæ corporis ſui forma in virorum perniciem abutens, facta erat laqueus totius ciuitatis, vt quicumque eam videret, ad concupiſcendam eam iam mœcharetur in corde ſuo. Quapropter parentibus non renuentibus huc, & illuc vagans, & per vias, & feneſtras ſeſe oſtentãs, plurimorum corda ad ſui concupiſcẽtiã rapiebat. Quodam die mulier iſta, quæ nihil aliud ſomniabat, quàm ludos, & ſpectacula, & choreas, comicaſque repræſentationes, & incedere pompoſè, & oblectare oculos, & aures, & laſciuiẽtibus obtẽperare ſenſibus, omnibus ornamẽtis ſuis ornauit ſeſe, venuſte comas ſupra frõtẽ erexit, et crines intortos aurea victa ligatos artificioſè diſpoſuit, & impoſuit ſuper caput eius, reticulam ſericam, & auribus candidas appẽdit margaritas, & cinxit collum monilibus, & veſtes induit verſicolores, ignea diaboli arma, & fœdarum libidinum incitamenta. Cùm autem corpus ſuum hoc modo exornaſſet, feſtinauit cùm ancillis ad cuiuſdam diuitis domũ vbi luſus, & iucunda ſpectacula exercebantur: ibique plurimi tàm viri, quã mulieres conuenerant, ſicut turbæ ad theatrum.* Vtinam infelix inter illa voluptuoſorum nugantium hominũ turbas irritamentaque vitiorum ſapientis illud recolens opportune meminiſſet oraculũ: *Melius eſt* (inquit) *ire ad domum luctus, quam ad domum cõuiuij.* Frænũ quippè voluptatibus, inſaniſque ſuis amoribus adhibens, impendẽtem capiti vltionis gladium amouiſſet. Sed reliqua nunc, ſi libet, proſequamur.

August. Mannus Congreg. Orat. lib. ſelect. hiſt. c. 39.

Laſciuientis mulierculæ triſte exemplum.

Quam ſollicita mulier in excolẽda forma.

Mulier eſt luctus a quã riſus.

8. *Itaque mulier* (inquit) *hilaris, & iucũda ſine fræno cor ſuum in eodẽ loco voluptatibus, & oblectationibus relaxauit: ſed quoniam extrema gaudij luctus occupat, ecce repentè adoleſcentula ingenti laterum dolore corripitur, & conquerens eiulat, & clamoribus omnia miſcet, & voluptatis domum, facit luctus, & doloris domicilium. Parens autem eius videns filiam dolore exanimatam, eam domum reduci curauit: vbi adhibitis a perito medico idoneis medicamentis, cùm adhuc morbus ab inclementia ſua non recederet, & in diſcrimen vita eius deducta eſſet, accerſitus eſt confeſſarius, vt animæ eius mederetur: qui veniens ad ipſam benigno ſermone eam excipiens hortabatur; vt poſthac non duceret in vanitate dies ſuos, ſed totam ſe ad Deum diligendum traderet, in cuius dextera veræ voluptates ſunt: & de præteritis culpis ingemiſcens veniam peteret, & confiteretur peccata ſua Deo;* quoniam bonus, & in ſæculum miſericordia eius: *conabaturque oſtendere illi, quàm graue crimen eſſet, ducere vitam totam in vanitate ſenſus expoſitam. Ipſa autẽ, cuius cor vanitatem biberat, ſicut aquã, contulit ſe ad excuſandas excuſationes in peccatis aſſerens, mulierem nobilem, & in Ciuitate ſua primariam non decere hæc agere. Reprehenſa de Verbo hoc a confeſſario, quoniam huiuſmodi vanitates, et deliciæ molles & fucus ſunt deteſtabiles apud Chriſtum, & quoniam mulier in delicijs viuens, non viuens, ſed mortua eſt: illa indignãs, & diabolico agitatæ ſpiritu reſpondit: ſi Chriſtus vult me ipſam, vti ſum, talem me recipiat, ſin minus dimittat me mihi; nihil moror, mulieris contemptus diuinam manſuetudinem exacerbauit: Et pertinax propoſitum eius, quod nõ flectebatur ad pænitentiam, aures altiſſimi offendit. Quapropter confeſſarius impœnitenti mulieri pænitẽtiæ ſacramen-*

In media laſciuiæ põpa iocos luctibus confundit.

Blaſphemis vocibus Chriſtum contemnit.

mentum adminiſtrare non potuit, & dolens mulieris ſortem receſſit ab ea. Mulier enim, quæ carnis, ac ſeculi deliciis vacabat, ab amplexando ſacramentalis pœnitentiæ ſub vitæ finem remedio, veluti indigna mentem auertebat: at vbi ſacroſanctum impænitens Dominici corporis viaticum, vnicum vitę antidotum, quod vltrò ſibi à Parocho deſerebatur, adſtare ſenſit, ac ſi lethale venenum è proximo ſibi admotum fuiſſet, funeſtam extemplò corporis, ne dum animæ mortem incurrit, ſed ad hiſtoriæ filum reuertamur.

Parochus dũ euchariſtiam ad eã defert diuinitus aditu prohibitus.

Interim (inquit) *Pater eius cogitans illam peccata confeſſam eſſe, cùm morbus ingraueſceret admonuit* Parochum, *vt viaticum de more filiæ deferret. cũ autem Parochus cùm Sacramento vſque ad ianuam cubiculi perueniſſet, tunc ventus validus, quaſi turbo portæ valuas impellens, terribili impulſu obſerauit eas, ita vt nullus in cubiculum ingredi poſſet. Dum autem tentaret occluſam aperire portam, audiebatur ſtrepens rumor, qui fiebat in cubiculo ægrotantis mulieris, & palmarum inuicem ſe collidentium triſtis ſonitus, & oris ingens clamor. Tandem valuæ aperiuntur, ingreſſique omnes vident thori papilionem humi proſtratum, thorumq; ipſum euerſum, muliebres veſtes per thalamũ diſperſas, calamiſtra, calathos, vaſcula vnguentaria, vittas, faſciolas, omniaq; capitis operimẽta, & crepidas, & calceos, totamque eius fucatam ſuppellectilem diſſipatam: & quod omnibus terrorem incuſſit, inuenerunt infelicem mulierem intra linteolum, miſerabiliter exanimatam, cuius cadauer horribile erat ad videndum. Videntibus autem illis quæ facta fuerant, Deũ in iudicijs terribilem timuerunt. Pater penè dolore confectus, quoniam defunctæ filiæ corpus in ſepultura repertũ eſt; cumque iterum mandaret pater, vt ſepulturæ traderetur, iterum ſupra arenam inſepultum repertum fuit. Quod pater audiens, & intra ſemetipsũ fremens maledixit illam, dixitque indignans; ſi terra eam non vult: diabolus, qui habuit animam eius, habeat & corpus, & ita factum eſt; nam cadauer illud execrabile ampliùs non cõparuit à dæmonibus ſublatum, vt abiret in locum ſuum. Tremendum hũc caſum retulit nobis religioſus Pater ex venerabili Capuccinorum familia, cum in Eccleſia noſtra Quadrageſimæ tempore conciones haberet: dicebat autem ſe audiuiſſe hæc omnia à quibuſdam ciuibus Crotoniatis, cũ aliquando concionaretur.* Hęc Mãnus de miſerãdo petulãtis fœminæ blãda inter ſæculi oblectamẽta delirantis obitu in rẽ præſentem narrat: ex quibus certum animæ ex fucis, atque deliciis interitum prouenire manifeſtum fit.

Extincta miſere comperta eſt diſſipato eius muliebri mũdo

Patre illud execrante raptum à dæmonibus.

9. At quoniam de voluptuoſis, ac ea quæ carni amica ſunt, auidè cõſectantibus, ſermo hic eſt; quibus Chriſtianum duntaxat nomen, haud Chriſtianorum mores exhibentibus, illud apte, quod de ſuis olim Lutherus aſſeclis edixerat, conſonare videtur: *Credunt, vt ſues viuunt, ac ſues moriuntur, vt ſues.* Et ſolemne planè eſt, quod laudatus, piuſque inter ſcriptores Promontorij malæ ſpei auctor ſuis in paginis his verbis recenſet. *Ipſe ego* (inquit) *noui quandã è gynæceo nobilem fœminã, & hoc maximè famoſam capite, quod omnis eius vita, ſecundum mundi leges, vna eſſet voluptas, hæc non ſemel ſociabus ſuis teſtata eſt, mera eſſe fabulantium ſacerdotum ſomnia, quæ de vitæ alterius æternitate, flammiſque inferorum dicerent. Contigit, vt fatalem denique*

Cornelius à Lapide in ep. 2. Petri c. 2.

Lutheri in Sectarios cõuitium.

Zebent. in malæ ſpei Promont. lib. 2. §. 11. pag. 266.

que morbũ incurreret; iamque & viri nobiles ad obſequia decumbentis properabant, & Religioſus ad ferendum animæ auxilium: ſed nimirum ægrè admodum hic admiſſus fuit; & poſtquam acceſſum habuit, laborare omnino multum debuit, vt confeſſionem ab ægra extunderet: preces, quas ad lectulum ex libello recitabat, tam inſipidæ ipſi accidebant, vt diceret, plus indè faſtidij ſe capere, quam ſolatij. Vna fœminæ trahentis iã quaſi animã fuit querimonia, quod ludere pro more non poſſet cùm adſtantibus è prima nobilitate viris. Manus robore ſuo exhauſtæ erant, neque ſufficientes chartifolijs tractandis; rogabat nihilominus ægra circumſtantes, vt quod ipſa facere ampliùs non poſſet; alij ſupplerent, oculoſque ſuos chartarum luſu paſceret. Hæc nimirum eius fuere tũ ſtudia, quibus ſe ad æternitatem diſpoſuit: hi eius ingentes conatus, vt Deo ſe reconciliaret offenſo, vt accenderet ad beatitudinem deſideria. Certè huius argumenti, nullam vnquam facere mentionem audita eſt; ſolus ei mundus luſus, nugæ, in corde ſimul, & ore fuerunt. Quis fuerit ſubindè fœminæ exitus, expectas, vt video audire ó lector: peſſimus; inquã, & voluptuoſæ condignus vitæ extitit. Delicatula quippè mulier, quæ molliter vixerat, tota corpori, ſuæ nil animæ intẽdẽs, ac ſeculi aſſueta oblectamẽtis, iocãs, ridenſq; è ſuis, quas deperibat, deliciis abrepta in Orcũ tandem conceſſit.

Moritura ludos tantũ meditata eſt

10. Alterum quoque mulieris, quæ inter ementitos ſæculi fucos, ac corporis, pluſquam par eſt, ornatum, ac veſtium pompam exambiendo laſciuiebat contemplandum tibi proponimus exemplum: cui & infelix Deo vindicante interitus reſpondit; de qua rerũ geſtarũ nouiſſimi huius ſæculi ſcriptor in ſelectis virtutũ, ac vitiorũ exemplis hæc narrat: *Quãuis (inquit) deliciæ, cultuſq; omnis mulieres decere videatur, neque quiſquam tanta eloquentia inuentus ſit vſquam, qui potuerit illis ornatus ſui curam adimere; tamen ſi hæc illarum ſollicitudo, ſtudiumque intra aliquem modum ſeſe cõtineat, iam ferri, tolerarique poſſe cenſeatur, præſertim in nuptis, quarũ vnicum eſt votum, à ſuis viris amari, ac diligi, à quibus verentur; ne ſine mundicia, cultuque inſulſæ, atque inuenuſtæ habeantur: quamquam cauſæ, quã obrem amandæ, & in primis caræ eſſent habendæ, ingenij potiùs ſuauitas, morũque ſanctitas deberet eſſe, quam formæ bonum, & cultus cuiuſuis amænitas. Nam formæ præſtãtiam, ornatuſque nitorem, ingenium malum, ac mores incommodi, peius cœno deturpant: contrà turpem veſtitum mores pulchri reipſa, commendant; atque ſæpè fit, vt grauia à Deo, atque ſeuera in eas exempla edantur, quas maior æquo in ſe ipſis ornandis, poliendiſque labor, & cura cõtorqueat: vt in quadam vidua, ex honeſta familia Romæ nuper euenit, hanc formæ quouis modo augendæ tantus ardor, vel furor potiùs inceſſerat, vt ſenas quotidiè horas eidem excolendæ traderet; ac ſe lauandi, fricandi, tergendi, expoliendi, fingendi, pingendique nullum finem, modumq; ſtatueret; cumque eſſet, vt diximus, vidua, nunquam domi (nam foris haud licebat) collum baccatis monilibus vacuum gerebat, verſicolari ſemper veſte induta; beneque aurata ingrediebatur: formoſorum, quorum circa ſe multos habebat, conſuetudine delectabatur, nullũ ſermonis genus à ſe alienum exiſtimabat, ſiue modeſtũ ſiue molle, ſiue facetũ, ſiue hilare, ſiue procax. Quamobrem ſermo erat, omni populo, aperiebatque maledictis hominibus, quorum plena ſunt omnia, diuulgandi locum, quod* pa-

Ian. Nicius in ſuis virt. ac vit. exempl. exemp. 172

Mores pudici ſemper veſtem exornare, non veſtis mores

Luxus immodicus & vanitas.

Digitized by Google

parum honeſte pudicitiam haberet, ſed non eſt paſſus Deus, exquiſitam illam atque inutilem, in tuenda, augendaq; forma, mulieris ſedulitatem, cùm tanta diuinæ ipſius maieſtatis contumelia, atque hominum offenſione coniunctam, inultam abire, neque diem ſupplicio diſtulit: Sed repente indidem, vbi illa peccabat, graues ab ea pœnas, ac iuſtas expetijt: nam primùm caput illi præter modum intumuit, cuius capillis, Coſmianis, vt veteres loquebantur, medicamentis, aureum fulgorem conabatur inducere; quoſque tanta diſponebat arte, vt partim, ſicut nunc mos eſt, ad genas fluere ſineret, partim eleganti modo deuinctos vertici daret, vt inde inextricabiles prorſus incautis ſpectãtiũ oculis laqueos intexeret: tum malæ, quas ceruſſa, purpuriſſoque non infecerat, ſed incruſtauerat, tam fœdum, tam atrum nigrorem contraxerant, vt horrorem ijs, qui aderant, incuteret; oculi ita extabant, prominebantque, vt pene è ſuis ſedibus diſcederent, linguam foras eiectam, crebris ſibi morſibus dilacerabat; & in hoc oris habitu animam edidit: ſingulare mulieribus illis exemplũ, quibus carior eſt forma corporis, quam animi, pulchritudinis fama, quam pudicitiæ. En tibi cithara ſpecioſæ iſtius fœminę conuerſa repentè in luctũ, ac tota vitæ fabula in lamẽtationẽ flentium, id vnum animis mortalium, tacito ſuggerebat: *quod per quæ quis peccat, per hæc, & punitur*; deperdita quippè oris iam venuſtate, contabeſcens mœrore iſtæ mulierum infeliciſſima, dentibus ſuammet rabidè linguam, aſpidum inſtar dilanians, animam Orco tradidit abſorbẽdam.

Deformis eſt Creatori quæ formam augere niti tur

Percuſſa diuina vltione quæ forma illaqueare amatores nitebatur.

Gregor. in moral.

11. Idem planè mulieri alteri contigit, quæ futilibus ſæculi pompis, ac momentaneæ vitæ huius, pluſquam dici poteſt, amore illecta, ac irretita, alterius ſpem ſæculi, Deiq; metum abieciſſe penitus videbatur. Huic cùm languore grauiter correptæ, ac lectulo decumbenti, moriẽdum omnino eſſe renunciatum fuiſſet; vbi nuncupatis ſemel, atq; iterum votis, vitã ſe protelare amplius non poſſe animaduertit, animam infelix diabolo deſperatis omnino rebus tradidiſſe fertur. Sed rem à ſupralaudato probæ fidei ſcriptore in ſuis moralibus paginis traditam excipiamus: *Sũt quidam,* (inquit) *qui æquã moriendi conditionem omnibus propoſitam, animo adeo iniquo patiuntur, vt lethali aliquo morbo impliciti, ſi audiãt ſibi eſſe pereundum, præ animi agritudine, ad ineptias, vel potiùs, ad inſanias delabantur: ac ſi daretur optio, multò mallent bonis cæleſtibus in perpetuum carere, quàm ſemel vitæ commodis priuari: quod ſignum eſt animi, vel nimium terrenis rebus addicti, vel prorſus increduli: nam videntur non aſſentiri ijs, quæ de æterna felicitate, vel de mortuis in vitam reuocandis, catholicæ fidei veritate traduntur.*

Infelix muliercula formam lenocinio corrum pens, animã dæmoni dedit.

Ian. Nicius in ſuis exam plis virt. ac vit. exempl. 141. pag. 168.

12. *Narrauit domi meæ, vnus ex patribus miniſtris infirmorum ſpoleti, mulierem nobilem, adoleſcentem, præterea diuitijs, ac forma præſtantem, ex mortifero morbo in ſummum vitæ diſcrimen adductam, Deum enixe rogaſſe, vt ſibi parceret, neque in ipſo ætatis flore vitam adimeret; ſed cũ morbus augeſceret, atque ipſamet, deficiẽtibus viribus, ad ultima uentum eſſe ſentiret, more gigantum, cæpit bellare cùm Deo, atque ad eum conuerſa: Quãdoquidem, inquit, tàm immature mihi uitam eripis, ego quoque meam tibi animam adimo, ac dæmoni una cũ corpore, trado; quibus dictis, præſto fuiſſe dæmonem, libentique animo oblatum ſibi munus excepiſſe, & cùm eo ſuam in domum, hoc eſt ad inferos reuertiſſe.* Hæc de morbidæ iſtius mulie-

Repente abrepta à dæmone.

Digitized by Google

lieris deceſſu præmemoratus auctor.

3. Talis igitur fœminæ, quæ vmbraticas inter ſæculi pompas, vitam, etſi affluentem deliciis, innumeris tamẽ malis obnoxiam, fluxãque infeliciter deperibat, finis extitit; delirans enim diutiùs hic permanẽdi, ac deliciis, diuitiiſque poſt hac fruendi eum in modum deſiderio tenebatur; vt, vbi ſe lethaliter decumbentem intellexit, angore, atque impatientia pariter contabeſcens, dũ ſe ad mortem irreparabiliter feſtinãtem ſentiret, animæ inſuper vna cùm vita corporis iacturam vltrò, libenterque ſubire, ac conſilii inops, hanc in diaboli potiùs, quàm in Dei manus prouenire voluerit. Accedit huic poſtremo loco delicatulus epulo. vir quidam nobilis, qui vitæ luxu, ac gulæ vitio corruptus, nõ niſi magnis profuſiſque impenſis epulari ſolebat. Hic cùm ad extrema veniſſet, tam ſacrilegis, horrendiſque os eius blaſphemiis perſtrepebat, vt timerent adſtantes, ne ipſe vna cum cubiculo, in quo iacebat, funditus à terra abſorberetur. Euocati itaque Sacerdotes, ac religioſi viri, vt hominẽ ad meliorem frugem reducerent, & blaſphemantis impietatem, inſaniamq; decedentis corrigerent, cõpeſcerentq; adſunt: quibus ipſe hæc verba amarulentus dixit: *Quid uobis hic rerum eſt? nolite quæſo mihi nugis, & cohortationibus ueſtris moleſtiã exhibere: ſinite, ut in Orcum abeam*. Quibus dictis immanem ore blaſphemiã, proferens, qui Deo, ſanctiſque omnibus nuncium iam remiſiſſe videbatur; Diabolo, cui ſe totum deuouerat, & cui blaſphemando impiùs carmẽ iugiter canebat, gratiſſima ſimul præda, ac triumphus ceſſit. Sed quæ delicatulos iſtos, tum viros, tũ mulieres expetant poſt mortem ſepulchrales pompæ, ac inter funebriũ ſpectacula iiſdem deliciæ preſto ſint, triſte illud Poetæ carmen optime occinit.

Sanctius Cicarellus Camill. de Lellis lib. 3. c. 9.

Blaſphemus dæmoni ſedens emoritur.

Expectant tumulo latenter imo.
Buſo, uipera, ſordidiq; uermes.
Hos uernas numerabis, hos clientes.
Hos complexibus induens cupitis:
Hi carpent, epulaſque, cænulaſque.
Nullis pocula præſtinanda nũmis.
Labentur, & per oſsium medullas.
Et uoto ſibi conſulent inempto.

Deliciarum clauſula.

Et hæc ſunt, quæ inter delicias laſciuientes funeſta ad vitæ calcem, tam corporum, quàm animarum diſpendia conſequuntur.

CAP. XIX.

Deſperantes Dei miſericordiam;

1 MAgnam Deo iniuriã facit, qui de immẽſa ipſius pietate diffidit, eiuſque bonitati peccatorũ humiliter veniam expoſcẽdo debitum, vt par eſt, deferre honorem refugit: haud vllũ enim piaculi genus, apud Deum: *Cuius natura bonitas* (vt magnus ait Leo) *cuius uoluntas potentia eſt*, dici, aut excogitari hoc capitalius poteſt, quo quis in ipſammet diuinitatẽ cõtumelioſus eſt. Quamobrem Cainus ille reproborũ ſignifer, perditorumque omnium dux, pænitendo perperam magis, quam peccando deliquit; deſperantis enim ſacrilegus vel dum pœnituit, vocẽ illam emiſit; *Maior eſt* (inquit) *iniquitas mea, quam ut ueniam merear*. Cuius execrandam non tam pœnitẽtiã, quàm Deum exacerbantis impietatem, & ſi non verbo, exemplo

Dei natura bonitas eſt, voluntas potentia

S. Leo ſerm. 2. de Nat. Dom.

Geneſ. 4. 13.

Digitized by Google

ſaltem, ac geſtis, nonulli perditiſsimi homines æmulari comprobātur: qui poſt enormes, in quas miſere prolapſi ſunt, culpas, Dei miſericordiam deſperant. Aditum quippè ad promerendam, impetrandamque, quam omnibus vltrò Deus exhibere paratus eſt, indulgentiam, ſibi penitus obſtruunt: *Peccata enim præterita* (vt Cyprianus ait) *non nocent, ſi non placent*: & vt benè ſperandæ à Deo indulgentiæ ſemper aditus pateat, *ipſūmet Iudam* (vt S: Auguſtini hic verbis vtamur) *non tam ſcelus, quod cōmiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire*. Certus itaque eos manet interitus, nullaque è periculis emergendi ſpes reliqua eſt; vbi quis deſperatis iam rebus in perditionis baratrum deſperando, Ambroſio teſte, impingit: *Deſperatio* (inquit) *certo mors eſt*. Deperdita namque anchora, cui tota animæ vita innititur, hominem penitus (vt Auguſtinus docet) interire neceſſe eſt: *Deſperatio* (inquit) *homicida eſt animæ*. Quapropter Deus, eiuſque immenſa bonitas tunc maximè offenditur, cùm homo grauiores poſt culpas, ne dum ad pænitentiam, quæ ſecunda eſt poſt naufragium tabula, tanquam ad vnicum ſalutis remedium confugit; ſed in deſperationis inſuper abyſſum præceps deuoluitur. Quo ſane peccati genere impius item proditor mortalium nequiſſimus ſe obſtrinxit: quē Leo Papa illis merito verbis acritor perſtringens: *Sceleratior* (inquit) *omnibus ò Iuda, & infeliciter extitiſti, quē non pænitentia ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum*. Deſperādo quippè acerbiori Deum iniuria, quam ipſummet prodendo, perdendoque Chriſtum, viſus eſt affeciſſe. Nemo enim grauiſſimi quantumuis piaculi reus, vbi reſipiſcens ad Deū ſupplex accedit, deſperare veniam aliquando poteſt: iuxta id quod & gentilis quoque poeta ſuis apte carminibus cecinit:

S.Cypr. in ep. — *Auguſt. lib. 50 homil. homil. 27.* — *Ambr. ſup. Lucam lib. 2.* — *Aug. in pſ. 50* — Spes Chriſtianę animæ anchora eſt. — S. Leo in ſerm de paſſ. Dom.

Confugit interdum templi violator ad aram.
Nec petere offenſi numinis horret opem.

Ouidius pont. 2

Funeſtus igitur exitus, iuſto Dei iudicio eius bonitatem deſperantes expetit; vt ipſa ſatis per ſe exempla euincūt: & illud præcipuè, quòd Cæſarius de Hildebrando in deſperationis baratrū, prolapſo miſere in ſuis hiſtoriis hunc in modum exequitur.

2. *Hildebrandus* (inquit) *habitās in villa quadam diœceſis Traiectēſis, quæ dicitur Holchoyn, die quadam ſyluam, cum alio quodam conciue ſuo intrauit: quem, ſuadente diabolo, cùm ſoli eſſent, occidit. (Fuerant enim aliquando inter eos inimicitiæ; ſed tūc tēporis penitus erant ſopitæ) reuerſo Hildebrando in villam interrogabant eum amici occiſi, vbi eſſet? Qui reſpondit; neſcio. Expectantibus die illo, & altero, cùm non rediret, qui iam redire non potuit, ſuſpectum habentes iam dictum Hildebrandum propter antiquas inimicitias, coram Iudice in cauſam traxerunt, crimenque homicidij impoſuerunt; quo timide negante, cœpit ipſa facies eum prodere. Et cùm inſtātibus illis iam negare non poſſet, confeſſus eſt, quia hominem occidiſſet, ſtatim data ſuper eum ſententia pænæ rotali adiudicatus eſt. Cumque duceretur ad mortem, Sacerdos eiuſdem villæ Bertolphus, cùm alio Sacerdote, qui vocabatur Ioannes, traxerunt reū in partem, ſatis diligenter commonentes de confeſſione, atque contritione cordis. Et quia miſer homo per ſe ſurgere non potuit, nec manum ſe ſubleuantem ſenſit, miſerabiliter reſpondit; quid mihi poſſent illa prodeſſe? homo enim*

Tremendum in Hildebrādo Traiectenſi exemplum. — *Cæſar. lib. 2. miracul. c. 6.* — Damnatur extremo ſupplicio.

damna-

damnatus ſum: Reuera reſpondit ſicut homo induratus, & deſperatus. Et ait illi ſacerdos: adiuro te per Patrem & filium, & Spiritum Sanctum, vt infra dies triginta mihi appareas, & ſine omni periculo vitæ meæ, de ſtatu tuo me certifices. Reſpondit; ſi mihi licuerit, libenter hoc faciam. ſicque rotali pœna plexus, de tormento corporis tranſiuit ad tormentum æternæ damnationis nocte quadam infra ſtatutum tempus, Bertolpho dormiente in ſtrato ſuo, tantus eſſe cæpit circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, vt ipſa animalia ſtuperent, & vix ſuis locis infra clauſtra ſtabuli retineri poſſent. Expergefactus Bertolphus reſpexit ad oſtium domus, & ecce ianuæ quaſi ventorum impulſu aperiebantur; viditque Hildebrandum in camino ardente reſidentem, ſibique celerius propinquantem.

Sacerdoti videndum ſe obiicit horrẽda ſpecie.

3. *Territus autem ſupra modũ ſe ſignificauit, & vt ſtaret ſub inuocatione diuini nominis præcepit. Ecce hic ſum, ſicut promiſi (inquit) ſciſcitãte illo de ſtatu ſuo, reſpondit: Aeternaliter damnatus ſum, æterniſque incendijs propter deſperationem maximè deputatus: ſi ſecundum tuum conſilium egiſſem pænitentiam, per pœnam temporalem euaſiſſem æternam. Hoc autem ſcito, quia ſi non fuiſſem viuus à te adiuratus, ne tibi mortuus nocerem, malo tuo huc aduenisſem. Conſulo tibi, vt vitam emendes tuam, ne poſt hanc vitam ſimiles pœnas recipias.* Hæc ille, & alia in rem præſentem. Ex quibus tragicam hominis deperditę ſpei hiſtoriam à Cæſario prolixiori ſermon enarratam videre eſt: cuius quidem, vbi alteri diuinitus ſententia perditionis innotuit, mox alienis malis edoctus ſæculo nuntium remittens, ſe in religioſorum clauſtra recepit, totumque Dei ſeruitio mancipauit: *Longum enim iter* (vt ille ait) *per verba, breue autem, & efficax per exempla.*

Deſperationis pœnas dare ſe exclamat.

Seneca lib. nat. quæſt.

4. Quoniam verò hic deſperatorum exemplis res agitur, funeſtiq; eorumdem exitus nunc deſcribũtur: Vſurarii, qui poſt iniqua, quæ coegerat, ex pecuniis lucra, illud tandẽ elucratus eſt, vt deſperando, diuitiarum vſum, vitæque pariter vſuram infeliciſſime amiſerit, eodem Cæſario narrante lugubrem hiſtoriã ſubiiciamus: *Eo tempore* (inquit) *quo magiſter Ioannes Xantenſis ſcholaſticus & magiſter Oliuerus Coloniẽſis ſcholaſticus Crucem contra Saracenos prædicabant in diæceſi Traiectenſi, erat ibi quidam ruſticus, ſi benè memini, nomine Godeſchalchus, opere vſurarius. Iſte cùm cæteris, non ex deuotione, vt poſtea patuit, ſed ex circumſtantium importuna admonitione crucem ſuſcepit. Cumque diſpenſatores ex mandato Innocentij Papæ, pecuniam redemptionis exigerent, & colligerent à ſenibus, pauperibus, & infirmis, idem vſurarius ſe pauperem mentiens, cuidam diſpenſatori circa ſummam videlicet quinque talerorum dedit, talique dolo ſacerdotem circumuenit. Teſtati ſunt poſtea vicini eius, quod dediſſe potuiſſet quadraginta marcas; nec tamen exhæredaſſet liberos ſuos, quod ipſe prætendebat. Deus autem, qui falli non potuit, eius fallaciam poſtea terribiliter concluſit. Sedebat miſer in tabernis Deum, eiuſque peregrinos exprobans in hunc modum. Vos ſtolidi mare tranſibitis, ſubſtantiam veſtram expendetis, vitamque veſtram periculis exponetis: ego vero cùm vxore, & liberis meis domi reſidens, propter quinque marcas, quibus redemi crucem meam ſimilem vobis habebo mercedem: Sed iuſtus Dominus, vt palam oſtenderet, quantum placeret ſibi labor, & expen-*

Fœneratoris deſperati formidandum exemplum.

Cæſar. lib. 2. mirac. cap. 7.

Laborem bellicum fraudé redimit.

Inſultat enĩ ceſignatis.

pēſæ peregrinantium, & quantum eius oculis diſplicet dolus, & blaſphemia detrahentis, hominem miſerrimum tradidit Satanæ; vt diſceret nō blaſpemare. Digna planè in perditum animaduerſio. ſed quæ tandem eum conſequuta ſint, poſtquā ad inferorum loca perductus decretas ſibi pœnas, ſuiſmet oculis inſpexit: & ſubindè ad ſua reductus, dum ad pœnitendum fruſtrà expectatus moneretur, quæ monētibus edixit Cœſario narrante videamus.

5. *Ad loca infernalia* (inquit) *ductus fui: hæc, atque hæc ibidem vidi: oſtendit mihi in eiſdem locis ductor meus ſedem vnam, & dixit, quia mihi foret præparata, & quia poſt tres dies recepturus eſſem mercedem meam in ea. Vocatus eſt ſub celeritate Sacerdos, & rogatus ab vxore, vt puſillanimem confortaret, deſperatum erigeret, & ad ea, quæ ſunt ſalutis hortaretur. Quem cùm Sacerdos moneret, vt contritionem haberet de peccatis ſuis, & vt puram faceret confeſſionem, dicens, neminem debere de Dei miſericordia deſperare: Reſpondit; Quid proſunt verba iſta? non poſſum conteri, ſuperfluum iudico confiteri: quod de me diſpoſitum eſt neceſſe eſt impleri. Sedes mea parata eſt: poſt tertium illuc diem veniam, & ſecundum quod geſsi in ea recipiam. Sicque ſine contritione, ſine confeſſione, ſine viatico, & ſacra vnctione tertio die defunctus, in inferno ſepultus eſt.* Deplorandus ſanè exitus, quem miſer coaceruandi magis auri quam animæ excolendę, ſeruandæq; cupidus, Deo permittente incurrit; qui enim vt pecuniam auide conflaret, animam diabolo venalem fecerat, ſalutis demum ſpem omnem à ſe abiiciens diabolo mancipium ceſsit. *Aurū enim,* (vt Auguſtinus aiebat) *creſcit, & fides diminuta eſt.* Sed quid

Reductus domum omnia enarrat.

Repudiatis ſacerdotis monitis perit deſperatus.

Aug. in ſerm

mirum ſi à ſupernorum ſpe excidat, ſi promiſſa ſibi cæleſtium bonorū præmia paruipendat; qui iugiter peccando, bonorum operum conſcientiam prorſus ignorat; qui à Dei charitate defecit, & plumbeum ſuper ſe peccati talentum ſentiens intolerandam, qua premitur, ſarcinam ſe poſſe deponere haud ſperat, ſed vtpote venia indignum ſupremis gratiæ auxiliis ſe omnino fruſtratum credit. *Ille etenim* (vt ait Auguſtinus) *ſperat, qui bonam conſcientiam gerit: quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat, niſi damnationem. Vt ergo ſperet Regnum, habeat bonam conſcientiam, & vt habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur.* Hæc Auguſtinus.

Aug. tract. in pſ. 32. Spes & fide charitate formandæ.

6. Haud igitur opportunus ſperādæ ſalutis aditus ſuppetit, vbi iā vitiis quiſpiam callum obduxit, ac inter iuges peccandi illecebras obſtinate vitam proſtrahens, in deteriora quotidie prolabitur. *Lubrica* (inquit Auguſtinus) *Spes eſt quæ inter fomenta peccandi, ſaluari ſe ſperat.* Inter obdurati quippè cordis, ac deperditæ ſpei homines ille iure merito recenſendus eſt, qui cùm quotidie peccet, Deumque iugiter culpis exaſperet, futurū tamen ſub extrema vitæ momēta eūdē ſibi propitiū credit. *Ille inquam, qui ſic* (vt aptè Auguſtinus inculcat) *de miſericordia Dei ſperat, vt vſque in finem vitæ ſuæ in ſuorum criminum peruerſitate permaneat.*

Aug. de ſing. cler.

Aug. de fide ad Petrum.

Itaque recidiuantes, obduratique cordis homines, ac male ſperātes, qui pœnitentiam ſēper protrahunt, ac nil interim de vita ſalubriter corrigenda cogitant, certum ſub vitæ finem non tam exitum, quàm deſperatæ ſalutis pro mercede exitium incurrūt; immanemque, pro inani ſpe deſpera-

ra-

rationem vltrò elucrantur: *Relapſus enim in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet* & (vt Cyrillus ait) *exitio propior, quàm prior ille languor, & quos prima valetudo aduerſa non extinxit, ſæpiùs iterata poſt redditam incolumitatem ægrotatio ſuſtulit è vita*. Ita prorſus deſperatus eos plerumque vitæ finis expetit, quibus omnis Chriſti, ac Chriſtianæ, quam exhibent profeſſionis memoria animo excidit, taque inter crapulas, rixas, odia, vindictas, fœnora, fraudes, gulæ venenes, veneficia, innumeraque id genus alia execranda facinora, otio, ac ſpe malè cōſopitis vita effluit. *Ne tardes* (inquit Sapiens) *conuerti ad dominū, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te*. Ita planè cōſuetudinarios peccatores de ipſius Dei audacter miſericordia præſumentes, ſubitæ, inopinæque calamitates conſequuntur, inſtantaneæ expetūt mortes, ac triſtis plerumq; vrget interitus & dum certo ſibi miſericordiæ tempus repromittunt, in diſperationis Charybdim, ac vindictæ mucronem irreparabiliter incidunt; adeout nullam ſibi ſpem ſalutis reliquam eſſe tandem acerbiſſimè doleant, atq; ingemiſcant: *Etenim metuendum eſt* (Gregorius inquit) *ne dū ſperat miſericordiam, incidat in iudicium*. Deus enim, quos diu: *vt conuertantur, tolerat, non conuerſos* (vt idem Gregorius ait) *durius damnat*. Vitiis igitur inhærentes poſtquam tolerati ſunt, infeliciter tandem in deſperationis, baratrum peſſimè decedentes impingunt. Quod certè cuidam viri principis famulo ſub Clemente Octauo Pont. Max. olim Romæ accidit; vt in rebus geſtis Camilli de Lellis (qui Clericorum miniſtrantium infirmis auctor, & S. Philippi Nerii parentis noſtri diſcipulus fuit) Sanctius Cicatellus refert: quæ nos hic latine reddimus: *Is cùm domo quadā extra portam, quam Angelicam dicunt, degeret, morboque ad extrema perductus fuiſſet, duo ex religioſis viris infirmorum Miniſtris ad hominē euocati ſūt, quos cum ille vidiſſet: Eia, quid hic inquit agitis? cui blande illi, ſe ad eum in extremo, qui impendebat, mortis conflictu iuuandum, ſolādūq; euocatos reſponderunt. Quibus ille, ac ſi Chriſtum, Chriſtianumque nomen penitus ignoraret multa, Chriſtianæ fidei aduerſa aſſutiit, adeo vt non tam ipſe qui loquebatur, quàm dæmon iſthæc loquenti verba ſuggerere videretur. Quod religioſi viri animaduertentes id vnum ſuadere conati ſūt, vt intimo cordis dolore de præteritis culpis pæniteret: at ipſe ne pie interim exhortantes audiret, tres nominatim dæmones altiori voce compellans, vt ſibi adeſſent, inuocabat, & cùm deſperantem, verbis Dei famuli erigere non deſiſterent, ægrotus valdè indignatus ſe erigens, cùm ſupra lectulum conſediſſet, ac tres illos dæmones, velut tu telares ſibi patronos inclamaret feneſtram exaduerſo reſpiciens, ac ſi per eam dæmones ſe illi contemplandos offerrent, cùm ter altiori voce eoſdem inclamaſſet, totam demumè faucibus linguā exerens obtorto collo, toruoq; aſpectu in eorum manus, quos inuocarat; infelicē animā exhalauit. Cadauer autem perditi hominis tam deforme, horrendumque viſu, ac nigro reſperſum colore poſt mortem apparuit, vt animam cùm ſpiritibus nequam ad Tartarum abiiſſe aſpectu ipſo demonſtraret. A vicinis autem dum Religioſi viri triſtes ob eiuſcemodi iacturam diſcederent; improbum hominem haud vnquā antea Eccleſiam adire viſum fuiſſe, ac Chriſtianæ fidei ſignum præſetuliſſe acceperunt*. Ex quo iuſto Dei iudicio, qui per-

Cyrill. Alex. lib. 5. in Io. c. 7.

Eccl. cap. 5.

Greg. in moral.

Difficile recidiuātes reſipiſcant.

In vit. Camilli de Lellis lib. 3. c. 9.

Deſperati hominis horrē dæ blaſpemia.

Demones tutelares ab eo implorati

perditè vixerat, perdito quoque exitu vitam per deſperationem abrupiſſe debuerat.

Infeliciſſimus planè perditæ ſpei homines conſequi exitus conſueuit; vt cuidam Romæ in quadam hoſpitali domo in Vrbe decūbēti, ex rerū geſtarū paginis eiuſdē Serui Dei Camilli de Lellis contigiſſe deſcribitur. de quo iſthæc: *Vir quidam tempore Gregorij XIV.* Pontificis Max. *dū magna in Vrbe annonæ charitas, ac ingens ſubinde lues inualeſceret, ad infirmorum domum delatus fuerat; ad quē cū Sacerdos, vt æger culpas apud ſe Sacramentali confeſſione, expiaret rite adhortaturus acceſſiſſet, duris ab eo verbis exceptus, & inurbanè, contumelioſeque reiectus eſt: hæc enim illi reſpondit; ſe nimirum culpas ei ſuas aperire nolle, imo deſperata iam animi ſalute totum ſe, & tum animæ, tum corporis diabolo homagium feciſſe. Ad quod comprobandum ſyngrapham propria manu, quàm ſuomet cruore è frōtis vena hauſto inſcripſerat, illi ſe tradidiſſe.* Ad quod *Sacerdos obſtupeſcens, verbis quammultis inſtitit, vt lāguentem ab erroris contumacia, & deſperatione auerteret; audacter enim vir perditus monenti reſpondebat, ſe nullā cum Deo pacem habere velle, ſed tum viuum, tum mortuum diabolo ſe deſpondiſſe, & eius velle totum eſſe. Cū itaque veſper adueniſſet, hominē ſomno ſe dare permiſerunt, vt à moleſtijs, quas ægrotanti tota die crebris, iteratiſque monitis intulerant, releuaretur; eoque conſilio, vt ſubſequenti die eum ad reſipiſcendū inſtātiſſime vrgerent. Vix interim nox medium curſum peregerat, et is, qui decumbenti aderat, ab eo receſſerat: cùm rediens deſperatum hominem lectulo exiliſſe reperit, & nuſquam eo adinuento, lineum duntaxat capitis operculum, & induſium inuenit. Is igitur vehementi correptus terrore, ſocijs euocatis rem omnem aperit, diligenterq; vſquequaque hominem perquirentes, nuſquam offendere potuerūt, illud pro certo habentes, à dæmone eius tum animam, tum corpus, vt ipſemet ægrotus edixerat præreptū fuiſſe. Quod vel ex eo magis comprobari viſum eſt, quia cùm fores, ac feneſtræ omnes clauſæ eſſent, & ferreis, ligneiſque repagulis munitæ, nullus inde ad effugiendū aditus pateret.* Præterea *ſacerdos qua hora à dæmone miſer ille ſublatus fuerat, ingenti totum, in quo dormiebat, cubiculum terræmotu concuti, ac conquaſſari ſenſerat: moxque à ſomno excitus, flammarum globum, quo locus lucebat, inſpexit, adeoq; hoſpitalē domū ignibus correptam exiſtimans, ad locum, in quo infirmi iacebant, concitus euolauit: vbi adſtantes ſollicitè in prædicto homine perquirendo fruſtra laborantes offendit.* Hæc de eo præmemoratus ſcriptor, cui & deſperati alterius hominis exitus conſonat.

Sanct. Ciccatell. vbi ſup. lib. 1. c. 27

Infirmus qui perditè vixerat, confeſſionem ſacramentalem reſpuit.

Perditus diabolo homagiū fecerat.

Sacerdos eadem hora flammarum globum concuſſa tellure videt.

7. *Alter* (inquit) *qui totum ſe Diabolo, eiuſque obſequio impie mancipar at, cùm grauiter aliquando repentino oppreſſus languore decumberet, cūctis inſpectantibus, è ſtrato, in quo iacebat, pedibus foras, vi magna exilire cernebatur. Quapropter vicini imminens periculū animaduertentes, quēpiam è Sacerdotibus ad auxilium ægroto ferendum aſſerebant quantocyus euocandum. Quo audito infirmus manu renuit, ſe totum iam dæmonis addictū imperio affirmans. Et his dictis occulta vi toto extra lectulum corpore abreptus, infelicem animam euomuit. Nec vana adſtantes opinio fefellit; nam poſt mortem miſeri illius ægroti, amulctum quoddam, diaboli imaginem præſeferēs, alligatum digito ineſſe, certum mutuæ amicitiæ, & Societatis ſymbolum adinueniri a perſcrutantibus contigit.*

Ciccatel. vbi ſup lib. 3. c. 6

Dæmoni addictus ſacerdotem audire reſpuit.

Abreptus e lecto à dęmone.

De-

Digitized by Google

Deſperant igitur iuſto Dei iudicio ſub vitę finem, ab eo veniam, qui male viuendo perperam ſperabant. Quodquidem manifeſtis haud ſemel in tanto impudenter viuentium numero exemplis Deus Chriſtiano orbi teſtatum voluit, dum ſub vitæ terminum ipſoſmet, qui in vltimam horam, & tunc maximè pœnitentiá, reſeruabant peccatis, quibus aſſueuerant tenaciter inhęrentes, haud diutius tolerauit in ipſiſmet culpis, perditi, vt alterius hominis exéplo euincitur, quod noſtra ætate in Vrbe cõtigit, & quod item pluribus dũ tempus iiſdem vacat, opportunum non protrahendæ pœnitentiæ documentum exhibuit. Nos verò, ex libello virtutũ, ac vitiorũ à laudato viro nouiſſimè edito excerptũ, in gratiá pii lectoris noſtris hiſce paginis cõſignauimus; eius autem verba hęc ſunt.

Pereunt in ſordibus, qui eas mature detergere abnuunt.

8. *Sacerdos quidam* (inquit) *Etruſcus, annos propè ſexaginta natus, anno MDC.XXIV. quadrageſima iã exeunte, delatus eſt æger in Noſocomium* S. *Ioannis Nationis Florentinorum, quod eſt in Vrbe Roma; Vbi etiam feria* v. *maioris hebdomadæ, peccata ſua confeſſus eſt, atque ex præcepto* Eccleſiæ *Chriſti corporis Sacramẽta percepit: ſed paucos poſt dies ita æger eſſe cæpit, vt medici diffiderent. Quamobrem perſuaſus eſt à* Parocho, *vt ſacro ſe oleo vngendũ Sacerdoti præberet: Quod ille conſiliũ lubens admiſit, ac ſtatim deindè à Parocho, qui cubitum iuit, admonitus, vt ſi qua in re opera ipſius indigeret, ſeper ualetudinarium euocaret. Erat cubiculum, vbi Parochus cubabat, Noſocomio adiunctum, vt facile, ſi quid in eo ageretur, exaudiri poſſet. Itaque horam noctis circiter quintam, magnis eius ægri clamoribus, & lamentationinibus excitatur: qui æger tanquam ſi cum aliquo concertaret, modò arguebat, modo refellebat, modo vocẽ ſubmittebat, modò tollebat. Accurrit Parochus atque eum inuenit in ſummam ſuæ ſaſalutis deſperationem adductũ dicere: Heù mihi longe poſt homines natos improbiſſimo, omnes ad diuinam miſericordiam aditus ſunt præcluſi, cui vtinam nũquam in hanc miſeram lucem edi cõtigiſſet: Atque his ſimilia, quàm plura addere, quæ deſperatio dictat. Nõ defuit* Parochus, *tam neceſſario tempore laboranti ſuccurrere, & iacentem, deſperantemque rebus ſuis animum ad ſpem ſalutis erigere: Sed operam inanem ſumebat. Nam commodum eam ad rem tempus prateriiſſe clamabat: ac vide (inquit) dæmonem, qui me pedibus abripere, ſecumque conatur abſtrahere, atque eadem opera, reductis ad os genibus, glomeris cuiuſdam inſtar ſe conuoluebat. Tum Parochus ad fugãdum dæmonem, eiuſq; vim inhibendam, aquã luſtralẽ, exorciſmos, precationeſq; adhibuit; cui dæmon ægrotantis ore, ſed voce diſſimili, reſpõdebat: aquam luſtralem, exorciſmos, precationeſque nullã aduerſus ſe vim habere pro eo, qui ſibi iam pridem ob nefaria eius ſcelera, atq; flagitia eſſet addictus. Huic dæmonis orationi fidẽ in primis aſtruebat ipſiuſmet ægri confeſſio, qui ſacroſanctæ, ac diuiniſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, ac Spiritus Sancti opẽ à ſe repudiabat, neque rei quidquam ſibi ampliùs cũ Deo eſſe narrabat, quod mox præceps agendus eſſet in vltima inferorum loca, ibique vna cùm Iuda, cæteriſque omniũ ætatum ſceleratiſſimis hominibus ſui ſimilibus, æterniſque pænis, ſupplicijſque excruciandus.* Infelicẽ planè hominem, qui diu peccando aſſuetus, iam ſub vitę finem obtinendá à Deo veniam penitus deſperabat; ac damnatorũ pœnas certo iá perditionis calculo veluti reus vncũ expectabat. ſed reliqua proſequamur.

Exemplum lugubre in Florentino ſacerdote. *Ian. Nicius in libell. virt. ac vit. exemp* 114 *Ottonell. e Soc. Ieſu de vitioſ. mal. conſuet. vit. admo. 9. pag.* 280.

Sacramenta fictè ſuſcipit.

Victi deſperatique horrendæ voces

Accurrente parocho ad eſſe dæmonẽ paratum ad prędá exclamat.

Confirmat deſperatus ægeri

9. Dæmon execrandas hominis libidines, cupiditateſque in medium proferebat, multa Italiæ oppida, ac præſertim Venetias, amores, & delicias illius commemorabat: obijciebat illi poeticæ ſtudium, cui multum temporis, atque operæ dediſſet: reuocabat in memoriam, flagrantem illius cupiditatẽ, ſtudiumque theſauros veteres defoſſos inueniendi, improborum hominum amicitias, ludos, iocos, conuiuia, atque alia quamplurima, quæ longum eſſet enumerare, quarum omnium voluptatum diſtractio, vaſtitas, atque interitus in foribus eſſet. Illud vnum Parochus vrgebat, vt deſperatione debilitatum ad fiduciam diuinæ miſericordiæ, præſertim boni latronis exemplo traduceret, qui puncto tẽporis, ex cruento ſicario vir ſanctiſſimus, ex nefario prædone Regni cæleſtis poſſeſſor euaſerit: hunc ſedulo ſibi ſubijceret, de hoc cogitaret: Ita enim (ſuperatis deſperationis ſcopulis) reliquum ſibi curſum ad diuinam miſericordiam facilem fore; etiam dare operam tempus nondum infinitam illam diuini in eum amoris vim exaruiſſe, ſed largè, vt antea fluere modo, & ipſe peccata, quæ ſibi obijcerentur, intimo animi dolore defleret. Nugas agis (inquit Dæmon) acta res eſt; audebit ne ille diuinæ bonitatis mentionem facere, qui eam à ſe repudiauerit, ac reiecerit? quem poterit de peccatis dolorem afferre, qui eum animo conceperit nunquam, qui contritionis vim, qualis ſit ne definiendo quidem explicare didicerit? proinde, quo dignus eſt, properet, nimirum ad damnatorum ſupplicia, quæ ſupplicia, num ad breue neſcio quod tempus durabũt? minimè: num ad longiſſimum, videlicet ad decies centena annorum millia? minimè, verum ad multo plures. Quã diù igitur acerbiſſimis illis doloribus excruciabitur? Quandiu Deus exiſtet, hoc eſt in omni æterni tẽporis ſpatio. Reſpondebat æger, vera ipſum loqui, propterea nihil eſſe in ſe moræ, itaque præiret; ſe continuo præeuntem ſequuturum. Denique multis verbis, vltro, citroque habitis, dæmon receſſit: cuius abitu æger recreatus, Deo (inquit) gratias (hanc primam Chriſtiani hominis vocem emiſit) diſcuſſis tenebris ſua demum menti lux redijt. Centum amplius dæmones, impetu facto mihi ad pedes aduolarunt, vnus forma maior cæteris me faucibus arreptum, obtorta gula ſecum conabatur abſtrahere, multis præterea criminibus me eſſe affinem aiebat, vndè longiſſimè abſum; tum cœpit, interruptis, ac morientibus vocibus diuinam ſibi opem implorare, ac plura pœnitentis, atque adeo contriti animi ſigna præbere: At interrogatus à Parocho, nũ vellet rurſus peccata, quorum meminiſſet confiteri, reſpondit id debilitatas, fractaſque iam vires non pati. Neque ita multo poſt identidem perflans exceſſit è vita. Hæc de perditi hominis fine auctor; quibus nonnulla ex manuſcriptis, quæ noſtras peruenerunt ad manus, paginis enarrationi adiicienda, ac ſupplẽda videntur, quæ modo lectori proponimus.

Nic. vbi ſup. Commemorata à dæmone illius ſcelera.

Præpoſita à parocho ad ſpem erigendam argumenta.

Reſponſum dæmonis.

Pulſo eo dæmone plures alii accurrere.

10. Præ ceteris autem dæmon, vt ægrotantis animum in deſperationem acrius impelleret, eum quidem, bonos, laudabileſque vitæ mores præ ceteris præſetuliſſe, at intus incute vitioſis vſquequaque cupiditatibus, obſcæniſque oblectamentis vix ſatis vnquam implicitum fuiſſe; aliũ inſuper ſe hominum oculis, ac longe alium ſe in ipſiuſmet Dei conſpectu iugiter exibuiſſe; ſacris inſuper altaribus, ſacerdotalibuſq; miniſteriis perperam deſeruiſſe iactabat. Quapropter, miſerum ad Dei tribunal ſub extremam tandem Iudicii diem, incredibili, præ cæteris rubore adfuturum, nullamque deprecandi, atq; obti-

Ex relatione italico idiom. vulgata.

Obiiciebât maxime abuſum ſacerdotio.

Digitized by Google

obtinendæ à Deo ſpem veniæ, illi iam reliquam eſſe affirmans, omnem penitus laboranti præcludere ſalutis aditum nitebatur: quibus è contra Parochus totis neruis obſiſtere, opportuniſq; fatiſcentẽ monitis in Deũ erigere, ac confirmare ſatagebat; diuinam quippè ſub ea momenta hominem implorare miſericordiam, & ab eiuſcemodi ſpe nequaquam excidere iubens, opportunum ſemper cuiuis pænitendi tempus ſuppetere, illius auribus ſuggerebat. Quibus illud demum, ne cauſa caderet, pro reſponſo Dæmon ſubiiciebat: perditum videlicet hominem iam tum ſub vitæ occaſum pænitendi ſalubriter tempus præteriiſſe, quem videlicet perdite viuentem culparum ſuarum hactenus ex corde vix vnquã pænituiſſet. His autem cùm pie, ſapiẽterque Parochus ſubinferret: ſaltem contritionis actum ab eo tũc temporis ad immania quæque delenda facinora, non abſque certo fructu elici poſſe; ſubridens è cõtra dæmõ: neutiquã (inquit) neutiquam iſte in præſẽs opportunũ (vt tu ais) cõtritionis actũ eliciet, neutiquam, vti par eſt, corde compungetur; etenim, & ſi verbo, ac ore compungi videatur, id tamen intime metu perculſus, haud ex Dei amore præſtabit; quamobrem taliter in præſens obdolere, ac pænitere; nil homini ad ſalutem proderit. Tunc vero cacodæmon magis, magiſque in hominem inſiliens, ac propudioſis extimeſcenti vocibus inſultans, ſingula, quæ anteactæ (vt ſupra diximus) vitę annis vbiuis locorum perpetrarat, peccata obiiciens: *Nonne tu* (inquit) *Venetijs demorans anno ſalutis 1588. eiuſcemodi delictum admiſiſti? & iſtud aliud anno 1592?* His vero, quæ vltro à dæmone objiciebantur, decumbens conuictus, nec hiſcere auſus, totum quod aſſerebatur, ratum habẽs, ad ſingula, Amen, reſpondebat. Subinde vero dæmon inſurgẽs iterũ ſubtexebat: *Quid?* (inquit) *nõne, et anno 1596. & anno itẽ 1602. recurrente (eiuſdem nominatim ſocios repetens) eiuſcemodi farinæ adiũctus hominibus hoc, & alio immani piaculo te obſtrinxiſti? Proptereaq; una cũ ſocijs tu quoque meritò æternis ignibus addicendus es.* Porrò cùm ad iſthęc infelix homo, non abſque ingenti adſtantium horrore, nil ſibi ad ſe cõmodè excuſandum ſuppeteret, dęmonis dicta illis planè verbis confirmabat: *Amen* (inquit) *Amen*: ac ſi in ſemetipſum prolatę diuinitus ſẽtẽtię nullam tergiuerſandi anſam nactus, iam ſuum quoque perditioni calculum ferret. His igitur, & quidem atrociſſimis miſer ille tentationum iaculis ſub vitæ finem impetebatur, nec minimum, & ſi maximè Parochus adniteretur, piis leuamẽtum aliquod dictis accipiebat; adeò vt diabolus ipſimet Parocho petulanter his palàm verbis inſultaret: Age, Age, *(inquam) et tu quoq; rem tuam nunc O presbyter, quoniam te quoque ſeuerum ad Dei tribunal Iudicium expectat*. Quo id hoſtis humani generis apud Dei Sacerdotem profecit, vt is ſuæ negotium animæ ſerio acturus, poſtquam perditus ille è vita abſceſſit, confeſtim ſæculo ſe abdicans, ad religioſorum hominum caſtra, nulla interpoſita mora conuolauerit, ac rem eiuſcemodi tragicam ipſe, qui oculis hauſerat ſcriptis conſignãs, vel hominis vnius exẽplo ſe poſthac multis ſcribẽdo, ac primũ ſibi in præſẽs viſu proſpexerit

In extremo vitę actu pium eſſe non poſſe qui perditè vixiſſet.

Locorum, & temporum, que in quibus patrata ſcelera erãt, circũſtantiæ exprobratæ.

Quanta diabolus obiicit.

Inſultatum etiam parocho à dæmone.

Parochus ad religioſa inſtituta, ſe transfert.

11. Optimè vero obdurata iſtius in malo conſuetudo, illa Auguſtini verba legentium auribus ingerit: *Deſperatio* (inquit) *nec confiteri de ſcelere, nec indulgẽtiã nouit ſperare de iudice.*

Aug. ſerm. 69 de temp.

Digitized by Google

Ottonell. è ſoc. Ieſu de vit. conſuet. vitanda ad. not. 9. pag. 280

Deſperatus nec fatetur ſcelus, nec veniam ſperat.

Porrò eandem hiſtoriam Ottonellus è Societate Ieſu ſuis in paginis de vitioſa conſuetudine luculenter narrat, qui & addit, ſe à religioſo Societatis eiuſdem teſte, certo comperiſſe, quàmplures dum ſecum nauigio mare traiicerent, funeſto eiuſcemodi perditi hominis fine obaudito, adeo excitatos, intimeque compunctos, vt antiquas alieno edocti, ſuoque maxime præcauentes periculo, certatim ſinguli, quibus detinebantur, peccatorum labes apud ſacerdotem, ne ſalutis ſubire naufragium contingeret, quamprimum expiare voluerint; & hæc interim ſatis.

Atqui poſt impertitam ſibi à Deo veniam in eadem iterum peccata relabi, ac recidiuum pati, in deſperationis tandem baratrum, hominem miſerrime prouoluit: quapropter quē olim ſoſpitati Chriſtus in Euangelio reddidit, illis caute præmonitum, verbis voluit: *Ecce ſanus factus es* (inquit) *iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Vt autem deſperantis poſt iteratas culpas, & poſt veniā fruſtra ſemel à Deo, atque iterum peccanti indultam ſubiiciamus exemplum, quid Zehentner ex Beati Franciſci geſtis excerptū in ſuis moralibus paginis narrat, audiamus.

Ioan. cap. 8. nu. 11

Relabi in peccatum periculi plenum eſt.

Zehent. in promont. mal. ſpei lib. 4. §. 11. num. 15.

Et quidē (inquit) *id ſuo dāno expertus eſt Canonicus quidam, homo diu in turpes Veneris libidines profuſus, tādē vi morbi, & potētia diuinæ vltionis proſtratus in lectum. Huic affixum S. Frāciſcus conuenit, ſignoque crucis in priſtinā reſtituit ſanitatem; ſedulo adhortās, vt deinceps à fœda illa viuendi conſuetudine abſtineret: niſi diuinam pietatem recentibus delictis concitare vellet in grauiora contra ſe ſupplicia: ſed miſer aures tantum* Diuo *Franciſco dedit, verbis eius animum non adiecit. Itaque cùm rediiſſet ad vetera illa turpitudinis probra, die quo cōuiua fuit alterius Canonici, tota ædium ſtructura ſubito fatiſcente, ſolus cæteris illæſis, obrutus eſt.* Poſt impetratam quippè veniam iterum in culpas recidiſſe, cæteras culpas immane aggrauat: *Inanis eſt enim pœnitentia*, (Auguſtinus ait) *quam ſequens culpa coinquinat, vulnus iteratum ſanatur tardius; ſic lugens, & peccans, veniam non meretur: nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata, nec valet de malis veniam poſcere, & mala denuo iterare*. Hæc ille in rem præſentem.

S. Bonauen. in geſt. Sancti Franciſci Aſſi.

Canonicus æger ſanatus à S. Frāciſco ſed admonitus ne libidines repeteret:

Cap. Inanis diſtinc. 3. de pœnit.

12. Quapropter ſapienter quondā Senior ille Aegyptiacæ ſolitudinis cultor, deſperationis crimē exagerās; Dæmonum eſſe *id opus affirmauit, vt cū in peccatorū laqueos coniecerint, tunc nos in deſperationem præcipitent, vt perfectè perdant*. Quod, vt idem qui ſupra auctor, tradit, cuidā ſub extrema vitæ momenta deſperate moriēti accidit, de quo iſthæc ex venerabili Beda recitat: *Ita* (inquit) *veriſimile eſt ei cōtigiſſe homini, cuius miſerabilē exitum deſcribit venerabilis Beda in hiſtoria* Eccleſiaſtic*a gentis ſuæ. Ait enim ſe nouiſſe cuiuſdam monaſterii fratrem, opificio fabrum, oſorem diuini verbi, & orationis. Cæterū amatorem nō tātum incudis ſuæ, verum etiam torcularis, & multo maximè Bacchi. His ſe negotiis cùm totum impendiſſet, virtutis religioſæ negligentiſſimus homo, tādem ſub extremam fatorum horulam, conuocatis ad lectulū fratribus, iam cōdemnato ſimilis narrare cæpit, nō tātum inferos ſe apertos cernere: ſed Caipham quoque, cùm iis, qui Chriſto mortem non meritam, & acerbiſſimos Cruciatus intulerunt, luculentis ignibus ardere. quin etiam in eorundem vicinia locum ſibi, ſuiſque tormentis deſtinatum ſe conſpicere. Igitur, qui adſtabant religioſi, morti, & tartaro proximum, conati*

In Prato ſpirituali c. 110

Deſperatio dæmonum opus eſt.

Zehent. in promon. mal. ſpei lib. 4. §. 11. num. 28. Beda in hiſt. Eccle. Anglor.

Monachus ſaginæ deditus peritiſſimus artis ſuæ.

Digitized by Google

nati ſunt erigere ad ſpem, atque ad magnum ſpei fulcrum, pœnitentiam hortari. Sed deſperabũdus ille ſana excuſſit conſilia, quaſi nihil profutura deinceps: poſtquam ſuum nomen, iam numero damnatorũ vidiſſet adſcriptum atro carbone. Ita exceſſit miſer, nec pœnitudine inſtructus, nec viatico munitus, plenus deſperatione. Quæ cauſa fuit, vt nemo pro illo, aut preces exoluerit, aut pſalmos cantauerit, aut ſacrificium fecerit: quia ſe ipſo Iudice perijt. Vbi aduertenda eſt concluſio, quam præſẽti hiſtoriæ Beda ſic apponit Factũ hoc eſt in Prouincia Berniciorũ, ac lõgè lateq; diffamatũ, multos ad agẽdã, et nõ differẽdã ſcelerũ ſuorũ pœnitentiam prouocauit. Deſperabundi igitur hominis exitus ſibi dũtaxat exitio fuit, ſaluberrimũque procurandæ pœnitentię antidotum cœteris præbuit.

Infœlix ſine Sacramẽtis periit.

Clauſula totius hiſtoriæ

13. Atqui ex culpis, quas homo petulanter admittit, dum tuto ſibi pœnitẽtiam repromittẽs, ad pœnitendum moras nectit, non niſi certam tandem pro mercede deſperationẽ i ncurrere cõuincitut; vt Zehẽtner olcupletiſſimo fœneratoris improbi exẽplo confirmat. *Fæneratorẽ* (aiunt) *fuiſſe, hominem magis pecuniæ alienæ, quàm ſalutis ſuæ cupidum. Huius, vt ſplendide prodigus appareret, duplici via effecit, & perſeuerãdo in impietate, & differendo melioris vitæ initia. Nã quoties ſanum, valentemque adhortatus eſt Sacerdos, vt ad certum, ac ſecurum ſe pœnitentiæ reciperet aſylum, ſẽper, cùm faſtidientis quadam ſtomachi nauſea regeſſit, huic negotio ſuũ adhuc ſupereſſe tempus, nondum ſupremum ſibi diem illuxiſſe, neque ſolem in proximo minari occaſum vltimum. Paulatim tamen (vt fit apud mortales, quibus nulla eſt ſemper conſtans ſanitas) adrepſit non ſuſpecta, & lethalis ægritudo, aditumque ſtrauit ſecuturæ morti: Iamq; iterum monetur à ſacerdote æger, periculum ne contemnere velit, hoc ſaltem comprehenſus rerum articulo, pœniteret ſcelerum, perque vſurpata Eccleſiæ Sacramenta, laboraret pro impetranda numinis gratia. Sed, & ille rurſus cantilenam ſuam cantare, & conſuetũ illud repetere cœpit; nondũ omnes effluxiſſe horas, dieſque; amplexaturum ſe pœnitentiam, quo tempore opportuniſſimum videbitur; iam moleſtus eſſe deſineret male habenti, neque augeret morbum difficillimi operis memoria. Tãdem cùm ſenſim, & inualetudo accreſceret, & fata propius accederent, & fortiùs inſtaret Sacerdos, ſubitò ille magnis vocibus lamentabiliter inclamauit: O pœnitentia vbi es? de cætero pœnitere non valeo: hoc iudicante iuſto Iudice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui. Ità infeliciſſimus ſine reſipiſcentia, & teſtimonio dolentis animi ſuper peccatis, iuit ad plures ſibi ſimiles, apud inferos impœnitentes.* Hic fœneratoris iniqui auida, rapidaque manu pecuniam coaceruantis, animam verò vili prodigentis pretio finis extitiſſe deſcribitur: qui vtinam cœteros peccatis conſopitis dum pœnitendi tempus vacat, ne in deſperationem aliquando impingant, cautos reddat, adeoque ab ipſius gehennæ faucibus potenter eripiat; & hæc interim narraſse ſufficiat.

Zehent. vbi ſup. num. 26.

Fœnerator commonitus ad reſipiſcẽdum.

Morbo implicitus iterũ exhomologeſim differt.

Pœnitere non poſſe moriturus exclamat.

CAP. XX.

Detractores alienæ famæ.

1 INnumera planè sũt, quæ exitialis hominum lingua in orbẽ quotidie inuehit, malorum incõmoda, ac detrimenta, at rabidus detra-

trahentium liuor; qui cunctos mordere, ac nulli prorſus, dum furit, feriendo parcere conſueuit, magnum humanis calamitatibus auctuarium facit; *Poſuerunt enim* (Pſalmiſta ait) *in Cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra*. Cùm igitur peſtifera eiuſmodi lues ad cunctos pertingat, ſolius Dei eſt, morboſam petulãtium dicacitatem compeſcere: *Et Domini eſt* (inquit Salomon) *gubernare linguam*. Verùm enim verò, qui nullam effreni linguæ cuſtodiã adhibent, ſed indomitam veluti belluam liberè euagari permittunt, ſuis demũ intercepti fraudibus prę ter certũ animæ periculum, vitę, ac bonorum itidem iacturam incurrunt, vt diſertis idem, qui ſupra, verbis præmonuit, *Qui cuſtodit os ſuum* (inquit) *cuſtodit animam ſuam: Qui autem inconſideratus eſt ad loquẽdũ, ſentiet mala*. Malorum quippè, ſentina ſi ſuum repetat principium, in linguam duntaxat corriuandò deſinet: Iure enim aliquãdo, & congruo meritis nomine detrahẽtium lingua: *vniuerſitas iniquitatis* appellari meruit. Adeoq; peſſimum detrahendi vitium in orbe inualuit, vt vix hominem plerumque prætereat, ac Deum tandem ſeueriſſimũ vltorẽ ſentiat; vti Hieronymus illis præmonitam verbis Cœlantiam voluit: *Nulli* (inquit) *omnino detrahas, & ſi aliorum vituperatione te laudabilem videri velis magis tuam vitam ornare diſce, quam alienam carpere: ac ſemper memor eſto ſcripturæ dicentis: Noli diligere detrahere, ne eradiceris*. Pauci enim ſunt, qui huic vitio renuncient.

Pſal. 72. 9.
Prouer. 16. n. 1
prouerb. 13. 3
Detrahentis lingua vniuerſitas iniquitatis.
Hieronym. ad Cœlan.

2. Hinc ſuſurrones, detractoreſque quãtũ Deo primũ odibiles ſint, & quàm ſeuero Dei iudicio expetãtur, qui contra viros ſanctitate præcipuos linguæ exercẽtes gladium, iiſdem palàm inſultare, vel impũdenter in eos eloqui non verentur: multiplicia, quibus ſacrę paſſim hiſtoriarum paginæ abũdant exempla legentibus fidem faciunt; illud quippè ſingulorum auribus Dei oraculũ inſonare altiùs videntur: *Dijs non detrahes; & principi populi tui ne maledicas*. Haud igitur his, quos altiſſimus, veluti ſibi amicitia, ac amore iunctos, maximè coli, atque impenſius honorari vult, detrahendũ; quin immò præcipuum honoris cultum deferendum eſſe infelix, compluriũ mors, vt cunctos in officio mortales contineat, per ſe luculenter oſtẽdit. Et quidem, vt opportunum hic ex Baronianis Annalibus ſubinferamus exemplũ. Presbyter quidã Eccleſiæ Mediolanenſis dum Ambroſio viro ſanctiſſimo poſt eius mortẽ in conuiuio detrahit, numinis è propinquo iram, ſacerdotis famam vindicantis expertus eſt; nãm è conuiuio, vbi lætus, ac feſtiuus cùm cæteris aſſidebat aliorum manu ad ſepulchrũ deportatus ſatis lugubri argumento docuit, quod dũ quis in Sanctos Dei viros verborum iacula temere intorquet, ſupernæ in ſe, vel dum per iocũ, petulanterque verborum ſuſurros ingeminat, gladios animaduerſionis exacuit. *Statue* (inquit) *cultrum in gutture tuo*. Rem veró geſtam hic ex Paulino accipiamus.

Exod. 22. n. 28
Baron. tom. 5 an. 397. n. 34
Detrahens S. Ambroſio percuſſus diuina vltione.
Prouerb. 23. 2.

3. *Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Eccleſiæ Mediolanenſis, cùm in conuiuio poſitus, in quo erant nonnulli militares religioſi, detraheret memoriæ ſacerdotis, aſpernantibus illis & deferentibus linguam, ſubitò vulnere percuſſus graui de eodem loco, in quo iacebat, alienis manibus ſubleuatus in lectulum poſitus eſt, atque inde ad ſepulchrum vſque perductus*. Iuſtam quippè detrahẽdi pœnam Deus è cœ-

Paulin. in vit. S. Ambroſii Epiſc.
Adſtantes detractorem execrantur.

è cœlo non diſtulit, qui obloquentium, atque in ſuos maximè ſacerdotes, petulantes impiorum linguas ſurda aure non præterit. Sed aliud ex eodem Paulino detrahentium documento futurum in medium proferamus exemplum.

Baron. vbi ſup. Paulin. in vit. S. Ambroſii Epiſc.

In vrbe (inquit) *etiã Carthaginẽſi, cũ apud Fortunatum Diaconum fratrem venerabilis viri Aurelij Epiſcopi ad cõuiuiũ conueniſſem, vna cum Vincentio Caſſolitano Epiſcopo, Maurano etiã Epiſcopo Bolitano, ſed & alijs Epiſcopis, & diaconibus: tunc Maurano Epiſcopo detrahente ſancto viro, retuli exitum presbyteri ſuperius memorati: quod ille de alio dictum, de ſe oraculum maturo ſui exitu comprobauit. Nam de eodem loco, in quo iacebat, cùm ſubitò vulnere ingenti eſſet percuſſus, alienis manibus ad lectum portatus eſt, atque deindè in domum, in qua hoſpitabatur, reductus diem clauſit. Is finis virorum detrahentium fuit, quem videntes, qui aderant mirati ſunt.* Hæc Paulinus; ex quibus videre eſt quot, quantiſq; Deus Ambroſium cùm viuentem, tùm mortuum, eximium orthodoxæ veritatis propugnatorem, queadmodum, & alios, qui illibatæ in Chriſti Eccleſia fidei propagãdæ duces fuerei ſignis, ac miraculis paſſim illuſtrauerit; Ad tuendã namque laudabilem, quã hi virtutũ meritis, dum viuerent ſibi pepererant, nominis exiſtimationem, exurgens in obloquẽtes, ac recolendæ ſanctorũ memoriæ detrahentes, acriter animaduertere nõ deſtitit.

Carthagine Diaconus Epiſcopo detrahens pari ſupplicio affectus.

Baron. tom. 7 an. 583

4. Quo item animaduerſionis genere funeſtum eſt, quòd Transobado petulanter in virum ſanctitate cõſpicuũ linguã exerenti, eumq; dictis, cauilliſq; proſcindẽti Turonenſis in ſuis hiſtoriarũ paginis accidiſſe teſtatur his verbis: *Trãſobadus* (inquit) *presbyter epulum in Ruthena Ciuitate clericis preparauit. Reſidentibus autem illis vnus presbyterorum cœpit Dalmatium eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum nuper defunctum impudicis blaſphemare ſermonibus; & vſque ad hoc erupit, vt eum delirum, ac fatuum nominaret. Hæc eo dicente Pincerna poculum oblaturus aduenit: At ille acceptum dũ ori proximat, tremere cæpit, laxatoque de manu Calice, ſuper aliũ, qui ibi erat proximus, caput reclinans reddidit ſpiritum, ablatuſque ab epulo ad ſepulchrum humo contectus eſt.* Qui igitur fœtido ex ore, non ſecus ac è ſepulchro cadaueribus oppleto contumelias, blaſphemaſque in Dei famulum voces eructabat: *Sepulchrum enim patẽs* (inquit pſaltes) *eſt guttur eorum* continuo ab epulo ad tumulum, Deo vlciſcẽte tranſitum faciens, condignã ſceleri mercedem accepit.

Turonen. hiſt. Franc lib. 5 c. 46.

Detractor à conuiuio ad ſepulchrum effertur.

Pſalm. 5. 11.

Opportunè autem, vt perfidas oblatrantium linguas à maledicendo retraheret, contẽdẽteſq; conceptis Deus verbis compeſceret mortales cũctos præmonitos voluit: *Dijs non detrahes nomen.* Ac ſi eiuſcemodi dictis, haud impunè futurũ cõteſtaretur, ſi quis ipſamet viris ſanctis obtrectando diuinitatem lęderet. Porró vt rẽ altius repetamus, in obmurmurantes, detrahenteſque Moyſi, atque Aron haud ſemel olim Deus in deſerto vltor extitit, ipſamque Moyſis ſororẽ, eo quod aduerſus Moyſem loquuta fuiſſet, fœtidiſſima illico lepra reſperſit. Verùm vt recens è rerumgeſtarũ monumentis exemplum eruamus. Notto vir moribus lubricus, petulantiqve ore, qui Arnulpho Metenſi notæ ſanctitatis Epiſcopo palàm detraxit, non multo poſt miſer diuino iudicio vna ſimul cùm detrahente ſocio, viuus exarſit. Ionas enim Abbas apud Clotarium Regem, ac Reginam, eo virum ſanctum honore ha-

Deut. 22. 28.

Baron. tom. 8 an. Chr. 615. n. 9. & 10

Detrahentes S. Arnulpho diuinitus vſtulati.

habitum affirmat, vt eodem inconſulto tam rex, quàm Regina nil penitus agerent; qui non interdiu duntaxat, ſed vel intempeſtæ noctis ſilẽtio eundem conſulendi gratia ſæpè ſæpiùs adibant; ex quo curiales, quibus canum inſtar oblatrandi, alienãque famã carpendi mos eſt, obloquen di occaſionem nacti, viro Dei calumnias impingere, eius proſcindere famam, ementitiſq; dedecorum probris illibatam eius pudicitiam turpiter denigrare cœperunt: At ſeuerè in obloquutores peſſimos Deus animaduertit; vt Ionas, qui eo tempore vixit, conſcripſitque rem geſtam, his verbis tradit.

Ionas Abbas in vit. S. Arnulphi Metenſis Epiſc. ingens in Dei virum, ſed non inulta calumnia

5. *Quidã ſceleſtus homo* (inquit) *nomine Notto, auſus eſt irrogare cum cõplicibus ſuis Epiſcopo ſancto iniuriam, aſſerens ſcilicet eum non eſſe cultorem Dei, ſed potiùs hominem deditum voluptati, ad cuius lectum nocturnis horis, non ſolum Rex, verùm etiam Regina, tanquam conſilium flagitantes, interdum properarent. Cùm ergò vir ille die quadam aluo referta vino, vna cum detrahente ſocio ſuo ſtrata petiſſet, iubente Domino omnia veſtimenta illorum vallantur vndique flamma. Quibus illicò cum ingenti clamore proſilientibus, & aquam circa nates, ac genitalia loca, vbi camiſiæ illorum acerrimè cremabantur, iniicientibus, nec omnino flammam diuinitus miſſam extinguere valentibus, tandem porcorum, inſtar luto volutabri ſeſe pariter inuoluunt, & ibi diù vociferantes, vix ad vltimum pœnam, quam meritò patiebantur, euaſerunt.* Ex quo cõdignè inflictum obloquentibus ſupplicium conſtat, adeo vt, qui turpia, obſcenaque ſancto viro probra inuſſerant, in cæni protinus volutabrum, ad ignem è dorſo excutiendum ſordida vtpotè præditi anima proſilirent; ſed par culpæ pœna reſpondit, qui enim putidæ libidinis macula notam viri pudicitiam labefactare conati fuerãt, in iis potiſſimum membris, quibus libido inſidet, vltricem ſæuientium flammarum vim experiri diuinitus compulſi ſunt: hæc enim auctor proſequitur.

in obſcænis potiſſimum exuſti, qui obſcæna viro ſancto inuſſerant

Ionas Abbas in vit. S. Arnulphi vbi ſup.

Peſtilens detrahentium habitus, ignibus traditur expargandus

6. *In quibus profectò impletum eſt* (inquit) *hoc quod ſcriptum eſt in pſalmo: Detrahentem proximo ſuo hunc perſequebar. Intantum, vt & illud diuina cenſura factum non ambigamus quod detractores iſti vehemẽtiſſimè cremabantur in partibus illis, vbi libido, de qua calumniabantur virum iuſtum, regnare non dubitatur. Nec multo poſt auctor huius detractionis, præfatus videlicet Notto in huiuſmodi criminibus diffamatur apud regem, ut ſcelera eius vna cum vita, regalis gladius amputaret, nec non, & filius eius eidem ſẽtẽtiæ ſubiaceret.* Hæc Ionas de obloquente in virum Dei è vita infeliciter abrepto.

Et congruè quidem ſceleri ipſum detractoris nomen conſonat: Notto enim, ſi à nocte vocabulum deriues, miſer iure meritò appellandus eſt, qui ementitis, at non obſcuris ſanctiſſimi viri pudicitiam dictis, dicteriiſque aggreſſus, clarã ſibi duntaxat inter animaduerſionis ignes, quos pertulit, apud poſteros famam comparauit. Quod ſi ad inflicti genus, ſupplicii oculũ mentis cõuertamus, eos, qui impudentiſſima alteri crimina impegerant, in pudendis planè membris, excruciatos haud caſu videre eſt. Eãdẽ planè rẽ immutato duntaxat nomine, ſuoque elegãter ſtylo Drexellius paucis immutatis hunc in modum tradit; quam nos hoc lectori loco ſubiicere nequaquã ab ré futurum exiſtimamus: ait igitur.

Repetita ex Drexellio hiſtoria.

7. *S. Arnulphus notum Belgij ſidus,*

Google

dus, Metenſis *Antiſtes*, *tribus illis feriis*, *quibus ad Vrbis, agrorum*, *& ſegetis calamitates auertendas ſupplicatur*, *cùm ſuis extra pomærium ſupplicationes inſtituit*: *In turba latebat fœmina malo genio inſeſſa*, *quæ fœdis clamoribus prodere ſe cœpit*. *Accurritur ad Arnulphum præſulem,qui cacodæmonẽ hoſpitio per vim occupato feliciter expulit*. *Varius hic vulgi rumor*, *Noddo vir improbæ linguæ*, *& tunc probe appotus in ſuũ præſulem multa incipit garrire*: Ecquis, ait, *eſt iſte* Epiſcopus? *Domum habet non vſquequaque ſanctam, etiam à malæ famæ hominibus ipſius limina teruntur*: *etiam ſancti norunt ſubindè fieri homines*: *Hæc non impunè dixeris maligne*, *tua te Nemeſis non præteribit*. *Noctu incendium ædes inuadit*, *& Noddonem cùm ſocio ſic corripit*, *vt toti ardere viderentur*; *illi hoc vnum* Aquas, Aquas, Aquas *clamabant*. *Demum proſiliunt miſeri*,*& humi ſe volutant*, *velut equi verminoſi*; *ſed vix tandem inhærens flamma comprimitur*: *Paſſus eſt bonus Deus illos tũc exire interitum*, *ſed eoſdem ad pœnas repetijt*: *Nam ille ipſe detractor*,*in his ipſis criminibus*, *quorum præſulem ſuũ arguebat conuictus*,*caput perdidit*,*quod vtique ſeruaſſet*,*ſi didiciſſet ſeruare linguam*. Hæc in rẽ præſentem de detractoribus iuſta à Deo vltione expetitis Drexellius. At hic nobis aduerſus Cynici iſtius obloquentis linguã illud proclamare libet: *O linguã præſcindendã* Præciſa igitur iure merito eſt refecto capite lingua, quæ vel igne diuinitus ſuccenſo, vrenteque à dicteriis,calumniiſque in Dei ſeruum conſarcinandis Diabolo inſtigante, compeſci nequiuit.

Drexell.c.17 *de detrac.nu. 3.pag.283.*

s.Arnulphus rogationum author.

Perdit detractor caput qui linguam non ſeruauerat.

Lingua detractorum non impune abit.

8. Porrò vt ſuſceptæ narrationis propoſito inſiſtamus; Dei quidem oraculum eſt, prophetico denuntiatum ore, ſanctis viris honorem iugiter deferendum, & contumelias, quibus manifeſta eorumdem famæ vt infertur, procul abiiciendas: *Nolite* (inquit) *tãgere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*. Quod ſatis manifeſto in conſcriptis B. Malachiæ Epiſcopi geſtis teſtimonio euincitur; Enim verò altiſſimus eos, qui petulanter ſeruo ſuo detrahebant, iuſtiſſimis pœnam ſuppliciis repoſcens inultos non præteriuit: ſed hiſtoriam ex eius geſtis hic ipſiſmet Bernardi verbis repetamus.

Pſalm. 181. 15

Nec modo (inquit) *malefactores*, *ſed & detractores Malachiæ corripuit* Deus. *Quidam verbigratia*, *gratiam habens principum*, *& potentum*, *etiam ipſius Regis*; *quod eſſet adulator*, *& garrulus*, *& potens in lingua fauebat per omnia aduerſarÿs Malachiæ*,*& procaciter tuebatur partem eorum*; *ſancto vero*,*ac præſẽti reſiſtebat in facie*,*& detrahebat abſenti*, *irreuerenter occurrẽs*, *et in omni loco*,*maximèque vbi celebrioribus illum ſciret intereſſe conuentibus*. *Sed cito digna linguæ procacis mercede donatus eſt*. *Intumuit*, *& computruit lingua maledicta*, *vermibus ex ea ſcatentibus*, *& diffluentibus toto ore blaſphemo*: *quos per ſeptem ferme dies inceſſanter vomens*, *tandem cùm illis miſeram expuit animã*. Vermes profecto putulentam iure meritò hominis linguam depaſti ſunt, qui Beato Epiſcopo pro obſequiis odia, & pro gratia cótumelias referendo, mirã eius ſanctitatem dentibus quodammodo per ludum diſcerpere non deſinebat. Sed aliud mulieri, quę ſancto viro loquẽti temere in faciem reſtiterat, inflictũ diuinitus ſupplicium, quod item in eiuſdem geſtis deſcribitur, ſilẽtio prętereundũ non eſt.

S. *Bern. Abb. Claraual. in vit. S. Malachiæ epi. cap.* Malachiæ detrahentes pœnis exagitantur.

Detrahenti famæ S. Malachiæ lingua computreſcit.

9. *Loquente coram aliquãdo Malachia* (ait Bernardus) *& populum exhortãte*,*mulier quædam infelix auſa eſt*

S. Bern. Abb. *Claraual in vit. S. Malachiæ c. 4*

Muliercula eidem publice detrahẽs inſaniam verſa.

interrumpere ſermonem clamoribus improbis, non deferens ſacerdoti, & ſpiritui, qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & ſpiritum habens in naribus, blaſphemias, contumeliaſque eructabat in ſanctum, dicens hypocritam, & inuaſorem alienæ hæreditatis, ſed & caluitiei illius impreperans. At ille nihil reſpondit ei, ſicut erat verecundus, & mitis, ſed Dominus reſpõdit pro eo. Verſa illa in inſaniam eſt, Domino iudicante, & crebris vocibus clamitans ſe ſuffocari à Malachia, morte demum horrenda luit peccatum blaſphemiæ; ſic miſera aſſumens aduerſus Malachiam improperium Heliſei, verè illum alterum ſibi experta eſt Heliſeum. Concito quippe ad vltionem gradu in garrulam, petulantemque fœminam, ac probris contumeliiſq; oblatrantem, exacerbati numinis ira aliorũ documẽto proceſſit. Sed vnius vexatio intellectum cæteris præſtitiſſe, debitumque Chriſti famulo poſthac honoris cultum conciliaſſe viſa eſt: hæc enim de eo Bernardus tradit:

Vnius pœna ceteris documento eſt.

Bernar. vbi ſupra.

Peſtilentia S. Malachiæ precibus extincta.

Porro (inquit) *quia cauſa peſtilẽtiæ cuiuſdã ortæ in ciuitate, multitudinẽ Cleri & populi ſolemniter cũ memoria ſanctorum tunc foras eduxerat: ne hoc quidem prætereundum, quod orante Malachia, peſtilentia illicò conquieuit. Ex hoc iam, qui mutiret aduerſus eum non fuit, dicentibus, qui de ſemine Chanaan ſunt: Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo: At ſero iſtud, quia zelus Domini, vbique occurrens eis; perſequutus eſt eos, vſque ad internecionem. Quomodo intra paucos dies periit memoria eorum cum ſonitu? Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam? Grande, hodieque miraculum facit tam velox generationis illius deletio his preſertim, qui eorum nouerunt ſuperbiam, atque potentiam. Multa quidem, & alia ſigna fuere, quibus Deus glorificauit nomen ſuum, & ſeruum ſuum inter ſudores, & pericula confortauit.* Ex narratis verò infelices obloquentium exitus retexendo, condignum ſanctis viris obſequium exhibendum, & à ſacrilegis, mordacibuſque ſuſurris abſtrahẽdam hominum linguam nemo ſanè mentis non intelligit; Quis enim illud nõ probè meminerit, quod ſemel Chriſoſtomus obloquutores acriter inſectatus, admonuit: *Quæ* (inquit) *vtilitas, cũ auibus quidem, & piſcibus abſtineamus fratres verò remordeamus, & comedamus?* Hæc ille.

S. Malachiæ aduerſarii diuicitus ſublati.

Chriſoſt. to. 5. hom. 3 ad po. p. poſt medium.

Abſtinere à carnibus & vorare carnes fratrum, pietas impia eſt

10. Verùm enim verò, quã prõpta, expeditaq; impiis detractoribus ſupplicia adſint, Drexellius ſerio recolens, aliudque in rem præſentem his verbis exponens exemplum, oſtẽdit: *Anno* (inquit) *milleſimo, ſexcenteſimo ſexto, Zagabrij in Auſtria, quidam non è plebe, viris religioſis in confeſſu plurium detrahens, & locum loquente digito monſtrans: Inde* (inquit) *præcipitandi ſunt hi nebulones? Poſt paucas omnino horas hic ipſe illuc conſcendit, & è ſũmis ſcalis capite pronus ruit. Indè ſeminecem detulerunt domũ, vbi à ruina tam graui ad ſe rediit, Dei manifeſtam in ſe vindictam faſſus eſt: Atque vbi conualuit, ſupplex veniam petiit ab ijs ipſis, quos læſerat.* Hæc quidem merito impius pertulit, etſi à morte ſingulari Dei beneficio ſeruatus, qui pridem ob mordacem linguę petulantiam, promeritus mortem fuerat. Atqui vt his alia plura, quæ detrahentibus ipſius Dei nutu illata ſũt, ſupplicia ſubtexamus, haud hic ſilentio à nobis prætereundum eſt. Detrahentes quondam Mauro Abbati ſan-

Drexell. c. 19 de detract. pag. 284.

Detrahens religioſis vt præcipitẽtur præcipitatur

ſanctitate conſpicuo concitã irati numinis vltionẽ expertos, vt apud Drexellium his verbis:

Drexell. c. 17. de detract. pag. 285

S. Mauro collisum architectum ſananti detrahunt cœmentarii

Maurus(inquit)*diui Benedicti notiſſimus diſcipulus, è ſuo in Beati Martini Cænobiũ migrauit, vt ſacrũ ædificiũ illic moliretur, vbi architectum ſubito ruente mole colliſum miraculo ſanauit. Cæmentarij ſoluti oris homines: quis ſcit, aiunt, qua illum arte, in integrũ reſtituerit? Monachus eſt vagæ habitationis, fidat ei qui volet.* Audijt Deus, *& mox adfuit vltor à tergo; tres illorum malus genius inſedit; vnus adeò miſerè habitus eſt ab hoc ſuo hoſpite, vt lugubri cũ eiulatu expirauerit. Maurus vbi hoc inaudit, recta in* D. *Martini ædiculam ſe recepit, & tribus horis continuis in preces ſe effudit; dein obſeſſos accedens:* Dei *filius (inquit)qui ſuis poteſtatem dedit calcãdi ſerpentes, & ſcorpiones, liberet vos. Cumque illi magis furerent, digitos immiſit in os furioſorum, ita demum ingenti cum fœtore nota ſymbola relicta, ceſſerunt Orciniani hoſpites. Ita* Deus *in legirupas ſolet animaduertere. lex eſt nõ eris criminator, nec ſuſurro in populo: vltorem ſenties* Deum, *quiſquis auſus fueris hanc* Dei *legem euertere.* Sed Drexellium hic iterum, conceptiſq; aduerſus detractores verbis acrius perorantem, & quæ nos ſupra meminimus ſummatim relegentẽ audiamus.

Leuitic. c. 19. v. 16.

Liberantur ab eodem ſancto

11. *Narrat*(inquit) *Paulinus ille priſcorum laudatiſſimus, duos ſacri ordinis viros ſubito fato corruiſſe, quod Ambroſio mediolanenſi præſuli defuncto detraxiſſent. Ex his alter ſacerdos Afer, ſed Mediolani in Sacerdotium venit, hic in conuiuio contemptim Ambroſij Antiſtitis iam functi laudibus obtrectauit: Auditores habuit non valdè beneuolos; ſed hoc illi triſtiſſimũ, quod & Deum habuerit auditorem. Nam ſubito miſer expalleſcere, voce titubare, artubus tremere cæpit; ſic inter brachia deductus eſt ad lectum, & vna adlethum.* En breui ſanctis viris, ac Deo inſultantium acerbo perſtricta fato calamitas: Optimè verò, vt ab vltione caueant, obloquentes Eccleſiaſtes conſulit: *Ne temere*(inquit)*quid loquaris, Deus enim in cælo, & tu ſuper terram.* Caro etenim pretio, vel temere aliquando ſacerdoti cuipiam immorigero obloquutum fuiſſe, vt Thomas Cantipratanus narrat, caro (inquã) ſtetit; ſcriptor quippè prememoratus ſuis ſe eiuſcemodi rẽ hauſiſſe oculis, horrendamque non minus, quã admirandã nefandi huiuſce vitii vindictam exploraſſe affirmat:

Drexell. vbi ſupra.

Eccleſ. cap. 5 ver. 1.

Sapientis ad detractorem monitum.

Noui (inquit) *ſacerdotem nomine magis, quã re talem, qui eo linguæ petulantia prolapſus eſt; vt quo facilius alios etiam ſacerdotes in infamiam traheret, de ſe ipſo peſſima quæque mentiretur. Hic morti iam vicinus furijs actus, tanta in ſe ipſum rabie debacchatus eſt, vt dentibus linguam maledicam, fœde laniaret, & commoleret, idque palàm omnibus oſtenderet indè ſupplicij exordium ſumi, vndè ille ſumpſiſſet peccati.* Hæc ille detrahentibus opportune in rem præſentem ſuggerit, quibus & aliud ex Mayrono excerptũ Drexellius adijcit, manifeſtæ ſymbolum vltionis: & his quidem verbis:

Cantip in lib Apum apud Drexell. c. 17. de detract. pag. 288

Sacerdos maledicus linguam moriturus ſibi dilaniat.

12. *Sacerdoti* (inquit) *quem dixi non multum abſimilis fuit in Anglia olim vir religioſus, ſed veſte ſolum non moribus, qui rabido detractionis dente quoſuis lacerare ſolitus eſſet. Hic cùm iam in extremis ageret, monitus, & rogatus eſt, ſollicitè cogitaret, quod nam iter inſiſteret, quo tenderet: de tota tũc æternitate agi: At ille, omittite hæc (inquit)monetis fruſtra; Illi verò diuinam clementiam opponere, fiduciam in Deum ſuadere, & omni modo animum ad alta erigere conati ſunt. Sed moribun-*

Io. Mair. ſer. Ieſu in ſpec. exemp. p. 265. col. 2.

Drexell. c. 17. de detrab. lingu. vbi ſupra pag. 289

Iuſta linguæ detrahentis pœna.

bundus linguam exerens , & digito eã percutiens: Hæc (inquit) lingua peſſima me damnauit . Dixit, *& lingua repẽte ſic intumuit, vt in fauces retrahi nequiuerit . Ita infelix expirans grande documentum dedit detractoribus , vt alienis ſaltem detrimentis , ſapere diſcant , & emendatius loqui .* Hæc ille & quidem congruè ; *qui enim cuſtodit os ſuum , & linguam ſuam , cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam .*

Ea mox intumuit horrendum in modum.

Prouerb. c. 21. num. 23

13. Vtinã infelix verboſus iſte amarulẽtam ſuos intra fines linguã coercuiſſet, ne ſerpẽs in aliorũ detrimẽta, ac alienæ ſamæ iniuriam proſiliret, illud Pſalmiſtæ edoctus oraculum . Pone (inquit) *Domine cuſtodiã ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis , ne declinet cor meum in verba malitiæ .* Linguã profectò rationis gubernãdo ſalubriter regens, ac continentiæ fræno compeſcens, nunquam exlegem, rebellantemque ſenſiſſet: quapropter hanc ille vnam ſuæ cauſam perditionis ſub vitę finem iuſtiſſimè aſſeruit. Vtinã & Auguſtini exemplũ in hoc æmulatus fuiſſet, qui ſollicitè ſibi à detractorum lingua pręcauens, eoſdẽ veluti peſtem à ſua procul menſa , ne inter capiẽdos cibos, vitæ diſcrimẽ incurreret, arcendos adeo ſategit, iiſque ſuæ ſocios menſę pręmonitos, edoctoſque carminibus voluit .

Pſalm. 140.

Poſſidius in vit. S. Auguſt Auguſtinus detractores à ſua menſa reiicit.

Quiſquis amat dictis, abſentũ rodere famam ,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi .

Has profectò dignas, recolendaſq; frugalis menſæ leges vir ſibi ſapientiſſimus præſcripſit, vt triſtia à conuiualibus epulis funera , ac noxia à quotidianis ferculis , quæ obtrectantes expetunt, phamarca ſedulo amoueret . Contigit autem aliquando , quod Poſſidius , qui oculatus adfuit teſtis , enarrat , vt complures Auguſtini menſæ Antiſtites accumberent , ſed præſcriptæ ab Auguſtino legis obliti , ampliori , quàm par eſt, oris licentia de aliis ſecum confabularentur , quibus ingenue Auguſtinus : *Domini fratres* (aiebat) *aut illa tabella refringenda eſt , aut vos ſermones iſtos deſinatis , aut ego ad cubiculum faceſſo.* Quod item magnus ille Ioannes eleemoſynarum meritò, & cognomento celeberrimus, ore ſic parcus, vna tamẽ Chriſtiana liberalitate ditiſſimus, ſibi , ac ſuis maximè à detractoribus cauendum lege præſcripſerat.

Poſſid. vbi ſup. Prudens diui Auguſtini dictum in cõpeſcendis detractoribus.

In vita S. Io. eleemoſynarij apud Surium

Et congruè : oblatrantium enim ore, illita melle adſtãtiũ auribus venena propinari quis neſciat ? Quocirca aptè in rem præſentem Hieronymus ab eiuſcemodi farinæ hominibus lõgius recedendum edixit : *Si quem* (inquit) *alicui detrahentem audieritis, procul fugientes, dimittite velut ſerpentem; vt verecũdia victus diſcat de aliorũ factis ſilere.* Quod & ſapiẽtiſſimis olim verbis Apoſtolus Chriſtianis , qui olim apud Chorintum degebant , diſtrictè præcipiens : *Nunc autem* (inquit) *ſcripſi vobis non commiſceri , ſi is qui frater nominatur , eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiẽs, aut maledicus.* Ex quibus maledicos ipſius Apoſtoli calculo proſcribi, & æque , ac fornicarios, auaros, ac ipſos deniq; idololatras caute ob periculum deſugiẽdos liquet. Quod ſi Bernardum hac ſuper re conſulas, eiuſcemodi homines, qui alteri detrahunt , non ſecus ac letiferum ſub labijs pharmacum circumferentes, caute uitandos præmonentem cõperies . Porrò venenũ, quod ſub maledicorum oblatrantiũ lingua deliteſcit, mellifluo illius ore amarulentis hiſce verbis deſignatur: Detrahentes (inquit) *infundunt venenum in auribus ſe audientium.* Atqui vt apto res comprobetur exemplo , Mairo-

Hieron. in reg. monaſ. c. 22. Detractores vt ſerpentes deſugiendi.

1. ad Chor. c. 5. v. 11.

Bern. de modo ben. viu. c. 17. & c. 33. & ſer. de diſcip. cuſtodia

Mairono enarrante, quot, & quantas hæc vna peſtis afferre orbi clades cõſueuit, videamus.

14. Erant (inquit) *duo ſibi familiariſſimi è clericorum numero, quorum alter peſſimus detractor, neminem non maledico dente impetebat. Hic morbo correptus à ſocio monebatur, rem ſuam ageret, & vitæ maculas elueret pœnitentia.* At *ſurdo fabula canebatur. Saltem, inquit alter, inter nos fœdus ineamus, etiam poſt mortem duraturum. Si tu me præceſſeris moriendo, obſecro intra triginta dies te mihi cernendum ſiſte, niſi* Deus *obſiſtat; & alterius orbis arcanum edoce. Promiſit temerarius ſe id facturum, in gratiam tam conſtatis amicitiæ. Neque vero, id Deus fieri prohibuit. Itaque paucis poſt mortẽ diebus ille ab Orco emergens, flãmis vndique opertus, in conſpectum ſe dat ſuperſtitis amici. Hic agnito ſocio defuncto, ita tremore concuſſus eſt, vt nec vocem expedire, nec oculos in flãmeam laruam figere potuerit: At vmbra illa explicate hominem compellans: ego (inquit) ſum ille ſocius tuus æternũ damnatus. Nam ipſo mortis momento ad iudicem ductus, accuſatores eos habui, quos detractionibus infamaui. Cũque obiecta nec negare, nec diluere poſſem, iudex ſententiam tulit, heu, heu tremendam æternum.* En paucis tragicæ totius hiſtoriæ negotiũ, certaque in peſſimum detractorẽ ęternis ignibus addicti ſententia, quæ mortalibus ipſo perdito homine narrãte cõtemplanda proponitur. Conſimilis item animaduerſio maledico alteri diuinitus obtigit, qui iugiter linguã detrahẽdo ſordidam ſub ipsũ vitæ finem ſaera peccatorum cõfeſsione ex piare non valuit; ſed aperto diuinæ vltionis iudicio ſuæ vnicam perditionis cauſam conſtanter linguã fuiſſe aſſeruit his verbis.

Io Maironus ſoc. Ieſu Theol. ſpec. exemp. pag. 264. col. 1. Maledicus reſipiſcontiã aſpernatur.

Poſt mortẽ ſe diuino iudicio damnatum ſignificat ſocio.

Sceleratus quidam (inquit) *omnes detractionibus ſuis lacerare cõſuctus, morte præuentus eſt non confeſſus. Neque enim merebatur, vt ea lingua peccati venenum euomeret, quæ tam frequenter aliorum etiam innocentiã laceraſſet. Apparuit autem non longè poſt mortem cuidam vitæ ſuæ præmia condigna oſtendens. Habebat autem linguam, quaſi igneam ab ore, vſque ad terram dependentem, quam crebris morſibus idem ipſe momordit, corroſit, & expuit. Cumque particulatim eam, vſque ad fundamenta abſciſſam eieciſſet, rurſus ad priorem quantitatem reformabatur denuo corrodenda. Quæſiuit viuus a mortuo quidnam hoc deſignaret. Qui reſpondit. Quoniã dũ vixi per hoc mẽbrũ maledictũ omnes perſequebar, id circò ab hoc tormẽto in perpetuũ nõ liberabor. Perq; enim peccauit quis, per hæc, & punietur.* Patenti igitur excruciatæ linguæ indicio, quam potiſſimum ob cauſam gehennam miſer incurriſſet, li quido comprobauit.

Ioannes Andeus n faſcic virt. c vit in magno ſpec. exemp.

Detractoris damnati triſtiſſimum ſpectaculum

15. Etſi quidem Deus (vt opportune ſuſurronũ linguas perſtringamus) haud impunè obloquentium in viros ſanctos petulãtiã tulit, qui & ſuis olim tã diſtrictè præceperat, vt linguã à murmurando compeſcerent. Perfidas quippè hominum linguas, crebris. iteratiſque è cælo pœnarum animaduerſionibus, ſemel atq; iterũ plec tens, ſatis infeliciter addixit, vt cõſcriptę ſanctorum res geſtæ exhibent, & apud Vincentium præcipuè his verbis traditur: *Sanctus Attalus Beato Columbano de hac luce migranti ſuccedens, cũ egregie Bobienſe cænobium regeret, diabolus contra eum aliquorum ſubditorum corda ſuſcitauit, qui ſe dicebant tanti feruoris auſteritatem, & arduæ diſciplinæ pondera ferre non poſſe. At ille ſagaciter pia fomenta præbere, & mollire corda tumentia nitebatur,*

Vincent. Bellouacen. lib. 23. hiſtor. c. 10 S. Attalus maledicorũ linguis appetitus.

tur, ſuadens, reminiſci patres per mortificationem, & contemptum pœnitentis vitæ, regna cœlorum poſſidere. Cumque ſe nihil proficere iam cerneret, pertinaces ire permiſit. Qui poſtquam ab eo ſegregati ſunt, cũ virum Dei ſuis detractionibus laniarent, Vnus eorum ſubito igne febrium accenſus inter pœnas incendij clamare cœpit, ſe (ſi poſſet) ad ſanctum Attalum *venire velle, & admiſſi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Vix ei dicere licuit; & ſubito obmutuit, & extremum anhelitum dimiſit.* At illi qui aderant, *videntes, iniuriam viri* Dei *à Deo vindicari, quidam ad eum cùm pœnitentia redeunt. Quos ille miro gaudio ſuſcipiens ſuis locis ſuas recognoſcentes culpas reſtituit. Alij verò, qui datum pœnitentiæ locum contempſerunt non redeundo, diuerſis mortibus dirupti ſunt. Nam vnus eorum ſecuri percuſſus interijt: alius dum parui fluminis alueum transmearet, irretitus poplitibus parua vnda necatus eſt: Tertius cũ ſe in mari carinæ tradidiſſet, demerſus eſt.* Multiplici itaque calamitatum exitio petulanter in ſanctum virũ obloquẽtes mulctati ſunt, vt vnuſquiſq; pro acẽ fræno linguã cohibere diſcat, neq; os ſuũ in cœlũ audacter oblatrãdo aperire præſumat.

Diuina in illius detractores vltio.

Alii funeſta morte ſublati.

16. Sed vt ſeuerum in eos Dei iudicium, qui alteri turpiſsimarum rerum probra detrahendo impingũt & proximorũ famæ inſultando acerbiſsimã ſibi honeſtati notã infligunt, pio palam lectori innoteſcat, fœminę quæ Vvibordæ famam denigrare conabatur, & diabolo, pro delicto ad torquendum tradita, infelici exitu vitã abrupit; teſtatiſſimũ ex Patrũ occidentaliũ geſtis excerptũ proferamus exemplum, quod his verbis traditur. *Diabolus autem fremens ſe ex alieno mancipio à Beata Vviborda expulſum zelo vltionis in ipſam armatur. Itaque cum iam cognouiſſet per diuerſos terrores à ſe illatos frequentiam orationum eius non rareſcere, niſus eſt eamdem frequentiam orationum eius, infamiæ macula obuoluere, concitans aduerſus eã quandam ex ipſis ancillis, quæ affirmaret eã non cauſa orationis clam per ſingulas noctes ſurgere, ſed potiùs, vt nefaria, quæ ſub ſole erubuiſſet agere, nocturna freta caligine ſecuriùs perageret, & hoc verbum, quod iret oratum quaſi deaurationem eſſe eius ſcelerum, quæ, & cum tam multis exercuiſſet, vt ſibi videretur impoſſibile eos calculo comprehendere; ſuper hos tacendum eſſe, ſi immunis exiſteret pollutione fraterni concubitus. Hæc illa circumquaque inceſſabiliter latrante, & quibuſdã ficta eſſe dicentibus, alijs verò humanã fragilitatẽ culpantibus, peruenit fama ad aures* Salomonis *Epiſcopi Conſtãtienſis. Quid opus eſt verbis? Siſtitur præſuli vice mœchæ, ſponſa Chriſti; criminatur pro innumero adulterio, diffamatur fratris eſſe concubina, fraternæ caſtitatis conſiliaria. Epiſcopus autem volens dubietati finem imponere, ſtatuit ei diem, in qua de ſibi obiectis cum Dei iudicio dubitanti populo fidem faceret. Conueniente autem cum Epiſcopo ad præfinitum diem copioſa multitudine, Omnipotens Deus omnibus ita liquido eius innocentiam comprobauit, vt incredibili lætitia tripudiantes, illi geminarent grates. Cumque à Præſule ei daretur optio, quali pœna plecteretur inficiatrix reſpondit: Deo vindictam, ipſe ei retribuet. His ita tranſactis infelix, quam prælibaui, ſerua, ſciens finem eſſe ſuis mendacijs apud ſocios virginis innocentiæ, pergens vltra lacũ* Potamicum, *omnibus turpiſſimè vt potuit de illa loquebatur.* Atque cùm *eius ficta credibiliora viderentur, ſolita erat ſubinferre ſe ab Vviborda ob* alima

Vltio detrahendi.

Benedictus Gonemus in vit. Patrum occidentis in vit. S. Vuiborde pag. 449.

B. Viborda veſata calumniis.

Indicium illi ab epiſcopo Conſtan. tienſi iudicium.

Illuſtrata eius innocentia.

aliam cauſam, non eſſe expulſam, niſi vt eius increpationibus pro illicitis quieta foret. Sed Deus Omnipotẽs ſibi deputatã uindictã nõ diu differẽs, ſicut prius per iudicium comprobauit Virginis innocentiam: Ita etiam poſtea manifeſtauit per inficiatricis amentiam. Nã cuidam malefico, ſpe felicis coniugij ſe ſupponens, non poſt multum temporis, cæpit diabolizare, & ita vagata eſt circumquaque, donec in nimiam pauperiem delapſa eſt, & ſic de morte tranſmigrauit in mortem. Peſsimo igitur fine mulier, quæ turpiter detrahẽdo linguam in Dei famulam, dæmone inſtigãte exeruerat cõſumpta, diabolo, cuius impulſu iſthæc præſtiterat, poſt mortem tradita in Orcum conceſsit.

Calũniatricis infelix vita & exitus.

Et certe Pueri, qui Eliſeo Prophetæ, vt in ſacris paginis decantatum eſt, ob capitis caluitium illudebant, Vrſos ad ipſorum lanienam è ſilua proſilientes, admiſſi ſceleris vltores, experti ſunt: ſed pari quoque infelicitatis exemplo adoleſcentes ſancto Magnobodo Andegauenſi Epiſcopo inſultando detrahentes, pœnas dedere, in cuius hæc geſtis leguntur. *Cũ idem vir ſanctus diæceſim ſibi commiſſam illuſtrando circumiens, ad prædiũ, quod quartiniacus dicitur, perueniſſet, pueri garruli nefanda conuitia ludendo iactabant. Quos illo intuente, ſubitò vnus ex eis pulueri mixtus, cum omni pernicitate raptus per aeris vaſta, more globi, hac illacque ferebatur. Tunc ſodales, cùm id cernerent triſtes, ac territi, per deuia quæque, ac rupium, & vallium anfractus ſectantes, nihil profecerunt. Iamque deſperatione tandem per deuia, ac dumoſos tramites fatiſcentes puerum repererunt inter condenſa veprium ſemianimem, & vix exilem anhelitum trahentem; Quem parentes cum valdè magno gemitu, pallio inuolutum, & penè cunctis artubus diſcerptum in præſentia ſancti viri obtulerũt. Qui apprehenſa manu eum leuauit, & eum vitæ præpotentem, ac valentem parentibus reddidit.* Hinc male morigeri homines, quorum lingua iugiter iocos miſcet dicteriiſque operam dat ſalubriter edocti, honorem vltro viris ſanctitate præcipuis, non contumelias deferant; ne ſatis addictos in tempore non ſuo è vita, vt hic promeruiſſe videbatur, abire contingat. *Quapropter cuſtodite vos* (inquit Sapiens) *à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* Qui enim prauis inſtructus artibus, amarulentiore lingua iniquè alteri detrahens, conuiciatur, maiora ſibi excors, quam alteri detrimenta comparat; Quippè, qui dum vel leuiter alterum lædit, non parum vna ſimul ſemetipſum læſiſſe comprobatur; ſuo enim capiti exitium intentat, iuxta illud ſatis, ſuperque decantatum carmen.

Vincentius Bellouacenſ. hiſt. lib. 23. cap. 28

Offertur viro ſancto, & curatur

Sap. c. 1. v. 11

In Caput conuinciantis dicta recidunt.

Verſus Trochaicus Conuicia primum auctorem feriũt

Enimuero haud ſemel cruentę ex conuicijs clades proueniunt, ac tragicis obſtetricãte maledicorum lingua, tum publicis, tũ priuatis calamitatibus aditus aperitur, iuxta alterius poetæ carmen:

A' conuiciis ad cædem tranſitus valdè eſt breuis.

Verſus Trochaicus

17. Aſſertioni autẽ huic omnimodam ſtare fidem ſuo ſatis exẽplo didicere, qui argutis quondam Seuerum Imperatorem conuicijs laceſsẽdo, eum ſubindè ſeuerum conuiciorum vindicem experti ſunt; vt Spartianus in Seuero, & Pertinace conceptis aliquando verbis adnotauit; quæ ſingula Drexellius ſummatim perſtringens in ſuis paginis expreſſit hunc in modum: *Seuerum* (inquit) *Imperatorem Romanum innocente ioco per-*

Drexell. c. 10 de lingu. conuic.

perſtrinxerunt, *non pauci, dixeruntque verè Imperator nominis ſui*, *verè pertinax, verè Seuerus; Imperator grauiſſimum hoc conuicium interpretans*, *plèroſque omnes capitis damnauit. ſic conuicia*, *per iugulum redire ſolent*.

Verùm enim verò, vt quàm diſtrictè ſuis Deus famulis illata conuicia vlciſci conſueuerit, accepto ex antiquis hiſtoriis argumento palã fiat, hic quæ in rem præſentem concinnè Theodoretus his verbis narrat, repetamus: *Vnus aliquis* (inquit) *è Valẽtis Imperatoris aula diuinum virũ Aphraatem conuicijs eſt inſectatus, & minatus mortem. Nec cunctata eſt Nemeſis: breui pœnas audaciæ dedit. Imperator balneo vſurus illũ Aphraatis conuiciatorẽ miſit, videret an Nimphæum ad temperiem eſſet redactum. Ille caldariam cellã ingreſſus, velut amẽs in bulientem aquam inſiliuit, liquido illo incendio extinctus. Mox tota Ciuitate rumor volauit, quales infelix luerit pœnas contumeliæ, qua Aphraatem affecit*. Hæc Theodoretus rei geſtæ locupletiſſimus teſtis narrat. Abſtinendum igitur omnino à cõuiciis, atque à propudioſis in ſanctos viros dictis, ne diuinæ gladius animaduerſionis linguoſos, inuidos, amarulentoſque, temere oblatrantes funeſtiſſime demetat.

Theod. lib. 4. hiſt. eccl. c. 20.

Conuiciatos S. Aphraati diuinitus morti traditus

Demum, vt detractoribus ſilentio iã addictis hac de re dicendi finẽ faciamus, illud poſtremo loco addimus. Suſurrones videlicet, qui alienæ famæ, per iniuriam detrahunt, præterquamquod ſuis nullam ſuſurris, dictiſque fidem merentur verba eorum pro meris nugis habenda, eoſdemque non tam eloquentes, quam loquaces garrulos, mordaceſq; dũ canino pluſquã mordent, lacerantque aliorum famam, pronunciandos eſſe. Quos peſſimos vti hoſtes fugiendos, ab eorumque cõſortio diligenter cauendum, illis ſatyricus carminibus cunctos præmonuit.

Detractoribus nulla fides habẽda

Abſentem qui rodit amicum.
Qui non defendit alio culpante ſolutos:
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non vera poteſt, commiſſa tacere,
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Horat. ſat. 4. lib. 1.

Qui funeſtam igitur triſtẽq; cladẽ euadere, optatamque cum hic, tum apud ſuperos ſortiri vitam cupit, inprimis ſibi à detractoribus caueat, nec non ſuã à detractionibus linguã cohibeat. *Quis eſt homo* (inquit Regius Pſaltes) *Qui vult vitam, diligat dies videre bonos? Prohibe linguam tuã à malo, & labia tua ne loquantur dolum*. Tuta enim, ac certa eſt homini ſalus, vbi lingua iuxta Pſalmographi oraculum, à detractionibus, illibata perſiſtit. Sed iam à detractoribus expediti, ad ſeditioſos, & nouarum rerum cupidos orationis ſtylum conuertimus.

Pſ. 33. v. 13. & 14. Lingua à mala prohibita dies bonos parit.

CAP. XXI.

Diſcordiarum auctores.

1 CVm generis humani protoplaſtus ſub ipſa mundi primordia Dei manu formatus eſt, ne homines inter ſe diſcordes aliquando fierẽt diuino ſunt conſilio, ac magiſterio edocti: *Vnum* (inquit Auguſtinus) *creauit hominem*, *non vtique ſolum ſine humana ſocietate deſerendum*, *ſed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis vnitas, vinculumque*

Augu. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 21.

que concordiæ ; ſi non tantum inter ſe non tantqm inter ſe naturæ ſimilitudine, verum etiam cognationis affectu homines tenerentur. Quibuſuis enim inter ſe modis mundi ſapiētiſſimus artifex homines iungi volebat, vt illibatam iugiter ſeruando pacem, diſcordiam, quæ malorum omnium origo eſt, penitus ignorarent. Adeo verò prouidentiſſimus ſuæ pater familiæ teterrimo ab hoc vitio timuit, vt vna è coſtulis mulierem formaturus, ne qua dolorem ſentiens, fieret Adam Euæ infenſus, haud vigilantis, ſed dormientis è latere coſtā abſtraxerit : *Immiſit Dominus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit vnam è coſtis eius, & ædificauit in mulierem*. Namque ab illo primo coniugio quæuis diſcordiarum germina iam tum velut in radice aboleri cupiēs amputabat, ne poſtmodū ad alios transfuſa coniuges, in rixas, contētioneſque perpetes pullularēt. Quod & iuſtè timeri potuit, ſi quis homini ex mulieris opificio dolor accidiſſet. *Ne Adam* (inquit Chryſoſtomus) *ſentiendo dolorem, mulieri ex ſe formatæ poſtea doloris memor, infenſus fieret*.

Cur Deus Euam è dormientis coſta formauit

Gen. c. 2. 21.

Diſcordias à coniugio omnes penitus tolli voluit

Chryſoſt. ſerm hom. 15. in Gen.

2. Ad ſolius, itaque concordiæ bonum hominibus inculcandum prima in orbe connubia inter cognatos conciliata ſunt, quæ poſtmodum tū diuinis, tum humanis legibus exoluere : *Vt homines videlicet* (inquit Auguſtinus) *quibus eſſet vtilis, atque honeſta concordia diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur*, Ex quo mutuo animorum conſenſu tota humana ſocietas perſtat, vigetq; *Sic enim ſerpere* (ait Tullius) *extendique charitatem humani generis*. Quin et ad magis homines inter ſe colligandos ita natura comparatum eſt, vt non omnes terræ partes cunctis frugibus, fructibuſque abundent, nec in ſingulis, quæ ſunt homini ad vitam neceſſaria, regionibus proueniant.

Aug. lib. 5. de Ciuit Dei num. 16

Tullius lib. 5 de finibus.

India mittit Ebur ; molles ſua thura Sabæi,
At Calybes nudi ferrum &c. ——

Virg. in carm

Vnanimes igitur nos Deus voluit, dum alienæ opis, extranearumque rerum indigentibus mutuam cōcordiam apprimè neceſſariam fecit: *Ne videlicet homo* (vt ille ait) *nullius ope indigens, copia mutuæ amicitiæ noceret*. Vniuerſus namque terrarum orbis, tam longè, lateque diſſitus, vnico charitatis glutino, validiſque concordiæ legibus, munimentiſque perſeuerat.

Homines alienæ opis indigere voluit, vt concordiam ſeruarent

Theod. cap. 2. de proud.

3. Enim verò ſi vna, quæ in votis maximè vnicuique debet eſſe, cōcordia deſit, ipſa rerum vniuerſitas diſcordiarū iaculis impetita facili negotio deſtruetur. Hinc Chriſtus Dominus ruituri mundi portenta longe ante deſignans : *Surget* (inquit) *gens in gentem, & regnum aduerſus regnū*. ac ſi cuncta vbi diſcordia inualuit corruere neceſſe ſit. Porró vt vitium, æque Deo inuiſum, ac Diabolo acceptum, gratumq eſſe ſciatur, quā admodum Chriſtus princeps pacis terrarum orbem ſumma fruentē pace intrauit; ſic pariter Antichriſtus diſcordiarum auctor, bellorumque ſax in orbem ſub extrema tempora multiplici præliorum motu nutantem, quaſſatumque introibit. Ad quod acutè, ſuoque ex more Nazianzenus alluſiſſe viſus eſt, dum perditorum ducem non niſi diſcordibus ſuperuēturū hominibus affirmat. *Nec enim* (inquit) *opinor ſanos adorietur, nec charitate ſeptos, & munitos: verum regnū in ſe ipſum prius diuidi oportet*. Ac ſi diceret : ſtante mundi concordia, & mundus pariter ſtabit, hac verò ſublata, mundi quoque machina diſſol-

Abſque concordia mundus ſubſiſtere nequit.

Lucæ 25. 10.

Nazian. tract. 4. q. 4. de pace

Chriſtus in orbem pace munitum, & Antichriſtus in eum diſcordiis quaſſatum veniet.

uetur. Quoniam verò pax noſtra, hominumque concordia bellum eſt diabolo; adeò ille vnanimes odit, auerſaturque, vt nil magis, quam cócordiam è medio auferre conetur. Quapropter inuidus humani generis hoſtis Iobi olim filios, quos concordes in domo, ſibique bene cohærentes expugnare nequiuit, murorum ruina conuiuantes oppreſſit: quia eos videlicet mutuis ante diſcordiis ab inuicem ſeparare non valebat: *Fuerũt* (inquit Origines) *Filij Iobi numero decem, animo vnus, quos diabolus facilius potuit interficere, quàm diuidere*: Valida igitur res eſt concordia, quæ tantum diabolo odium concitat, & tamen ſuis eam viribus expugnare non poteſt. Ideoque Apoſtolus diſcordiarum auctores nõ ſecus, ac publicos hoſtes eum in modum execratur, vt veluti certam orbis luem è medio tollẽdos, eliminandoſq; velit: *Vtinam* (inquit) *abſcindantur, qui vos conturbant*. Diſſidiorum igitur ſatores, rixarumque duces diuinæ proculdubio indignationis iacula feriunt; haud enim impunè diem claudunt, qui altercationibus tum publicis tum priuatis, proculcandæ pacis, tranquillitati, fouendiſque animorum diſſidiis viam aperiunt. Quod certè cuidam gentilitiæ ſuperſtitionis cultori accidit, qui cùm ob innatam ſęuitiam, ſectandæ paci minime aquieſceret, quin potiùs iuges animorum diſcordias foueret; tandem ſuo duntaxat litem omnem ſanguine reſtinxit, de quo in geſtis SS. PP. iſthæc narrantur.

Orig. lib. 1 in Iob.

Ad Galat. cap. 5.

Quàm ingẽs diſcordes vltio expectat.

4. *Adhuc autem in geſtis S. Apollonij ferebatur etiam de hoc; his quodam tempore dicebatur exorta inter duos viros, quorum alter Chriſtianorum, alter gentilium fuit. Procedunt ex vtraque parte armatorum turbæ plurimæ, & accidit vt Sanctus Apollonius ſuperueniret. Cumque eos hortaretur ad pacem, quidam eorum qui inter gentiles, quaſi cauſa, & caput huius belli erat, homo truculentus, & ferus obſiſtebat ei vehementer dicens, non ſe permittere pacem vſque ad mortem ſuam. Tunc Beatus Apollonius ait: Fiat, inquit, vt optas. Nullus enim hic alius præter te perimetur, ſed & congruum honori tuo tibi fiet ſepulchrum, non terra, ſed beſtiarum, atque vulturum ventres. Et continuò ſermo eius efficitur veritas. Nullus enim ibi alius ex vtraque parte, niſi ſolus ille cecidit. Quem cùm arena obruiſſent, manè regreſſi inuenerunt eum a beſtijs effoſſum laniatum, atque à vulturibus deuoratum. Cumque omnes admiratio habuiſſet, quod ſermo hominis* Dei *ita ſuiſſet impletus, conuerſi ſunt omnes ad fidem ſaluatoris* Domini *noſtri Ieſu Chriſti, &* Sanctum Apollonium *hominem Dei prædicabant.* Congruè igitur ferarum dente homo ferinis moribus præditus poſt mortem miſere diſcerptus eſt, qui ferinum in modũ rixando, animorum iugiter diſcordiã ſectatus, optatæ pacis tranquillitatẽ inſectari non dubitauerat. At iuſto Dei iudicio ſolus ipſe è tot bellantiũ numero in acie cadens, lethum ſibi, ac cęteris ſubinde moriens concordiã pacemque, vel nolens, vel inuitus peperit.

In vitis SS. Patrum in vit. S. Apollonij c. 7.

Pugnæ authorà S. Apollonio perimendus & laniandus à feris prædicitur

Miraculo in ſpectro gẽtiles ad fidem conuerſi.

5. Atqui opportune hic nobis ex Eccleſiaſticis Annalibus contemplandus obijcitur Sigebertus Francorum Rex, qui Chilpericum germanum fratrem doloſè aggredi, ac per vim confodere conatus, iteratũq; aduerſus eum inſtruens bellum, cum quartum decimum in Regno annũ ageret, impiæ Fredegundis dolo, annos iam quadraginta natus, ſicariorum manu neci traditur: acceptæ autem

Sigebertus Rex fratri vim inferre parans caſtigatus.
Baron. tom. 7 ann. Chr. 579 n. 22.

tem

tem cladis ea potiſſimum ab hiſtoricis cauſa affertur, quod nimirum Sancto Germano Pariſienſi Epiſcopo eum, vt ab obſidione, qua fratrem vexabat, deſiſteret, monenti acquieſcere noluiſſet; ſed rem à Turonenſi excipiamus. *Miſit Sigebertus* (inquit) *qui fratrem ſuum Chilpericum in ſupra memorata Ciuitate Rothomagenſi obſiderent, ipſe illac properare deliberans. Cui S. Germanus Epiſcopus dixit: ſi abieris, & fratrem tuũ interficere uolueris, victus, & victor redibis; ſi aliud cogitabis, morieris: ſic enim Dominus per Salomonem dixit: Foueam, quàm fratri tuo parabis, in eam corrues. Quod ille peccatis facientibus audire neglexit. Veniente autem illo ad Villam, cui nomen erat Victoriacum, collectus eſt ad eum omnis exercitus, impoſitumque ſuper clypeum, ſibi Regem ſtatuunt. Tunc duo pueri cũ cultris validis, quos vulgò Scramaſaxos vocant, infecti veneno maleficati à Fredegunde Regina, cum aliã cauſam ſe gerere ſimularent, vtraque ei latera feriunt: At ille vociferans, atque corruens, non poſt multũ ſpatiũ emiſit ſpiritum.* Hæc Turonenſis; dum Sigeberti inglorium ob Pontificia inſectandis diſcordiis contempta monita, finem exequitur: quibus in ſuis Eccleſiaſticis annalibus iſtas Baronius notas ſubtexit: *Quàm malè autem ceſſerit Sigeberto Regi Sacerdotes Dei, ſanctiſſimos Epiſcopos, quæ ſunt pacis curantes non expectaſſe, vt ſecũdum ſacras, ciuileſque leges ſẽtẽtiam ferrent exitus pãt efecit. Hic igitur Sigeberti finis Dei Sacerdotẽ nõ audientis, cum alioqui optimi Regis, & vere Chriſtianiſſimi ſæpè antea egregium ſpecimẽ ediderit: vt planè inter maximè pios Principes collocandus fuiſſet, niſi furor ille belli ciuilis, eius animum inuaſiſſet. Quamuis enim ſæpè prouocatus illud initus viſus ſit ſuſcepiſſe: vbi tamen ſemel, atque iterũ excitaretur, eo impetu ferri ſe ſiuit, vt Dei contemnens monita ſacerdotis, in eam inſidiarum foueã præceps incurrerit.* Hęc Baronius.

Greg. Turonen. hiſt. lib. 4. c. 51.
Monitus à S. Germano de impendẽte diuina ira.

Prou. c. 16.

Confoſſus inſidiis perit.

Baron. tom. 7 an. 576. vbi ſup. n. 3

6. Porrò Regi huic Sigeberto iuncta eſt nuptiali fœdere Brunichildis Atanagildi Gothorum Regis, qui in Hiſpania regnum obtinebat, filia, illibatiſque catholicæ fidei dogmatibus mulier: Sed pia nuptiarum fœdera, funeſta poſtmodum eiuſdem facinora conſequta ſunt; dũ enim Sigebertus initæ pacis fœdus temerario auſu fidifragus violare, germanumque armis fratrem, Germano Epiſcopo ſanctiſſimo reluctante, aggredi non timuit, eodem prorſus, quo ſtaterna in diſcrimẽ charitas venerat bello, mucronis in ſe Deo vlciſcente ictum conuertit. Chilpericus verò, qui obſidione paulò ante vallatus, & integro iã fere Regno expoliatus ad necem quærebatur, inuerſa mox fortunæ alea ob ſubitam, inſperatamque Sigeberti necem ſolutus periculis, vno eodemque tẽporis momento regnum, ac vitam pariter lucrifeciſſe viſus eſt. Quod regiæ pietati, cæteriſque eius præclaris virtutum meritis, Venantius Fortunatus iure optimo aſcribit; quas ſub hæc potiſſimum tempora inſigni laudũ carmine proſequutus eſt, eumdemq; regem, velut è tenebris rediuiuum, ſuoque, vt par erat, ſplendori redditum his aptè carminibus cecinit.

Exitii cauſa contemptus Sacerdotũ fuit.

Chilpericus in diſcrimẽ à Sigeberto adductus

Sed meritis tantis ſubitò ſors inuida rerum
Perturbare parans, Regna quieta tibi:
Cõcutiens animos populorum, & fœdera fratrum,
Lædere dũ voluit, proſperitate fauet.
Denique iam capiti ualido pendente periclo,

Fortunatus carm. lib. 9.

 Quan-

Quando ferire habuit, reppulit hora necem.
Cum retinereris mortis circumdatus armis,
Eripuit gladio ſors operante Deo.
Ductus ad extremum remeas de funere vitæ;
Vltima quæ fuerat, fit tibi prima dies.

Alluceret illi prima dies viſa, quæ luxerat vltima

Noxia dum cuperent hoſtes tibi bella parare,
Pro te pugnauit fortis in arma fides.

Hæc aliaque de reddita Chilperico Regi vna cum ipſo regno incolumitate, poſt adeptam Sigeberto vitã; qui diſſidia vna cum fratre fouens, nec monitus ab incæpto deſtiterat, Gregorius narrat; quæ profectò Lupicini præcipui ſanctitate viri preces, vt in eiuſdem B. Lupicini geſtis ipſe Turonenſis tradit, eidem à Deo felici tandem exitu promeruere. Enim verò, vt narrationis adhuc propoſito inſiſtentes perpetes animorum diſcordias, à pacifico Chriſtianorum regno diuinæ animaduerſionis calculo edocti proſcribamus: & vt quam acerbo diſcordes, proditoreſque iudicio expetantur manifeſtũ ſit, Romildæ hic conſulto exemplum ſubtexendum eſt, quæ Agiluphi Ducis relicta, cum Chaianus, vel Garganus, Auarum Rex, barbarus homo valido barbarorum militum ſtipatus agmine, ſe in Italiam infudiſſet, ac truculentus Venetiam prouinciam inuaderet, perfida mulier forũ Iulii in manus eiuſdem per inſidias tradidit: qui furore excandeſcens, vbi locus non tam vi, ac virtute, quàm proditione in eius manus venit, cuncta igni miſerandum in modum tradidit. Enimuerò fœdifraga, ac impudica inſuper mulier viro, qui eodem bello ceciderat, orbata, eumdẽ Chaianũ Auarum regem ſibi in virũ iungendi ſpe muliebriter illecta, vt regias ſibi exambienti nuptias conciliaret, indignum prorſus memoria hominum proditionis crimen fœminea manu concinnans, vltró regi Ciuitatem prodidit, ſed pœnas, vt tanto par ſceleri fuerat, cõdignas exoluit ab eodem enim Rege non tam corona, ac ſceptro, vt ſibi in votis fuerat donata, quam palo infigi iuſſa, tragicum, funeſtumque de ſe Vrbi Proditrix ſpectaculum exhibuit: rem verò Paulus Diaconus his luculenter verbis perſtringit:

Baron. tom. 7. an. Chr. 600. num. 2.

Chaianus R. Auarum inuaſor Italiæ.

Paulus Diacon. lib. 4. c. 14. in fine.
Confixa palo ſuppliciũ pro thalamo ſortita.

7. *Poſtmodum quoque* (inquit) *palum Rex in medio campo configi præcipiens, eamdem eius cacumini inſeri màdauit inquiens: talem te dignum eſt maritum habere: Igitur dira proditrix patriæ, tali exitio perijt, quæ amplius ſuæ libidini, quàm ciuium, & conſanguineorum ſaluti proſpexerat.* Condigna plane mulieri pœna diuinitus inflicta eſt, quæ iniqua, ac contumelioſa tum æquitati, tum publicæ rei atque honeſtati conſilia, ſuamque ſaluti ciuium, anteferre libidinem, nõ erubuerat: Atqui impudẽtiſſimæ huius mulieris filiæ, raro pudicitiæ exemplo, maternis tum moribus, tũ exemplis longè abſimiles, & ab ea, à qua progenitæ ſunt, prorſus degeneres, cunctis cõſpicuæ, ac toti Chriſtiano orbi celebres redditæ ſunt, vt idẽ Paulus in hęc verba proſequitur.

Impudicæ matris filiæ caſtiſſimæ.

Filiæ verò eius (inquit) *non matris libidinem ſequutæ, ſed caſtitatis amorem cauentes, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes, ſibi inter mamillas, ſub faſcia poſuerunt; quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant: Cumque vellent, eas Aluares contingere, non ſuſtinentes fœtorem putabant naturaliter eas ita fœtere procul ab eis cum execra-*

Paul. Diac. vbi ſup.
Fœtidas carnes ſub vberibus conſtrictas faſcia occulũt vt fœtorem horrorem amantibus incutiant.

cratione recedentes, atque dicẽtes omnes Longobardas putidas eſſe. Hac itaque arte Auarum libidinem puellæ nobiles euadentes, & ipſe caſtæ ſeruatæ ſunt, & vtile ſeruandæ caſtitatis (ſi quid tale contigerit) fœminis omnibus reliquerũt exemplum. Quæ poſtea per diuerſas regiones venundatæ, iuxta nobilitatẽ ſuã dignis ſunt nuptijs potitæ: nam vna dicitur Alemannorum Regi, *alia verò* Baioriorum Principi *nupſiſſe.* Hæc Paulus Diaconus rerum præmemoratarum ſcriptor; Ex quibus planè nouum atque admirandum, pium, atque ingenioſum ad illibatum ſeruandum pudicitiæ cãdorem Deo aſflante pudicis fœminis conſilium aſſulſit, quæ integritatem corporis, animique raro virtutis documento pudorem, cunctis adhuc poſt ſæcula ſtupentibus, inter procos illæſum cuſtodire nouerunt. Nec verò tã nobili dignumq; memoria facinus irremuneratum Deus reliquit. Regias enim vtrique nuptias in ſeruatæ pudicitiæ præmium contulit; ſicut è contra earum matrem longè à filiabus tum vita, tum moribus diſparem, ac diſcordiarũ magis, quàm pacis, ac pudoris iura ſectantem, in ſuæ pœnam libidinis, diriſſimæ neci addixit.

Hac arte ſeruant pudorem

Poſt diuerſos caſus Reges ſponſos ſortiuntur.

8. Porro iſtã barbarorum, cuius mentio eſt, in Italiæ oras irruptionem anno Chriſti 600, Mauritij Imp. XV. ſub Greg. PP. obtigiſſe, ipſemet Paulus, qui hiſtoriã ſcribit, his verbis aſfirmat: *Hoc nihilominus anno* (inquit) *Sclaui Iſtriã interfectis militibus lacrymabiliter deprædati ſunt.* Et certè de Sclauis, ſiuè impetus Sclauinis Barbaris, eorũque imminente in Italiam B. Gregorius epiſt. ad Maximum Salonitanũ Epiſcopũ in hęc verba meminit: Ad *Romanam* (inquit) *veniens vrbem communis filius presbyter veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, vt fraternitatis tuæ epiſtolis, per me reſpondere nullatenus valuiſſẽ. Et quidem de Sclauorum gente, quæ vobis valdè imminet, & affligor vehemẽter, & conturbor. Affligor in his, quæ iam in vobis patior: conturbor, quia per Iſtriæ aditum iam Italiam intrare cæperunt.* Magnum profectò barbari cunctis, vel adhuc diſtantes, longeque poſiti, ne dum Italiam ingreſſi, præſenteſque metum incuſſere; quos immania, quæque, ac innatæ paria crudelitati facinora perpetraſſe nemo prudens eſt, qui ambigat, vt iã ex illato, ſicut vidimus pro deditionis mercede, ipſimet Romildæ proditrici ſupplicio, cui odium pro gratia, & contumelia pro beneficio reſpondit, conijcere per ſe quiſque poteſt.

Paul. Diacon vbi ſup.
De Sclauorum in Italiam irruptione.

B. Greg. lib. 4. epiſt. epi 36 indic. 3.

Hanc deplorat D. Gregorius

9. Verùm, vt à fœmina ad virũ, dum diſcordias proditioniſque crimẽ perſtringimus, orationis ſtylum cõuertamus. Vualtherus olim in Scotia vna cum multis aduerſus Alexãdrum regem, huius nominis tertiũ, diſcordias implacabiles miſcens conſpirauerat; hi enim cùm rege adhuc infantulo, tãquã regni proceres perperam regni prouinciam adminiſtraſſent, vbi Rex ad prouectioris ætatis annos peruenit, quibus regio ſuſtinendo muneri par eſſet, vt populum à regni Procerum iniuriis vindicaret, hos ad ſe in iudicium vocauit; erant autem ex Cumenia familia, tunc tẽporis opibus quidem, ac virorum tũ numero, tum potentia præ cunctis florentiſſima, qui vt potè ſibi malè conſcii, promeritaſque ſcelerum pœnas, non niſi maiori ſcelere ſe vltrò effugere poſſe rati, valida ſibi ſelectorum militum adſcita manu regem dũ Kyncoſſę ageret captum, & ad Sterlingum mox perductum cuſtodiæ manciparunt, vt in ſua Boetius hiſtoria ſcribit, abiectoque regiæ poteſtatis

Vualtheri diſcordiarum Scoticarum authoris funeſtus exitus.
Oderic. Rainald. tom. 14 Annal. anno 1257. n. 33.

Illius in Alexandrum Regem coniuratio

Boet. hiſt. Sco. to lib. 13.

ſtatis audacter metu, pro libitu, & per fas, ac nefas regnum adminiſtrare aggreſſi ſunt. Verùm tyrannicæ eiuſcemodi conſpirationis auctor, cæterorumque dux Vualterus, dum humanum ſibi iudicium ſubterfugiſſe videretur, diuinum incurrit: infelix enim iuſto Dei calculo condignas ab eo, qui pœnas repoſcebat, exagitatus, ab vxore veneno epotus necatur, quæ crudelitati probrum inſuper in virum, ac contumeliam adiiciens hominis cuiuſdã infimæ ſortis amore irretita, fortuniſque omnibus ſubindè amiſſis, quo ſibi fuga conſuleret in Angliã ſecedere compulſa eſt. Rex veró in patrati ſceleris pœnã, Pariſio teſte, regno exturbatus fuit, quippè qui Gamelinũ S. Andreæ Epiſcopum per ſummam iniuriam è ſua ſede abiecerat, & tunc tẽporis ob ætatis iuuenilis illecebras à vitijs, improbiſque hominibus circumueniri facile poterat. At Epiſcopũ ſuæ reſtituẽdũ ſedi editis Alexander quartus Romanus Pontifex literis præcepit; quocirca ad idem perficiendum Godefridum legatum in Scotiam deſtinauit: Iuſto autem ſubindè Dei iudicio, infenſis, exaſperatiſque in Regem Procerum animis, eo quod exteros ipſe ad regni honores adſciuiſſet, in eum clam conſpirãtes, incautũ in ipſamet Regia audacter aggreſſi, vinculis (vt Pariſius tradit) conſtrinxere, ac pari item iudicio Gualterus initæ conſpirationis auctor, reliquorumque cõſpiratorum anteſignanus, & ſi gladium effugit, ſceleris tamen veneno ſublatus pœnam exoluit, cæteris enim facilis ad obtinendam à rege in vinculis detento veniam aditus aperiebatur: Tota verò in auctoris caput Principis reiecidiſſe vltio comprobatur, vt luculenter apud fuſius Rainaldum in ſuis annalibus, ad quem lectorem remittimus, videre eſt.

Oppreſſo Rege dum leges eluſiſſe putat ab vxore adultera necatur

Pariſius hiſt. Anglic. ann. 1257.

Alexander Rex archiepiſcopum ſua ſede pulſum ſolio in carcerem detruſus.

Lib. 3. ep. 640.

Odoric. Rain. to. 14. vbi ſup.

10. Sed vt diſcordiarum turbarumque auctores nunc ſtylo, opportunè funeſtos eorumdem noſtris hiſce paginis exitus retexendo inſectemur. Paruana proditor in regno Turquiæ Abaghæ tartarorum Regi condignas turbarum, ac proditionis pœnas exoluẽs, funeſtum cæteris ſui exẽplum dediſſe agnoſcitur; Is enim vna cùm ſuis ab eodem Rege iuxta Tartarorum morẽ medius ſecari iuſſus eſt, nec tam inhumaniter barbarus Rex in hominem deſæuiſſe ſatis ratus illud addidit, vt poſtquam diro miſer ſupplicio affectus eſt, ſuis interẽpti carnes adimiſceri cibis voluerit, eaſdemque regni item proceribus depaſcendas obtulerit; vt Aytonus his verbis refert: *Vnde* (inquit) *Abagha redijt in Turquiã, & fecit diſſipari, & deſtrui omnes terras, quæ rebelles extiterãt, & reddiderãt ſe Soldano. Paruanam verò proditorem, cum ſuis ſequacibus iuxta morem Tartarorum per medium fecit ſcindi, & iuſſit quod in omnibus cibis, quos erat commeſturus, poneretur de carne illa Paruanæ proditoris: de qua comedit* Abagha *& dedit ſuis proceribus comedendum: & talem vltionem ſumpſit de Paruana proditore Rex Abagha.* Regnum verò Turquiæ Armenorum Rex vltro ſibi à deferentibus conſtanter oblatum reijciens, haud obſcurum temperantis ſummos inter honores animi de ſe argumentũ exhibuit, de quo iſthæc Aytonus proſequitur.

Paruanæ proditoris exemplum funeſtum.

Odoric. Rain. to. 14. an. 1274 nu. 21.

Aytonus hiſt Orient. c. 34

11. *Poſtquã vero Abagha de* (inquit) *regno Turquiæ ſua vota cõpleuit, et Tartari fuerunt repleti prædis, & diuitijs quas aquiſierant contra rebelles, & Saracenos vocauit ad ſe Regem Armeniæ, & ſibi obtulit regnũ Turquiæ, eo quod pater ſuus, & ipſe ſemper ſe geſſerant fideli-*

Ayton. vbi ſup

Turcia Regi Armeno data

Digitized by Google

ſideliter erga dominũ Tartarorum. *Rex verò Armeniæ tanquam ſapiens, & diſcretus de tanto dono obtulit Abaghæ multas grates, & à retentione Regni Turquiæ ſe curialiter excuſauit, aſſerẽs ſe non poſſe ſufficere ad duo regna commodè gubernanda: nam ſoldanus Aegypti erat in integro poſſe ſuo, & ad grauamẽ Regni Armeniæ toto conamine intendebat: Quare ſatis ſibi facere videbatur, ſi ad defenſionem Regni Armeniæ poterat, conſilium adhiberet.*

Cur ab eodem id regnum repudiatum

Cõſuluit autem Rex Armeniæ, vt Abaghà de Regno Turquiæ taliter ordinaret, antequam recederet, quod de rebellione nullatenus dubitaret; & nulli Saraceno daret dominium in Turquia. Abagha quidem acceptauit regis conſilium, & nunquam poſtea voluit, quod ſaraceni in illis terris dominium obtinerent. His itaque completis Rex Armeniæ requiſiuit, & rogauit, quod Abagha vellet intendere ad liberationẽ terræ ſanctæ, & ipſam eruendam de manibus paganorum.

Abagha ad Saracenos Syriã depellendos ab Armeno concitatus

Hoc Abagha promiſit facere toto poſſe: & conſuluit, quod Rex nuntios ſuos miſit ad Papam, & ad alios dominos, & Principes Chriſtianorũ pro ſubſidio terræ ſanctæ. Hæc auctor hiſtoricè rem proſequutus.

12. Verùm vt tragicam ipſius Abaghæ hiſtoriam ſubtexamus, qui acerbam adeò vltionem, crudelemq; in Paruanam proditorem, eius barbarum in morem depaſcendo carnes exercuit: hic cùm à ſoldano poſtmodum armis laceſſitus, nobilem vna cum ſuis Tartaris victoriæ palmam retuliſſet, demum viribus attritus in poteſtatem miſere redactus eſt, vt Sanutus in cõſcriptis Martini IV. Papæ geſtis his quidem verbis tradit. *Tunc ſoldanus* (inquit) *Babyloniæ à Tartaris fugatus per octo dietas: occiſi dicuntur pagani vltra quinquaginta millia: ſed viribus, ac animo reſumptis ſoldanus dictos Tartaros Orientales fugans circa triginta millia Tartarorum in huiuſmodi fuga dicitur occidiſſe.*

Oderic. Rain tom. 14. an. 1282. n. 3. & 4.

Sanutus lib. 3 par. 13. c. 8. M.S. vit. Martini Papæ ex Biblio. Vallicel. ſig. litr. C. nu. 25. & num. 79.

Eos primum cędit, ac deinde cæſus antropophragię pœnas dat.

Eadẽ ab aliis quoq; ſcriptoribus referuntur, quibus Aytonus addit, Abaghã ipſum cuncta diſcordiis permiſcentem, atque in Saracenos armis contendentem, veneno infeliciter è vita ſublatũ funeſtos ſuis è diſcordijs fructus retuliſſe. Hęc autem ille.

Poſtquã verò (inquit) *Abagha Cã hæc omnia intellexit, congregauit vndiq; gẽtem ſuam, & cum iam eſſet paratus cõtra ſaracenos procedere toto poſſe, & ecce quidam filius diaboli ſaracenus venit ad regem Perſarum, & quibuſdam qui Abagha familiariter ſeruiebant, cõtulit multa dona, & cum eis taliter ordinauit, quod vna die Abaghæ, & fratri ſuo Mangodanior venenum mortiferum propinetur: ex quo ambo proh dolor! exceſſerũt è vita in octo dierum ſpatio: per illos eoſdem, qui ſcelus iſtud perpetrauerant, fuit primo comperta veritas huius rei, & ſic obijt Abagha Can, anno Domini. M.CC.LXXXII.*

Aytonus hiſt. Orient. vbi ſupra c. 36

Veneno cũ fratre perimitur.

Hæc Aytonus, dum triſtem Abaghę tumultuãtis, qui iuges animi diſcordias ſectabatur, immanemque de Saracenis vltionẽ expetierat, exitum ſe planè dignum, illatamque Saraceni venenum propinantis manu cladem narrat.

13. Diſcordiarum itaque auctores, ac iurgiorum, rixarumque cupidi, tam Deo, quàm hominibus inuiſi perpetuo fiunt, adeo vt, qui vel ſub ipſa tranquillæ pacis tempora, bellicos tumultus ſectati ſunt, vix tandem pacificè, blandaq; inter otia diẽ clauſerint; nã ipſius Apoſtoli, qui mutui amoris teſſerã cunctis diligẽterque ſeruandam præcipit, in rem præſentem verbis inhærendo: Sapientis quoque ore, qui diſcordias fouent, proſeminantque proſcripti,

Funeſtus diſcordiarum exitus.

qui-

quibuſuis ſupplicijs obnoxij deſignātur. Nā inter ea, quæ Deus maximè odit execraturq; ſuſurro peſſimus, callidusque iurgiorum inter fratres proſeminator in primis recēſetur: *Sex* (inquit) *ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius*. Mox que apertis rem verbis ediſſerens execrandam digito luem viſus eſt præmonſtraſſe, dum ait: *Eum qui diſcordias ſeminat inter fratres*. Deteſtandus igitur, ac planè inuiſus cū apud homines, tum apud Deum perfidus ille cenſendus eſt, qui mutuam animorum cōcordiam temere infringit; &ſi leſa demum charitas impune vix vnquam abeat, vt petito ex hiſtoriarū Ciſtercienſium tabulis exemplo legenti palàm fit: Hæc enim ibi.

Prouerb. 6 v. 4

Diſcordiarū artifex diuina execratione percuſſus.

14. *Apud Prouinciam Germaniæ territorio ciuitatis Vangionum, quæ eſt Vormantia, extat Cænobium Ciſterciēſis ordinis de linea Clarauallis, quod Germania lingua Schænaugia vocatur, quodque interpretatum latinè pulchra, inſula dicitur. In hoc monaſterio temporibus bonæ memoriæ Domini Godefridi Abbatis, facta eſt aliquando, inſtigante maligno, grauiſſimi ſcandali occaſio talis. Superiori tempore per negligentiam, ſeu potius indiſcretam beneuolentiam prælatorum, conſuetudo contra formam ordinis præſumpta in eadē domo inoleuerat, ſcilicet, vt conuerſis, ſicut, & monachis annuatim nouæ botæ darentur. Cumque autem prædictus ſtrenuus de altera domo aſſumptos inueniſſet conuerſos temerario hoc faſtu delectari, laudabili zelo accenſus præſumptionem peſſimam cenſuit eſſe corrigendam. Itaque priuatim in conſilijs, & publicè in fratrum capitulis cæpit ingenuè de præſumpta fratrum nouitate cauſari, monere, rogare, tandem etiam præcipere, vt praua conſuetudo ordinis rectitudini non conueniens, abſque ſcādalo diſſentionis, ſi fieri poſſet, amputaretur. Sed quia viſcus diræ præſumptionis carnalium fratrum, mentibus tenaciſſimo glutino miſeræ obſtinationis ſic inhæſerat, vt abſque ſcandalo auelli nequaquam poſſet, maluit vir prudens vt ſecundum Beati Gregorij ſententiam, ſcandalum magis orīretur, quam veritas relinqueretur. Cæperunt itaque conuerſi, primò quidem in angulis ſuſurrantes murmurare, dehinc cōſpiratione paulatim inualeſcente, ſeditionem publicam effrænata conſanie meditari*. Hic immorigeros quondam, querulos, tumultanteſque aduerſus Moyſem Iſraelitas, quibus turbas cientibus pæna à tergò adfuit, meminiſſe operę pretium eſt. Quo igitur altercantium temeritas proſilierit videamus.

Ex lib. illuſt. virorū Ord. Ciſterc. et ex Cornel. de Aſſignieſ. cap. 40

Diſcordię inter monachos Ciſtercienſes ēnatæ triſti cumulatę exitu exemplū.

Diſcordiarū inter religioſos viros origo.

15. *Totius verò mali incentor, & conſpirationis auctor extitit Conuerſus quidam, cui dormitorij fratrum, ſeruandarum botarum commiſſa cura fuerat; qui diabolico ſpiritu repletus in omni loco ſilentium proijciens, nunc ſingulos, nunc ſimul plures conueniebat, ſuadebat, hortabatur, vt non conſuetudinem ſuam, inſolentiæ fomitem, elationis incentiuum, quacumque precum, ſeu minarum occaſione ſibi paterentur auferri: Cum enim Dominus Abbas ſuſurria eorum, primum deprehendiſſet, præcepit per virtutem obedientiæ, vt quicunque ex eis ſilentium rumperet, ſi ante cibum hoc faceret, eodem die, ſin verò poſtea, ſequēti die in pane, et aqua ieiunaret. Quod is, quem ſupra memorauimus, non Conuerſus, ſed peruerſus nequaquam virtutis amore: ſed vt inuidiam Abbati ſuo ſuſcitaret, tanquam cælitùs datam ſententiam ſeruare curabat. nam cum pene quotidiè conſpirationem conflando ſilentium frangeret. ſingulis etiam ferè diebus in pane, & aqua ieiunabat, vel ſic animos fratrum*

Linguoſus qui non cuſtodit linguam, præteritque ſilentium, diſcordiarū amator eſt.

trum in odium Abbatis inſlaret, qui tã duram, & inhumanam ſententiam promulgaſſet. Ex quibus non tam monachum, quàm lupum ſub ouina pelle latitantem, ac inter ſacra Cœnobiorum ſepta, vbi iugis ad virtutes conatus conſueuit eſſe, immorigerũque hominem amarulento diſſidiis, fraterniſq; rixis animo incubantem videre eſt, vt enim Abbatem cęteris aſperum, inuiſumque redderet, eiuſq; cunctis iuſſa intolerabilia forent, quotidianis ſe indictis in cõtumaciæ pœnam, ieiunjs conficiebat; adeo vt, quem deforis macies diutinis afflicta-

Liuore magis quàm ieiuniis cõficitur.

bat ieiunijs, eundem intus in cute liuor, elatæque mentis faſtus, ac canina, quam conceperat, ac pro libitu explebat, domeſticorum diſſidiorum rabies ſaginaret: iam enim ſtata die vna cùm reliquis Conuerſis ad grauiſſimas aduerſus Abbatem cõcitandas turbas conſpirauerat, ſed rem interim proſequamur. *Inſtabat iã præcipua, & feſtiua natalis Domini ſolemnitas. Et ante paucos dies eiuſdem ſolemnitatis, Domino Abbate capitulo conuerſorum præſidente, prædictus ſignifer diſſenſionis, & miniſter Satanæ de indiſcreta abſtinentia, & quia barbam ſuam nouacula penitus abraſiſſet (quod quidem miſer ille intentione commouendi ſcandali fecerat) à quibuſdam complicibus ſuis nequaquam zelo ordinis, neque fraternæ charitatis intuitu, ſed ſtudio exercẽdæ malitiæ proclamatus eſt. Cumque Dominus Abbas blando afflatu quæreret ab eo cur hæc feciſſet? & ex tumidis, inordinatiſque reſponſionibus eius intelligeret, malitiam ipſius eſſe completam, laudabili quodam iuſtitiæ zelo accenſus, ſic ad eum præſago ſpiritu coram omnibus locutus eſt: Debueram quidem, frater, ſalutaribus monitis aggredi contumacem animum tuum, ſi fortè reſipiſceres à laqueis diaboli, à quo captiuus teneris ad ipſius voluntatem: Sed trabs ſuperbiæ oculum cordis, tui adeò obnubilauit, vt eam per humilitatem meam eyci non poſſe præſumam: & quoniam ſic te ſenſu alienatum video, vt monita noſtra irrideas potiùs, quàm recipias, idcircò nunc omnibus hic ſedentibus de te fiducialiter pronuncio, quia niſi celerius, & ſine dilatione reſipiſcas, atque humiliato ſpiritu ad ſatisfactionem venias, omnipotentis Dei terribile iudicium in breui ſenties. Ecce iterum ac tertio, dico omnibus hic ſanum intellectum habentibus, quoniam ſicut pius, & miſericors Dominus humilibus dat gratiam, ſic terribilis Deus indeclinabili linea rectitudinis ſuæ ſuperbis reſiſtit. Ideoque tu, qui pacis, & inſtitutionis, quam ſancti patres ſanxerũt, publicus hoſtis es ſi in malitia perſeueraueris, duriſſimum infra paucos dies portabis iudicium. Cõfido enim in Domino Ieſu, & in glorioſa Virgine Matre eius, cuius nos inutiles ſerui ſumus, quia domum iſtã ab ipſa ſua fundatione fraternæ charitatis glutino, laudabiliumque morum diſciplina conſpicuam, non patietur tua nimia peruicacia corrumpi.* Congruè autem Sapiens Cœnobii moderator iuxta præſcripta Apoſtoli monita immorigerum hunc, non tam vita ipſa, quam veſte duntaxat, ac nomine religioſum, monendum, obſecrandum, ac denique redarguendũ voluit, *Argue, obſecra, increpa* (inquit) *in omni patientia, & doctrina*. At vbi nil preces, nil ſalubria contemnenti, obluctantiq; monita prodeſſe aduertit, diuinæ gladium vltionis, qui eius impendebat ceruicibus, validè obteſtatus eſt, vt perditum, ſi qua poſſet, à malo retraheret, petulantemque compeſcens à recto longius tramite in ſalutis ſemitam reduceret, lucrifaceretque aberrantem: Sed quid inde?

Diſcordiarũ auctor iuſtiſſime pœnis expetitur

Vbi monitis non acquieſcit ſupplicis traditur

Diſſentionis authori prædicta ab Abbate diuina vltio.

Sollicitatur vt reſipiſcat

2. ad Tim. 4. Iuxta Apoſtoli præſcripta monetur

Digitized by Google

Homini à tergo ira numinis adfuit, condigniſque reluctantem verberibus affecit: Hæc enim ibi conceptis verbis narrantur.

Ex lib. viror. illuſt. ordinis Ciſter. vbi ſup.

16. *Iam preces fratrum ſuper inteſtinæ diſcordiæ tabo gemētium, ad aures Domini Sabaoth aſcenderant, & Angelus Domini accepta ab eo ſētentia miſerum conſpirationis auctorem percuſſit, ac ſine mora extinxit, pariterq; cùm eo totius ſcandali turbinē, & præſumptionis nebulam diſſipauit: Veſpera, namque diei vigiliam Natalis Domini præcedentis, cum poſt completoriū de dormitorio deſcendiſſet, & infirmarius conuerſorum, qui quaſi ſecundarius* Eiuſdem *conſpirationis eſſe videbatur, cùm quo etiam venenata conſpirationis conſilia frequentius tractabat, ei occurriſſet, ſubitò vocem cum gemitu doloris valido cæpit emittere, & pallēte facie, naribus contractis, oculis etiã de ſtatu ſuo euerſis, mortem incontinēti affuturam, triſtia ſignã declarabant. Turbatus alter, cum iam nutantem cerneret, ne fortè repentino lapſu terræ illideretur, mediũ cõplexus eſt: ſed adeò ſubitanea mors fuit, vt antequam terram petere poſſet, inter manus tenentis ſe funeſti ſodalis, miſerã animam exhalaret. Tunc turbati ſunt Principes coniurationis, robuſtos in contumacia ſua obtinuit tremor, obriguerunt omnes diſſentionis, & ſchiſmatis incentores.* Malorum itaque auctorem ira Dei inopino interitu perculit, ac reliquis eiuſdem aſſeclis pro contumacia confuſionem, ac metum ingeſſit, vt hiſtoriarum paginæ rem proſequuntur:

Repentina morte percutitur diſcordiarum auctor

Accurrerunt omnes citò vndique ad ſigniferum ſuum Conuerſi, & quem poſtero die ad inauditum ſcelus perpetrandum, quaſi ducem ſequi decreuerant; eius (Ieſu bone) cadauer extinctũ miſerabili tumultu in infirmatoriũ deferentes, in area, vbi fratres vita excedere ſolent, conſternati metu, & tremore collocarunt. Non enim paſſus es Domine ſacratiſſimam ſolemnitatem ſuam, in qua primum miniſterio Angelorum pax terris annunciata eſt, diſcordiæ, & ſchiſmatis perturbatione fœdari. Cumque tabula defunctorum ſignũ dante vniuerſorum aures percellerentur maximè propterea quia neminem illic ſic proximum morti ſciebant, Dominus Theobaldus tunc ſubcellerarius, poſtmodum verò eiuſdem loci Abbas, vehementer admiratus iudicium Dei, *Dominum* Abbatem, *qui tunc forte de dormitorio deſcenderat ad commendationis officium defuncto perſoluendum quantocyus inuitauit: Illo quoque celeriùs accurrente, cum remoto à parte capitis operimento, quo corpus tegebatur, faciem iacentis intuitus eſſet, comploſis manibus, & ex intimo cordis ſuſpiria trahens: Heu (inquit) miſerrime, ecce quomodo ſine pænitentia malitiæ tuæ diuino iudicio extinctus iaces.* Et hoc *ipſum ſecundo, & tertio ingeminans; Vtinam (inquit) monita mea contumaci animo non ſpreuiſſes; vtinam miſericordiam Dei æternaliter à te non excluſeris.* Sic ſumma Dei bonitas vbi peccantes diutius tolerat, & opportunũ, vt eos pæniteat, tempus clementer indulſit, diram contumacibus inferre vltionem conſueuit: *Tardè enim (vt ille ait) ad ſui vindictam diuina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat.* Impænitens igitur ſeditioſus iſte, qui fraternã rixando concordiã animorum proſciderat, irreconciliatus Deo, diræque addictus perditioni è vita abſceſſit. Sed amarulento homine ſublato cuius cadauer Eccleſiaſtica ob contumaciam ſepultura, piiſque ſuffragiis indignũ iure merito videbatur, quid tandem re in conſilium deducta, ſociis à malitia reſipiſcentibus, ac pro eo humiliter

Diſcordiis dediti repentinò hominis interitu abſterriti.

Dies qua pacis auctor natus diſcordiarum expers fuit.

Horrendum in contumaces Dei iudicium

Ira Dei poſt exhibitam miſericordiã acerbior eſt

liter deprecantibus preſtitum ſit,qua item ratione omnes ſubindè domeſticæ vnius exemplo diſcordiæ finem acceperint,pluribus ibidem traditur ad quæ lectorem remittimus.

17. Sic Deus manifeſtam in turbulentum fraternæ pacis violatorem è cœlo vltionem exercuit,cui & Apoſtoli verba commodè quadrant. *Qui autem conturbat vos, portabit iudiciũ quicumque ille eſt.* Miſer quippè Dei iudicio expetitus, ſubitaque morte correptus,acerbis poſt mortem ſupplicijs exagitatus eſt, etſi demum iteratis aliorum precibus Dei miſericordiam conſequutus,eos qui iſthæc perlegunt, præmonuiſſe viſus eſt, ne concordem videlicet Chriſti charitatem violent, Chriſtianorumq; vnitatem proſcindant: *Triumphus enim dæmonum eſt* (Auguſtino teſte) *diſſẽſio Chriſtianorum.*

Ad Galat. 5. 10

Diſcordiæ ſectatores Deo tãdem pœnas dant

Aug. in ſerm.

Verùm enim verò, vt narrationis propoſito inſiſtamus, quam cũ Deo pacẽ, ſuo iugiter proximo infenſus, & qui perpetes cùm fratre diſcordias exercet, ſortiri aliquando poteſt; *Profectò non poteſt* (vt Auguſtini opportunè verbis vtamur) *habere concordiam cum Chriſto, qui diſcors eſſe voluerit cum Chriſtiano.* Qui igitur diſcors inter homines viuit,vel moriens diſcordiam pati meretur, quod planè iuueni diſſidiis apprimè intento ſub ipſum vitæ finẽ Thoma Cãtipratenſi narrante contigit; de quo iſthæc: *In partibus* (inquit) *Galliæ quemdam Iuuenem ſub Philippo Rege noſtris temporibus, viro religioſo refe- rente,fuiſſe cognouimus. Hic ab ineũte ætate peruicaciſſimæ vitæ fuit, ita vt illud, quod de Iſmaele ſcriptum eſt. (Manus eius contra omnes,& manus omnium contra eum)in eo videretur impletum, vt nec parentes proprios quieſcere ſuſtineret,ſed ad amariſſimum vitæ finem perduceret. Poſt quos,& ipſe miſerabiliter infirmatus, & in agone mortis poſitus, ſumptis Eccleſiaſticis Sacramentis, ſubito inter manus aſſiſtentium, clamans horribiliter exiliuit, dicens. Surgite omnes, arma accipite, inuate me contra proprium Patrẽ, quia omnium inimicorum meorum ductor factus eſt,& me conatur occidere. Hæc dicens, quaſi contra ingredientem multitudinem ad oſtium conabatur. Nec mora; cadens euerſis terribiliter oculis, clamauit expirans: Heu me Pater meus modo ualidiſſimo lapide frontem meam percutiendo contricuit. Hi autem qui aſſiſtebant, neminem quidem videbant, ſed quaſi turmas ſe comprimentium, & ingredientium audiebãt. Vides ergò, qui nec patrem proprium habere propitium potuit, quantæ diuinæ vindictæ animaduerſionibus dignus fuit: Non tamen abſolutè eum qui apparuit illius patrem dixerim, ſed quemcumque forte, ex ſpiritibus ſiuè bonis, ſiue malis, cum dictum ſit. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum contra inſenſatos.* In tartarum profectò contentioſi viri, ac pertinaces diſcordiarum auctores, ſectatoreſque abituri ſunt, vbi nullus ordo, ſed iugis perturbatæ conſcientiæ horror, rixarum liuor, & diſcordia velut in ſuo regno inhabitabat.

Concors nõ eſt cũ Chriſto qui cum Chriſtia. o diſcors eſt.

Aug. ſerm. de verb. Domini

Thom. Cantipratan. lib. 2. Apum c. 14. par. 7.

Iuuenis moribus aſper & petulans.

Horrendum viſum illi obiectum.

Nomine vi ſo aſtantes ſtrepitum audiunt.

18. Quapropter,vt narrationem ſuſceptã proſequamur,odibiles,ac Deo prorſus inuiſi pronunciandi ſunt,qui dolis inſtructi acerbas proximo calumnias impingunt, ac fraudulento ad peruertẽdam animorum benè ſibi cohærentium vnitatem rixas ore, manuque proſeminant. Quid enim nequius homine qui charitatẽ prodit, qui pacem impugnat, qui concordiam inſectando iurgia ſeminat, alieniſque diſſidijs,ſuis non ſecus, ac lucris, & triumphis lætatur? Diſcor-

Iurgiorum ſator Deo exoſus.

diarum enim amatores non niſi tartareos humani generis hoſtes æmulari videntur, qui rixas fouent, animorum diſcordias accendunt, iiſdémque ſummoperè delectantur: *Triũphus quippè dæmonum* (inquit Auguſtinus) *diſcordia Chriſtianorum eſt*. ita eos ſibi amiciſſimos agnoſcunt, qui diſſidiorum flammas excitando, alienis domibus vaſtitatem inferre non ceſſant.

Aug. in ſerm. Triumphus dæmonum diſcordia Chriſtianorum,

19. Quod quidem vir inuidus, improbuſque ſuo ſatis exemplo comprobauit, qui dum militi pari vitæ, morũq; probitate, ac pudicitia inter aulicos prædito, propterea que tam Regi, quam Reginæ acceptiſſimo miſer liuore ſuccenſus, quia illius æquis fortunam oculis ferre non poterat, ſtupri eidem calumniam impingit, cumque proindè in fornacem calcariam proijciendum curat, perdite vitam abrupit; Dei quippè nutu vir innocens, innocentiæ duntaxat clypeo inter prunas illæſus perſtitit, inuidúſque ſuccẽſam calumniator fornacem ſubijt, vt Martinus Polonus in ſuo exemplorum promptuario his verbis docet: *Miles quidam* (inquit) *à Rege valde dilectus, iam morti appropinquans vocauit filium ſuum dicens: Fili ego vado hac ex luce, ſperans miſericordiã Dei, te relinquens vnicum filium. Impetraui ergò, vt vicem meã habeas apud Regem, nunc autem ſubſtantiam tibi ſoli relinquo, doctrina autem mea, qua ſollicitè te volo ſeruare omnia, auro melior tibi erit. Primo quando quouis modò præuales, quotidie miſſam integram audire ne negligas. Secundò, vt Sacramentale coniugium ſeruans Beatæ Virginis Mariæ tota vita tua deuotus perſeueres. Si autem præter Virginem Beatam Mariam ſponſam nullam aliam habueris, multò ei gratius ſeruitium facis, quia Virginitas fructũ habet centeſimum; coniugium, trigeſimum, viduitas ſexageſimum. Qui vero fornicatus, excepta propria vxore, fuerit, non ſolũ non habet fructũ aliquem, ſed non ſunt tot capilli in capite eius, quot in inferno præparata ſunt propter hoc ſupplicia. Tertio quod ſemper gaudeas cum Domino, & Domina gaudentibus, fleas cum flentibus. Hæc obſerua fili mi, memor animæ meæ quomodo poteris, & ſic expirauit. Adeptus ergò filius patris ſui dignitatẽ, memor teſtamenti accepti à patre, omnia deuotè ſtuduit obſeruare.* Propter ergo *amabilem eius, & caſtam conuerſationẽ eius, amabatur ab omnibus. Tantus, denique pudicitiæ amator, vt impetente: Reginæ pediſſequas, ac concubitum acriter reprehenderet. Sed quia inuidia ex bonis alterius torquere ſolet, accuſatur à quodam ſeruo apud regem de ſuſpecto amore cum Regina. Rege autem talibus non credente ait ille inuidus accuſator. Hoc tibi ſignum ſit me verum dicere, ſi tua pietas impoſito quouis crimine, quod Reginam contriſtet, quam diligis, ſingulariter is mox cum illa, vſque ad lachrymas contriſtabitur. Hoc enim ſæpè noui, quia dolentibus ſecundum doctrinam patris ſui condolere ſolet.* Agit Rex *ſecundum conſiliũ accuſantis, & inuenitur etiam innocens condolere.* O Inuidã planè petulantis hominis linguam ingentes diſcordiarum faces, rixaſque per dolos ſuccẽdentẽ, quæ illibato tũ viri, tum regiæ fœminæ pudori probrum, quod in ipſius tãdẽ calumniantis caput recideret; intentare non dubitauit. Sed quæ ſcriptor proſequitur videamus. *Acceſſit igitur ille impius ad Regem dicens. Probaſti Domine, me verum dicere, & cauto ſcrutinio illud probaſti: vt ergo ſine tumultu populi pereat, quia diligitur ab omnibus quaſi bonus, conſilium meum eſt, vt ſerò venientibus*

Calumniæ artifex ſupplicium patitur quod alteri parabat

Martinus Polonus in promptuar. exemp. c. 8

Pia viri nobilis morituri ad filium monita

Vt in coniugio B. Virginem colat.

Parata fornicario ſupplicia effugiat.

Regi & Reginæ obſequatur

Seruata ab adoleſcente paterna monita.

Conſtat illi delator calumnias

Martin. Polonus vbi ſup.

Incendio perdere molitur.

bus dicas eis, qui coquunt lateres, aut calcem, vt primum, quem craſtina die ad eos miſeris præcipitent in fornacem ignis. Placet Regi conſilium, iubet, vt audiuit ab impio faciendum. Manè ergò facto dixit Rex innocẽti illi militi: pergè ad fornacem calcis, aut lateris, & dices magiſtris. Citò implebitis mandatum heri acceptum à Rege. Qui ſtatim abiens audiuit pulſum campanulæ in Eccleſia parua in medio viæ, declinauit ad eam volens audire miſſã vel orare ſecundum conſiliũ patris ſui. Fuſa igitur ad Beatam Virginem oratione commendans ei animam cum corpore, mox Dei nutu ibi dormitare cœpit quaſi horam dulciter ſatis. Accuſator autem eius tunc ait Regi. Vis, vt vadam videre quid factum eſt, vt lætum tibi referam nuncium, mortem ſcilicet adulteri? Annuente itaq; Rege, anhelo curſu eques peruenit ad fornacem dicens. Perfeciſti ne adhuc mandatum? qui aſtantes iuxta eum dixerunt; non: minimè tamen moram faciemus: arreptoque illo præcipitarunt in ignem. Sic iuſto Dei iudicio mortalium iſte infeliciſſimus in foueam, quàm alteri parauerat, imo in fornacem, quam inuido, malignoque ſuſurri flatu regem inſtigando ſuccenderat, dum nõ putaret inopinus, ac præceps delapſus eſt: alter verò cui iſte inſidias parauerat, dum in templo precibus intẽtus demoratur, à parato ſibi igne liber euadit, & calumniam poſtmodum, ac innocentiã Regi palàm fieri contigit, vt rem auctor his verbis concludit.

Diuina inſeruando innocente prouidentia

Et perdendo nocente iuſtitia

Tunc (inquit) *Rex valdè exhilaratus expoſuit ei per ordinem omnia de inuidia, & conſilio mortis, dilexitque eum ſuper omnem familiam ſuam. Innocens autem* Deum *laudans in ſeruitute* Dei, *& Beatæ Mariæ deuotus tãdem migrauit ad Dominum.* Secura planè eſt, vel dum acriùs impetitur innocentia, tutuſque animus ſibi bene inter aduerſa conſcius, & virtuti addictus, ac Deo intime inhærens, defenſoribus non indiget. At ſuis è contra tãdem hominum liuor dolis capitur: Inuidus quippe calũniator non alijs, quàm à ſemetipſo paratis abſumptus eſt flãmis. Quoniam verò Chriſtianorum diſcordia, diaboli ludus, ac optatiſſima præ cunctis ipſi res eſt; haud enim diſcordes illi à Deo, adeoque in hominem infenſi, amarulentique ſpiritus magis gaudent, nec vlla magis re nocẽdi vtpote cupidi, quã ſimultatibus, quàm iurgijs, quàm litibus, quàm deniq; animorũ diſcordijs oblectãtur; adeo vt qui in virtutis ſchola religioſam vitam ſectantes proficere in dies debuerant, eo deterius peccent ſi charitatem proculcando, ac diſſidia inuicem fouendo, contumelioſi Deo exiſtant, grauioribuſque ſubinde pro reatu ſuppliciis fiãt obnoxij; Quod ſanè duobus religioſi inſtituti viris accidiſſe compertum eſt, inter quos, & dum adhuc in clauſtro viuerent, & poſt quã ſubinde Orco addicti ſũt, infenſa iugiter animorum diſcordia, magno cacodæmonum triumpho, tripudioq; inualuit, vt Zehetner in ſuo promontorio his verbis meminit.

Odia in amorem verſa

Iurgia religioſos viros plerumque male perdũt

20. *Ex Polónia* (inquit) *intelligo in Germaniam perſcriptum eſſe ſub annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimũ decimum octauum: duos illo in Regno, eademque ſub vitæ religioſæ diſciplina parum religioſè vixiſſe: Nam quod offenſiũculis ſe mutuò laceſſiuerint, magnum indè odiorum natum eſt ſeminarium, magna flamma, cupientium vtrinque vindictam, neque frigida morte ſopiendam, quia longa diſſimulatione inualuit malum: Accidit, vt alter lethali morbo occupatus, ſentiret notabi-*

Zehent. in promont. mala ſpei lib. 2; §. 8 n. 16

Offenſiunculæ leues magna ſæpe odiorum incendia pariunt

Digitized by Google

bilem virium immunitionem, & propinquantia fata. Eam ob cauſam ſecuturus Chriſtianæ legis præceptum ad ſe vocari imperat eum, quo cum ſimultatem habuit: Et hem, inquit, homines ſumus, atque humanæ naturæ eſt miſeria, proni ad maleuolentiam, offenſamque. Ego igitur, vt qui æternitatẽ iam adeo, tecum olim malè ſciſſam redintegro charitatem, & quidquid à te iniuriarum contra me profectum eſt totum ignoſco, tamquã ſeriò, quam verè cupio religioſè mori ac clementem pro Tribunali Deum experiri.

Concordiam iſte ſub fine vitæ redinte graturus veniam petit.

Debebant ſanè, hæc vltima morientis verba, & iuſtiſſima poſtulata, expugnare ferociã hoſtis, atque ad mititatem adducere, ſed nihil admodum profecerunt: nam vultu igneo, oculis flammam iaculantibus, talia alter regeſſit. Faceret æger, quod ipſi dictaret lubentia, animuſque condonaret alienas culpas, cum et deponeret vltionis amaras cogitationes; ſibi nihilominus decretum eſſe perſtare in vindicta, nihil ſcire de ignoſcentia, nihil de obliteratione offenſarum. Ad hãc *tam inhumanam, ſeueramque denunciationem, ita exaſperatum fuit moriturientis ingenium, vt neque ipſe iam ſtare vellet priori verbo, ſed reuocaret condonatas culpas, iniuriaſque, putabat pulchrum eſſe furere cum inſaniente, eique ſeruare vltionem, qui nollet roganti ignoſcere.*

Repulſus in humane priora odia redeintegrat & damnatur orco.

Cum hac mali affectus peſſima appendice è viuis homo. Sed prob dolor! ad orcum; quemadmodum ipſe poſt obitũ ſuum inter querimonias, atque expoſtulationes, nihil profuturas teſtatus orbi. Nam quo tempore iuxta vſitatum religioſis morem omnes menſæ communi aſſederant, refecturi corpus ad numinis obſequia famulaturum, qui nuper mortuus fuerat, velut rediuiuus in vmbra ſua, triſtis ſchemate apparet, cumque vniuerſos oculis ſuis ſignaſſet ſpectrum, & deprehendiſſet iuratum ſibi inimicum, cum è menſa euocat, præſentem ſic alloquitur. Sceleſtum caput & vna, vnica fere interitus mei cauſa, quia enim quod vehementer rogaui moriens detrectaſti mihi meas ignoſcere offenſas, veteres aduerſu me vlturi animi indignationes abolere, hoc effeciſti, vt exemplo ad iram extimulatus, primum in ſimiles ruerem vindicandæ iniuriæ libidines; deinde ad proxima malæ, impieque morti tartara. Hoc beneficium tibi debeo: atque vt experiaris quantum ſit, idẽ mecum ſenties, infelix futurus apud Inferos eius. Mox ſtygia larua medium complexa hominem, velut Hercules olim Caco, *eliſit animam, relictoque ante trepidos ſpectatores cadauere, ipſa quoque ſe oculis ſubduxit, auctior reditura ad Orcum: quia animam capitalis inimici habuit in comitatu,* Qui igitur inter ſe animo diſcordes in clauſtro perdite vixerant, ſibi quoque apud tartarum inſenſi fuere, ac proinde dũ antiquo odiorũ liuore tabeſcũt, ſemetipſos pluſquã hoſtiliter odiſſe, ac digladiari inuicẽ viſi ſunt, adeò vt quod olim Aegyptiis idem ipſiſmet contigiſſe comprobetur: Namque armati: *Ferebatur* (inquit) *in profundum* id eſt cum odiis, ac liuoribus, quibus iugiter cõficiantur, inſtructi miſeri in Orcũ abiere. Demũ diſcordiarum turbæ, ac animorum rixæ quantum Deo diſpliceant, funeſta, quæ in ipſoſmet rixarum auctores, flagella Dei nutu recidere conſueuerunt, pium ſatis ſuper que lectorem admonent, vt Peruſino olim adoleſcenti, qui belli, ſtudioſus magis, quam pacis extiterat, Bernardino Sanctiſsimo Franciſcani inſtituti; viro prænuntiante acci dit; rẽ verò memoria dignam his elegãter verbis Nicius in ſuis exemplis contemplandam tradit.

Cauſas damnationis recenſet.

Prehenſum inimicum enecat.

Exod. 14. 25.

Furores dãnatorum arma ſunt.

21. *Hic igitur vir ſanctiſſimus, cũ acce-*

Nicius in lib. exemp. virt. ac vitior. item. 117.

accepiſſet Peruſij, diſſenſione inter ciues orta, populum frequenter ad arma concurrere, manus conſerere, ac magnū ciuium cædē facere; eodem accurrit, et concione aduocata, populum hortari ad concordiam cœpit, & cum iam oratione ſua popularium animos ad pacis ſtudia propenſos agnoſceret, Fiat, inquit; diſceſſio; quique pacis, ocijque ſunt cupidi in dexteram partem ſecedant, quibus autē bellū magis eſt cordi in alterā; & inuētus eſt nemo, qui bellū paci, perturbationē ocio, ante ferendum exiſtimaret, præter vnum adoleſcentem, nobilem, factioſum, qui fretus opibus, diuitijſque, quibus pollebat, perturbari, ac permiſcere omnia cupiebat: Hic ſolus, cum ſua familia in contrariam partē ſe contulit. Cui vir ſanctiſſimus, non ſine cæleſti aliquo mentis inſtinctu: Quoniam (inquit) belli, quàm pacis cupidior inueniris, nunquam fiet hodie, vt viuus pedem introferas in domum. Contempſit adoleſcens ſancti viri dicta, ſed mox, ex euentu, nec inania, nec falſa fuiſſe comperit, ſed veriſſima, atq; certiſſima: nam inde diſcedens, antequam limen oſtij attingeret, exanimatus ante ædes occubuit. Iuſto quippe Dei iudicio belliger iſte, rixarumq; amator adoleſcens vitæ iacturam fecit, qui viro Dei adnitente, atque exhortante amplecti pacem detrectauerat.

Peruſini ciuili inter ſe diſcordia afferati.

S. Bernardinus eos pacare aggreditur.

Intentatam mortem repentinam ſpernit

Repente occumbit

22. Et manifeſtis quidem Deus aliquando argumentis cum petulantem perfidorum hominum, qui temere diſcordias nutriunt, vaniſque cæteros ſibilis ad odia extimulāt, arrogātiā compreſſit, tum proculcatam iniuſtè à petulantibus innocentiam vindicauit; vt cuidam probo viro ex Oratorij noſtri ſodalibus, falſis ſuſpicionū calumniis ad necē expetito, ab inſidijs tamen diuinitus prærepto cōtigit; cuius hiſtoriam his Nicius verbis exponit. Io: *Angelinus* (inquit) *ex ea ſodalitate* Beatæ *Virginis in ædibus patrum Oratorij, quam diximus, ex falſa quadam ſuſpicione, venerat cuidam in odium tantum, tamque acerbum, vt omnibus horis ad necem expeteretur.* Id *odium acrius, vehementiuſque inflammabant alij quidam, quibus propoſitum erat hunc innocentem opprimere: qui fuerunt inimico illi auctores, vt redeuntem eum ab æde Oratorij aggrederetur, vitaque ſpoliaret: quæ cum illi ratio placuiſſet, iter, quod illi neceſſario ineundum erat, armatus obſidet, ferroque aduenientem, ac nihil tale ſuſpicantem inuadit; ſed vix proximè ad eū acceſſit, cum eo horrore perfuſus eſt, vt brachia, manuſque torperent, vel potiùs totus ſine aliquo ſenſu hereret, quod ille veneficijs, & cantionibus tribuens;* Venefice, *inquit, quid tecum affers, quod mihi vires, atque animum adimit? cui ille intrepidus; Chriſtum (inquit) fero (nam eo die Chriſti Corporis Sacramēta perceperat) hic me tibi eripit, hic omnes tuos conatus in irritum redigit. Quo audito, admiratus eſt hominis probitatem, ſeque falſis maleuolorum accuſationibus aures dediſſe pœnituit. tum ad eum conuerſus, ſatis iam, ſatis ait; tua mihi perſpecta eſt virtus, ſatis iniquorum tuorum nota malitia, qui te mihi falſo conati ſunt in ſuſpicionem adducere: abi, ac Deum pro me comprecare, in cuius tutela, patrocinioque verſaris. Tum abiens rem totam; id quod factum antea oportuit, diligentius indagandam, inueſtigandamque curauit, atque inueſtigando inuenit falſas illas criminationes odij cauſa, ab inuidis cōfictas eſſe, neque quidquam ad eū, quē pro inimico habuerat, pertinere.* Igitur qui diſcordias, rixaſque in iſtum nulla iuſta ex cauſa fouebat, nouo exterrefactus portento ab incæptis de-

Nicius vbi ſupra.

Ioannes Angelinus ab hoſte diuina virtute protegitur

Inſceleris conatu incremit horrore perculſus ſicarius.

Agnita Angelini probitas

Patefactæ maleuolorū calumniæ.

Digitized by Google

deſtitit, & ni manum contrahens ad meliorē frugē ſe recepiſſet, ipſe quoq; infelici proculdubio, quod aliis contigit, vitam exitu concluſiſſet. Ex quibus demum fit, vt animorum diſcordias, quæ ſuis triſtes, funeſtaſq; auctoribus, ſectatoribuſq; exitus afferunt, in tartarum amādantes, dignum illud ad libri huius calcem ſapientiſſimi viri oraculum, aureiſque exhibēdam litteris ſententiam occinamus: *Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maxima quæq; dilabuntur*. Illudq; coronidis inſtar adijcimus, diſcordias nedum priuatis rebus, ac domibus, ſed maximis quibuſque regnis præter certum animæ diſpēdium, ſupremā quoque vaſtitatem afferre atq; exitium intentare. Et de his hactenus.

Salu. de bell. Iugur.



MOR-

MORTES PECCATORVM PESSIMAE.

LIBER TERTIVS

Infelices hoſtium Eccleſiæ, ac Perduellium exitus.

A BLASPHEMIS, cótumelioſiſque in Deum hominibus ſecundum de peſſimis peccatorũ mortibus librũ auſpicati, ad Calumniatores deinde, tum ad libidinoſos, impuriſque concubinarum amoribus deditos, & chorearum, cæteroque huiuſmodi luxui indulgentes orationis ſtylum conuertimus. His adiecimus ſaluberrimi contra peccatorum venena antidoti, hoc eſt Sacramentalis Confeſſionis, Correptioniſq; iuxta Euangelij præſcriptũ exhibitæ contemptores Contumelioſos inſuper, detractores, diſſidiorum cupidos, qui dũ perfidię liuore tabeſcunt, ſuis technis, ac fraudibus in proximo opprimendo adnituntur, in noſtris hiſce paginis meminimus. Funeſtos denique illorũ, qui ſacroſanctæ Crucis vexillo, cuius perditis moribus ſe hoſtes exhibendo, iniuriam quoquo modo infligũt, eorũ etiam, qui per intemperantiam dum crapulæ, ac ebrietati ſe totos tradũt, veros ſe Crucis Chriſti, quã colere impenſius debuerant, inimicos profitentur, ſingulorum exitus ſummatim perſtinximus. Nunc vero tertio huic libro, ab Eccleſiæ hoſtibus dicendi initium facimus; ab his videlicet, qui Chriſti Eccleſiam hoſtiliter inſectando, infelicem ſibi exitum compararunt, ipſi autem Eccleſiæ non ſolum perſequendo adeo incommodo non fuere, vt potiùs non aliunde maiora rei Chriſtianæ emolumenta, quã à perſequutionibus acciderint; *Eccleſia enim* (vt ma- Rerum, quæ hoc libro continentur ſeries.

d by Google

magnus ait Gregorius) *perſequutiones tolerat, ſed ſine defectu perdurat*.

Greg. in c. 9. Iob. ſup. illud qui facit arcturum.
Eccleſia perſequutiones tolerat, ſed non perit

Vt igitur hic, quæ impij aduerſus Spõſam Chriſti Eccleſiam multimodis præſtitere, perſtrictim retexantur ab Eccleſiaſticorum bonorum inuaſoribus, ipſiuſque iura proculcantibus, ad immorigeros ſubindè Clericos, ac perditos, indignoſque Præſules, qui multipliciter in Deum deliquiſſe comprobantur, nec non ad eos, qui in Epiſcopos cõtumelioſi refractariorum inſtar, eorundem obluctando imperijs, diuino ſunt iudicio expetiti, noſter ſenſim ſermo viſus eſt corriuaſſe. Certo item à nobis animaduerſionis calculo hic prænotantur, qui iuſtæ excommunionis iaculo perculſi, ſuis ex contemptu pertinaciam culpis adijciunt; qui item ad Euchariſtiæ Sacramẽtum indignè accedẽtes, in ipſum Deum iniurij extitiſſe comprobantur; quorum ſingulos, vna cùm cæteris improbis, quos infra recẽſebimus, perdito tãdẽ fine iuſto Dei nutu cõſumptos, fuiſſe pium hæ noſtræ paginæ lectorem cõmone faciunt.

CAP. I.

Eccleſiæ hoſtes, ac perduelles infeliciter pereunt.

1 ILlis appoſite verbis perditos, infenſoſq; eccleſię, quę Chriſti Sponſa eſt, hoſtes, contemptoreſque, Eccleſiaſtici ſemel ore proſcriptos perculſoſque nouimus: *Maledictus* (inquit) *à Deo, qui exaſperat matrem ſuam*. Qui igitur Eccleſiam, quæ Chriſti fidelium mater eſt, contumelijs petulanter afficit, ſceleratiſque geſtis eidem inſultare non erubeſcit, ſupremam Numinis maieſtatẽ exacerbaſſe, iuſtamque eius indignationem argumentis haud dubijs promeruiſſe conuincitur. Haud enim alius eſt honor, qui Eccleſiæ, ac Sacerdotibus, in eadem ipſius Dei vice præſidentibus impenditur, ab eo, qui ipſimet Deo ſupremo honorũ elargitori defertur, ac proinde vna, eadẽq; prorſus, quæ Sacerdoti infligitur, & quæ Deo infertur, contumelia computatur. *Nam ſi id ſit* (inquit Ignat.) *ad hominem, ſed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Dominus: Non te ſpreuerunt, ſed me.* Itaque quiſquis ille eſt, qui Chriſti Eccleſiam, ac Sacerdotes, quos eius regimini præeſſe voluit, petulanter contemnit, proculcatque, hoſtili planè contumelia Deum afficit, ſactiſq; exaſperat; iniuria quippè ſeruorum Regis, in Regem ipſum redundat, vt Saluianus illis eleganter verbis inculcat: *Sacrilegij* (inquit) *genus eſt, Dei odiſſe cultores, ſicut enim, ſi quiſpiã ſeruos noſtros cedit, in ſeruorum noſtrorum cædit iniuriam. Benigniſſimus enim ac pijſſimus Dominus communẽ ſibi cum ſeruis ſuis honorem ſimul, & contumeliam facit*. Ab iniuria igitur, quæ Eccleſię Chriſti ſponſę ab impijs, petulantibuſque intentatur hominibus, in Dei contumeliam proſilitur, ac bellũ, quod rectoribus Apoſtolici muneris indicitur, ad Deum ipſum proculdubio pertingit: *Si Prælati* (inquit Chryſoſtomus) *iniuria afficiantur, hoc in ſe Deus perpetitur*. Quid autem reliquum eſt, niſi vt ſuis Deus, ſuorumque iniurijs ad vltionem ex hoſtibus repetendam laceſſitus, funeſto tandẽ principes, ac tyrãnos, qui impio in Eccleſiam auſu cõtendunt, exitio addicat, eorumdemque

Defixi diris cęleſtibus eccleſiæ perduelles *Eccl. c. 3. n. 18*

Ignat. in ep. ad Magneſianos

Salu. lib. 8. de prouid.
Sacrilegii genus Dei odiſſe cultores.

Chryſoſt.
Iniurię Deo & ſuis communes

Digitized by Google

que infelici tandem exitu memoriam perdat? quod vt patentiſſimo comprobetur exemplo.

2. Henricus Tertius, Henrici Romanorum Imperatoris filius, à parēte antequam è vita decederet, Romanæ Eccleſiæ patrocinio commendatus eſt, qui ſubindè, etſi ſanctiſſimis ab Agnete matre moribus educatus, impius tamen, ac truculentus eiuſdē Eccleſię hoſtis euaſit. Romanis quippe Pontificibus contumax effectus, Cadaloum pſeudopontificem ſuo aduerſus legitimum Chriſti Vicariū fauore proſequi non dubitauit. Quāobrem dum Gregorium huius nominis Septimum, totis obſtinatiſſimè viribus inſequitur, eumque Pontificio è throno exturbare conatus, ad perficiendam ex voto rem, non tam concilium, quā conciliabulū Epiſcoporum coegit, à quo eumdem veluti commentitium Eccleſię caput, atq; adulterinum Petri ſucceſſorem proclamari voluit; Guibertum verò ſchiſmaticum è contra deuoto animi cōplexus obſequio, in Pontificio throno per vim ſtatuere adniſus eſt. Atqui in Synodo Lateranenſi anathematis iaculo Imperator ob immane facinus, aliaque facinorum probra iure merito perculſus, in Italiam contendit, vt Gregorium Pontificē exauctoratum, vi, atque armis in ordinem redigat, & cum Leoninam ciuitatem obſidione cæpiſſet, Vaticanæ B. Petri Baſilicæ ſacrilegus flammas inijci præcepit, ſed Gregorio in aere viuificę crucis ſignum depromente, exundantes protinus incendij flammæ diuinitus reſtinctæ ſunt. Liuor autem, quo is adeo in eum æſtuabat, haud ſopitis iam ignibus extinctus eſt: nā venerādā beatiſſimi Pontificis famam ementitis interim probris, ac calūnijs denigrare neutiquā deſtitit. Immanè igitur furens, faſtuq; nimio elatus, vbi primum vi, atque armis Leoninam Ciuitatem obtinuit, hanc triumphantis in morem ingreſſus, in Vaticana Baſilica pſeudopontificem, Pontificio locatū throno, colendum, atque adorandum ab omnibus voluit. Quid igitur? impius certè poſt tanti impietatem ſceleris impunè non abijt: Henricus quippè filius in ipſum rebellans imperio potitus eſt, at ipſe regalibus inſulis orbatus, priuatamque vitam agere compulſus, dū Romano Pontifici parere ſimulat antiquas fraudes non intermiſit, ſed potius obtexit. Atqui Paſchalis Papa ſubindè cū ſupplex auxiliare ſanctorū aduerſus ſubdolum, ac verſipellem hominem patrocinium inuocaſſet, eoſdem contempti Apoſtolici muneris, ac ſupremæ ſedis iuſtiſſimos aduerſus Imperatorem vindices expertus eſt: Repentino namq; Henricus obitu, cunctis lætantibus, ac ob tyrannum è medio ſublatum plaudentibus vita abſceſſit. Inſperata ſiquidem hic mortalium infeliciſſimus, et ſuperbus æque, ac contumax Dei nutu, morte mulctatus, illud Pſalmiſtæ oraculum cunctis exhibuit. *Vidi impiū ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat.* Enim verò diu à Deo in Imperio toleratus, ac vitæ ſuperſtes, vt ab improbitatis nequitia reſiliret, dū in ſua malitia perſtat, diuinæ repente animaduerſionis iaculo perculſus, in his, quibus detinebatur culparum piaculis impænitēs abripitur, vt Dōnizo in Mathilde de Henrici obitu cecinit.

Mortem non ſperans, demum tamē
ipſa catena
Mortis eum ſtrinxit, rapuit de corpore Chriſti,

Bar. to. 12. an 3106. num. 22
Henricus Cæſar Pontificis hoſtis,

Percuſſus anathemate in Synodo Lateranenſi,

Vrbem obſidet & baſilicæ S. Petri faces inijcit.

Potitus vrbe antipapam in ſede collocat.

Repentino obitu ſublatus.

Pſal. 36. 39.

Domn. in vit. Mathild.

Quo die, & anno.

Auguſti quarto, defungitur idus in anno,
Chriſti milleno, centeno denique ſeno.

3. Porró cum Henricus morte præuentus eſt, quinquageſimum quintum ætatis annum agebat; Eius veró velut hominis Deo, ac hominibus infenſi haud lacrymis, ſed publico, priuatoque omnium gaudio, ac plauſu obitus exceptus eſt, non ſecus ac optata toti terrarum orbi lux affulſiſſet, cunctiſque tranquilla eo ſublato felicitas exorta videretur. Sed quid in rem præſentem Vrſpergenſis narret, audiamus: *Miſerabile tamē dictu eſt tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum ſub profeſſione Chriſtiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad inſtar cuiuſlibet pauperis defuncti, pium vel compaſſiuū luctum à quauis inter Chriſtianos perſona promeruiſſe, ſed potiùs vniuerſorum tam ibidem, quam vbiuis verè Chriſtianorum corda ſimul, & ora infinito nimis tripudio ſui obitū rumore repleſſe. Non altius concinebat Iſrael Domino Pharaone demerſo, nec auguſtiori ipſi Octauiano, ſiue vlli vnquam Auguſtorum applaudebat Roma triūpho: Frænum quippè quod erat in maxillis populorum, verſum eſt illis in canticum, ſicut vox ſanctificatæ ſolēnitatis. Igitur quia ceſſante tandem exactore quieuit, & tributum mox omnes, qui quæſtus dūtaxat gratia eidem principi eatenus adhærendo ſuas animas venalitati propoſuerant, deditioni regis, ſimulque, & communioni catholicæ ſubijciuntur. Leodienſis autem Epiſcopus, cæteriq; coepiſcopantes inter cætera recipiuntur in communionem pænitētiæ, hac conditione, quod cadauer ipſius excommunicati per ſe pridie in monaſterio tumulatum effoderent, & abſque vlla ſepultura, vel exequiarum communione in loco non conſecrato deponerēt, comprobantibus his, qui aderant, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quia quibus viuis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit: quo facto paulò poſt corpus ipſum Spirenſi Ciuitati eſt in Sarcophago lapideo, Regis conſenſu delatum, ſicque extra Eccleſiam ibidem per quinquennium manſit inhumatum.*

Vrſpergenſis in Henrico.

Illius mors læta omnibus.

Exod. 15. Iſai. 30.

Eius cadauer ex ſepulchro Eccleſiaſtico refoſſum.

4. *Hic finis, hic interitus, hæcque ſors vltima Henrici illo ſub vocabulo, tertij Romanorum Imperatoris à ſuis appellati, à catholicis verò, ideſt cunctis B. Petro, ſuiſque ſucceſſoribus fidem, & obedientiam lege Chriſtiana conſeruantibus, Archipirata ſimul, & hæreſiarca, nec non & apoſtata, perſequutorque plus animarum, quam corporum competenter dicebatur; vt pote qui nec naturalibus, nec conſuetudinarijs contentus ſceleribus, noua & ſæculis inaudita, adeoque nonnulla incredibilia cogitaſſe, & exercuiſſe infamabatur, quæ ſi quis illorum arbitratu, qui tam perperam, quam rectè ab Imperatoribus geſta, litteris digna iudicant, ſcribere velit, nos loco cedimus, maximè cum aliqua ex his obliuione potiùs, quam memoria digna non dubitemus. Pluribus autem teſtibus comprobare poterimus, quòd nemo noſtris temporibus natura, ingenio, fortitudine, & audacia, ſtatura etiam, totaque elegantia corporis videretur faſtibus imperialibus ipſo aptior, ſi tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret, vel ſuccūberet interior.* Quibus in viri probrum à ſcriptore probæ fidei, ac veritatis amantiſſimo eleganti ſtylo narratis, hęc infra idem ſubiicit.

Funeſtus finis eius qui ſe Eccleſiæ hoſtem prodit.

Certatunt in eo naturę dotes & vitia.

5. *Deo autē* (inquit) *gratias, qui licet tarde tamē permagnifice victoriā cōceſſit Eccleſiæ ſuæ, cui etiam eiuſdem Nabucodonoſor quinquageſimū exactionis annum iſte Galilæus, qui Iulianum* quon-

Digitized by Google

quondam vicerat, vertit in Iubileum. Magnã profectò impij vnius clades cunctis lætitiam peperit, ingentique tripudio exceptus eſt moriens, qui dum viueret cunctis rerum, ac temporum acerbitatem portendens, lacrymas indixerat: Hunc autem (inquit Baronius) à ſuo gentili, eiuſdem temporis ſcriptore Imperator omnium nequiſsimus dignam meruit panegyrim; Cuius quidem verba velut patentiſſimas ſacrilego homini infamiæ notas, & ſepulchralis inſtar tituli Henrico de Eccleſia, Romano Pontifice, ac ſacerdotali Ordine, & his, quæ ad eos ſpectãt peſſimè merito hic poſtremò inſcribere voluimus.

Bar. 10. 12, vbi ſup

6. Verum, vt ingens ſubmerſo quondam Pharaone gaudium, toti Iudæorũ genti è cælo arriſit; ſic noua pariter Henrico extincto lux poſt tenebras oriri viſa eſt, ac feſtiuum tũc cunctorum animis Deo aſpirãte lętitiæ canticum inſonuit: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equũ & aſcenſorem proiecit in mare*. Sed vt iuſtiſſimam in Imperatorem, qui toti, dum ſe adeò perdite gereret, Eccleſiæ vaſtitatem intulit, vltionẽ videamus, repetenda hic ſunt, quæ in actis Paſchalis Papæ in rem præſentem his verbis recenſentur: *His vbique locorum occidentalis orbis, quam citius peruulgatis, Paſchalis Papa ordinauit profectionem ſuam, vt Legati Comitiorum Moguntiæ habitorum petierant, in Galliam Ciſalpinam, vbi & concilium celebrandum menſe Octobris indixit, ad inſtaurandam ſanctam Eccleſiam longiori Henrici ſenioris perſequutione concuſſam: dum in itinere poſitus Florentiam perueniſſet de aduẽtu Antichriſti proxime futuro ſparſam famam inueniens, Florentiæ ſubſtitit; cum verò audiſſet, quæ ferrentur, vt nullius fidei, & auctoritatis aſſertionẽ cõtempſit, et cæpt iter eſt proſequutus*; Tot quippe mala, ac impietatis facinora Henricus in Eccleſiã inſurgens perpetrauit, vt propterea iure merito antiquarum inſtaurator perſequutionũ dici, & Antichriſti iã ſub ipſo inſtare aduẽtus credi vulgo potuerit ad malorum vero incommoda, quæ ab ipſo catholicis illata ſunt, ſarcienda eius audito Chriſti Vicarius obitu, in medium proſilijt, exoptatam ouiculis ſua præſentia opẽ laturus. Enim verò tot, ac tantæ ſub huius principatu clades, ac funera vbique paſſim increbuere, vt his potiſſimũ temporibus, ille qui malorum omnium anteſignanus in ſacris paginis deſcribitur, ſignis haud dubijs, famaque euulgante è proximo adfuturus timeretur. Quæ quidem opinio non apud populares tantum, ſed apud cordatos, laudatiſſimoſq; viros inualuit; cũ præter alios Norbertum virum, tunc temporis fama clariſſimum, aſſertorem, promulgatoremque habuerit, vt Bernardus epiſt. ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopũ apertis verbis teſtatur.

Pax reſtituta Eccleſiæ eo pereunte. *Canticum Moyſis.*

Ex Actis Paſchalis Papæ.

Cõcilium à Paſchali indictum pro inſtauranda diſciplina.

Opinio ob eximiam viti improbitatẽ inualuit.

7. Verum enim verò dictis, vt ſtet fides, Henrici principatum portentoſum, funeſtumque Eccleſiæ futurũ Agneti matri, dum adhuc eum vtero geſtaret, in viſu diuinitus aliquãdo præmonſtratum fuit: Auguſta quippè adhuc grauida virulentum dum pareret, eniti draconem ſibi viſa eſt; magno etenim Eccleſiæ detrimẽto futurum infantem, quem ſubinde in lucem ederet, malorum ingruentium prænuntia Genitrix, iam tum preſagiendo edixit, quod & diſertis ſæpius verbis conteſtata eſt, vt Domnizo eius temporis ſcriptor in Mathildæ geſtis his eleganter carminibus cecinit:

Henrici mater in ſomnis ſibi viſa erat dracorẽ peperiſse.

Cu-

Digitized by Google

Cuius erat mater, Regina videlicet Agnes,

Domnizo in Matild. lib. 1. c. 18.

Hunc in ventre gerens vidit, quod ſit Draco vere
In ſomnis infans. Hoc multis retulit ipſa,

At quam vera iſthæc diuinitus præoſtenſa, ac rebus conſona extiterint, ſubſequutus poſtmodum euentus, acerbiſſimaque recrudeſcentis ſub eo perſequutionis procella edocuit. Iure igitur, qui ipſo ſub ortu ob clades, quas Chriſtiano orbi illaturus erat, mortalibus metum incuſſit, ac triſtia quęque cuncti de eo haud dubie ominari poſſe viſi ſunt, & moriēs demum ob malorum, quibus incunctanter operam dederat, finem, ſummam vniuerſo orbi lætitiā peperit.

8. Sed illud ad perditionis cumulum Henrico acceſſit, quod non exiguo ſchiſmaticorum hominum probro mortuus iam condignis affici contumelijs promeruerit; nam cum Leodij à filio exauctoratus, pulſuſq; imperio, ac pontificijs inſuper non ſemel cenſuris proſcriptus deceſſiſſet, à Leodienſi Epiſcopo, alijſque eiuſdē factionis hominibus in Monaſterio quodam, nobili illatus tumulo non diù ibidem perſtitit; nam Paſchalis Secundus eius nominis, qui tunc Eccleſiæ præerat, eoſdē ad Romanę Eccleſię ſinum ſupplices redeuntes excipere noluit, niſi prius Henrici cadauer effoderent (vt Crātzius, & alij aiūt) ac loco veluti prophanum, indignumque, prophanandum ſepultura extraherent; Quinimò (vt ijdem aſſerunt ſcriptores) paulò ante ipſius Henrici obitū, dum filius adminiſtraret Imperium pius, ſubituſque eum in modum diuinæ legis in eo zelus exarſit; *Vt ipſa quoq; Pſeudoepiſcoporum cadauera, qui videlicet à Guiberto Henrici Antipapa initiati fuerant, ab Eccleſia eliminari præceperit.* Hæ profectò funerales ſchiſmaticorum hominum pompę; hęc impenſorum prophanis cadaueribus, quæ ſacrilegos homines decent, obſequiorum ſacra extitere.

Quantis probris affectus in vita & poſt mortem Henricus.

Conradus in cro. an. 1016. Abbas Vsber. Crantz. de bell. ſaxon. 24

Spond. cœmet ſacr. pag. 508 Schiſmaticorū defunctorū cadauera eiecta ab Eccleſiis

9. Atqui hominibus, qui in Dei Eccleſiam hoſtiliter inſurgendo, eam nedum proculcare, ſed & peſſundare conati ſunt, illud Pſalmiſtæ Oraculum occinere viſum eſt: *Gladius eorum intret in corda ipſorum.* Iuſtè etenim Propheta ſuis à Deo votis, precibuſq; expoſcit; *vt quemadmodū* (inquit Ambroſ.) *reuertitur pax in Dei ſeruulos ab ijs, qui non receperunt benedicentium pacem; ita etiam malitia peccatorum, qua iuſto nocere conātur, in eorum perniciem reuertatur, quo ſuis telis, & vulneribus crucientur.* Quo planè iudicio diuinitus mulctati ſunt qui Chriſtum occidere dècreuerant, vt eius non iam vt Coloni, ſed vt Domini hæreditate potirentur. *Hic eſt hæres, dicebant, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Res verò illis exaduerſo contigit; *In contrarium* (inquit Auguſtinus) *eis ceſſit malum conſilium, vt poſſiderent, occiderunt, & quia occiderunt perdiderunt.* Verum igitur, ac conſtans eſt, quod Eccleſiæ perſequutores (vt propheta ait) *conuerſi ſunt in arcum prauum. Prauus autem* (vt Hieronymus ait) *arcus ille deſcribitur, qui dū ſagittas putant iacere, ſauciat tenentem.* Enim verò (vt Chriſtus ait) *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi ſui.* Semper enim (vt de perſequutoribus Eccleſiæ Cyrill. ait) *conatus ipſorum in caput reciderunt, & tangunt ſuammet pupillam.* Nam quod olim arcæ, id in præſens ipſius Chriſti Eccleſiæ appoſite conſonat; vt enim illa à procellis vehementius exagita-

pſ. 36. n. 15

Ambr. in pſ. 36

Matt. 21. 38.

Aug. ſer. 59 de verb. Dom

Deuter. 59. de verb. Dom.

pſ. 77. n. 57

Hieron. in pſalm. 77. Cur dicātur peruerſi arcus.

ta ad

ta ad altiora prouexit; ſic Chriſti Eccleſia ab hoſtibus illuſtrior eſt reddita *Quippe*(vt Hilar. ait)*propriũ eccleſiæ eſt, vt tunc vincat cum læditur, tunc intelligat, cum arguitur, tunc obtineat, cum deſeritur*: Eccleſia igitur, quæ tyrannos habuit oppugnatores, (vt Hieron. ait) *perſequutionibus creuit, martyrijs coronata eſt*. Attritis enim eluſiſq; perſequutorũ conatibus ſuæ celſitudinis gloriã adauxit, ſuiq; nominis cum palma triumphos cœlo inuexit; & ſiquidem vt alterum hic Eccleſiæ hoſtem, non ſecus ac Goliathum inermi Dauidis manu obtrũcatum in medium proferamus.

Hilar. lib. 7. de S. Trinit.

Eccleſia creuit perſecutionibus martyriis coronata eſt.

Hier. in vit. Malchi

10. Ezzelinus Conradi Imperatoris præcipuus in Italia Dux, eiuſdemque Italiæ tyrannus, ſuorum alter temporum Nero, apprimè inſenſus Eccleſię, iure merito generis humani hoſtis dicendus eſt; quippè qui nouis, inuſitatiſque cruciatibus homines ſubiiciens cunctos propemodum Romanæ Eccleſiæ iunctos fœdere dirùm in modum exagitauit, adeo vt in ſuos quoque intolerandã planè tyrannidem exercuerit. Quid enim crudelis homo potentia, quã præcellebat, viribuſque ſuffultus ad ſui probrum nominis palàm ſeuiendo non præſtitit? nam in primis Arnulphum Abbatem præcipua ſanctitate conſpicuum vinculis mancipatũ necauit, deliraque Aſtrologorum vaticinantium dicta, veluti oracula inſanus delirando auide ſectatus, hæreſis quoque ſuſpicione tot inter ſcelera notatus eſt; quibus & illud ad malorum cumulum adiecit, vt inauditis Patauinos modis opprimens, iramque exercens, ſuam à Pontificiis miniſtris hoſtiliter inſectandis manũ non contineret. Verum ab Alexandro IV. Romano Pontifice ob eiuſcemodi ſcelera, vna cum Alberico fratre, eiuſdem farinę homine anathematis mucrone perculſus, bello, ac armis infeliciter victus, attrituſque eſt. Mortalium quippè infeliciſſimus ab Aſtrologis, quorum impensè ſtudia fouebat, ſub finem (vt par erat) deluſus atque in foueam adductus, & à Cremonenſibus, ac Mantuanis, dum nouas in dies res pro ſtabilienda ſibi tyrannide moliretur, & Mediolanẽſes, quoque quibuſuis modis iugo ſubiiciendos curaret, armata manu ſe valide repulſum vidit. Aduam quippe fluuium iam vado traiecerat, & pontem, quem aduerſarij præoccupauerant, etſi accepto vulnere indè propulſatus, in ſuis tamen conſilijs pertinax, expugnare adnitebatur, ſed eius exercitus partim gladio cæſus, partim verò fuga diſperſus; turpem tyranno, pro palma, quam ſperauerat, cladem, ac ignominię notam intulit. Ezzelinus enim inter præclara hoſtium ſpolia viuus in eorũ manus deueniens, belli triumphum apprimè cumulauit, funeſtumque de ſe cunctis ſpectaculum præbuit, dum vndique populi, ad eum videndum, contemplandumque gregatim confluerẽt. victumque iam, ac vinctum hominem ſuſpicerent, qui ſuo truci antea aſpectu, armatis quibuſque terrorem, incuſſerat. Inuiſo namq; crudelitatis portento tyrannus, & carnifex vna ſimul extinctus, contẽplandus ſingulis obijcebatur, adeo ſerus, vt nulli ætati, ac ſexui parcens, nedum prægnantibus, ſed nec lactẽtibus parceret. Porro impendentiũ ſibi calamitatum vim ex facto præſagire potuit, ſuamque fortunam benè currere, aut pedibus ſtare poſthac amplius non poſſe intellexit, cum in oppugnando Aduæ ponte, telo percuſſus, ſagitta, quæ militis manu in incertum fuerat excuſſa, irati nu-

Ezzelini hoſtis eccleſiæ triſte exemplum.

Rain. to. 14. an. 1259. n. 3

Vbi tyrãnus ſæuit capit cunctis inuiſus redditur

Vt monſtrũ oſtentatus irriſuſque

numinis impulſu reſiliens, validéq; pedi eius inſixa, hominẽ qui ætatis iã annũ ſeptuageſimũ expleuerat, mærore, ac ſenio cõfectũ pede exareſacto è vita præripuit. Tyrannus igitur qui dum viueret Dei, fuerat oblitus, ſui item moriens, ac ſalutis oblitus, diuinam vel ſero vltionem iuſtiſſimè expertus, cunctis illud Sapientis oraculum peccatoribus, deique patientia inter peccandum abutentibus inculcat: *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor.* Porrò, vt triſtem tyranni exitum hiſtoriarum tabulis conſignatum, hic è probatorum promptuario ſcriptorum repetamus, Ptolomeus Lucẽſis nõniſi Deo illatas Eccleſiæ iniurias vindicanti rẽ adſcribens in hæc verba concludit: *Mala* (inquit) *morte interijt Azzelinus toto ſuo genere extirpato.* Sed quid Anonymus alter rerum à Manfredo geſtarum ſcriptor his planè verbis enũciet, audiamus.

Eccleſ. c. 5.

Ptolom. Luc. eccleſ. hiſt. Eccl. lib. 22. c. 15. Vna cum vniuerſa ſtirpe [illegible] excidit.

11. *Cecidit* (inquit) *peſtifer ille tyrãnus Ezelinus de Romano, cuius impietatis rigidæ, ſeueritatis horridæ, inauditæ ac execrabilis acta deſcribere longum per ſe tempus exigeret; ſed prius neceſſarium videretur pectore armato duritia, quam rebus, atque perſonis tam nefandis, tamque triſtibus apponere calamum vel auditorum animos appellare.* Et infra de eodem barbaro ſermonem in hæc verba proſequitur: *Dum collectis* (inquit) *[illegible] contra Mediolanenſ[illegible] proceſſiſſet, prope Caſſianum [illegible] manibus Cremonenſium, qui ſub [illegible] Marchionis [illegible] Pallauicini [illegible] Mediolanenſium [illegible] miſerabiliter [illegible] vulneratus, ductuſque [illegible] mortis ſuccubuit, qui raptor fuerat vitæ multorum.*

Anonym. de Ezzelin. Admodum pectus duritie ad referenda, vel audienda inhumana eius geſta.

Author anonym. de reb. ſicul.

Porrò tyranni mores ſæuitia redundantes, ac planè cunctis inuiſos, vitamque quauis ſcelerum labe refertam Patauinus hũc in modũ ſcriptis cõſignauit.

Patau. mon. chr. lib. 2. chro.

Ezelinus nullas (inquit) *niſi ſanguine fuſo gaudens habere vias, tam in Verona, quam in Marchia vniuerſa vehementer iterum manum ad incarcerandum, & occidendum extendit, impleuitque Ciuitates, & Caſtra, multitudine captiuorum, quos fame horribili affligebat. Præ ſatis autem, & ſitis anguſtia, proh dolor! quælibet immunda miſeri comederunt, ac vrinam cum auiditate inopinabili bibere cogebantur, & non paruum impendere beneficium putabatur, qui vrinæ ſuæ potum dignabatur ſocijs impartiri. Fetor etiam intolerabilis, & aer corruptus calorque nimius, & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ezelini, quod captiui vix poterant reſpirare: multi [illegible] his de cauſis ſpiritum exhalabant. Præterea tanta erat hominum miſerabilium multitudo, quod vnus alium comprimebat, quod nec iacere poterat aliquis, nec ſedere: Corporis verò debilitas nullo modo ſuper pedes conſiſtere permittebat. Clamor autem lugentium & dicentium: væ, væ, tam perſonis humanam ita horridè perſonabant, quod non carceres manufacti, ſed ergaſtula infernalia, & pœnæ inflictæ Dæmonibus merito putabantur: quia ibi nulla requies, nulla conſolatio, nulla ſpes redemptionis à malis illatis, & imminentibus habebatur. Mors ibi ſummo deſiderio quærebatur, vt ſic in imponeret tantis malis. Moriens enim in tali ſtatu, viuente felicior credebatur: in mortis verò articulo conſtituti, confiteri cum Sacerdotibus, & rerum ſuarum diſponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaque quotidie corpora extincta de*

Horrenda in captos ſæuitia.

[illegible]

Eius carceres vocantur ergaſtula.

car-

Digitized by Google

carceribus tenebroſis, nec permittebant aliquem ſepeliri, niſi prius euidentiſſimè probaretur, quis eſſet, vel vndè, qui beneficium conſequi debebat ſepulturæ. Et barbari quidem tyranni crudelitas nullum ſæuiendo modum faciēs, in ipſoſque mortuos redundans, ab hæreſi, qua (vt Pontificiæ docent litteræ) laborabat, ſuum maximè initium habuit. Sed ex eodem Patauino præclara Nebulonis iſtius facinora, quæ in conſpirationis ſuſpicione notatos præſtitit, repetenda ſunt.

Rain. tom. 13 an. 1253. n. 10 Innumeræ ab eo ſtrages editæ.

12. *Incipiens* (inquit) *à Carnarolo milite Veronenſi, quem coniurationis principem aſſerebat, tam in Verona, quā in Padua, Vicentia, & in tota Marchia, inauditam ſtragem, & occiſionē hominum perpetrauit; vbique luctus erat, vbique dolor, & triſtitia, vbique dira mortis imago. Cateruatim milites, & maiores natu in foro gladijs necabantur, membra fruſtratim præcidebantur, & rurſum collecta, & impoſita rogis igne ſuppoſito cremabantur: frater fratrem, Conſobrinus Conſobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & proprijs manibus trucidabat. His ſceleribus credebat quilibet ſe obſequium præſtare tyranno.* Et tamen *iſti qui hoc faciebant, poſt paucos dies in ſimilem mortis gladium, ſeu laqueū incidebant: Filij nobilium, & aliorū ciuium oculis priuabantur, & eorum genitalibus ſubinde amputatis, includebantur in carceribus tenebroſis, vbi moriebantur, famis horribili cruciatu. matronæ nobiles, & delicatæ, & Virgines ſpecioſæ fame, peſte, iniurijs, & afflictionibus inauditis in cuſtodijs tabeſcebant. Quotidie diuerſis generibus tormētorū indifferenter tā maiores, quā minores à carnificibus necabantur, voces terribiles clamantium in tormentis die, noctuque audiebantur in altis palatiis, quæ dolorem, & horrorem maximum hominibus inducebant: nulluſq; publice audebat plorare ſuper his malis, ſed quilibet vitam, & victoriam, & ſi non corde ſaltem verbis affectuoſis Ezelino nequiſſimo Domino affectabat.*

Immania facinorum eius portenta.

Hæc præmemoratus auctor, qui in ſingulos quoſque, æqua lance crudeliter actum, nullo Religionis metu, nullo prætermiſſo crudelitatis genere, nullaque habita ſexus ratione; bonis quippè, ac facultatibus innozios homines, per dolum, calumniis circumuentos, expoliatos, ac Eccleſiæ inſuper vectigalia occupata per vim fuiſſe aſſerit. Quapropter perditi hominis, imo Eccleſiæ hoſtis graſſante ſæuitia, ingens catholicæ fidei, ac publicę Chriſtianorum rei detrimentū afferri contigit, vt idem his verbis ſcriptor ſubtexit.

Miſeri in mediis malis ſuo carnifici aſſentrii cogebantur.

13. In *diebus eius* (inquit) *ceſſauit prædicatio, obmutuit confeſſio peccatorum, & deuotio fidei eſt extincta. Viſitare etiam loca ſancta publicè homines non audebant.* Hæc ille, qui paucis interiectis iſthæc ſubijcit: *Reſidere ſub Ezelini tyrannide intolerabile, effugere impoſſibile videbatur, quod nequiſſimus dæmon foſſatis magnis diſtrictum ſuum circumdederat, & ſuper ipſa fecerat ſpeculas, quas Marchiani Muros appellabant, in quibus erant die, noctuque ſpeculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant: Si quis in fuga deprehenſus fuiſſet ſine audientia oculis, vel pedibus, & manibus priuabatur, nec aliqua eum poterat excuſatio liberare.* Huius itaque viri potentia hæreticæ prauitatis ſectatores freti, tum in Marchia, tum in alijs regionibus circum adiacentibus, impunè graſſabātur, & apud Mediolanenſes præſertim, alioſque Inſubres ob inteſtina, quæ vrgebant bella, noxia, peſtiferaque hæreſum labes in dies funeſtiſſime inualeſcebat,

Monach. Pataui. lib. 2. chro.

Pietas Chriſtiana eo tyranno ſæuiēte obſoleuit

Id. qui ſupra

Tentare fugam crimen erat præſenti luendum ſupplicio

Xxx ad

ad quam radicitus euellendam, dum magis, magiſque coaleſcens pullularet, Innocentius huius nominis IV. Petro Verundayn, totius Prædicatorum ordinis Magiſtro, orthodoxę religionis tuendæ prouinciam demandauit: qui dum pari doctrina, ac pietatis zelo, aduerſus hæreticos ſtrenue decertaret, nobilem, vt Cantipratanus ſcribit, pro mercede martyrij palmã retulit. Quapropter ſub Ezelino tyranno Eccleſiæ, ac nominis Chriſtiani hoſte, hæreticis vbique impunè graſſantibus, homines martyrio candidati, perdito homini, eiuſq; inuisæ crudelitati, teſtatiſſimũ apud cunctos teſtimonium exhibuere.

Monachus Patau. Chron. lib. 2.

14. Illud denique ad malorum cumulum accedebat, quod Ezelinus magicis ſuperſtitionibus deditus (vt Patauinus ſcriptor legenti fidem facit) altius deliraret; inſanis quippe ariolorum prędictionibus, ac friuolis eorumdem, non tam promiſſis, quam nugis, delirum hominem circumuentum his verbis demonſtrat.

Planetę culti vt numina ab impiis

Dominus (inquit) *ſecundum propheticum ſermonem, ſigna faciens irrita diuinorum, & vertens ariolos in furorem idololatriam* Ezelini, & Palauicini, *qui planetas, & ſigna cœli, pro numine venerabantur, ſuæ potentiæ brachio proſtrauit pariter, & confudit. Non enim omnipotens planetis contulit deitatem, nec eorum motibus ſuam potentiam alligauit, ſed in ſe retinuit plenitudinem poteſtatis. Reputandi ergo ſunt fatui, & inſani, qui totam ſpem in conſtellationibus poſuerunt; & Creatorem omniũ contra ſe non timent quotidie ſuis ſceleribus prouocare. Dominus igitur ſit nobis adiutor, & non timebimus quid nobis faciant Mars, Iuppiter, & Saturnus.* Hęc ille, quibus, & illud aptè conſonat, quod Ezelinus poſt conſultos Aſtronomos, magoſque,

Aſtronomos, magoſque conſulit, ſed fruſtra

quibus pręſidebat, treſq; poſt mẽſes non exiguã in bello cladem accepiſſe deſcribatur; vt Rainaldus in ſuis Eccleſiaſticis annalibus an: Chriſti 1258. diſertè affirmat, ad quem lectorem iſthæc cupientem remittimus.

Rain. ann. Chr. 1258 n. 3.

Interim vero, vt hominem ſuperſtitionibus deditum, cœlique ſigna velut numina conſulentem, curioſiuſque, quam par eſt, nec abſque metu perueſtigantem nũc videamus, delirus è contra cenſurarum Eccleſiaſtico iure indictarũ iacula nil veritus, flocci faciebat, ac proindè ſemel, atque iterum anathemate perculſus, in ſuis adhuc malis inſordeſcens, ac ſe ipſo deterior, iuges Romanæ Eccleſiæ moleſtias inferre non deſiſtebat. At demum, quæ Alexãder huius nominis quartus, Romanus Pontifex editis litteris Apoſtolico in eumdem ſtylo exequitur, audiamus: *Sanè* (inquit) *Ezzelinus de Romana tanquam hæreticus dudum Eccleſiaſtica vnitate præciſus extitit, & Albericus Germanus eius, per nos tanquam fautor, & defenſor hæreticorum, eſt vinculo excõmunicationis aſtrictus, & priuatus omnibus indulgentijs, ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſis; ſed ipſi cordibus ſuis obduratis, veluti malleatoris incus, quaſi perſequutores catholicæ fidei, ſpiritu ad ſuperbiã obſirmato, non deſinunt impugnare.* Hæc Alexander, qui poſt verba, totidem in Ezzelinum verborum iacula, eumdem acerrimũ Romanæ Eccleſiæ, omniumque illi adhærentium hoſtem, ac propugnatorem nuncupando, intorquet; adeò vt Sapientis illud in perdito homine oraculum, iure merito adimpleri contigerit: *Impius cum in profundum venerit contemnit.* Ad obduratũ quippè alterius inſtar Pharaonis, emolliẽdum perduellis huiuſce animum, nec verba, nec verbera profuere, nec quidquam

Cenſuræ ab Ezelino illuſæ

Alex. IV. ep. 170.

Illius & Alberici contumacia.

Prou. 18. 3.

Digitized by Google

quam à malo retrahendum virium habuere. Et hæc de præcipuo Eccleſiæ hoſte æque impio, ac crudeli hic enarraſſe voluimus.

15. Sed alterum hic deperditæ ſpei hominem ex Eccleſiaſticis annalibus ſubtexere, eiuſque noſtris hiſce paginis memoriam conſignare par eſt, qui cum iuges Eccleſiæ moleſtias inferret, & ad fouendum, inſtaurãdumq; bellum aduerſus eamdem, noua in dies tributa indicendo, totis

Spond. tom. 1 an. 1322. pag 406. n. 2.

neruis, viribuſque contenderet, infelici vitam periodo clauſit; ſed rem quæſo hic ex Henrico Spondano repetamus: *Memorabile eſt* (inquit) *quod contigit in ciuitate Vrbini Friderico* Comiti *montis Feltri, qui cum infenſiſſimum ſemper ſe Eccleſiæ hoſtem demonſtraſſet, & Vrbinatibus tributum aliquod iniungens in ſubſidium Gibellinorum, ſubito populi motu, licet eatenus Gibellini caſtro ſe includere coactus fuiſſet, vbi vidit euadere ſe non poſſe, vt ad miſericordiam populum inclinaret, veſtem. collo geſtans, ſeminuduſque exiens rogare cæpit, ne crudeliori morte, quam abſciſſione capitis necaretur, neue illuderetur. At populus furore concitus necatum, vncoque tractum, & multipliciter illuſum in ſterquilinium proiecit, eo quod mortuus eſſet in excommunicatione, occiſiſque pariter tribus eius filijs, diuino planè iudicio exterminatum eſt peſſimũ genus de terra.* Sic Deus ſuos, atque Eccleſiæ hoſtes è cœlo vlciſcitur; dedecoro quippè hominis exitu, quod diuina haud ſemel obteſtantur oracula, adimpleri viſum eſt: *Et qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Ignobili quippè tum morte, tum funere, ac ſepulchro, contumelioſi Comitis, qui ſeculi duntaxat aucupari gloriam videbatur, memoria dicto citius perijt, ac tenebris contemptore addicto, iuſtiſſima Numinis prouidentia terrarũ orbi affulſit.

Populi furore perculſus mortem pro beneficio rogat.

Eius filii trucidati

Regum. 1. 2. 30

16. Porrò Ludouicus Bauarus perduelliũ ſignifer noſtris hiſce paginis iure merito cõſignandus eſt, qui multis nominibus Eccleſiæ hoſtis renunciandus, appellanduſque eſt; proindeque infelici tandem exitu ſublatus haud vnquã impune ab impijs, perditiſque hominibus Chriſti Eccleſiã proculcari experimẽto edocuit. Enim veró, etſi primum Romani Pontificis imperio validiſſime reſtitit, totãque ſuis Eccleſiam conatibus protundere, atq; exacerbare non timuit, ad ſua tamen ſtabilienda vota, Romanique ſibi vindicanda Imperij iura, & Põtifici morem gerere præſetulit, & conſulto Eccleſiæ ſibi gratiam conciliare ſtuduit. Rerum enim in Ioannem Romanũ Põtificem geſtarũ intimis ſe ex præcordijs pœnitere profeſſus, quamplura, quæ eccleſiaſticæ vtilitati, ac dignitati conducerent, ſe præſtiturum promiſit; ſed inconſtans poſtmodum, promiſſis non ſtetit. Quin imò Protheus verſipellis iſte, poſtquam ingens, execrandũque in Eccleſia ſchiſma conflauit, eo vſq; eius in malo pertinacia, faſtuſq; arrogãs peruenit, vt in ipsũmet Petri thronum cornua erigens, Papam, qui vnicum eſt Eccleſiæ caput, à Cœſare, & laico homine exauctorari poſſe affirmaret, palãque defenderet, & pſeudominoritas in ſuam clientelam accipiens, infami ſuſcepto hæreſum, hæreſiarcharumque patrocinio, ſibi de Romani Imperij ſceptro, arreptæ ſemel impietati inhærendo blandiretur. Atqui ſubinde rebus, ac temporí ſeruiens, qui ſolus cunctis dominari cupiebat, pietatis ſuperinducto pallio vir callidiſſimus, quę pridem perperam geſſerat ex animo viſus eſt retractaſſe, ac hæreſim omnem, ſec-

Hoſtis Eccleſiæ ob ſui commodum pontificibus aliquando ſubditur.

Rainal. to. 16 an. 1357. n. 9

Digitized by Google

tatorũq; eius tutelam à ſe abieciſſe. Verum enim vero, vt perfidi hominis fraudes detegantur, quid pro ſe aduerſus Petri ſedem tentare potuit iniquum magis, & contumelioſum, quàm vt falſis editis, promulgatiſq; ab Alberto Argentinenſi in ſui gratiam ſcriptis, non abſque ingenti eccleſiæ propudio Romanis inuidiam pontificibus conciliando, electum Cœſarẽ neutiquam à Romano Põtifice confirmandum aſſereret, contenderetque.

Fingit callidus homo præſtare, quæ ſunt boni principis

17. Bauarus igitur (vt reliqua eius hic perſtrictim ſcelera retexamus) honoris ambitioſiſſimus, dum rerum apicem conſcendiſſe gaudet, tunc maximè Antiochi ad inſtar, ſe Deo ſubditum eſſe oblitus, Eccleſiæ, quæ cunctorum principũ mater eſt, ac Romanis Pontificibus negotium faceſſere, in eoſque arma per ſummũ nefas mouere cœpit. Eorum quippè monita temerario auſu contemnere; iniũcta ſibi Apoſtolicæ ſedis imperia ſubſannando reſpuere, ſuamq; omnem profugis, deſertoribuſque operam impendere, ac demum Regiam omnimodis aduerſus Chriſti Vicarium, vna cũ impietate potentiam exercere, audaciamque pertinacius obfirmare non deſtitit. Ex quo ſubinde mortaliũ infeliciſſimus certam ſibi, iuſtamque Deo ad iracundiam conc itato, cladem parauit. Huic enim illud iure optimo Cypriani oraculum occinere videtur: *Qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſtea credere incipit Chriſto ſacerdotem vindicanti.* Et quidem ſi de regno agitur, non niſi ad malum imperio, & auctoritate vſus eſt; Fuit nãque primum diſcordibus in Romanorum Imperatorem ſuffragis electus, adeoque dubia eiuſdem pro retinendo principatu iura, Apoſtolicæ duntaxat ſedis iudicio dirimenda videbantur: ſed vir ambitioſus, morarumque impatiens, priuſquam põtificio nutu imperium ſibi confirmatum fuiſſet, regium adſciuiſſe nomẽ, ac regnandi munus vindicaſſe, nec non cum Galeatio hæretica labe vitiato conſpiraſſe, incuſatus eſt; quin & nonnullorum Minoritani Ordinis, qui hæreſis ſuſpicione notabantur, ſuſcepto in manifeſtum Eccleſiæ contemptum patrocinio, prauam eorũdem ſectãdo hæreſim fortiter propugnare, pro eiſdemque alter velut Achilles, dimicando, ad œcumenicum concilium aduerſus Pontificem prouocare nequaquam veritus eſt. His porro, illud adiecit, vt magis, magiſque aduerſus Petri ſucceſſores inſanæ mentis ſupercilium erigens, in omnemque nequitiam effuſus pontificijs obluctando imperijs, impiorum hominum, qui armorum potentia ſuffulti tyrannidem contra Chriſti Eccleſiam tunc exercebant, non ſecus ac eorumdem ſignifer, anteſignanuſque clientelam ſuſceperit. Quapropter iure merito eccleſiaſtici anathematis gladio perculſus, indictũ ſibi iudicium grauiſſime in Pontificem exacerbatus contempſit; ſed ſemel atque iterum hæreſeos crimine poſtulatus, iterumque pontificio dãnatus ore, obtento imperij iure exauctoratur, ac demum tanquam præcipuus hæreticorum fautor ſupremo Apoſtolicæ ſedis calculo notatus proſcribitur.

Iterum votis potius impietati priſtinæ inhæret.

Cipr. ep. 69.

Hæreticorũ patrocinia ſuſcipit

18. Verum vir in malo pertinax, vt Pontificem, quem vt patrem, ac dominum colere debuerat, exacerbaret magis, contriſtaretque vehementius, à factioſis Gibellinis Romã euocatus, illuc feſtinus cum exercitu iter direxit: vbi à populo Romanorum Rex ſalutatus, à temerario regnan-

Rex ſalutatus à ſuperbo faſtu, & ſcelere initium regnandi facit

Digitized by Google

gnandi ambitu initium fecit; Lege etenim tunc primum in hæreticos, quo potiſſimum nomine Pontificē, Guelfoſque principes ſubintelligebat, promulgata, in ipſum Ioannem Pontificem, ad tam immane facinus ab hæreſiarchis,ac pſeudominoritis impulſus, pertractuſque, impiam iudicii ſentētiam intorſit, Romanumque Pontificem, cui omne diuinitus imperium ſubeſt,ſua exauctorare auctoritate præſumens, eum inſuper vti reum addicere morti excogitauit. Sed quid plura? quoniam prompta, ac facilis ab vno in aliud ſcelus via eſt, Pontificiis promulgatis coram ſe edictis indigniſſimam, parique impietate ſuſtultus legem tulit, qua perfidus Christi vicario per ſummum nefas imperitando, eidem, ne ab Vrbe aliquando diſcederet, intimauit.

Apoſtolicæ ſedis authoritatem ſuis legibus ſubdere tentat.

Pſal.73.23.

Quoniam verò, *ſuperbia eorum qui Deum oderunt* (vt ſacrę edocent paginæ) *aſcendit ſemper*: Tumida delirantis Bauari contumacia in apertam Dei iniuriam deriuauit. Qui enim Chriſti Vicarium à ſe procul abiecerat,portentoſum illius vice in Eccleſia idolum fabricauit, & adorandum, Fidelibus pro Chriſto Antichriſtum propoſuit, dum Petrum Corbarium pſeupontificem in Petri ſolium inuehere conatus eſt. Ex quo tempore cū eius res concidere, & malè partum imperium cito labi cœpiſſet, ex Vrbe non abſq; dedecore fugatus,eiuſq; in Romanū Pontificem acta ignibus tradita ſunt: adeo vt Romani non mediocriter in eum animis exacerbati,illum ſimul cum antipapa,dum cōtra Chriſti Vicarium populos inſtigaret,ſollicitaretque,ad necem expoſcerent. Infelix igitur, cum ob iuſtam Apoſtolicæ ſedis indignationem ſe nonnullorum principum fauore,ſubſidioque orbatum videret, ouinam pellem induens, ac religionis laruam ementitus, poſtulandam ſibi,requirēdamque ſedis Apoſtolicæ gratiā propoſuit; ſedvelut eiuſcemodi beneficio indignus,ſemel atque iterū repulſam paſſus, pro hac obtinenda, vel ipſimet(ſi opus foret)imperio cedere, ac principatu ſe abdicare decreuit. Atqui vix ſuo iſthæc animo cōceperat,cū iterum impotenter inſaniens, ſuiſq; prauis abductus conſiliis,Neapoleonem ex Vrſinorum gente Cardinalem,pro cogendo aduerſus Pontificem conciliabulo, ſubornare aggreſſus,Neapolitanumque regnū ſuę ditioni ſubijcere, etſi fruſtra meditatus eſt. Suis verò poſtmodum votis fruſtratus, ac facti pœnitens cum apud Benedictum huius nominis XII.pro impetranda venia diu, enixeque inſtitiſſet, miſſis tandem oratoribus, certiſque propoſitis ab eo legibus Eccleſiæ conciliatus, manifeſtis inſuper litteris, geſtarum hactenus in Ioannem Pontificem rerū ſe pœnitere profeſſus,aliaque plura in Eccleſiæ obſequium ſe poſthac præſtiturum pollicitus,Pontificiam tardè erga ſe clementiam inflexit. Vir igitur, qui deterior ſe ipſo in dies euadebat, ad nouas Pontifici moleſtias exhibendas dum claſſem in Italię oras immittere, Neapolitanumq; ſuis nutibus ſceptrum ſubiicere tentat,repentina,vti à Ioanne XXII. & Benedicto XII. Romanis Pontificibus ſibi prænunciatum fuerat, morte ſublatus eſt; ſic itaque iuſto Dei calculo obduratus corde, impœnitenſque deceſſit, vt Pontificia in eum irrita execratio non caderet, quæ condignam à Deo pro peccatis mercedē recepturum inſonuerat. Hæc autem de eius obitu Rainaldus in ſuis annalibus tradit,

Iterum ſe pœnitere ſimulans,recantat palinodiam

Baron.in M. S.notis ad hunc annum & alij.

Exer-

Exercuit aperta (inquit) *in eo Principe diuina Iuſtitia vindictam ob improuiſũ mortis genus, de quo ſæpius illum Romani Pontifices præmonuerant: & quidem Ioannes XXII, vel potiùs Chriſtus tredecim iam ante annis Vicarij ſui ore his verbis ad pœnitentiam intentato repentinæ mortis terrore maturandam vocabat.* Iure autem illum Altiſſimus, vtpotè *longanimis, patiens, & multum miſericors*, priuſquam feriret opportunè monitum voluit, miniſque ac terroribus, priuſquam ferro, obluctantem inceſſit, vt malitiam videlicet compeſceret, deponeret contumaciam, ac Romano Pontifici eius vices in terris gerenti erectam humilis ceruicem inflecteret. At fruſtra Pontifex verbis conuenit, admonuitque quem iam Deus abiecerat, contempſeratque: Illi etenim, quod cęteris ad malorũ cumulũ accidit, optimè cõſonabat: *Impius cũ in profũdũ venerit, cõtemnit.* Minas igitur, ſanaque cõſilia ſurda aure pertranſiens, nequior ac obſtinatior vel tunc tẽporis effectus eſt, cũ iſthæc Pontificis ore altiùs in aure ipſius inſonarent.

Rain. tom 16 an. 1347. n. 8.

Albert. Argent. Rebdor. Ioan. Villan. lib. 12. c. 105.

Pſ. 102.

Dum pontificia monita non audit, Iuſtam Dei iram expectus.

Prou. 18. 3.

19. *Attente* (inquit) *recogita quãta tuæ menti infundetur iucunditas, dum infra clauſtra tui reuolues pectoris, quod te cum tanta multitudine, tibi adhærentium de inimici eripueris faucibus, quãtoq; ſecuriùs in die tremẽdi iudicij aute tribunal Chriſti recepturus pro meritis poteris cõparere: & aduerte proinde, quod concepiſſe diceris, ſed parum, vſque nunc produxeris cum quãto tremore, cum tibi adhærentibus, quorum damnationis auctor extiteris, comparere poteris, quantiſque pœnis interminabilibus tam pro tuis, quam ipſorum erroribus merearis te affligi. Rumpe itaque moras, & fac cito quod diceris concepiſſe. Quid tardas ipſum quem iam cõcepiſti ſpiritum parturire ſalutis? Nil mortalibus eſt morte certius, vel incertius hora mortis. Noli quæſumus procraſtinare vlterius, nec de die in diẽ differre tã ſalutaris inſpirationis parturire ſpiritũ; ne ſubito ira Dei in te deſæuiat, et extincto ſpiritu in vindictæ tempore te diſperdat &c.*

Rain. to. 15. an. 1334. n. 21 Ioan. pap. 10 9 ep. ſecr. p. 224

Pontificis ore Dei iudicium ſibi inculcari ſentit.

Quin & Benedictus huius nominis XII. improuiſæ illi ſæpè ſępiùs mortis metum, vt ad pœnitentiam feſtinanter alliceret, traduceretque, ac torpentem è ſocordię ſomno excitaret, incutere non deſtitit, dum octo ante iam annos his ſalubriter verbis inſtrueret: *Tibi* (inquit) *conſulimus, et paternis exhortationibus, & ſalutaribus monitis ſuademus, quatenus diligent er conſiderans vias tuas malas, & dum tibi tempus ſupereſt, ab eis conuertere, et ad vias rectas dirigere non differas greſſus tuos, vt poſſis illa verba prophetica dicere Domino: Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua; non ſolum ſæpè, ſed ſæpius intra tua præcordia reuolucdo, quod moriturus es, & tibi qui iam in annos proceſſiſti plurimos mortis terminus appropinquat, & ignoras penitius diem mortis; Et quid etiam ſi (quod abſit) te contingeret in tali ſtatu, & cum talibus operibus terminum claudere vitæ tuæ, exinde cum te tua ſequentur opera, reportares? profectò nihil aliud, niſi pœnas cruciatus perpetui, & tormẽta etc.?* Hęc illi fulmina potiùs, quam verba fatidico Innocentius ore inſonuit, ob quæ rebus ſuis incunctanter, ſapienterque proſpiciens, feſtinus è lubrico pedem retraheret.

Benedictxii. in lit. ſecret.

Pſal.

Mors illi funeſta obrepſit prius ob oculos propoſita.

20. Clemens quoque eius lucrãdi zelo permotus, opportuna illi ſalutis monita ingerens, ſuorumque prædeceſſorum veſtigijs inhærens, iam impendentem ceruicibus diuinę vltionis gladium pertimeſcendum edixerat, cumque obduratum cor ho-

Obdurati cordis homo minis non ceſſit.

hominis animaduertens, illum verbis emollire nequiret, horrenda diuini cõminatione iudicij, ſi non continuo à malis reſipiſceret, vrgere, ac pertentare non deſijt; ſuperiori enim anno illis reluctantem perhorrificis verborum ſtimulis, vſitataque in ſacrarum ſcripturarum paginis loquẽdi formula perſtrinxerat: *Veniat* (inquit) *ei laqueus, quem ignorat, & cadat in ipſum: ſit maledictus ingrediens, & egrediens.* Porrò iuſtam ejaculatãque ſupremi Sacerdotis ore ſententiam, in eum tandem recidiſſe nemo eſt qui neſciat; cũ enim domo egrediens, per agrum deambularet, nec ſaluti quidquam, ſed voluptati, nec morum correctioni, ſed venationi, capiendiſque feris, haud feritati deponendæ miſer totus intenderet, ad Dei tribunal actutum raptus eſt: de quo Pontifex, hæc ad Bernardum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem, ſediſque Apoſtolicæ in Siciliç Regno legatum ſcripſit: *Credimus* (inquit) *ad tuam notitiam perductum, quatenus inueteratus ille dierũ malorũ Bauarus hoſtis Chriſti, et eiuſdẽ eccleſiæ ſubitanea morte de medio ſit ſublatus.*

Iſ. 34. 8

Inter venandum iram Dei incurrit

Tom. 6. epiſ. ſecr. 375.

Verum enim verò quo potiſſimũ mortis genere Bauarus mortaliũ infeliciſſimus deceſſerit, Albertus Argentinenſis hunc in modum narrat: *Eodem anno princeps Ludouicus in venatione vrſi, in ſyluis iuxta Monachum paralyſi percuſſus, de equo corruẽs expirauit, anno* Domini M. CCC. XLVII. *quinto idus octobris, anno Regni ſui trigeſimo tertio finito, minus octo diebus, imperij vero decimo nono.* Huius itẽ Rebdorfius obitum deſcribens, Numinis, cuius bonitatem iteratis flagitijs ſatis ſuperque exaſperauerat, vltioni tribuit, hęc quippè de eo tradit: *Eodẽ* (inquit) *anno v. idus Octobris prædictus Ludouicus de ciuitate ſua Monacho Triſigenſis diœceſis exiens ad venationem ferarum, in qua temporibus vitæ ſuæ delectabatur vltra modum, de mane hilaris, & iucundus, quia vxor ſua præſcripta ſibi peperit infantem, qui adhuc non erat baptizatus, cum inſiſteret venationi, & inſideret equo ſuo ſubitò apoplexia percuſſus circa meridiẽ eiuſdem diei cecidit ad terram in medio familiæ ſuæ de equo, ad duo milliaria de Monacho, & ſubitanea morte deceſſit, & ſic notabiliter diuina plaga interijt non ſine cauſa, quia aliquot annis ante obitũ ſuum officijs, & iudicijs ſuis præpoſuit tyrannos, & excoriatores pauperum minimum iuſtitiam faciẽtes. In expeditionibus ſuis permiſit terrã & pauperes exoriari. In hoſpitijs, Eccleſijs, monaſterijs, ſæcularibus, & religioſis prælatis, ipſe, & filii ſui grauiſſimi fuerunt. Clerum ſæcularem odio cordis habuit, imo expreſſè pluries dixit, quod ſi theſaurizaret theſaurum de luto, collegia ſæcularia non fundaret. Et ſic non abſolutus à ſententijs excõmunicationis Eccleſiæ, quas Ioannes Papa contra ipſum fulminauit miſerrimè expirat, et in parochia B. Virginis in Monacho eſt ſepultus:* Hæc ille. Nec defuere, qui eum vt potè cunctis grauem, inuiſumque propinato, à Ioanna Auſtriæ Duciſſa veneno, ſublatum aſſerãt. Hic itaq; funeſtus, miſerãduſq Bauari, qui Deũ toties, Romanoſq; Pontifices Chriſti in terris gerentes vicem, exacerbarat, petulanterque contempſerat exitus nigro obſignandus lapillo, extitiſſe traditur. Et hæc interim ſatis, licet de eo alibi quoque in noſtris paginis mẽtio incurret

Alber. Argent in chron.

Rebdor. in Annal.

Diu toleratus à Deo ſcuere in morte plectitur.

Aliç de eius interitu opiniones.

21. Atqui ab iſtius infelici conſortio, contumelioſus alter, infenſuſque rerum Eccleſiaſticarum hoſtis, Ioannes cognomento Ziſca, neutiquam ſeiungendus eſt; qui cum totis aduerſus Eccleſiam neruis, ac iniquis

Ioannes Ziſca eccleſiæ perſequutor

quis

Digitized by Google

quis iugiter artibus contendiſſet, Dei tandem nutu in ſuiſmet conſilijs deprehenſus, ſuo repente è gradu decidit, impendentiumque ſibi malorum calamitatem præſagiens, diram in ſemetipſum, ſeque auctore, vltionem experiri meruit; & vt noua, vel extinctus bella inſtauraret, ſuos ad prælium mouens, nouæ in ſe poſt mortem effectus exercendæ crudelitatis Architectus perurgere non deſtitit; ſed nũc rẽ Bzouio in ſuis annalibus narrante gratis auribus excipiamus.

Bzou.to.15 an.1424.n.14

22. *In hunc* (inquit) *annum Aubertus Miræus rerum hiſtoricarum diligentiſſimus cronographus refert mortem Ioannis Ziſcæ, quem diximus fidei catholicæ, & Eccleſiæ hoſtem acerrimum. Videbat, & experimentis quotidianis cognouerat Sigiſmundus Rex Romanorum, vniuerſum fere Bohemiæ Regnum ad illius nutum pendere, & tremere. Hæc ſecum reputans, ſeque imparem hoſtibus cognoſcens, ſubire tãdem (iuxta ſuum prouerbium) perticã, quam tranſire non potuit; ſtatuerat, vt leui damno honeſtatis detractæ ingentem vtilitatem patriæ expenderet. Allegauerat igitur occultè ad Ziſcam, qui ei mentem ſuam declararent, ſibi videlicet in animo eſſe, poſteaquam mille quotidie imperij, & Regni Hungharię curis detineatur, vt Ziſconem pro ſe Vicarium, atque adminiſtrum in regno Bohemiæ præficiat, ſi is ad obſequiũ regium cæteros ordines cum ciuitatibus hactenus contumacibus adigeret. Applauſit Cyclops tam lauto bolo; Sed hic demum tantam turpitudinem à Sigiſmundo, & à Regno Bohemiæ auertit; & antequam id, quod Sigiſmũdus propoſuerat, conficeretur, tactum Ziſconẽ vlcere peſſimo miſerabiliter extinxit, ſed haud inteſtatum. Teſtamentum fuit rebus geſtis dignum, vt fratres (ſic enim Thaboritas compellabat) poſt mortem ſuam, ſibi pellem detraherent, ea que vſum tympani accõmodarent, quo in acie vterentur ad repellendos ſtrepitu illius hoſtes præcipuè Germanos, futurum dicens, tantam fore vim huic pelli exangui, quanta illi viuo fuit, ac perinde non ſecus atque à viuo ipſo, ſic à perſonante pelle, hoſtes timore perculſi conciderent. Imperauit præterea, vt cadauer ſuum inſepultum relinqueretur volucribus, & feris deuorandum, quod cum humana manus conficere nequiuerat, Dei digitus è medio ſuſtulit, feriſque infernalibus tradidit cruciandũ.*

Sigiſmundi ad eum legatio.

Auertit Deus imminens malum & Ziſcam vlcere maligno percutit.

Cadauer feris laniandũ dari iuſſit.

Ex quibus Ziſconem impium, Deo planè percutiente, alterius inſtar Nabalis è medio ſublatum, ſolidoq; impijs monimento futurum, atque exemplo, acerbo addictum fato videre eſt: Sepultura igitur miſer caruit, vt potè ſepulchro, quod natura cunctis vltrò hominibus exhibet, indignus; ſed feræ ipſæ, ac volucres hominem paſcendo, tumulum, quem ferino, vt par erat, homini pia vltro hominum manus ipſomet dictante, atque expoſcente denegabat, cruento homini, taliaque promerenti ſua intra viſcera feralem in modum contulere, certatimque belluæ, tum dente, tum roſtro, mortalium nequiſſimo totiuſque humani generis portento iuſtiſſime parentarunt.

23. Demum præmemoratis Eccleſię hoſtibus accedit Braccius è Mõtone tyrannus, qui ſuis nimium viribus, armiſque præfidens in eam mẽtis elationem proſilijt, vt Eccleſiam, ac Romanum Põtificem, Martinum huius nominis V. armis exagitare nõ dubitarit; verum poſtea Pontifici reconciliatus ſuam ei in recuperanda Bononia operam exhibuit, ſed nouis haud multo poſt diſſidiis obortis, efferatus denuo, in Martinum inſurgens, Pontificiam ſe perturba-

Braccius tyrannus ſe infenſum eccleſię hoſtẽ exhibet.

ta-

Digitized by Google

turũ,exciturũq; ditionem ſtulteçõminatus eſt. Enim verò à Ioanna Regina in Neapolitanum Regnum excitus, graues Põtifici moleſtias terroréq; incuſſit; cuius ille potentia exterritus, dum aduerſus hominem non tam armis, quàm precibus ſe munire ſatagit, diuino ſuffultus auxilio hoſtem deuicit; miſer quippè dum Aquilanę vrbis obſidioni inſiſtit, infeliciſſimè peremptus eſt. Quo ſublato, ac ſi id parum eſſet, eius quoque filius, ad tyranni videlicet, vna cum tota proſapia ferro memoriam abolendam, in prælio cæſus deceſſit.

Rain. ann. 1424. n. 14.

24. Verum qua Braccius in aucupanda Eccleſiaſtica ditione tyrannidẽ exercens afferretur potentia, & quonã eius protenderetur ambitionis faſtus, Rainaldus in ſuis annalibus hunc in modum deſcribit: *Subiecerat ſibi Peruſiam Braccius è Fortebrachijs, ac pleriſque patrimonij B. Petri locis potitus, copias ad ipſa pene Romæ mænia ducebat: tum Alphonſi Regis Aragonum fœdere pollens, & Capuæ, & Aquilæ principatibus à* Ioanna *antea donatus, vt vidimus,* Aquilam *ingenti obſidione premebat, adducebatq; in metum Pontificem ne Romanam Eccleſiam, ſi eius potẽtia augeretur, ſua tyrãnide opprimeret etc.* Haud enim vir ſibi nimiũ tribuẽs, ac ditionis amplificãdę alienæq; occupãdæ cupidus ſe intra æqui fines cõtinere poterat: Quapropter Pontifex cũ Bracciũ Neapolitano inhiantem Regno animaduerteret, vt ab iniuſto illud Braccij, & Alphonſi dominatu vindicaret, cũ Philippo Maria Mediolanenſium Duce, fœdus inijt, prout in ſuis Apoſtolicis ad nuncium litteris hunc in modum teſtatur: *Videntes quantum periculũ immineat Regno noſtro Siciliæ ab oppreſſione* Braccij *de Fortebrachijs, & aliorum, cũ quibus ipſe ſe intelligit &c.* Inito itaq; fœdere, dum ſoluta Aquilæ, quam ciues tredecim iam mẽſes tolerauerant, obſidione, in ipſo vehementiori certaminis æſtu inſtructa Braccius acie, inferẽdos illac commeatus prohibere adnititur, lethali confoſſus vulnere, captuſque eſt: *Vir adeo impius, ſuperbuſque* (vt Rainaldo teſte) *ſe Chriſti Vicarium ad ſacra vnius oboli pretio peragẽda adacturum iactaret, ediceretque: Sed Deus qui ſuperbis reſiſtit,* elatã hominis ceruicem fregit, cumque miſerrima clade affectum, ſua inter vota deluſit de cuius clade hæc B. Antoninus tradit; *Præfatus* (inquit) *Braccius hoſtis publicus factus* Eccleſiæ, *propter quod et anathematizatus notorie in tantum ſuperbiæ culmen aſcendit, vt ſibi perſuaderet Regnum Apuliæ adepturum; nec erat nimis difficile, ſi ciuitatẽ* Aquilanam, *quam obſederat, accepiſſet, quæ altera dicitur eſſe clauis regni, & Aquilani cernentes à Regina auxilia neceſſaria ſe habere non poſſe, propter debilitatem virium ſuarum, ad Pontificem oculos direxerunt, ſupplicitor ſuffragia poſtulantes, ad obſidionem illius hoſtis remouendam: quibus non defuit pius, & prudens* Antiſtes*; ſed inuocato priùs diuino adiutorio per proceſſiones ſolemnes, & orationes iunctas generaliter cum munere indulgentiarum collectis copijs* Eccleſiæ, *necnon Comitis Franciſci Sfortiæ.* Ineunte enim anno (vt Rainaldus addit) dũ Aternum vado traijciebat, adoleſcentique vndis abrepto accurrebat, merſus perierat: *Et exulum Peruſinorum deſtinauit contra Braccium, mandato ſibi priùs facto, vt obſidionem ſolueret, cum nil iuris haberet contra quẽ contẽnentẽ* Deum, & Eccleſiam, *& ad acies ſuas inſtruendas in habitu non proprio, ne ab*

Lib. 9. ep. curren. pag. 46.

Romanæ ecclesiæ metus ex eius tyrãnide augetur

Braccius Aquilam tredecim menſes obſidet.

S. Anton. 3. p. tit. 22. cap. 7. §. 5. & alij.

Anathemate perculſus dum armis rem agit, iram Dei incurrit.

Leonard. Aret hiſt. ital. rer. Sor mont. lib. 4. c. 3.

Digitized by Google

hoſtibus cognoſceretur, diſcurrentem, Eccleſiæ milites proceſſerunt ad pugnã: omnis autem intentio, & conatus eorum erat ad perſonam Braccij inuadendam, & præcipuè Peruſinorum exulum, qui eum recognoſcentes, etſi mutato habitu, impetum fecerunt vnanimiter in eum, et ad mortem vſque afflixerunt. Eductus autem è caſtris non multò poſt ſubmerſus, in anima, et corpore mortuus eſt, et quia hoſtis Eccleſiæ, et excommunicatus, ſepultus eſt in inferno, ſepultura, quoque non Eccleſiaſtica, ſed ſubiugalis corpus humatum: ſicque ſublata eſt obſidio, et Eccleſia à cõminationibus ſuis, et perſequutionibus liberata, nec enim debuit de hac vita tranſire aliter, quam cæteri hoſtes Eccleſiæ, quorum ceruices erectas cõcidit Altiſſimus. Quo quidẽ tyrãno humanã præter ſpẽ deiecto, proſtratroq; magnus Eccleſię triumphus, ac lętitia affulſit, adeo vt Martinus in ſuis ad Caſtellæ Regem epiſtolis, nobiliſſimæ victoriæ his verbis meminerit: *Erat* (inquit) *tota hæc regio* Italiæ *almæ Vrbi vicina, perturbata terrore quondam* Braccij *de Fortebrachijs, qui non contentus plurimas ciuitates, et terras nobis, et Romanæ Eccleſiæ pertinentes, per vim tyrannicam occupare, etc.* Sed paulo poſt paucis reuectam ex illius clade palmam proſequitur. *Quam victoriam à* Deo *proceſſiſſe cognoſcimus, qui* Eccleſiam *ſuam in fine non deſerit, ſed illam conantes opprimere diſſipat, et confundit &c.* Diuinis igitur iure merito Pontifex auſpicijs, relatam ex tyranno victoriã adſcribit, vti etiã Odonis Bracij filij, qui pro Florẽtinis dimicabat, clades ex Rainaldo referẽda eſt. Diuina autem indignatio in Bracciorum genus tyrannidem effectantiũ, & Chriſti Eccleſiam proculcantium adeó exarſit, vt patrem, filiumque pari, ter paternorum vitiorum hæredem mucronis gladio abſtulerit, vterque enim ob Pontificem inhonoratum, perturbatamque Eccleſiam, haud lõgæuus eſſe ſuper terram meruit. Sed impijs Eccleſiæ hoſtibus exitio addictis, iam ad bonorum eiuſdem Eccleſiæ inuaſores ſtylum contrahimus.

Mutato habitu pugnat ſed certo Dei conſilio lethaliter vulneratur

Lib. 1. breu. pag. 20.

Rain. vbi ſup.

CAP. II.

Eccleſiæ bona tyrannice vſurpantes.

1 MAgna profectò Deo ab homine iniuria irrogatur, qui violentas tum Eccleſiæ, quæ Chriſti Sponſa eſt, vel eius certe rebus manus admouet: *Si enim pœnale eſt* (inquit Auguſtinus) *clangulum auferre, multo maioris pœnæ eſt violenter eripere.* Ex eo autem magis ſcelus eiuſmodi augetur, quod manifeſtam Deo fraudem infert, qui bona Eccleſiæ, non niſi pijs, & pauperum vſibus deſtinata, improba adductus cupiditate vſurpare non timet, adeo vt tũc potiſſimum horrẽda illa Caſſiodori declamatio adimpleri videatur. *Pauperibus* (inquit) *non dare tuliſſe eſt. Pudeat illis tollere, quibus iubemur offerre. Vltra omnes crudelitates eſt, diuitem uelle fieri de exiguitate mendici. Amentur honeſta lucra, horreantur dãnoſa compendia.* Ne interim vero manuum, quæ ſacris exuuijs inhiãt, impunè ſcelus tranſire quis credat, iuſta illud ſemper pęna conſequitur: *Nulli* (inquit Seneca) *cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum.* Enim verò, qui res diuino cultui, aut Eccleſiæ, pauperumque vtilitati pia fidelium manu dicatas

Aug. in ſerm de tem.

Caſſiod. in exem. 3.

tas

Digitized by Google

tas per ſcelus quoquo modo aufert, ſacrilegii, ne dum rapinæ obnoxius ſit, promeritamque ſceleri pœnam incurrit; nam ſi crimen eiuſcemodi ſeueriori trutina expēdatur, tale profecto deprehenditur, acerbiſſimiſq; aberrantem hominem pœnis deuouet Sacrilegium quippe (vt Seneca docet) *in ijs obſeruatur, quæ religio Numini adſcripſit. Iniuriam ſacrilegus Deo quidem non poteſt facere, quē extra ictum ſua diuinitas poſuit, ſed tamen punitur, quia tanquam Deo fecit. Opinio enim noſtra, et ſua illum obligat.* Seneca ep.87.

2. Cuius ſanè piaculi Antiochus ille Epiphanes reus extitit, qui pretioſas Ieroſolymitani quōdam templi gazas præcipiti cupiditate abductus diripuit, de quo iſthæc in ſacris paginis. *Et aſcendit Hiereſolymam in multitudine graui, et intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et vniuerſa vaſa eius etc. et accepit argentum, et aurum, et vaſa concupiſcibilia, et accepit theſauros occultos, quos inuenit, et ſublatis omnibus abijt in terram ſuam.* Barbarus enim prædo tum Deo, tū ciuibus, & tam religioni, quam æquitati, rapax potius harpia, quam auarus homo dicendus, bellum indixit, dum quidquid pretioſum ſanctiore hactenus loco ſub theſaurorum nomine conſtiterat, quod ipſa loci religio, pluſquam valida armatorum manus, cuſtodiebat, ſacrilegis audacter manibus abſtulit. Enim vero in more olim poſitū fuit, vt pecuniæ in ipſis Deorum templis ſeruarentur, vti Cæſar in ſuis commentarijs docet, & Dio Chryſoſtomus ampliſſimas quidem in celebri Dianæ fano, tum priuatorum, tum regum, ſecuritatis gratia fuiſſe olim reconditas affirmat. Quin & Cicero antiquam tam temporum conſuetudinem, quam locorum religionem inculcans, & Sacrilegij crimen, inde vel minimum auferendo, exaggerans: *Sacrilego* (inquit) *pœna eſt, neque ei ſoli, qui ſacrum abſtulerit, ſed etiam ei, qui ſacro commendatum. Quod et nunc multis fit inſani; Alexander in Cilicia depoſuiſſe ad Solem in delubro pecuniam dicitur. Et Athenieſis Cliſtenes Iunonis Sarmiæ ciuis egregius cum rebus timeret ſuis, filiarum dotes tradidit.* Nullam enim iniuriam, ac vim ab iniqua hominū manu timere poſſe videbatur, quidquid illibata templi religio ſibi concreditum cuſtodiret.

Macab. lib. 1 c. 22.

Dio Chriſoſt. lib. 3. de bell. ciuili.

Cic. lib. 2. de leg.

Porro Chriſtus dominus, vt ſua ſacrilegij culpæ ſit pœna olim in ſacrilegos moſaici templi violatores ac ſi manſuetudinem illam adeo ſibi cōgenitam dediciſſet, facto è funiculis flagello animaduertiſſe legitur. Quid verò in perditos Eccleſiarum raptores? Quid in prophanos homines, ſacrilegoſque rerum Deo dicatarum prædones is præſtiturus eſt, qui talia, ac tanta diuini honoris zelo percitus, in templi ſui violatores præſtitit? *Zelus* (inquit propheta) *domus tuæ comedit me.* Profecto ſi flagellis ſeuere adeo plectitur qui in Dei domū, quę ab eius aliena ſūt cultu, intulit, quid ijs fiet, qui ea, quę Dei ſunt, è domo Dei res veluti ſuas ſacrilegis petulāter manibus auferūt. Vt exemplis autem è ſacrarum hiſtoriarum promptuario excerptis, ſuſceptæ aſſertionis propoſitum comprobetur.

Matt. 1. 21.

Pſalm

3. Gainas barbarus, ac truculētus præ ceteris tyrannus, proditorūque omnium longè deterior, haud totius minoris Aſiæ præda cōtentus, neq; populorū, quem vberrimè fuderat, cruore eius reſtingui ſitis, nec ipſe quoquomodo miteſcere viſus eſt.

Baron. tom. 5 an 400. n 38 Gainas barbarorum dux inſolentiſſimus.

Digitized by Google

quippe ſecundis arridentibus, in cū animi tumorem, mentiſque arrogãtiam væſanus ſuperbiendo proſilijt, vt funeſta Eutropij conſulis, in quē conſpirauerat, nece audacior effectus, Gothorum exercitu potens, ipſummet Arcadium Imperatorem iniquis poſtulationbus conueniens, nouas illi, efferus homo ac duras ineundæ pacis conditiones præſcriberet; quippe qui in primis Aureliani conſulis, ac Saturnini viri conſularis, nec non Ioannis, qui Arcadio Imperatori à ſecretis erat, ceruices mucrone reſectas, vir vlciſcendi, æque, ac imperandi cupidus vltrò ſibi donari popoſcit. Verum enimvero quia hominis vota immanè excreuerant, miſer haud his contentus, ſibi, ac ſuis Arrianæ ſectæ militibus templum Conſtantinopolitana in vrbe adaperiri contendit. Atqui cum iſthæc ad Imperij totius, quam affectabat tyrannidem, præludia forent, opportunum periclitantibus, tum Imperatori, tum ciuibus è cœlo auxilium adfuit; tyrannus enim bello victus, ferroque miſere cõtrucidatus, ſuis, vt expetierat, votis potiri neutiquam valuit; nam cum ab hominū in ipſiuſmet Dei iniuriam barbarus æque, ac impius proſilijſſet, potenti eius dextera, vt par erat, proſterni meruit. Sed rem interim ex Theodoreto ipſius verbis excipiamus.

Arrianis tēpla dari de poſcit.

4. *Iſte* (inquit) *labe infectus Arriana, poſtulat ab Imperatore vnum ex ſacris ſibi templum dari. Imperator autem reſpondet, ſe de ea re capturum conſilium, & vnum ei curaturum promittit. Itaque diuino illo Ioanne accerſito* (*Epiſcopo ſcilicet Conſtantinopolitano*) *ei poſtulatum Gainæ exponit, commemorat eius potentiam, moliri tyrannidem indicat, orat, vt templo donato, furentē eius animum placet: Cui nobilis ille vir. Ne* (inquit) *iſtud ei pollicere, neque ſanctum Dei canibus mãdes, nam nunquam equidem patiar, vt qui Dei verbum ſanctè, & auguſtè laudibus, & hymnis celebrant, expellantur à ſacro templo, idemque tribuatur ijs, qui contra eum loquuntur blaſphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas Imperator, ſed me, & illum in vnum locum, conuoca, tuque ſilentio vtriuſque noſtrum ſermonem auſculta. Ego certè me homini linguam refrænaturum ſpero, perſuaſurumque, ne poſtulet, quod ei concedi non debeat.* Inuictū planè Sacerdotalis animi robur, qui magis Dei, quam hominis, quē Imperator ipſe verebatur, contumeliam timet, atque à templi inprimis abſtinendum iniuria, contrahendaſq; Imperatori à ſacrilegio manus non tam edicit, quam prçcipit. Sed reliqua proſequamur,

Theod. lib. 5. c. 32

Obſtitit Ioãnes Chryſ. Patriarcha.

Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, et poſtridie eius diei, vtrūque accerſit. Gainas quidem promiſſū expoſcit; Magnus autem Ioannes reſpõdet illi exaduerſo: Non licere Imperatori, qui pietatem colere inſtituat, aliquid contra res ſacras temere moliri. Cui quidem dicenti templum ſibi dari oportere: Reſpondet Ioannes. Templum ſacrum apertum eſſe, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, ſi libeat preces Deo fundat. Tum Gainas; At ego (inquit) *alterius ſectæ ſum, et cū hominibus eius ſectæ, vnum ſanctum templum habere poſtulo, atque iſtud quidem non immeritò peto, quippè qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia* (inquit Ioannes) *tibi propterea tributa, labores tuos longè ſuperant, nam Dux es, et honore conſulari dignatus. Quin etiam tecū debes conſiderare quis fueris olim, et quis iam ſis, quæ etiam præterita tua inopia, et in qua iam abundantia vitam de-*

Ioannis cum Gaina colloquium.

degas, quibus quoque veſtimentis indutus eſſes, cum Iſtrum traieceris, et quibus iam opertus. Complectere igitur animo, quam pauci ſint labores, et quã ampla præmia, atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerint, ingratus eſſe. Hac oratione habita Ioannes celebris totius orbis terrarum doctor, os obturauit Gainæ, atque adeò obmuteſcere coegit. Hactenus de congreſſu, quẽ Ioannes Chryſoſtomus cum Gaina inijt, quibus profectò Apoſtolicum illud euinci oraculum videtur: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.* Chryſoſtomus quippè, qua præcellebat eloquentiæ vi, tum hoſtis in publicæ rei malum adeo ſe protẽdentis ſapienter audaciam cõfutaſſe, tum ſemetipſum perorando ſuperaſſe viſus eſt. Hic verò nonnulla, quæ à Theodoreto prætermitti cõtigit, Sozomenus adijcit. *Exprobauit* (inquit) *tunc Ioannes Gainæ, et quòd Imperatoris Patri* (nempè *Theodoſio*) *tum ſeruatus iureiurando promiſerit, ſe beneuolentiam erga Romanos perpetuò ratam, erga ipſos filios, erga leges eſſe conſeruaturum, quas tamen iam irrita facere conaretur, ſimulque cum hæc diceret legem oſtendebat, quã Theodoſius ſanciuerat, cum ſectarios omnes arceret, ne intra mœnia conuentus agerent. Deindè conuerſa ad Imperatorem oratione, eum hortabatur, vt latam aduerſus cæteras hereſes legem conſeruaret, ſimulque conſulebat, ſatiùs eſſe Imperio cedere, quam prodere domum Dei, & à Religione deficere. Atq; is quidem adhunc modum vtiliter vſus loquendi libertate nihil innouari paſſus eſt in Eccleſijs ſibi concreditis.* Hęc ille. At barbarus nullis conuictus rationibus, ſæuiendo fræna relaxans, omnia, ſuſque deque vertere, ac totam tumultibus vrbem complere deſignabat; *Gainas igitur* (inquit) *iã infringere iuſiurandum, & ciuitatem euertere cogitabat; quo tempore, & cometa has inſidias portendebat, qui ſupra ciuitatem maximus apparuit, ad ipſam vſque terram fermè pertingẽs, & qualis nunquam fuiſſe dicitur. Tentarat primò argentariorum tabernas inuadere &c. noctu turba barbarorum immiſſa, præceperat ſuccendi palatium. Illi autem metu perculſi, re infecta reuerſi ſunt. Nam cum prope acceſſiſſent videre ſibi viſi ſunt multitudinem armatorum, vaſtis corporibus formidabilium &c.* Hos quidem tutelares Vrbis Angelos fuiſſe, cum præter milites Prætorianos, haud alios pręſidiarios ciuitas contineret, ſat exploratũ cunctis redditum eſt; ſed ſacrilegum tunc temporis à perdito homine facinus haud impunè tentatum, perfectumque videamus.

Gainas cvictus obmuteſcere.

2. Corint. 10. Quanta eloquentia præſtaret Chryſoſtomus.

Sozomenus lib. 8. c. 4.

Conſulit Arcadio Chryſoſt. potius cedere imperio, quam vnam eccleſiam permittere hęreticis.

Sozomenus vbi ſup.

Angelorum opera coercet barbaros

5. *Inter hæc* (inquit Sozomenus) *Gainas ſimulat ſe dæmonio vexari, & quaſi oraturus* Eccleſiam *occupat eam, quam in honorem Ioãnis Baptiſtæ, Imperatoris pater in Hebdomo conſtruxerat. Ad ſeptimum videlicet ab Vrbe diſtantem lapidem.* Vrbem præterea à Gothis ibidem derelictis repentino inuadendam incurſu, ac in ſui poteſtatem perfidus (vti ſperabat) redigẽdam curauit; dum autem ab ipſis mœnium cuſtodibus ob Gainę irruptionem, rumor extemplo obortus fuiſſet, Gothi, qui intus aderant, vtpotè ad bellum prorſus imparati, à ciuibus crudeliter ſinguli interempti ſunt, ac templum, quod audacter occuparãt, flammis (vt idem ſcriptor tradit) addictum eſt. Gainas interim, vbi ſe hoſtem ab omnibus proclamatum, ſuoſq; intra vrbem miſere contrucidatos, ac proditionis, quam ſubdole cõcinnauerat, omnem detectã fuiſſe fraudem intellexit, infeſtis

Sozom. vbi ſup. Gainæ commentum pro occupanda eccleſia.

Inſidiæ in Gothorum capita verſę

Thra-

Digitized by Google

Thraciæ oppida militum armis aggreſſus, cuncta flammis, ac cœdibus loca vaſtare cæpit. Verùm ad propulſandam eiuſmodi populorum cladẽ Ioãnes Legatus mittitur, vt his Theodor. verbis affirmat: Id (inquit) *temporis alijs omnibus, velut metu perculſis relictis, itum eſt ad Ioannem inuictiſſimum illum Chriſti bellatorem: Suadetur ei, vt legatus ad Gainam proficiſcatur. Ille vero nulla habita ratione vel diſceptationis contra Gainã ante ſuſceptæ, vel ſimultatis incertæ, prompta animo in Thraciam contendit. Quare Gainas cognito legati aduentu, & animi eius alacritate, pro pietatis defenſione conſiderata, longo interuallo ei lubens procedit obuiam, atq; prehenſam illius dexterã oculis ſuis appoſuit, liberoſque ſacra eius genua complecti cogit. Si quidem virtus, vel infeſtiſſimos afficere pudore, & obſtupefacere ſolet.* Hæc in rem præſentem Theodoretus. Pacis autem fœdere inter Gainam, & Imperatorem inito (vt Metaphraſt. ait) res plane ex voto contigit: Ioannes vero Conſtantinopolim regreſſus, homiliam ad populum iſthæc continentem grauiſſimam habuit. Atqui Gainas quietis publicæ hoſtis, ne dum ſanciti impatiens fœderis, nouiſque ſemper moliendis rebus intentus, dum reliquas ipſius addictas ditioni prouincias adire tentat, vt ſuas aduerſus Romanorum Imperium ad bellandum, rebellandumque ſimul vires præmuniret, illud quidem portentosè accidit, tunc potiſſimum temporis, vt cũ pelago barbarorum rates traiiciendo inſiſterent, validis obortis ventorum exaduerſo procellis, cuncti hac illac diſperſi, ac ſimul traiicientium rates, Deo pro Romanorũ Imperio dimicãte, aquis demer gerentur; ſed rem hic à Socrate narratam excipiamus: *Sic barbarorũ* (inquit) *maxima pars pariter cũ equis in ratibus tempeſtatis violentia, huc, illucque agitata abs ſe mutuo diſiecta fuit, mariſque fluctibus obruta perijt; nonnulli autem à Romanis demerſi interierunt. Ad hunc modũ itaque ingens barbarorum multitudo illo tempore è medio ſublata eſt. Gainas vero inde digreſſus, & per Thracias fugam faciens, in alias Romanorum copias fortè incidit, à quibus ipſe ſimul cũ barbaris, qui cum eo erant, peremptus eſt:* Hæc Socrates de rebus à Gaina geſtis; Marcellinus verò execrandũ tyranni caput Conſtantinopolim delatum, àc publicè per vrbis vias in triumphi morem aſportatũ, alterius Goliathi gigantis ad inſtar, cunctis ludibrio fuiſſe, nobilemq; victoriæ, ac triũphi pompam hoc tali ſpectaculo non mediocriter auctam tradit. Hoc perditus fine, dum catholicorum Eccleſiam occupare, ac orthodoxæ Religionis cultũ impietatis Arrianæ labè vitiatus proculcare tentat, è vita abreptus eſt.

Theod. lib. 5. c. 33.

Ioan. Chryſoſtomus decretus ad cũ legatus pro pace.

Metaphraſt. ubi ſup.

Socrat. lib. 6 c. 6

Portentoſa ventorum vis in mari oborta

Eius caput per Conſtantinopolim circumlatũ.

6. Porrò, vt rerum, quæ ad Dei cultum ſpectant, inuaſores haud iuſtas numinis iras euadere conſtet, hic nobis ex Eccleſiaſticis annalibus, Guntharius, ſiue Gundericus, Gẽſerici Vvandalorum Regis frater cõtemplandus proponitur, qui cũ Vvãdali in Africa anno Ghriſti 428. à Bonifacio Africæ comite euocati inſtructo agmine irrupiſſent, eumdemque bello poſtmodum ſuperaſſent, Guntharius haud multo poſt à Gẽſerico fratre, vt Procopius his verbis refert, miſere occiſus eſt: *Guntharis iam* (inquit) *deceſſerat à fratre* (*vt putatur*) *interfectus, Vvandali autem illum potius dicũt in Hiſpania à Germanis captum, paloque infixum, iam in Africa Genſerico res gerente.* Verum ſi aliorum hac ſuper re ſententię inhæ-

Baron. tom. 5 an. 428. n. 14

Gunderici Regis Vuandalorũ mors lugubris.

Procop. de bel. Vuand. lib. 1.

Digitized by Google

inhæreamus, Guntharius nequaquã fratris manu mactatus eſt, ſed Deo vlciſcente, in anteactorum ſcelerum pœnam correptus à dæmone (vt Iſidorus refert) ab ipſo tandem necatus periit; ſed ſi potiſſimam, ob quam talem pati carnificem meruit, ſcriptore docēte cauſã perquiramus, illa quidem fuit, quod cum audaciſſimus prædo capta Hiſpali ciuitate, ſacrilegas iam barbarus in eiuſdem ciuitatis Eccleſias violēter manus extendiſſet, mox dœmoni ad impiæ direptionis crimen, quo ſe obſtrinxerat, condignis compenſandum pœnis Dei nutu traditus, dirèque ab eo dilaniatus ipſius opera neci reditus fuiſſe deſcribitur. Pari itaque ſacrilegus, ac Iudas proditor ſupplicio addictus eſt, in quem poſt venditum triginta argenteis magiſtrum humanæ ſalutis auctorem, accepta protinus poteſtate Satanas inſilijt; ſic non abſimili modo iniſtum Eccleſiæ inuaſorem, ſacrarumque rerum expilatorē, ſua ſerpēs antiquus vi irrumpens, infelici exitu è vita abripuit. Et vt alia haud obſcura diuinæ animaduerſionis in medium proferantur exempla:

Ob direptas Hiſpalenſes eccleſias à dæmone vexatus

7. Cum Genſericus Vvandalorum Rex Arrianus acriter in Dei Eccleſiã, totiſque aduerſus Catholicos viribus deſæuiens, tum in Africa, tũ in alijs prouincijs, omnem moueret lapidem, vt Chriſti fidem penitus extirparet, atque orthodoxos pariter qui aderant, perderet, poſtquam nonnulli ex his nobili ob fidei confeſſionem martyrio coronati ſunt, ſua in Chriſtianos Zeugitanæ Prouinciæ odia cõuertens, acerbiſſimè in eoſdē inuehi cœpit. Bello igitur eis indicto illuc Proculum miſit, qui primum ad rem ex voto, perficiendam arma à Chriſti cultoribus amoueret quo præſtito, qui ad ſacroſancti altaris ſubindè miniſteria ſpectabant, libros, ac demum ſacram omnem ſuppellectilem impunè auferret. Quamobrem ſingulas prædo nequiſſimus barbaricum in morem Eccleſias depo pulari aggreſſus, quæcunq; ſacroſancto diuini altaris cultui inſeruiebãt, prophanis addicere vſibus, hæc ſibi per ſcelus vindicare, nec non à Catholicorum vltro proclamantium manibus dum tentat abſtrahere, haud multo poſt ſacrilegus lingua ſuis dentibus exæſa, eamque canis in morem crudeliter depaſcens infelici fato deceſſit; ſed Victor cuncta his verbis exprimendo narrat.

Genſericus Arrianus eccleſiæ perſequutor

Baron. tom 6 an 456. n. 18.

Odium in extirpanda Chriſtianorum rumre.

Accenditur (inquit) *propter hæc aduerſus Dei Eccleſiam Genſericus; mittit Proculum quemdam in Prouinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradēdum miniſteria diuina, vel libros, cunctos Domini Sacerdotes, vt primò armis nudaret, vt ita facilius inermes hoſtis callidus captiuaſſet. Quibus ſe nõ poſſe tradere clamãtibus, ipſe rapaci manu cuncta populabatur, deque pallijs vel pallis altaris (proh nefas) camiſias ſibi, & fæmoralia faciebat. Qui tamē Proculus huius rei executor, fruſtatim comedens linguam, in breui turpiſſima conſumptus eſt morte.* Sic profecto peſſimus Dœmon iuſtiſſimè hominem ſacrilegum, qui & iuſtus ſibi carnifex deſtinatus, ſuas diris modis carnes depaſcendo, meritum tandem ſibi exitium intulit. Bellum vero inprimis, acerbaque iis perſequutio indicebatur, qui ſacras perquirentibus res tradere detrectaſſent, Quamobrē Valerianus Epiſcopus multiplices conſtanti animo calamitates perpeti, quã ſacra canibus tradere maluit; vt Victor his verbis tradit: *Tũc* (inquit) *S. Valerianus Abēſis ciuitatis Epiſcopus dũ viriliter Sacramenta diuina ne tra-*

Victor. de perſequution. Vvand. lib. 1. Proculum immittit ad inuadendas eccleſias.

Victor. vbi ſup.

traderet, dimicaſſet, foras ciuitatem ſingularis iuſſus eſt pelli, & ita præceptum eſt, vt nullus eum, neque in domo, neque in agro dimitteret habitare, qui in ſtrata publica multo tempore nudo iacuit ſub aere: annorum erat plus octoginta, quem nos tunc indigni in tali exilio meruimus ſalutare. Hæc ille. Cuius item ſolemnis in Romano martyrologio memoria illis verbis recurrit: *In Africa S. Valeriani Epiſcopi, qui cum eſſet annorum plus octoginta, in perſequutione Vuandalica ſub Geiſerico Rege Arriano conuentus ab eo, vt traderet* Eccleſiæ *vtenſilia, idq; conſtãter renuiſſet, extra ciuitatem ſingularis iuſſus eſt pelli, cumque præceptum eſſet, vt nullus eum, neque in domo, neque in agro dimitteret habitare, multo tempore in ſtrata publica, nudo ſub aere iacens, in confeſſione, & defenſione Catholicæ veritatis, curſũ beatæ vitæ compleuit.* Ex quibus indictę à barbaro homine in orthodoxos perſequutionis illud in cauſa fuit, quia Rex Arrianorum dogmatum ſectator ſacris illudere, ac inſultare rebus geſtiens, precioſas religioſæ pietatis ſarcinas ſibi ſuiſque miniſtris tradi præceperat; quod vt regio obnitentibus imperio orthodoxis martyrij coronam peperit, ita Proculo primario Regis, eiuſdemque impietatis miniſtro iuſtiſſimæ cladis pœnam, cœteris documento futuram inflixit.

Epiſcopus octogenarius ob defenſa eccleſiæ vaſa proſcriptus à Vandalis. Martirol. Roman. 15. Nouemb.

8. At poſt Genſericũ Vvãdalorũ Regẽ, Arrianæque ſectæ, quem ſupra meminimus, Fridericus Rugorũ Regis frater apte, opportunèq; hic ſe nobis offert, qui cum bona Eccleſiæ inuadere, ac temerario occupare auſu non erubeſceret, immane facinus, quo contumelioſè adeò Religioni inſultabat, impunè, Deo vlciſcente non abijt; nam poſt Seuerini ſanctiſſimi Noricorũ Apoſtoli obitum, cum Fridericus, licet fruſtra à Dei viro iam pridem de contrahenda à rebus pauperum ſubſidio, & pio Eccleſiæ vſui dicatis, manu præmonitus nõ deſiſteret, à Friderico fratris filio interemptus, prædam, vitamque ſimul amiſit; ſed rem totam Eugipius B. Seuerini geſta deſcribẽs his verbis exequitur. *Ad quem* (inquit) *cum idem Fridericus ex more ſalutaturus accederet, cæpit ei Chriſti miles iter ſuum enixius indicare, ſub conteſtatione hæc proloquens: Noueris me* (inquit) *quantocyus ad dominum profecturum; Et idcirco monitus præcaueto, ne me diſcedente aliquid horũ, quæ mihi commiſſa ſunt attaminare pertentes, & ſubſtantiam pauperum, captiuorumque contingas, indignationem Dei* (quod abſit) *tali temeritate ſẽſurus. Sed Fridericus inſperata comminatione perculſus, cur* (inquit) *hac cõteſtatione confundimur? cum nos optemus tantis orbari præſidijs, & ſanctæ largitioni tuæ, quæ omnibus nota eſt, conferre aliquid deceat, non auferre. Et ille. Qualibet, inquit, occaſione cellulam meam volueris lædere, & hic ſtatim probabis, & in futuro ſolues, quam non opto vindictam. Tunc Fridericus promittens ſe Chriſti famuli monita ſeruaturum, remeauit ad propria.* Magnam profecto rerum, quæ Dei, ac Chriſti pauperum obſequio dicatæ ſunt, viri ſanctitate præcipui curam præferre conſueuerunt, adeo vt ad vlciſcendos impios earumdem inuaſores, ſe vel poſt mortẽ apud Deũ viuere, ac potenti virtute ad tuendũ ea, quæ Dei ſunt vindicanda expeditos ſe iugiter eſſe demonſtrent: ſed quæ poſtmodum viri Dei obitũ conſequuta ſunt, videamus: *Fridericus verò beati Seuerini morte cõperta, pauper, & impius barbara cupiditate ſemper*

Fridericus Rugorum Regis frater ſacra vaſa diripiens necatus.

Baron. tom. 6 an. 482. n. 60 Sacrilegus prædo præda & vita ſpoliatur. Eugipius in vit. S. Seuerini c. 40

Data illi à S. Seuerino monita

Sancti res Deo dicatas tum viuentes, tum mortui cuſtodiũt

per immanior, veſtes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferẽda; cui ſceleri ſacrilegium copulans, calicem argenteum, cæteraque altaris miniſteria præcepit auferri, quæ cum impoſita eſſent ſacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus manus ſuas extendere, quemdam militem Auſtitianum nomine, compulit diripere memorata, qui quamuis inuitus præceptum perficiens, mox tamen inceſſabiliter vexatus; omnium tremore mẽbrorum, à dæmonio quoque corripitur. Is ergo velociter cõſilio meliore correxit errata; ſuſcepto namque profeſſionis ſũctæ propoſito in inſulæ ſolitudine armis leſtibus mancipatum militiæ commutauit officium. Verum enim vero ſacrilege intentatum à Friderico iterum, ſed nõ impunè facinus auctor in hęc verba proſequitur.

Baron. tom. 6 an. 482. n. 63. Miles qui calicem Friderici iuſſu rapuerat dæmone, & mẽbrorum tremore correptus.

9. *Fridericus autẽ* (inquit) *immemor conteſtationis, & præſagij ſancti viri abraſis omnibus monaſterij rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre dimiſit, ſed mox in eum vltio denunciata peruenit. Nam intra menſis ſpatium à Friderico fratris filio interfectus prædam pariter amiſit, & vitam.* Hæc ille. quibus hæc addit Baronius: *Hic finis* (inquit) *ſacrilegi hominis.* Ablatarum enim ſacrarum rerum pœnas vita orbatus exoluit. Et multis quidem verbis, appoſitoque in rem ſermone B. Seuerinus Fridericum, ac fratrem Rugorũ Regẽ, & Giſam inſuper regis cõiugem ſuum ante obitum, vt ſe in officio cõtinerent, ne pari eoſdem ſupplicio diuinitus affici cõtingeret, hũc in modũ, vt Eugipius narrat, pręmonuerat: *Poſt multos* (inquit) *agones, & diuturna certamina cum ſe idẽ Beatus Seuerinus de hoc ſæculo tranſiturum Domino reuelante ſenſiſſet, memoratum Rugorum Regem Febam, cũ vxore eius clariſſima, nomine Giſa, ad ſe venire cõmouit: quem cũ verbis intrepide monuiſſet, protenſa manu, regis pectus oſtẽdens, Reginam his interrogationibus arguebat. Hanc* (inquit) *animam Giſa, an aurum, argentumque plus diligis? Cumque illa maritum ſe diceret cunctis opibus anteferre, Vir* Dei *ſapienter adiecit: Ergo, inquit, deſine innocẽtes opprimere, ne illorum afflictio veſtram magis diſſipet poteſtatẽ; et enim manſuetudinẽ regiã tu ſæpè conuellis.* Hæc auctor de intentatis tum Regi, tum vxori ni reſipiſcerent minis. Sed vt alios recenſitis hactenus ſacrarũ rerum prædones adijciamus:

Baron. vbi ſupra.

Rugorum Regi & eius coniugi data a S. Seuerino monita.

Eugipius in vita S. Seuerini vbi ſup.

Burgũdiones cũ Gallias inuaſiſſet, armiſq; accincti manus cũ Frãchis cõſeruiſſent, infelici rerum exitu, prælio tandem attriti, terga hoſtibus vertere compulſi ſunt. Verum priuſquã Frãchis victorię palma cederet, Burgundiones ſacrilega, quibus Dei in ſe iram concitarunt, facinora perpetraſſe conſtat; Enimuerò cum ſacram ſuppellectilem, venerandaque altaris miniſteria in B. Iuliani martyris tẽplo prædari apud Briuatenſem Vicum veriti non fuiſſent, omnes ferè Franchis deindè ſuperuenientibus, gladio trucidati ſunt; vt Turonenſis in ſuis hiſtoriarum paginis ſic tradit: *Venientes* (inquit) *quidam de Burgũdionibus ad Briuatenſem vicum, eum cum armorum multitudine copioſa circumdant, captoque populo, direpto miniſterio ſacroſancto, vltra amnem trãſeunt, & viros gladio interficere, reliquum vulgũ ſorte diuidere parant, &c.* Et paulo poſt hæc addit: *Proſtratis ergo* (inquit) *ab Hellidio hoſtibus, quatuor ex his perfugam dilapſi patenam, & vrceum qui Anax dicitur, in patriã deferunt, & diuiſam in tantis, vt erãt partibus patenam, vrceum Regi Gundebalo ob gratiam exhibent conquirendam.*

Baro. an 508 nu. 33.

Burgundiones poſt direptas eccleſias mox cæſi à Franchis.

Greg. Tur. de glor. mart. lib. 1. c. 78.

Digitized by Google

dam. *Reliquum vero argentum Reginæ ſagacitas reperit, cui additis multis muneribus loco illi ſancto reſtituit, fideliter inſinuans regi non oportere eum, vt gratiam martyris ſancti, propter argenti paruitatem amitteret &c.* Hæc Turonenſis de Burgũdionibus ſacro Martyris Chriſti tẽplo inſultãtibus, iuſteque mulctatis. Rex verò ac Regina ſacrorum adeo nefandam vaſorum auri, inſuper, argentique rapinam haud apud ſe manere, ſed ſuo protinus loco, vt bene ſibi, ac regno cederet, reſtituendam curarunt; Et vt res magis exemplis illuſtretur.

Baron. tom. 7. an. Chri. 576. num. 1. Theodebertus expilator eccleſiarum.

Theodobertus Chilperici Francorum Regis filius, vir de Eccleſia cuius bona diripuit, & qui multa Eccleſiaſticis viris malorum incommoda intulit, peſſimè meritus, ob hæc iram Dei iuſtiſſimè in ſe viſus eſt cõcitaſſe. Quæ quidem palàm recenſentur, dum Chilpericũ Regẽ per Theodobertum filium magnam Gundebalo Duce ſuperato Turonenſibus, Pictauienſibus, nec non aliarum Ciuitatum Eccleſiis intuliſſe cladẽ, ipſemet Turonẽſium Antiſtes his verbis exequitur: *Vaſtat* (inquit) *euertit Eccleſias, incendit, miniſteria detrahit, clericos interficit, monaſteria virorum deiicit, puellas deludit, & cũcta deuaſtati fuitq; illo in tẽpore peior in Eccleſijs gemitus, quã tẽpore perſequutoris Diocletiani.* Hæc ille, quę vbi ſuo amarulẽtiore ſtylo digeſſit, corruptos, vitiatoſq; Francorũ regũ mores à maiorũ probitate longè degeneres, vno dũtaxat Gunthera mno excepto, viro virtutum laude præcipuo, aculeatis verbis hunc in modum perſtringit: *Recurramus* (inquit) *ad illud, quod parentes eorum egerunt, vt iſti perpetrãt. Illi poſt prædicationem ſacerdotum, de fanis ad Eccleſias ſunt conuerſi, iſti quotidie de Eccleſiis prædas detrahũt. Illi Sacerdotes Domini ex toto corde venerati ſũt, & audierũt, iſti nõ ſolũ nõ audiũt, ſed etiã perſequũtur. Illi Eccleſias, et monaſteria ditauerunt, iſti eas dirũnt, et ſubuertũt.* Vides profectò quãtũ reges à regibus, moreſq; à moribus ſub vno, eodemque ſceptro diſcrepẽt, totoque ab inuicem cœlo diſtent. Sed reliqua nũc proſequamur.

Greg. Tur. de geſt. Francor. lib. 4. c. 47. & 48. Immania eius ſcelera.

Greg. Turon. vbi ſup.

Quid de Latra (inquit) *monaſterio referã, in quo B. Martini habẽtur reliquiæ, cum ad eum vnus cuneus hoſtium aduẽtaret, & fluuium, qui propinquus eſt, tranſire diſponeret, & monaſteriũ ſpoliaret, clamauerunt Monachi dicentes: nolite barbari, nolite huc tranſire; beati enim Martini eſt Monaſteriũ. Hæc audientes eorum multi compũcti à Dei timore, regreſſi ſunt. Viginti tamen ex ipſis qui non metuebant Deum, neque Beatum Confeſſorem honorabant, aſcendentes nauim, illuc tranſgrediuntur; & inimico ſtimulante, monachos cædũt, monaſterium euertunt; reſque diripiũt, de quibus facientes ſarcinas, naui imponunt. Ingreſſique fluuium protinus vibrante carina huc, illucque feruntur. Cumque amiſſo auxilio remorum, haſtilibus lancearũ in fundo aluei defixis remeare conarentur, nauis ſub pedibus eorum dehiſcit, & vnuſquiſque ferrũ, quod contra ſe tenebat pectori defigit; tranſuerberatique cuncti à proprijs iaculis interimuntur. Vnus tantum ex ipſis, qui eos increpabat, ne iſta committerent, remanſit illæſus. Quod ſi quis hoc fortuitu eueniſſe dicat, cernat vnũ inſontem plurimis euaſiſſe de noxijs. Quibus interfectis monachi ipſi res ſuas alueo detrahentes, & illos ſepelientes, res domi reſtituunt.* Hæc Turonenſis, qui res ſuis temporibus geſtas, ſuæq; regionis fideli ſtylo proſequitur, cui Baronii verba attexenda hic ſunt.

Diuina vindicta in ſpoliatores S. Martini.

Greg. Tur. vbi ſup.

Miles qui eos increpuerat ex eorũ conſortio ſalius euaſit.

10. *Vidiſti* (inquit) *ſacrilegorum* di-

diuinitus immiſſam vindictam, vt ſuis ipſorum ſinguli armis confoſſi perirent, quo dicant impij paſſuros ſe vindicem Deum, cum in res ipſi dicatas inſurgũt; nec glorientur ſi quis eiuſmodi ſcelera perpetrantes, non eamdem confeſtim vindictam experiantur, ſed meminiſſe debent ſententiæ Domini de occiſis à Pilato Iudæis, atque necatis ruina turris Siloe, aſſerentis de alijs diriora patrantibus facinora, nec ſtatim pœnas dãtibus, eos ad pœnitentiã reſeruari, quam ſi agere prætermittãt, durius eſſe iudicium ſubituros. Hæc ille,

Baron. loc. cit. n. 3. Sontes proprijs armis confoſſi pereunt.

Quoniam verò, quos vna criminis implicat culpa, par quoque pœna inuoluit, funeſto non tam exitu, quã exitio ſacrilegi milites mulctati ſũt, qui eiuſdem Theodoberti Regis furori deſeruientes, S. Vincentij Martyris in eadem regione baſilicam inuaſere, de quibus iſthæc Turonenſis babet: *Tempore autem illo* (inquit) *quo contra Gunibaldũ commotus exercitus ad Conueniẽſẽ vrbem directus eſt ab huius hoſtilitatis multitudine Baſilica S. Vincentij Martyris vallatur tota: Erat autem in ea plebs omnia rerũ ſuarum præſidia confidens de reuerentia martyris, quod nullus ea præſũptione temeraria auderet attingere, & obſeratis oſtijs ſe ab intus cum rebus incluſerat. Circumdantes autem hoſtes cum aditum, per quem ingrederentur, inuenire non poſſent, ignem oſtijs ædiũ ſubijciunt, quem diu, multumque ſuccẽdentes, non apprehendebant valuæ, donec impulſu ſecurium comminutis ingreſſi ſunt diripientes res, populumque incluſum in ore gladij trucidantes. Sed non diu hæc remanſerunt inulta; nam alij à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necati, multi etiã à frigore occupati, diuerſis in partibus, diuerſorũ morborũ genere vexabantur. Nam vidi ex eis multos in Turonico Territorio, qui in hoc fuerant mixti ſcelere, grauiter cruciari, & vſque ad vitæ præſẽtis amiſſionem, intolerabilium dolorum cruciatu torquèri. Multi enim ex his confitebantur, ſe iudicio Dei ob hanc iniuriam martyris, fuiſſe morti peſſimæ deſtinatos. Ecce quantum Deus præſtet martyribus ſuis.* Hæc Turonenſis de Sacrilegis, qui B. Vincẽtij Eccleſiam expilauerant, in quos inuictus Chriſti Martyr, ipſaque inter carnificũ olim tormenta triumphans, haud ſe perfidorum hominum ſacrilegas inter rapinas improbitate nunc vinci paſſus, vltionis gladium exeruit, ſuamque ad proſternendos, proterendoſque contumelioſos homines dexteram protendit.

Baron. ann. 7. an. 576. nu. 4.

Greg. Tur. de glo. Mar. lib. 1. c. 105

Ignis pepercit valuis Eccleſiæ.

Multiplici pœna diuinitus affecti.

11. Porrò ne alia irati Numinis, quæ milites B. Martyris Vincentij Baſilicæ violatores apud Agenẽſem Ciuitatem ſubſequuta ſunt iudicia, & quorum recẽs apud poſteros memoria vigebat, ſilentio obuoluantur, hæc idem Gregorius tradit: *Multos quidem* (inquit) *diuina vltio conterruit, nam pleriſque manus diuinitus vrebantur, emittentes fumum magnum, ſicut ex incendio ſurgere ſolet; nonnulli arrepti à dæmone per energiã debacchantes, martyrem declamabant, plurimi vero ſemoti à ſeditione, proprijs ſe iaculis ſauciabant.* Ex quibus haud impune ſanctorum templis inferri contumeliam innoteſcit; ſed vt validiore aſſertionis propoſitum argumento euincatur.

Greg. lib. 3. hiſt. c. 21.

Baro. an. 588 n. 16.

Sacrilegorum manus horrendo correptæ incendio.

Chilpericus, qui Principem apud Sigebertum Francorum Regem locum obtinebat, cum regia fretus potentia, aditum ſibi ad nefanda quæque patefaceret, ſacrilegas in B. Metri bona manus extendit, ſed admiſſi piaculi tum ipſe pœnas exoluit, tum alij, qui vna cum ipſo violentas admouere manus non dubitarunt,

Chilperici ſacrilegi exemplum.

Baron. tom. 7. an. 579. n. 15

Greg. de glor. Conf. c. 71

vt Turonenſis narrat: *Aquenſibus* (inquit) *conceſſus eſt inclytus* Athleta *Metrias, vir in corpore iuxta hiſtoriã actionis, magnificæ ſanctitatis, & licet ditione ſeruus, liber tamen iuſtitia, qui (vt ferunt legẽtes certaminis ipſius textum) peracto curſu boni operis à ſæculo victor abſcedit, ſæpius ſe in cælis degere virtutibus manifeſtis oſtendens. Tempore igitur quodam cum Franco* Epiſcopus *huius municipij Eccleſiam gubernaret:* Chilpericus, *qui tunc primus apud Sigebertum regem habebatur, villam eius competit dicens: quia iniuſtè ab* Eccleſia Aquenſi *retineretur;* At *dicto citiùs conuenitur* Epiſcopus, *datiſque fideiuſſoribus in præſentia Regis adſiſtit clamans, & obſecrans, vt Rex ad huius cauſæ audientiam, præſentiam ſuam auerteret, ne cæleſti iudicio condemnetur, addens: ſcio enim virtutem Metri viri beati, quod velociter in peruaſorem ſuum irrogat vltionem. Denique coniuncti Auditores cauſam diſcutiunt.* Inſurgit Chilpericus, *& improperãs criminibus exacerbatũ* Epiſcopum, *quod res Fiſci ditionibus debitas iniqua ordinatione retineret, extrahi eum à iudicio iubet, & eumdem ablata per iudicum præſentiam villa, trecẽtis aureis cõdẽnauit. Fauebãt ei omnes, nec quiſquã cõtra volũtatẽ eius audebat decernere, niſi quod ei libuiſſet.*

Aquenſis eccleſiæ S. Metri cliẽtelæ addictæ bona rapit.

Quid verò pro ſua interim cauſa Epiſcopus? iudicum, ne dum fauore, ſed aure, adituque omnino deſtitutus, vbi cuncta alioqui iura aduerſus Eccleſiam proculcari, ac dolos, doloſoſque per ſummum nefas apud regium tribunal inualeſcere, & iam cauſa irreparabiter ſe cadere animaduertit, ad Dei tribunal præfidenter appellat, eumdemque controuerſiarum iudicem, vindicemque inclamat; ſed rei exitũ proſequamur.

Prouocatur ab Epiſcopo ad diuinum tribunal.

12. *Deniq;* (inquit) *condemnatus, ſpoliatuſque ſacerdos ad vrbem redijt, atq; proſtratus in oratione coram ſepulchro ſancti, dicto pſalmi Capitello ait:* Non *hic accendetur lumen, neque pſalmorũ modulatio canetur, glorioſiſſime ſancte, niſi prius vlciſcaris ſeruos tuos de inimicis ſuis, reſque tibi violenter ablatas* Eccleſiæ *ſanctæ reſtituas. Hæc cũ lacrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum proiecit: Egreſſuſque clauſis oſtiis ſimiliter in ingreſſu alias collocauit.* (typus erat derelicti (inquit Baronius) penitus loci.) *Nec mora: corripitur peruaſor a febre, decũbit in lectulo, exhorret cibum, faſtidit, & potum, profert æſtuans iuge ſuſpiriũ, cui etiam ſi interdum ab ardore febris ſitis accederet, aquam tantum, nihil aliud hauriebat. Quid plura? in hac ægrotatione integrum ducit annum, ſed mens praua non flectitur. Interea labitur cæſaries cuncta cum barba, & ita omne caput remanſit nudum, vt putares eum olim ſepultum, nuper eiectum fuiſſe poſt funera ſepulchro. His & talibus miſer affictus malis ſero recogitat dicens. Peccaui, eo quod expoliauerim* Eccleſiam *Dei, atque* Epiſcopo *ſancto intulerim iniuriam. Nunc autem quantocyus, & reddita villa ſexcentos aureos ſuper tumulum ſancti deponite. Eſt enim mihi ſpes, quod res reddita tribuet ægrotanti medelam. quod audientes homines eius, accepta pecunia fecerũt ſicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, ſolidoſq; ſuper ſepulchrum ſerui Dei poſuerunt. Sed cum hoc feciſſent, ſtatim ille in loco, quo erat, ſpiritum exhalauit; lucratuſq; eſt detrimentũ animæ per adeptionem acquiſitionis iniquæ.* Epiſcopus *autem obtinuit vltionem de inimicis* Eccleſiæ, *quam promiſerat futuram per Athletæ Dei virtutem.* Hæc auctor dum portentoſo iſtiũs fato, Antiochi, qui Hieroſolymitano olim tem-

Turon. vbi ſup.

Baron. vbi ſupra.

Horridus in Chilpericum morbus diuinitus immiſſus.

Agnoſcit ille flagitium & bona reſtituit adiecto etiam munere.

Veniam tamen non promeruit.

Digitized by Google

templo inſultarat, exemplũ mortalibus inſtauratum oſtẽdit. Miſer enim licet ſub extrema vitæ momenta, violati à ſe templi piaculum retractaret, ac inſanabili morbo, dolorumque acerbitate oppreſſus, quæ impia indè manu abſtulerat confeſtim reddi præcepiſſet, ab infeſto tamen, quo detinebatur corporis languore releuari nequaquam potuit: *Orabat autẽ ſceleſtus Deũ, à quo* (vt ſacræ docent paginæ) *nõ erat miſericordiam conſequuturus.*

Pari cum Antiocho Sacrilego pęna perculſus.

Macab. c. 9. 13.

13. Verum vt, dum ſuſceptam ſacrilegorum hominum narrationẽ proſequimur, condigno prædones impios orationis ſtylo perſtringamus perfidis quidem hæreticis haud impunè Eccleſiarum bona inuadere cõtigit; Nam cum anno redempti orbis 583. bellum inter Leuuigildum Gothorum Regem Arrianũ, ac Hermenegildum Catholicum eiuſdem filiũ, in Hiſpania exarſiſſet, Gothus quidã iuſtas impietatis eiuſcemodi inter predandum, aliique pariter vna cum ipſo pœnas dedere, ſed rem Turonenſis his verbis tradit. *Cũ Leuuigildus Rex* (inquit) *contra filium ſuũ ambularet, atque exercitus eius (vt aſſolet) grauiter loca ſancta concuteret: monaſterium erat S. Martini inter Seguntum, atque Charthaginem ſpartariam. Audientes autem monachi, quod hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & de relicto Abbate ſene in inſulam maris abſcondunt. Aduenientibus autem Gothis, ac diripientibus res monaſterij, quæ ſine cuſtode remanſerãt, Abbatem ſenio incuruatum, ſed ſanctitate erectum offendunt, extractoque vnus gladio, quaſi amputaturus ceruicem eius, reſupinus ruit, ac ſpiritum exhalauit. Reliqui vero hæc audientes, timore perterriti fugerunt. Quod cum Regi nũciatum fuiſſet cum teſtificatione præcepit omnia, quæ ablata fuerant Monaſterio reſtaurari.* Cito quippè, & quã ſeuere prædo, qui rapinas è Beati Martini cœnobio abſtulerat, manifeſto Dei iudicio mulctatus eſt; ſed vt alterius hic exlegis inter Arianos, ac ſacrilegi mentionem faciamus.

Baron. tom. 7 an 583. n. 38 Ghotus ſacrilegus prędo punitus.

Greg. Tur. de glor. Conf. c. 12. 13 Leuuigildi Regis contra filium expeditio.

Irruptio in monaſterium S. Martini.

Gothus Abbatem interfecturus repente corruit mortuus.

14. Gomacharius Comes Arianus, qui ſub Leuuigildo Rege Ariani dogmatis ſectatore prouinciã adminiſtrabat (Gothorum enim ditioni vt Turonenſis docet, Agathenſis tunc Ciuitas ſuberat) cum Eccleſiæ bona inuaſiſſet graui cõfeſtim morbo correptus, dũ ſupplex fit, illicò à lãguore conualuit, quod tamen ſpopõderat, non adimplens, paulo poſt miſerrimè vitam abrupit; ſed præſtat rem geſtam ex Turonẽſi delibare; *Eccleſia quoque* (inquit) *Agathenſis, quæ S. Andreæ reliquijs plaudit, plerumque glorioſis illuſtratur miraculis; peruaſores rerum ſacrarum ſæpius arguit. Denique Gomacharius Comes agrum Eccleſiæ ipſius peruadit. Tunc Leo Epiſcopus huius Eccleſiæ valdè mœſtus concurrit ad eum dicens: Relinque, fili, res pauperum, quas ordinationi noſtræ dominus commendauit: ne ſit tibi noxium, & à lacrymis egentiũ, qui de fructibus ali conſueuerunt, eneceris. Ille verò, quia hæreticus erat, parui pendens, quæ de his ab Epiſcopo dicebantur, rem in ſua dominatione retinuit. Interim procedente die arripitur à febre. Cumque non modo ardore corporeo, verum etiam animæ vexaretur incommodo, miſit ad Epiſcopum ſuos nuncios dicens: Dignetur pro me ſacerdos orationem ad dominũ fundere, & ego dimittam agrum eius. Quo orante hic à valetudine, qua grauabatur, conualuit: factuſque ſanus, ait ſuis: Quid putatis, quod iſti nunc Romani dicant? Aiunt enim me ob hoc fuiſ-*

Baron. ubi ſupra.

Gomacharius raptis Eccleſiæ opibus morbo oppreſſus

Greg. Tur. de glor. mar. lib. 1. c. 89.

Minatur vir Dei necem, ni ablata reſtituat.

promiſſa deludit;

Digitized by Google

fuiſſe febre grauatũ, quod tulerim agrũ ſtorum, quod mihi iuxta conſuetudinẽ humani corporis accidit. Verumtamẽ non habebunt cum me viuente. Ex quo ſacrilegum hominẽ, vt à malo quantocyus reſipiſcat, ablataque Eccleſiæ bona reſtituat, adhuc tamen rem facto adimplere detrectantem flagellis diuinitus exagitatum videre eſt, ac nobilem, ſpecioſamque inſuper catholicorum, qua olim ab impiorum hominum cætu diſtinguebatur, Romani vſurpatione vocabuli teſſeram: *Appellat enim iſte* (vt Baron. inquit) *Romanos Catholicos licet Gallos:* Idem enim tunc temporis apud Arianos erat, *Catholicos dicere, ac Romanos*, vt ex Victore Vticenſi, aliiſq; palam euincitur: Sed iam ad hæreticum hominem, qui vbi ſe languoris moleſtia liberum vidit, haud in ſano mentis propoſito, etſi non impune perſtitit, orationis ſtylum conuertamus; iſthęc igitur Turonenſis vbi ſupra tradit.

Bar. vbi ſup. Catholici vocati olim Romani.

15. *Quod* (inquit) *cum Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum dicens. Nũ pœnitet te feciſſe bene? quid hoc iterum conaris euertere? Ne facias quæſo, ne vltioni diuinæ ſubiaceas. Qui ait ad Epiſcopum: Sile, ſile, decrepite, iam infrænatum te loris circuire vrbem ſuper aſinam faciam, vt ſis in ridiculo omnibus, qui àſpexerint. At ille ſilẽs ad nota recurrit præſidia. Proſternitur in oratione, celebrat vigilias, & noctem totam in lacrymis, & ſpallendo ducit. Mane autem facto accedit ad lycinos, qui de camera Eccleſiæ dependebant, extendenſque virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens: Non hic accendetur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res Eccleſiæ ſuæ.* Magna planè ſanctorũ fides ac in expetẽda iuſta ex impijs vltione, adeo, vt vbi neceſſitas cogit, ipſiuſq; rei articulus, ac Dei honor exigit, imperãtium potius, quam deprecantium in morẽ fiducia in Deum ſit. Sed rei exitum videamus.

Greg. Tur. vbi ſupra. Diuina in illuſorem vltio.

Vir Dei cõtẽptus haud verbis, ſed precibus rem ſuam agit.

Hæc eo dicente protinus hæreticus ille in rediuiuam febrem corruit cumq; in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum dicens: oret pro me Sacerdos ad Dominum, vt viuam, & reſtituam agrum, ac ſimilem eius conferam dominationi. Quibus Pontifex reſpondit: iam oraui ad Dominum, & exaudiuit me. Miſit, & alios, & tertios ad eum nuncios ſed ſacerdos in vno reſponſo perſiſtens, non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iuſſit ſe in plauſtro componi, atque ad Eccleſiam euehi, ac per ſe deprecari Epiſcopum dicens: quia dupla ſatisfactione reſtituo agrum, quẽ inique peruaſi tantum, vt oret pro me ſanctitas tua. Illo quoque recuſante compulit eum vi, vt abiret ad Eccleſiam. Quo diſcedente, vt Eccleſiam eſt ingreſſus, & hic ſpiritum exhalauit, recepitque cõfeſtim Eccleſia rem ſuam. Hæc Gregorius de Comite perfidis Arianorum domgatibus vitiato, pro quo Epiſcopus preces vel inuitus, coactuſque Deo in Eccleſia offerens, ad vindictam magis, quam ad ſalutem repentino viri ſubſequuto interitu exauditus è cælo fuiſſe comprobatur. Quid vero homini regalibus inſulis conſpicuo contigerit, qui perditos regni ad miniſtros, ſacrarumque rerum prædam aucupantes nactus, non protinus ab officio amouit dicendum modo eſt, ac res ex hiſtoriarum paginis repetenda:

Fœdi fragus in morbum recidit. Greg. Tur. vbi ſup.

Implorat hæreticus Epiſcopi opem.

Imploraſſe non profuit.

16. Guntheramnus Francorũ Rex, etſi Dei zelum, haud in omnibus tamen zelum, qui ſecundum ſcientiam dicitur habere, eiuſdemque permoueri impulſu viſus eſt. Leuioribus enim

Francorũ Rex plectitur

Google

enim plerumque ſuſpicionibus adductus in Epiſcopos, quos vitæ ſanctitas, ac morum probitas commendabat, rebus haud maturiori conſilio diſcuſſis, nedū ab eorūdem iniurijs abſtinendo ferebatur, vt apte Baronius in ſuis annalibus docet. Quod Theodoro Maſſilienſium Epiſcopo contigiſſe deſcribitur, quem dū Retharius, regis eiuſdem Dux per ſummam iniuriam exagitat, violentaſq; bonis Eccleſiæ manus admouet, famulos, ac filium ſubinde improuiſo correptum morbo funeſtiſſimè amiſit, adeo vt pater in filio; quæ pridem peccauerat exoluerit, cœterique ſceleris conſortes, & conſcij pœnas dederint; hęc enim Turonēſis *Denique* inquit) *cum Rex maxima intentione Theodorum Epiſcopum iterum perſequi conaretur, & Maſſilia iam in Childeberti Regis dominationē reuocata fuiſſet, ad diſcutiendas cauſas Retharius illuc quaſi Dux à parte Regis Childeberti dirigitur, ſed poſtpoſita actione, quæ ei à Rege iniuncta fuerat, Epiſcopum vallat, fideiuſſores requirit, & ad præſentiam Regis Guntheramni direxit, vt ſcilicet ad ſynodum, quæ* Matiſcone *futura erat Retharius ab Epiſcopo damnandus adeſſet. Nec defuit vltio diuina, quæ ſeruos ſuos ab ore canum rabidorum præſeruare conſueuit. Nam egrediente* Epiſcopo ciuitate, *ſtatim res Eccleſiæ diripit, & alia quidem ſibi vendicat, alia ſub ſigillorum munitione concludit: cumque hoc feciſſet, protinus famulos eius ſæuiſſimus inuadit morbus, exhauſtoſque febri peremit: filius eius ab hoc incommodo defecit, quem in ſuburbano* Maſſiliæ *ipſius cum graui gemitu ſepeliuit; fuitque talis domui eius plaga, vt cum ab illa vrbe eſſet digreſſus, vix ad patriam ſuā regredi putaret.* Hæc de Rethario, qui in filio, ac famulis ob ſacrilegas bonorum rapinas funeſte mulctatus eſt.

Pater ſacrilegus Filium amittit.
Greg. Turon. hiſt. lib. 8. c. 12

Sacrarum operū raptores ſæuiſſimo pe tempei morbo.

17. Ab huius autem conſortio; par ſcelere ſecernēdus non eſt Hugo, præcipuus inter Gallicani Regni proceres, qui cum argenteum diſcū à B. Arnulpho, prothomartyr Stephano dicatū pretio ſibi vendicaſſet, reliquo iam Eccleſiæ theſauro pia beati eiuſdem Epiſcopi opera in pauperum vſus redacto, ſacri, ac venerandi, quod temere ſibi vindicarat, pignoris pœnam ſubito, inopinoque ſacrilegus fine perſoluit, vt Ionas in Beati Arnulphi Metenſis Epiſcopi geſtis refert; cuius hæc ſūt verba. *Per idem* (inquit) *tempus, cum Beatus Arnulphus iam pene omnes theſauros Eccleſiæ in vſus pauperum erogaſſet, ſupererat adhuc diſcus argenteus, habēs libras ſeptuaginta duas. Hunc quidē Hugo primus procerum dato pretio cōparauit, ſed omnipotens Deus non paſſus eſt, vt laicus illo frueretur, qui in honorem B. Stephani prothomartyris olim conſecratus habebatur. Prædicto ſi quidem Hugone præpeti morte proſtrato, diſcus ille Clothario Regi allatus eſt, qui cum referentibus quibuſdā comperiſſet hunc à B. Arnulpho, ob alimoniam pauperum accommodatum fuiſſe, mox tanquam cælitus inſpiratus iubet eum velociter ſuperpoſitis centum aureis ad Metenſem Ciuitatem Sancto Pontifici deferri.* Hæc probe fidei ſcriptor de iuſto in eos iudicio, qui ad res ſacro altaris vſui addictas manum protendunt.

Baron. tom. 8. an. 615. n. 11
Rem ſacram attrectans, pretioque ſibi vendicās punitur

Ionas Ab. in geſt. S. Arnulphi Epiſc.

Clotharius Rex ſuper impoſitis cētum aureis iubet referri in Eccleſiam.

18. Sed vt illatas prophanis ſacrarū ędium violatoribus clades proſequamur; cum Nortomanni, in Gallias olim valide armis inſtructi irrupiſſēt atque Eccleſijs bellum indicere, ſuāque manū petulanter admouere, & ea, quæ vti ſacra habentur auferendo ipſi Deo contumeliam inferre auſi fuiſ-

Baron. to. 10 an. 845. n. 16

Digitized by Google

ſi fuiſſent, ſuas miſeri inter rapinas iuſto Dei nutu pœnas dedere. Nã cũ Rothomagũ, & Pariſios poſtea prædarum cupidi, ac impietatis vexillum præferẽtes ſe infudiſſent, haud dubijs. præoſtenſis è cœlo portentis, qui Beati Germani apud Pariſios Eccleſiam violare tentarunt, nec impunè à loco pedem retraxere, ſed funeſtam hic eorumdem Aimoino docente irruptionem ipſiuſmet verbis repetamus.

Aimoinus de reb. Franc. lib. 3. c. 20

Gens (inquit) *Northmãnica Galliã irrumpens Pariſios vſque peruenit, monaſteriumque B. Germani Pontificis depopulata eſt, quorum Dux, Ragenarius nomine, ſub principe Borico (vel Horich.) hanc deuaſtationem peragẽs, dum ante dictũ principem ſuum ſe iactaret opulentiſſimum Regnum Caroli acquiſiſſe, & Monaſterium Almi Germani deuaſtaſſe, & quod ibi maiorem mortui, quàm viui virtutem haberent, nullumque ſibi reſtitiſſe;* (vt vel nolens, vel inuitus Dei, ſeruorumque eius potentiam prædicaret) *reſtitiſſe neminem, præter Germanum ſenem mortuum, continuò virtutẽ beati viri expertus concidit, ac poſt triduũ expirauit non ſolum ipſe, verum etiam et cæteri raptores, & violatores Sancti Loci dyſſenteriæ morbo perierunt.* Hæc ille de perditis, qui ſacro iniuriã templo tum dictis, tum factis exhibuere; Sed quæ ad vlciſcendas ſacrilegas impiorum Northmannorum manus ſpectant, his ex eodem, vel alio eiuſdem temporis ſcriptore verbis repetenda ſunt.

Sceleris auctor dũ illud iactat repente concidit.

Aimoinus vbi ſupra.
Normannorum in Parisienſes irruptio.

19. *Cum igitur* (inquit) *Sabbato Paſchali diffuſa nauiũ claſſe Pariſios, vt ſupra dictum eſt, perueniſſent in craſtinum, cum ſol luciſluos emitteret radios propria totum illuſtrans lampade mundum, è nauibus prorumpentes, ipſã Ciuitatem, vt præmiſimus, vicinaque ſuburbana abſque habitatoribus repererunt. Ingreſſique Monaſterium beatiſſimi Germani Dei fanum, reſiduumque Eccleſiæ, quod ſecuritatis damno remãſerat, apparatum contaminare, pollutiſque manibus cæperunt deſtruere; ſed quia Domino miſerante, nec ibi virtus defuit eiuſdem Sanctiſſimi Patris, minimè debent reticeri, quæ tunc illis totius mundi creator ad laudem ſui nominis, gratia ipſius Pontificis, oſtendere dignatus eſt miracula. Nam cum trabes Eccleſiæ miſerrimus iſte populus, (quæ erant abiegnæ, & idcircò habiles nauigio) incidere tentauiſſet, tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem B. Stephani, inualidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atq; confracti incredulas, Deoq; odibiles animas, aliis timore perculſis exhalantes, perpetuas deſcenderunt ad umbras, vbi edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.*

Violatores Eccleſiæ S. Germani ante altare exanimati proruunt.

Manifeſta proculdubio in ſacrilegos rerum Deo, ſanctorumq; cultui dicatarum prædones è cœlo vltio aſfuit. Sed reliquam nunc à barbaris venerabili intentatam loco vaſtitatẽ exequamur: *Accidit, vt vnus eorum apud eos neſandiſſimus ad confeſſionem Domini Germani ſtrictum gladiũ polluta geſtans manu, (mira quidem dicentur) deueniret, columnamque marmoream, quæ ibidem orantibus ad dexteram ſita erat, terdecies totius corporis obniſu veluti vapulantis hoſtem percuteret, ei continuò manus dexteræ, qua columnam ipſam inciderat, virilitas euanuit, vt poſt primum diem, (quemadmodum idem Kobbo vidit, qui et eas inciſiones nobis ignorantibus præſens oſtendit) vſque ad infelicem eius de hac vita deceſſum ſemper immobilis, aridaque, vt fuerat extenſa, permaneret, manubium vero ferri ita manui compaginatum inhæſerat, vt nunquam*

Aimoinus de tranſlat. S. Germani Epiſcop. vbi ſup.

Sacrilego alteri exareſcit manus.

ab

Digitized by Google

ab ea aliquo ingenio, vel arte, niſi cum cutis parte auelli potuerit. Qui tamdiù nimia vexatione compatientis corporis cruciatus eſt, donec miſerrimam finiret vitam plenus indignationis, & iræ, manibus dæmonum deuectus ad tartaricas ſedes cocyti, fœtidumque locum Auerni. Hic prædonis barbari, ac ſacrilegi, qui ſanctorum templis contumeliã intentare, prędamq; è ſanctuario auferre veritus non fuerat. At quæ ſcriptor ſubiicit, proſequamur:

20. *Igitur dum ipſum ſanctiſſimum Oratorium à crudeliſſima impiè violaretur turba, tanta ſubitò nebulæ eſt dẽſitate repletum, eiuſdemque obſcæni violatores diuini indicii cæcitate percuſſi, quatenus id metu, & tremore nimio pauefacti relinquere cupientes, vix oſtia vel fores, per quas intrauerant, inuenire valerent, ſicque in oberrando diutius fatigati, tandem erumpentes, quãtocyus effugerunt, talique ab illo die, tantoque peruaſi terrore, quo nec auſi vlterius eſſent, quacumque fœditate ipſam contaminare Eccleſiam. Inſuper & ita diſſenteriæ morbo exinde (vt eſt vulgatum) ſunt affecti, vt dum quotidiè morerentur, nullus ex tanta multitudine ſe putaret euadere.* Mors quippè in perditis impiorum caſtris ſedẽ fixiſſe, ac cuncta malorum incõmoda, vbi homines turmatim peribant, vexillũ erexiſſe videbãtur; ſed vt rem proſequitur, haud calamitatũ hic finis

Aimon. de translat. S. Germani apud Surium vbi ſup.

Sacrilega turba percuſſa cœcitate.

Dyſſenteria pereunt.

21. *Interea* (inquit) *ſimulato languore legationis cauſa dirigunt ad præcellentiſſimum Regem Carolum, vt eos cum pace fideles ſuſcipiens, ad propriam dato Regni tributo redire permitteret patriam. Qui ita dimiſſi, atque pro ſui euaſione, quam minime ſperauerant, gauiſi, quo venerant, accepta auri, argentique ſumma impoſita, læti redierunt. Sed reuertentes morbo, quo in prædicta Eccleſia percuſſi fuerant, quotidie deficientes cruciabantur, cruciatique nequiſſimas miſerabiliter animas expirauerunt, nemine, quos ſecum habebant, Chriſtianorũ huiuſmodi plagã ſentiẽte: in quibus omnibus Dei eſt conſideranda potentia, eiuſque pietas amplectenda, qui tam miſericorditer, ſaluat innocentes, tamque terribiliter ſanctos ſuos mirificando, punit profanos.* Quibus narratis auctor, de ſacris venerandiſque B. Germani reliquijs ad ſuam perhonorifice Eccleſiam reductis, ac de portẽtis, quę tũc diuinitus patrari cõtigit, ſermonẽ ſubinfert. Atqui cœptã de Danorũ Duce hiſtoriam proſequutus, quę ſub ea tempora Dei in ſacrilegos ira inualeſcẽte obtigere, his planè verbis tradit.

Sacrilegorũ gentilium triſte ſupplicium.

Reliquiæ s. Germani ad eccleſiam relatę.

22. *Ragenarius* (inquit) *Dux, auctor totius memorati mali ante præfatum Horich* Northmannorum *Principem, cum ingenti ſuperbia veniens, oſtendit ei, quod ſecum hinc aſportauerat aurũ, argentũq; multum, dixitq; quod optatiſſimam* Pariſios *Ciuitatem captam haberet, quodq; manſionẽ Germani ſenis, quæ in eadem terra decentiſſima haberetur, intraſſet; Inſuper & quod omne Caroli Regnum ſibi ratione tributi ſubiugatum haberet. Horich autem dum talia non crederet, iuſſit iam dictus Regenarius partem inciſæ trabis monaſterii diui Germani, ſeramque portæ Pariſiacæ Vrbis ante eum in teſtimonium adduci. Præterea retulit, quam bonam, quamque fertilem, vti omnibus repletã copiis inueniſſet terram; populum verò eam incolentem ad dimicandum pauidum, ac timentem. Referebatq; dicens, quod maiorem ibi mortui, quã viuentes haberent virtutẽ, nullumq; ſibi inuenerint reſiſtẽtẽ præter Germanum Senem mortuum. Hæc cum diceret tremens illico, ac pauens corruit in terram, atq; terrifica cœpit voce clamare: Germanũ coram conſiſtere, eumque ſe baculo, quẽ*

Aimon. vbi ſup.

Prædo Sacrilegus ſe Dei uiro, eiuſque cœnobio iniuriam feciſſe gloriatur.

S. Germanus ſacrilegum ſuperbientẽ baculo percutit.

Digitized by Google

manu geſtabat, grauiter flagellare. Quod videntes Horich videlicet, vniuerſique ſibi aſtantes, ipſeq; Kobbo Ludouici Regis *illuc directus legatus, ex eo quod acciderat, ſtupore nimio permoti, admirati ſunt. Idem verò Ragenarius ſic humiliatus, ac repētè contritus, aliorum manibus citò ſublatus receſſit: qui maximis per triduum tormentis ignominioſè afflictus præcepit tandem vnam auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam fieri, eandemque per eumdem Kobbonem Germano ſeni deferri, ſpondens ſe, ſi euaderet, Chriſtianum deinceps futurum. Sed quia non erat ex ouibus Chriſti idcircò, quod petebat, obtinere non meruit.* Ita

Horrendum in modum ſacrilegi corpus intumeſcens diſrumpitur.

prorſus inflatus, (quemadmodum nobis idem Kobbo manifeſtum fecit) ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec viſus, nec odoratus, vel guſtus in eius corpore diſcerni potuerit. Sicque diffuſis ad poſtremum viſceribus medius crepuit, vitamque miſerrimus inanem finiuit. Statua verò ſacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerat, retenta velut immundiſſima à mundiſſimo cordium inſpectore refutata remanſit. Hinc iuſtā aliquando differri, haud tamē omninò vltionem auferri conſtat; Vt inceptæ autem narrationi inſiſtamus hæc opportune ibi à ſcriptore de reliquorū clade ſubtexuntur:

Aimoinus vbi ſup.

Horridus morbus depaſcit ſacrilegos.

23. *Sed adhuc* (inquit) *qualiter, qui reſidui fuerunt, ex hac defecerunt vita, proſequendo narremus; Ab eo ſane die, quo monaſterium almi præſulis Germani ingreſſi ſunt, donec pœnaliter cuncti interirent, ita, vt diximus, Kobbone teſte, viſcerum inflatione percuſſi ſunt, quatenus omnis eorum cœtus etiam in patria quotidie moriens periret, præter quos Horich poſtea iuſſit occidi. Timens enim ipſe, eiuſq; optimates, & populus pariter vniuerſus huiuſmodi morte peſſima damnari, præcepit omnes, qui reſidui fuerant, exceptis paucis fuga lapſis, quos nec mortis credimus euaſiſſe exitum, decollari, eorumque capita, veluti ſatisfaciens morbo, Chriſtiano, qui captiuus illic erat, populo tradi. Nam ita clades ingraſſata, Deo permittente ſæuiebat in plures, vt penè quicumque morbidum tāgeret, eodē extemplo attractus morbo, & ipſe deficeret.* Manifeſtum profectò in Dei virum contumelioſi, & expilando, inſultandoque inſuper tā corporis, quam animi, retuliſſe pro mercede exitium videbantur. Plura vero Aimoinus de vaſtitate hoſtibus diuinitus inflicta, poſteriſq; monumēto futura luculenter in ſuis paginis narrat, qui & in ea, quam conſcripſit hiſtoria, de funeſto, probroſoq; Ducis eiuſdem Ragenarij, ac reliquorum morbo, atque exitu meminit: quibus ſubinde narratis, alia quædā B. Germani Epiſcopi meritis, dum ſacrum venerandumq; corpus transferretur, edita è cælo ſignā recenſet, quæ ſi pius quiſque, curioſuſq; noſſe cupit, eumdem conſulat; Et nobis interim ipſius Baronii verbis, Nouatores perditos, qui SS. miracula, aniles veluti fabulas derident, ſubſannātq; acriter interpellaſſe ſat eſt.

Edita plura alia à S. Germano miracula.

Baroni nouatores interpellantis verba.

Quid tu iſta (inquit) *audiens Nouator Hagiomache, perfide? Negas tu ſolus, quod barbarus Dux & gētilis, & hoſtis ſanctorum, extorquēte numine inſtar Antiochi confitetur verbis, & profitetur factis? Quid tibi timendū, & de te quid dicendum? Niſi quod Dominus olim in Iudæos perfidos dixit, occaſione narratorum ruina turris Siloe, quod licet minime grauioribus peccatis eſſent obnoxii, quam alii habitātes Hieruſalem, ea paſſi fuerint, in exemplum tamen peccantium poſiti, vt niſi pœnitētiam agerent, eſſent ſimiliter perituri: nō quod ſuper omnes eſsent turres ad ipſorum interitum ruituræ, ſed quod om-*

Baron. to. 10. an. 845. n. 28

Luc. c. 13

Perpendant quāta ipſos maneant ſupplicia.

Digitized by Google

omnes diuinæ vindictæ, abſque aliqua dubitatione ſeruandi eſſent, nempe gehennæ omnibus ſupplicijs grauiori. Et hæc in rem præſentem annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor; Ex quibus debitum SS. templis iugiter honoris cultum deferendum Deo pro ſanctis è cœlo dimicante, vnuſquiſque intelligit.

Baron. to. 10. an. 840. n. 11. 12

24. Verum enimuerò, quoniam opportunus adhuc de impijs ſacrarum rerum, temporumque violatoribus ſermo recurrit, hic ſilentio minimè prætereundum eſt, quod Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus his verbis apte in rem præſentẽ inculcat: *Tempore* (inquit) *Ludouici Imperatoris, duo fratres Franci Foreſtarii eius inuaſerunt partem de Sylua, quàm in ſaltu Voſagi* (*vt ſupra oſtendimus*) *S. Remigius in vita ſua pretio comparauerat intra fines eius, dicentes quod plus pertineret ſylua ad fiſcum Imperatoris, quam ad partem S. Remigii. Contradicẽtibus autẽ hominibus de poteſtate Rhemenſis Eccleſiæ; vnus eorum altercando venit ad porcos ſuos, quos in eamdem ſyluam ad paſtionem miſerat, inter quos lupum inuenit, quem aſcendens in equũ velociter eſt inſequutus, & volens eum percutere, equo expaueſcente, colliſit caput ad vnum fuſtem de ipſa ſylua, ita vt cerebrum illius in terram defluxerit, et mortuus eſt. Frater vero eius velociter pergens in partẽ alteram, peruenit ad quamdam petrã, & dixit: omnibus notum eſt, quia vſq; ad hanc petram iſta eſt ſylua Imperatoris, & cum percuteret eamdem petrã dolatoria, quam in manu portabat, exilierunt ab illa particulæ in oculos eius; & excæcatus eſt, ſicque ambo receperũt mercedẽ præſũptionis, & mendacii ſui.* Concita profectò ſacrilegos vltio inuaſit, qui bona Eccleſiæ iniquis attrectare manibus per fraudem, doloſq; inuadere, ac Fiſco vendicare adnitebantur. Sed ne alia eiuſcemodi exempla prætereamus, hæc idẽ Hincmarus:

Hincmarus lib. de tranſlat. S. Remigij Epiſc.

Animaduerſum diuinitus in inuaſores bonorũ Rhemenſis eccleſiæ.

Sua excæcatus à malitia oculo quoq; excæcatur.

Hincmar. in geſt. S. Remigij.

25. *Cũ autẽ defũcto* (inquit) *Ludouico Imperatore Aquitani gentilitia mobilitate, abſque iugo principis, prout quiſque poterat ſe efferre, & inuicem pugnare, & per contiguos pagos debacchari cœpiſſent; **Pauperes homines** ſubſtãtiolas ſuas in Eccleſiis reponere ſtuduerunt. Vnde confiſi opinione virtutum, quæ ibi* (*id eſt in oratorio S. Remigij*) *fiebant, ad ſaluanda ſua in eodem Oratorio, quicumque poterant certatim repoſuerant. **Audientes autem** prædones idẽ Oratorium plurimorum opibus refertũ, aggreſſi ſunt eas diripere. **Quorum** vnus obſeratum oſtium pede percuſſit, vt ſeram effringeret, & mox eidem oſtio pes eius adhæſit, & reſupinus præſumptor in terram cecidit. **Quod** videntes alii aufugerunt. **Ipſe** autem miſer cruciatu cogente cum maximo eiulatu cœpit culpam ſuã fateri, & cum lacrymis amariſſimis profiteri, quod ſi Deus per merita S. Remigii pedem illius ab ipſa compede ſolueret, nunquam vlterius de ipſa, vel alia Eccleſia, quidquã tolleret, vel tolli* (*quantum in ipſo eſſet*) *vllo modo conſentiret. **Caballum** quoque ſuum cum ſella, & alia, quæ poſuit in eamdem* Eccleſiam *afferens donauit. Sicque per confeſſionem, & lacrymas, atque profeſſionem, & votum pes eius ab oſtio, cui inhærebat, eſt ſolutus. Verumtamen poſtea de ipſo arido pede claudus remanſit, vſque dum cõputreſcente crure, & fæmore, poſt diutinum laborem mortuus fuit.* Hæc Hincmarus probæ fidei ſcriptor, eiuſdemque Eccleſiæ Rhemenſis Archiepiſcopus de ſacrilegis iuſtiſſime mulctatis narrat:

Tẽpla haud vnquam impune violantur.

Sacrilegus pede fores ſacelli effringens pedis vſũ amittit.

Crimen deflens recuperat, ſed claudus remanet.

Aaaa 2 Præ-

Digitized by Google

26. Præterea uerò, vt plurimis vltrò euincitur, qui prophanas in ſacra loca, dicatoſque Deo viros manus extendunt, ſeuero Dei iudicio expetiti ſunt, vt in B. Niconis viri ſanctiſſimi geſtis, de impiis, Nicephoro Phoca imperãte, exactoribus, qui ſacra inuadentes loca, eademque expoliantes, iuſtas pœnas dedere, his verbis traditur: *Venit Cubicularius quidam ab Imperatore aurei tributi cauſa miſſus, qui vt pecuniæ, turpiſque lucri percupidus erat, magnas cum cæteris ciuibus, tũ ſancto in primis cœnobio moleſtias exhibebat. Fruſtra autem Monachi, quibus auri nihil erat, immitem, ferumque lenire precibus ſtudebant, qui aurum ſitiens, velut ad incantantium voces obſurdeſcebat. Quin & ferocius inſoleſcens poſt atroces minas in carcerẽ eos detruſit, ac monaſterium ipſum expilare, deprædarique vecors meditabatur. Quod cæteri audiẽtes, qui in eo exercebãtur, ad ſanctum precibus exorandum ſe conuertunt, præſentemque eius opem ſine mora experti ſunt.* Sancti quippè viri ad interpellandum, pro ſuis, & ad opem neceſſitatibus ferendam, vel poſt mortem ſe apud Deum viuere, haud ſemel teſtati ſunt; Quod, & hic à Nicone præſtitum eſt; hæc enim ibi: *Etenim proxima nocte minaci, atque indignabũdo vultu ad Cubiculariũ veniens S. Nicon multis eum verberibus excepit: eo quod, inquiens (eius enim verbis vtendum eſt) Monaſterii curatores, cũ ipſi nihil deliquiſſent, vinculis mãcipaſti, quod niſi eos ſtatim exemeris acerbus præterea te vitæ exitus manet. Profuit Palatino ad ſaniorem mentem hæc afflictio. Manè igitur & vinctos eduxit, & ad templum properans, ſacræ thecæ aduolutus cum lacrymis audaciæ ſuæ veniam à ſancto petiit, diſceſſurũ extemplo Lacedæmone promittens, & ciuibus aurum, quod exegerat reſtituturum, quod re ipſa præſtitit. Nã aureis ſeptingentis duobus ad beati loculum abiectis, conſcenſo equo protinus abſceſſit. Aurum igitur, qui Monaſterio tum præerat Conſtantinopolim miſit ad Præpoſitum. Is verò coemptis hoc pretio ſacris pyxidibus, aliiſque pretioſis vaſculis non paucis ad monaſterium omnia detulit.* Cordatus profectò uir iſte, qui verberibus leuiter attrectatus acerbiora, quibus iure merito alter affectus eſt, flagella, triſtemque vitæ exitum ſalubri vſus conſilio profugit. Antiochus autem alieno, nil melior ſe ipſo effectus, exemplo, ac perditi alterius, cuius nomen præferebat, Antiochi impietatẽ ſectatus, parique infelicitate abſumptus viuẽdi finem fecit; hæc igitur de homine conſcripta acta Beatiſ. Niconis exhibent:

Baron. to. 10. an. 966. n. 78

Acta S. Niconis Abb.

Diuinæ vindictæ exemplum in Imperatoris cubiculariũ ſacrorum raptorem.

Nicon. ibi ſup.

A S. Nicone diuinitus verberibus cæſus.

Raptum aurũ reſtituit.

27. *Sed ad impium Antiochum cõuertenda eſt oratio:* Præerat *is Ducis poteſtate* Ethnicorũ *regioni. Itaque finitimum ethnicorum oræ prædium inuadens, ſedem in eo reclamantibus* Monachis, *tentoriumque fixit.* Et *ne quid ſceleri deeſſet, cum locum perfuſo circumcirca cruore contaminaſſet, impuro in libidinum coeno, nefandiſque flagitiis ſuo illic more volutabatur, quoad dignos temeritatis ſuæ fructus à ſancto percepit. Is ergo per noctem, formidabili, trucique ore illi aſtans poſt hoſtiles incuſſos terrores cuſpidato demum baculo latus lethali plaga percuſſit. Qua excitus cum exeuntem è tentorio percuſſorem notaſſet, famulis quidem, vt eũ comprehenderent, cruda, & lamentabili voce imperabat; Verùm illi neminem videbant. Ex quo demum mali fontem miſer agnoſcens, ſanctum fuiſſe intelligebat, qui vulnus inflixerat,*

Acta S. Niconis Abb.

A S. Nicone lethali plaga percutitur.

in-

inuaſoremque ſuum ex ſuis ſedibus pellere ſatagebat, quo conſcenſo, mox equo Lacedemonem *contendit. Sed ſtadia haud amplius triginta proceſſerat, cum doloris acerbitate victus ex equo deſcendēs, media in via turpiter in ſuorum manibus exanimatus interiit, req; in eo, quod in prouerbiis legitur expletum eſt. Animæ iniquorum immaturæ peribunt, & peruerſi in morte repentina; Miſerum porrò illius cadauer* Spartã *delatum, ſequenti nocte) vt conſtãs fama eſt) ignis, incertum vnde, in loculum irrumpens vtrumque ſimul conſũpſit, & in cinerem redegit.* Hæc quidẽ in ſui pœnam ſceleris impius alter reuera Antiochus Dei famulo vlciſcente ſubiit, qui haud incongruè, tũ ſceleris, tum ſupplicii conſortio, illi, cuius decantata in ſacrarum ſcripturarum paginis mentio recurrit, cõpar extitiſſe deſcribitur; Sed aliud in predonẽ ſacrilegũ animaduerſionis ſupplicium ijſdem ex actis recolamus:

Prouerbior. cap. 3.

Eius corpus flammis diuinitus abſumptum.

28. *Non minus pauendum eſt, quod ſequitur. Michael ille Cherosphartes, vir ſcilicet illuſtris, nullique inter Lacedemonios noſtros honore, gloria, opibus ſecundus, adhæc facundia, indole, forma, ſuauitate morum, ſapientia, aliaque omni laude præſtans erat. Deflexit vir incomparabilis & inuidiæ face accenſus contra Monaſterium impudẽter exarſit, leuiſſimo cuiuſdam agni prætextu, quem lædere Monaſterij pecora dicebant; Ergò collecta facinoroſorum hominum manu, cum ad locũ veniſſet, primum quidem Zozimum* Monachum, *annis grauem, qui monaſterii res procurabat, nihil eius mores, nec virtutem veritus, veſte ſua ſpoliatum, atque in terram proſtratum pugnis, fuſtibuſque ita vexauit, vt tantum non exanimatum reliquerit, deinde Syracuſanum illum* Dionyſium *imitari volens, in agreſtes etiam operas, famuloſq; ſæuire parabat, niſi fuga ſaluti ſuæ cõſuluiſſent. Tum vero monaſterii res omnes* Myſorum *prædæ expoſuit non caulis ipſis, pecorumque ſeptis parcens, quibus etiam flammas ſubiecit, ne quid etiam, quo tegi capræ, oueſque & à furum, ferarumque inſidiis defendi poſſent;* Ita *demum, quaſi parta victoria ouans in equo miſer exultabat, cum ſubitam illatæ ſancto iniuriæ vindictam expertus eſt.* Triumphans igitur infelix prælio poſt acerbas, funeſtaſq; illatas Dei famulis contumelias, cũ tripudio domum regreditur; *Quoniam vero extrema gaudii luctus occupat*, res tota ſubito in luctum cõuerſa, ſuæ triumpho, ac tripudiis vaſtitates, funeraque non defuere, vt his acta verbis teſtantur:

Acta B. Niconis Abb.

Illata monaſterio procuratori iniuria diuinitus vindicata Ex actis S. Abb.

Quanta impius violẽter præſtitit.

Prouer. 14. 13

29. *Nocte inſequuta, terribili, vt in his ſolebat, aſpectu, dormienti S. Nicon ſe obiicit, grauiſſimiſque, & acerrimis verbis increpãs. Quid tibi mecũ ait, vt tantum audaciæ, furoriſque cõcipere, & contra nos,* Deumque *ipſum inſurgere non formidares? Sed diuturni arrogantiæ huius conatus non erunt, ſentieſque tandem haud optabilem exitum fore, ac docebit experientia, quantum mali ſit temeritas, & proiecta in* Deum, *eiuſque ſeruos arrogantia; atq; his dictis receſſit.* Michaelem *vero ardentiſſima illico febris inuaſit, & cum febre paralyſis. Ita domum relatus mortem expectabat. Cum iterum ipſi tanquam in mentis exceſſu, oblatus Nicon ſuccenſebat, eademque cũ minis exprobrabat. Vndè ad conſanguineos, qui aderant, conuerſus: Non videtis, ait, Monachum iſtum, qui mihi dira omnia minitatur, tum expelli, & abiici eum rogabat, atque iubebat.*

Nic. vbi ſup. Obiurgatus à S. Nicone monaſterii patrono.

Grauioribus minis percellitur.

Succenſet in Sanctum.

Ve-

Digitized by Google

Verum illi, qui neminem videbant amplius merabantur; Paulo poſt cum ad ſe quodammodo rediſſet, ex vtriuſque viri argumentis mali ſui cauſam coniectans, ſtultitiam ſuam reprehendere, calamitatemque lamentari cœpit: Et poſt multa hæc ibi: *Cæterum eius preces à Deo exauditæ nō ſũt; Dominus enim, qui finxit ſigillatim corda noſtra, prauum fictumque hominis animum intuens, qualis in pleriſque ſolet eſſe mortalium, qui tempore quidem afflictionis, Dei recordantur, aſpernantur autem cum exempti malis fuerint, irritam, atque inanem abire eius orationem paſſus eſt, quare ingraueſcente vi morbi, in luctuoſis illis vocibus oppreſſus eſt, graui ferocibus, ſuperbiſque documento, vt ira ſua moderatè vti diſcant, Deique iudicia reformidēt*. Hęc in execrandam perditorum hominum memoriam hic lectori exhibere voluimus, quæ & in ſuis à Baronio annalibus, ſub ipſis Nicephori temporibus aptè deſcripta leguntur.

Emoritur exemplo futurus, vt potentes iram moderatè v. tantur.

30. His autem, quæ hactenus prolata ſunt, alter ſacrilegus miles, aliis exemplo futurus accedit, qui manũ bonis Eccleſię S. Clementis admouens, vt eadem ſibi vindicaret, vbi ſacra prophanus abradere agreditur, nouo portenti genere, iuſtoque Dei iudicio, à muribus, ipſis abſũptus interiit, vt Hinemarus, oculatus vna cum alijs rei teſtis, hunc in modum narrat: *Quidam verò* (inquit) *miles, cum bona S. Clementis vt tolleret, & inde tectũ facere voluiſſet, in vna dierum à muribus intra cubiculum impugnatur ineffabilibus: qui primò fuſte arrepto eos prohibere tentans, poſtquam euaginato eos aggreſſus gladio, & ſic nil proficiens, arca quadam* (*vt ipſe rogauit*) *includitur, ac in medium fune ſuſpenditur, & cum exterius hæc plaga ceſſaret, hic qui liber ſolui debuiſſet, ab alijs vſque ad mortem corroſus inuenitur. Tunc cunctis præſentibus, & poſtea venientibus, manifeſtum ſit, quod hunc ira Domini vindex prędicti facinoris, ſola conſumpſit*. Quibus Baronij verba addēda ſunt: *Præſtiterunt* (inquit) *hoc mures in corpore, quod vermis in conſcientia, ineuitabiles vltores immiſſi diuinitus, quoad vſque culpa horum nutrix pœnitentia expiaretur*. Inuaſores igitur, prædoneſque impij, qui bonis Eccleſiæ abradendis inhiant, caute animum, manumq; cōtrahēdo ſuo capiti cōſulant, dũ rerũ quæ ſacro cultui dicatæ ſunt, Deum ſeueriſſimum ſemper vindicem extitiſſe animaduertunt. Quod manifeſtis inſuper eorum exemplis comprobatur, qui Eccleſiarum bona attrectare, ac in ſuos aliquando vſus conuertere auſi ſunt, & præſertim ex eo, quod his ex Cæſario verbis mutuatus Bzouius narrat:

Baron. to. 11. an. 1011. n. 3

Sacrilegus miles à muribus abſeſſus

Hinemarus in ſuis hiſt.

Baron. vbi ſup.

Mures in corpore vt vermis in conſcientia miſerum conſecerunt

31. Per id (inquit) *tēpori, Deus ſeuere vltus eſt vſurpatores bonorum eccleſiæ, libet id quod accidit enarrare verbis ipſis Cæſarij. Dum nobis fœmina* (*inquit*) *domina Aleydis de Melberg, cũ de conſenſu mariti ſui Euerardi Burgrauii, quædam allodia ſua per inſpirationem diuinam, ad nouam Abbatiam Ordinis Ciſtercienſis conſtruendam in manus Domini Henrici Abbatis Heiſterbacenſis liberè, & ſine omni contradictione tradidiſſet, & ante ipſius mortem, domus, quæ vocatur locus Mariæ conſtructa fuiſſet, uiri quidam nobiles ex eius cognatis poſt eius mortem, cōtra iuſiurandum venientes, eamdem nouellam plantationem, querimoniis, minis, rapinis, multiſque aliis incommodis moleſtare cœperunt. Sancta vero Dei Genitrix virgo Maria eiuſdem cœnobii* do-

Bzou. tom. 13 an. 1209. n. 6

Cæſar. lib. 7 c. 7.

Abſtinendũ ab vſurpandis bonis Eccleſiæ.

Digitized by Google

domina, & aduocata, ſicut à multis dicebatur hoc apud filium egit, vt Henricus de Malsbergh, qui præcipuus videbatur, obſideretur, & ſupra vires damnificatus de proprio caſtro eliminaretur. Dezegenbergk vir nobilis, à quo multum domus prædicta vexabatur, à ſeruo ſuo ſatis miſerabiliter occiſus eſt; alius quidã ad eius deprædationem properans, in via crepuit medius. Hanc vindictam cũ audiſſet alius quidã nobilis, vnus de cohæredibus venit ad locũ timore correptus, dicens: Domina *mea*

Heiſterbacenſis monaſterii vexatores triſti exitu conſúpti.

ſancta Maria*, ſint tua tibi, ego parti meæ renuncio. Interim cum Vuillelmus miles de Helpenſtein ab vxore inſtigatus, quæ ſe hæredem poſſeſſionum collatarum dicebat, cortem meliorem inuadens, fratres multis expenſis grauabat, ſacerdos quidam religioſus confeſſor eius, nocte quadam in loco ſanctæ Mariæ ſeper viſum tranſpoſitum vidit,* & *cum quidam ex ſacerdotibus celebraturus eſſet miſſam, & a ſupradicto Vuillelmo impediretur, vir quidam nigerrimus fuſte illum percuſſit, & occidit. Quẽ viſum cum ei recitaſſet, aſſerẽs eũ in breui moriturum, niſi ceſſaret à vexatione* Monachorum*, ille ſtimulis quotidianis vxoris ſuæ ſe vrgeri conquerens, non acquieuit conſulenti.*

Manifeſta in ſacrilegũ vltio.

En tibi petulantem hominẽ, rerumque Eccleſiæ prædonem, antequam ſupplicio addiceretur, vt manũ à Dei ſanctuario contraheret, ac rapiendi cupiditatem compeſceret, diuinitus præmonitũ; ſed quis eſt ille, qui humani cordis immane protẽdentẽ ſe ſiſtere, ſuiſque præſcribere terminis valeat auaritiam, *quæ nunquam dicit,*

Prov. 30. 16.

ſufficit? Quid igitur illi poſt viſum, præſtitaque monita tandem contigit, videamus.

32. *Citatus litteris Papalibus, cum eſſet in violenta poſſeſſione, & Iudices cum* Aduocatis *iam negotium diutius pertractaſſent,* Ioannes *de Horechim in veteri monte conuerſus, proxima nocte vidit ſe in ſomnis eſſe in loco Sanctæ* Mariæ*, audiens Virginem glorioſam clara voce dicentem; oportet me recedere è loco iſto.* Dicente *conuerſo: quo ibis ò* Domina*? Reſpondit, ad filium meum conqueri de Vuillelmo de Helpenſtein, qui me non ſinit quieſcere in loco iſto. Mane vero viſionem referens Cellario iam memorati Vuillelmi ſubiunxit: ſciatis pro certo, quod* Do*minus veſter cito morietur propter conuẽtũ loci ſãctæ* Mariæ*. Cui ille ſubridẽdo reſpõdit nos; Nõ curetis tamẽ vellemus eſſe abſoluti ab eo, qui poſt dies paucos pede trũcatus, pœnã ſoluit irriſionis.* Eadem *vero die, cum Vuillemus circa nemus ſpatiaretur niuum portans ſuper pugnum à duobus ſeruis Comitis Seynenſis, qui hominem ſui iuris captiuum ducebant, quem ipſe excutere niſus eſt, lancea, transfoſſus, animam protinus exhalauit. Vxor vero, quæ ad tantũ malũ inſtigauerat eum, poſt breue tempus à* Priuigno *ſuo, de caſtro cum liberis eiecta eſt; quod etſi fuerit inexpugnabile, tamen in illud intrauit nocte ſcalis admotis, ac inde eam turpiter eiecit, vindicans iniuriam B. Dei Genitricis ſemper virginis Mariæ.* Hæc Cæſarius. Ex quibus condignum Deo, dicatiſque eius cultui rebus honorẽ deferendum, continendaſque à ſacris manus probe ediſcitur. Accidit enim plerumque, vt prædones ſacrilegi, qui ſacrorum ditionem, ac iura locorum occupare nituntur; *terræ, quam concupierant viui* (vt ille ait) *inferantur mortui*, & miſeræ duntaxat mortis, ex iniquis eiuſmodi rapinis lucrum ſibi comparent; Ad quod itẽ comprobandum Ludouicus Landgrauij pater, nobilis item prædo eodem

Virgo recedit ibi incarcerum … famique … apud filium.

Damnationis cauſa prædo ab Eccleſiarum bonis.

Triſtes ſacrilegarum rapinarum fructus.

eodem Bzouio in ſuis annalibus vna cū Cæſario teſtis accedit, qui infeliciſſimū poſt rapinas exitum, mercedis inſtar ampliſſimæ ſortitus eſt, de quo iſthæc ſcriptor.

33. *Hoc eodē, inquit anno in humanis eſſe deſiit Lantgrauius D. Eliſabethæ coniux, (vt fama ferebat) veneno à Friderico Imperatore extinctus. Nunc libet narrare modum, quo eius pater Ludouicus, & ſpecie atheyſmi, ad ſuperorum cultum, & curam reuocatus eſt, quibusue pœnis poſtea in inferno addictus. Is cum eſſet prædo, & oppreſſor Eccleſiarum, multas earum ſibi poſſeſſiones vſurpans, multiſque iniuriis Eccleſiaſticas perſonas afficiens, frequētius à viris religioſis corripiebatur, & tum inferorum ſuppliciis propoſitis à flagitiis deterrebatur, tum æternæ vitæ deliciis ad iuſtitiæ amorē inuitabatur.* Ridebat, atq; contēnebat ille monitores, *iſtud ſolemne perditorum ſæpius inculcans. Si, inquit, prædeſtinatus ſū, nulla peccata poterūt mihi regnum cælorū auferre. Si præſcitus, nulla bona mihi illud valebunt cōferre. Addebat & illud ad ſuam excuſationem: cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Cumque aliqui viri pii hortarentur, vt animæ ſuæ parceret, ne Deus procacitate eius prouocatus, illum in peccatis occideret, aiebat; Cum veniet dies mortis meæ moriar, non illum potero bene viuendo extendere, neque male viuendo præuenire.* Vides contumelioſum, ac procacem hominem, blaſphemis Deo vocibus inſultātem, nec tam Deum, quam ſemetipſum impie agendo, ac viuēdo perperam deludentem, ſubſannantemque. At demum ſtatuta homini adfuit vltionis dies, qui indultum ſibi ad pœnitendum impetrandamq; miſericordiam, tempus fruſtra conterebat.

Bzouius ann. 1227. n. 25. Cæſar. l. b. 1. c. 27. Ludouicus Lantgrauius Eccleſiarum prædator.

Prædeſtinationem prætendit ad flagitia.

Nam vt rem proſequamur.

34. *Itaque* (inquit) *graui ægritudine hominem percuſſit, vt vel hoc flagro correptus ſapere inciperet; Lecto affixus medicum vocant, qui vt Ludouicū ex eius verbis perſanaret, Deique metum ei incuteret, his eum allocutus eſt: Domine ſi tibi aduenit mortis hora, non te poterit cura mea liberare, ſi verò nondum adeſt, ſuperflua fuerit medicatio mea. Hic Ludouicus ſtomachari, & medicinam in remediū creatam aſſerere, ſeque proculdubio emori poſſe, ſi illam contemneret. Exinde medicus occaſione accepta, ſi (inquit) confidis vitam tuam poſſe prorogari à medicina deſumpta, ecquid non credis opera pœnitentiæ, & iuſtitiæ, quæ antidota ſunt animæ poſſe tibi conciliare vitam æternam? dixit medicus. Ludouicus autem ab errore mentis reuocatus fuit; Sane felicior futurus, ſi ea, quæ credere incæpiſſet, vel timore ſancto metuiſſet, vel amore diuino ambiuiſſet. Non enim impleuit factis, quæ verbis promiſerat; ſed grauiſſimis ſceleribus obrutus, peior in dies euaſerat, quouſque diuino iudicio æternis ſuppliciis damnaretur.* Hic finis Ludouici in Deum ob ſua ſcelera contumelioſi, qui bonis Eccleſiæ per vim auferendis inexplebili cupiditate inhiauerat, qui iteratis monitis non acquieſcens, ſalutem animæ ludum, iocum pœnitentiam, anileſque ca quæ alterius ſæculi ſunt, nugas putabat. Hæc igitur haud pauca, haud obſcura ſupernæ animaduerſionis in prophanos Eccleſiaſticorum iurium violatores, raptoreſque perditos, nec vno ſæculo argumento exhiberi cōtigit: Sed ad alia interim properandum eſt.

Morbo implicitus medicum euocat.

Erudit ægrotantem vt errorem abſolutæ neceſſitatis exuat.

Valetudine recuperata relapſus in priora ſcelera Lantgrauius.

CAP.

Google

CAP. III.

Res Eccleſiæ cultui dicatas ſacrilegis manibus attrectantes.

1 Grauiſsimi proculdubio piaculi res eſt ea, quæ diuinis obſequijs, ſacroq; templorum cultui dicata ſunt, prophanis manibus attrectare, eademque in prauæ cupiditatis vſus conuertere. Quapropter huiuſmodi ſcelus, vti peculiari nomine, ſuoque deformitatis titulo prænotatur; ita pariter haud tritis apud Deum, vulgaribusque obnoxium pœnis redditur. *Sacrilegium quippe eſt* (vt Angelicus doctor inculcat) *omne id, quod fit ad irreuerentiam rei ſacræ.* Haud enim quæuis rapina ſub turpi hoc, execrandoque flagitij genere, ſed ſola duntaxat Auguſtino teſte rerum Deo dicatarum vſurpatio venit. *Non vndecunque* (inquit) *tollere, homini eſt ſacrilegium committere, ſed de Eccleſia, qui aliquid furatur, Iudæ proditori comparatur.* Pari igitur prædo quiſque ſacrilegus, ac impius Chriſti proditor, ſacrarumque rerũ depeculator iudicio dignus habetur, adeoque non niſi laqueo piaculum illi exoluendum ſupereſt. Enimvero etſi quis, quæ Deo ſemel oblata ſunt rapiendo, ſuas Deo manus non inferat haud minus tamen ex ipſius legis præſcripto puniendus videtur quam ſi impias Deo manus, vt moralis philoſophus docet, rapiendo intuliſſet: *Sacrilegi* (inquit) *dant pœnas, quamuis nemo vſque ad Deos manus porrigat.* Hinc immane ſacrilegorum hominũ facinus augetur, quod ſuam habendi, poſſidendiq; non abſque manifeſta Numinis iniuria cupiditatem explent. In quos & iure merito aliquando Hieronymus amarulẽtis, vt par eſt, verbis inuehens: *Amico* (inquit) *rapere quicquam furtum eſt, eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt*; nec his contentus, iſthæc adijcit. *Aliquid inde ſubtrahere omnium prædonum cupiditatem ſuperat.* Iniuria igitur, quæ in templorũ religionem admittitur, Deum ipſum è proximo tangit, eũque pariter vltorem ſeueriſſimum habet; Vt tum ſacra, tum prophana hiſtoriarum monumenta edocent.

Abſtinendũ à rebus ſacris.

S. Thom. 2. 2. q. 99.

Aug. in Ioan. 3.

Sen. de benef. lib 5. c. 14

Hier. ep. 3

2. Vt dicendi igitur initium faciamus; quid Petrus Cluniacenſis de Matiſconenſi Comite, qui dum violentas à ſacris rebus manus neutiquam contraheret, bonorum Eccleſiæ rapinam, condignas cupiditatum ſuarum exuuias, pergratumque inexplebilis auaritiæ bolum computabat, portenti inſtar mirandum, recolendumque in ſuis hiſtorialibus paginis narret, audiamus. Iſthęc enim apud Martinum Delrium ex eodem excerpta lectori ſuppetunt: *Cum ſolemni* (inquit) *die Matiſcone in palatio proprio reſediſſet, eumque multitudo tã militum, quam diuerſi ordinis circumſtaret, repentè ignotus homo equo inſidens per palatij oſtium ingreſſus, omnibus conſpicientibus, & admirãtibus vſque ad ipſum equitando peruenit. Cumque ei aſtaret, ſe ei velle colloqui dicens, vt ſurgeret, ac ſe ſequeretur, non tam monuit, quam imperauit. At ille inuiſibili potentia conſtrictus, nec iam reſiſtere valens ſurrexit, atque vſque ad oſtium domus proceſſit, vbi equum paratum inueniens, eumque ab eo conſcendere iuſſus aſcendit. Cuius ſtantis habenas ille arripiens, ſtatim cũ velociſſimo curſu per aera ferri cunctis conſpicientibus cæpit etc. Subtractus tãdem*

Matiſconenſis Comes ſacrarum opũ expilator abreptus à dæmone.

Delr. diſq. magic. lib. 3. q. 7. p. 79.

Diuino iudicio expetitus

Digitized by Google

Miſerabilis eius auxiliũ fruſtra expoſcentis vox.

dem viſibus hominum, æternus, quemadmodum meruerat, eſt factus ſocius dæmoniorum; ſic iſte direptiones, & ſacrilegia ſua luit in hac, & in ſequenti vita. Hæc apud Delrium, ex quibus profecto cupidi homines, qui alienis bonis inhiant, à Dei ſanctuario manum contineant, ne iram Dei manifeſtam incurrant.

Petr. Dam. lib. 1. epiſ. 9. pag. 13. litt. D.

Pauendum item eſt, quod funeſtè olim Prædoni impio, nobili apud Theutonicas regiones Comiti, probæque apud omnes famæ, Petro Damiano teſte contigit; de quo præmemoratus auctor hæc habet: *In Theutonicis* (inquit) *partibus Comes quidam diues, ac præpotens, ſed, quod in illo hominum ordine prodigium eſt reperire, bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum erat de eius æſtimatione iudicium, ante decennium ferè defunctus eſt. Poſt cuius obitum quidam Religioſus vir per ſpiritum ad inferna deſcendit, præfatumque Comitem in ſupremo gradu cuiuſdam ſcalæ poſitũ vidit. Aiebat namque; quia ſcala illa inter ſtridentes, & crepitantes vltricis incendij flammas videbatur erecta, atque ad ſuſcipiendos omnes, qui ex eadem Comitum ge*[illegible]*gia deſcenderũt, conſtituta. Erat autem tetrum Chaos, & immane baratrum infinite patens, atque in profunda dimenſum, vnde ſcala producta ſurgebat. Hoc igitur ordine ſuccedentium ſibimet ſeries texebatur, vt cum quis eorum nouus accederet, primum interim ſcalæ gradum teneret; Is autem, qui illic repertus erat, alijque omnes ad proximorum ſibi graduum ima deſcenderent. Cumque alij, atque alij ex eodem genere homines poſt carnis obitum ad præfatam ſcalam per temporum interualla confluerẽt, alij protinus cedentes ineuitabilis neceſſitate iudicij ad inferiora migrabãt. Planè dum vir, qui hæc contemplabatur, cauſam huius horrendæ damnationis inquireret, & præſertim, cur comes ille ſui temporis puniretur, qui tã iuſte, tam decenter, tam honeſte vixiſſet, audiuit. Quia propter quamdam prædij poſſeſſionẽ Metẽſis Eccleſiæ, quã B. Stephano proauus eius abſtulerat, cui videlicet ille iam decimus in hæreditate ſucceſſit, omnes iſti non diuerſo ſupplicio deputati ſunt*. Manifeſtum quippè Dei iudicium affulſit in Comitem, iniqua manu bona Eccleſiæ abradentem; cuius item ſupplicio reliqui, carnis eidem glutino iuncti, ac iniqua bonorum detentione eiuſdem veſtigiis inhærentes, conſimili pœnarũ ſunt addicti conſortio. Huic item alterum diuinæ in Eccleſiaſticarũ rerum vſurpatores animaduerſionis exemplũ his plane verbis rite conſonat.

Supplicium Comitis qui ſacra vaſa erat deprædatus oſtenſum religioſo viro.

Propagatũ in poſteros

Quid viſum ſibi oſtenſũ portenderet edocetur.

Iacob. de Vorag. in vit. S. Andreæ.

Cũ præpoſitus (inquit) *cuiuſdam ciuitatis, agrum Sancti Andreæ abſtuliſſet, & ob hoc grauiſſimis febribus, orãte Epiſcopo, fuiſſet correptus, ille Epiſcopum rogauit, vt pro ſe oraret, & agrum ſibi redderet: ſed cum (orante Epiſcopo) ſanitatem recepiſſet, agrum iterum vſurpauit. Tunc Epiſcopus orationi ſe dedit, & omnes lampades Eccleſiæ fregit dicens: hic lumen non accendetur donec Dominus ſe de ſuo inimico vindicet, & Eccleſia rem, quã amiſit, recuperet. Et ecce præpoſitus iterum grauiſſimis febribus laborauit, miſitque nũcios Epiſcopo, vt pro ſe oraret, & agrum ſuum, & alium ſimilẽ ſibi redderet: Cui cum Epiſcopus reſponderet: Iam oraui, & audiuit me Dominus. Ipſe ad Epiſcopum ſe portari fecit, & vt Eccleſiam intraret ad orandum, Epiſcopum coegit. Et dum Epiſcopus Eccleſiam ingreditur, ille ſubito moritur, & ager Eccleſiæ reſtituitur*. Dignum planè prædo ſacrilegus præmium accepit, vt qui ſuis

Raptor agri ad Eccleſiã S. Andreæ ſpectantis diuinitus mulctatus.

Ec-

Eccleſiam bonis expoliauerat, preces in Eccleſia pro ſui incolumitate oblatas, haud quidquam ſibi prodeſſe ſentiret.

Deus ſeuerus in ſacrilegos.

3. Enim vero Deus, vt propoſita hactenus exẽpla docẽt, iuſtus, ſeueruſque in prædones impios vltor extitit; vt ſatis manifeſto in Bituricenſi Prouincia euẽtu compertum redditur, dum perfida Coterellorum hæreticorum manus ſacris,tum templis,tum rebus acerbius inſultaret;in vltionem quippe tam perditæ,& ex legis audaciæ,ſeptem eorumdem hominum millia hoſtilis gladius perdidit, vt S. Antonin. his verbis narrat: *Anno Domini* (inquit) *milleſimo, centeſimo octuageſimo tertio &c. In Prouincia* Bituricenſi *ſeptem millia Cotellorum hæreticorum, & amplius interfecti ſunt ab illius terræ incolis, & in vnum contra inimicos Dei confœderatis. Iſti enim terram regis vaſtando prædas ducebant, homines captos ſecum viliſſimè trahebant, & cum vxoribus captorum etiam (proh nefas) ipſis vidẽtibus dormiebant,*Eccleſias *incendebãt, Sacerdotes autem, & viros Religioſos captos ſecum ducentes, & in ipſis tormentis irriſorie dicentes: Cantores cantate, cantate, confeſtim eis alaphas dabant, & groſſis virgis eos cædebãt &c. Denique peccatis hominum exigentibus ijdem Coretelli* Eccleſias *ſpoliabant, & corpus* Domini *de vaſis aureis, & argenteis, in quibus pro infirmorum neceſſitate reſeruabatur, extrahentes, & (proh dolor) in terram viliter proijciẽtes pedibus conculcabant.* In hæc immania ſcelerum probra, & portenta,Deum,hominesque nil verita iſtorum hæreſi vitiatorum impietas,nullis cohibita legibus proſilire non timuit; Sed quid poſthæc iidem non minori audacia præſtiterint, videamus.

Antonin. to. 3. tit. 17, § 17.

Eorum horrenda flagitia.

Sacris templis iniuriã in primis ac diuinis myſteriis intentant.

4. *De corporalibus vero*(inquit)*concubinæ eorum pepla capitibus ſuis componebant. Calices vero ſecum irreuerenter portabant, & malleis, & lapidibus confringentes diſtrahebant. Hæc videntes incolæ ipſius Prouinciæ* Domino *regi ſuo* Philippo *per litteras intimauerunt, acceptoque ab eo exercitu, vnanimiter in hoſtem inſultum fecerunt, et omnibus interfectis à minimo, vſque ad maximum de præda illorum ditati sũt.* Hæc lugubri ſtylo Antoninus exequitur, eamque ſacrorum templorũ violatoribus, & in diuina ſacramẽta cõtumelioſis cladẽ obrepſiſſe narrat, adeo vt animaduerſionis gladio ſæuiẽte, ne vnus quidem ex eorum numero vitæ ſuperſtes fuerit. Quid verò de funeſto Riccardi Cãtuariẽſis Epiſcopi, qui bona Eccleſiæ dilapidabat, obitu Rogerius aſſerat, videamus. *Eodem* (inquit) *anno Riccardus Cantuarienſis Archiepiſcopus obijt, decimo quarto Calendas martij, cui antequam inciperet ægrotare, apparuit Dominus in viſione dicens: Tu diſſipaſti bona* Eccleſiæ *meæ, & ego extirpabo te de terra. Qua viſione plurimum perterritus ſtatim incæpit ægrotare, & octaua die ſequenti obijt.* Hæc Rogerius. Huc item recidit, quod de Romano quodam Pontifice narratur: cuius triſtis,ac portentoſa mors Petro Damiano docente, ipſiuſquemet verbis exribenda hic eſt. *Quod* (inquit) *à ſenioribus mihi intimatum eſt refero. In Babiloniæ partibus poſſeſſionem* Apoſtolica *ſedes habebat, vnde totum balſami redditum per annos ſingulos capiebat, quod indeficiente fomite, ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare* B. *Apoſtolorum Principis rutilabat appenſa. quam poſſeſſionem accepta pecunia Papa diſtraxit, canonemque aromatis, quem accipere ſolebat, amiſit. Aliquanto poſt cum idem Papa predi-*

Antonin. vbi ſup.

Extrema interne cione à Philippi Regis exercitu delentur.

Roger. in hiſt. Riccar. Cantuar.

Diuinæ vltionis exemplũ in Archiepiſcopum Cantuarienſem

Baron. to. 11. an. 1061. nu. 12

Rei geſtæ hiſtoria à Petro Damiano enarrata.

Petr. Dam. ad Cadaloum pſeudopapam

cto ſacroſancto altari, quaſi deuotus aſſiſteret, & oraret: ecce quidam terribilis, & grandæuus ſenex, in cuius etiam facie barbiraſium videbatur, elato brachio colaphum ipſi vehemẽter incuſſit, et ait: Tu extinxiſti lucernã meã ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum, moxq; diſparuit. Ille vero protinus corruit, & paulo poſt diem clauſit extremum. Hæc Petrus Damianus.

Tremenda S. Petri ad ſucceſſorem correptio.

5. Verũ vt ad noſtra redeamus, quod ſupra de Riccardo Archiepiſ. narratũ eſt, infauſtus plane deſidioſę eius vitę finis reſpõdet; à Petro quippe Bleſſẽſi graui cõſcripta Epiſtola ad Riccardum Archiepiſcopum Cantuarienſẽ, oſcitantiæ eumdem, ac in paſtorali munere obeũdo deſidię acrius obiurgari contigit: hæc autem ſunt verba quæ vel obiter hic ſuggerere voluimus. *Habebam* (inquit) *in deſiderijs ad vos cum feſtinatione reuerti, ſed auctoritas Regia non permittit; millies poſtulaui licentiam receſſurus, ſed nec repulſam paſſus ſum, nec licentiam adeptus quoties cauſor moram: quam facio, & allego veſtræ reuocationis inſtãtiam, vnica, & quotidiana eſt eius reſponſio, cras recedes. In omnibus diebus anni cras iſtud inuenire non potui, dum queritur latet, & fortaſſe quando non quæretur, occurret &c.* Et poſt mult. aduerſus eũ hæc itẽ inculcat: *Vobis igitur imputant, quod ab Allophyllis Arca Domini capitur, quod à Laicis Eccleſia Dei conculcãtur, quod gladium Petri rubigo conſumit, quod Chriſti Sacramenta vileſcãt, quod terribile nomen Dei in vanum aſſumitur, quod ſub prætextu periurij legitima cõiugia diſſoluuntur; vobis imputant, quod Malchus in Chriſtũ, quod Phaſſur in Ieremiam, quod Balthaſſar in vaſa Domini manus extendit ſacrilegas; quoties autem gratiam innocentiæ, & humilitatis extollo in vobis, non ſufficit, inquiunt, tantæ prælationis homini non facere malum niſi adijciat facere bonũ; nõ ſolum enim arbor, quæ fructus malos facit, ſed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur, & in ignem mittetur.* Cõgrua planè ſtertenti inter ocia homini ab Apoſtolico viro, Dominici verbo oraculi preſcipta ſententia, ſed quid infra ſubinferat, videamus.

Mors infelix vitæ reſpondet

De ſacrilegio diuini tus caſtigato Petri Bleſen ſis litteræ

Quæ reprehendenda maximè ſint in eccleſiaſtico uiro

Reperit (inquit) *Archiepiſcopus tuus Eccleſiam in optimo ſtatu, ipſe vero eã deſtruxit, ac deiecit. Cantuarienſis Eccleſiæ dignitates, quas glorioſus martyr rubricauerat ſanguine ſuo, & quaſi teſtamentum æternum morte, & celebri effuſione firmauerat, puſilanimitas eius euacuat, eamque reduxit in antiquæ ſeruitutis opprobrium, quæ ſe in gratiam plenæ libertatis erexerat. Vt quid (inquiunt) terram occupat? quando morietur, & peribit nomen eius? cur ſaltẽ nõ expergiſcitur? &c. Eſtis enim fabula in ore hominum &c. Quæ gloria eſt* (inquiũt) *quod viuaria conſtruit, quod claudit feras indagine, ſi Clerici imprecantur, ſi in omnem diſſolutionem religioſorum Clauſtrorum oſtia relaxantur? Quæ vtilitas quod fimo, & creta ager ſationarius impinguatur, ſi in dominicæ meſſis cultura nec ſpina euellitur, nec extirpatur tribulus, nec verbum Chriſti ſeminatur? Nunquid Deo cura eſt de bobus, & aſinis, vt circa boues, & aſinos ita ſollicite occupetur? cur iniunctæ ſibi legationis officiũ non exercet, Ligatus eſt potius, quam Legatus: Prophetæ, inquiunt, cui Dominus legationem iniunxerat, præcepit, vt euellat, vt deſtruat, vt diſſipet, & perdat, & plantet. Dominus tuus officij ſpiritualis intelligentiam conuertit in litteram, aut vt dicatur veritas, in lituram.* Digna planè viro Apoſtolico verba ad retundendam paſtoris haud, vt par erat, ſuper gregem Domi-

Petr. Bleſen. ep. vbi ſup. Succeſſor S. Thomæ Archiepiſcopi proditor eccleſiaſtici iuris.

Turpe eſt legatum Dei curis mundi ligatum eſſe

Digitized by Google

minicum vigilantis ſocordiam, qui & hæc infra: Putas (inquit) *quod de commiſſis vobis animabus vos in diſtricto examine nõ oporteat reddere rationem? Propter hoc irritauit impius Deũ, dixit enim in corde ſuo; Non requiret, ſed certe requiret exactiſſime, vſque ad nouiſſimum quadrantem, & vereor, ne tempeſtiuus, aut durius, quam credere, aut timere velimus. Vtinam velitis recolere comminationes altiſſimi, quibus apertiſſima viſione nobis terribilem ſuæ indignationis ſententiam reuelauit &c.* Hæc Petrus Dominum ſuum pio deuote mentis affectu præmonens, ac prophetico planè ſpiritu impendẽtem ceruicibus animaduerſionis gladium è proximo annunciaſſe viſus eſt, iuxta illud Apocalypſis oraculum, quod Epheſino olim ociãti diuinitus Epiſcopo inſonuit: Sed paribus Cantuariẽſem Archiepiſcopum verbis Bleſenſis compellans ait.

Apocalipſeos oraculum negligẽti epiſcopo intentatum.

6. *Hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus* Dei, *& ſeptem ſtellas; ſcio opera tua, quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cætera, que moritura ſunt. Non enim inuenio opera tua plena corã* Deo *meo &c. Si ergo non vigilaueris veniã ad te tanquam fur; & neſcies qua hora veniam ad te.* Par igitur infortunij exitus Riccardum inter ocia ſtertentem obuoluit; nam breui dierum ſpatio ad Dei tribunal raptus eſt. quę nos vel obiter hic narraſſe voluimus dum ab eodem Eccleſiaſtica bona perperam, ac in prophanos vſus expenſa meminimus. Sed alterum ſeueræ hic vltionis exemplum ſubteximus, quo Deus vindex, bonorũq; Eccleſię zelantiſſimus defenſor extitiſſe cõprobatur. Sacrilegi quippe prædones, dũ Moguntiacus principatus fuiſſet vaſtitati addictus, & Bingionum oppidũ valide ab hoſtibus obſidione cingeretur, locatis ad Sancti Ruperti cœnobium militaribus copiis, vbi caſtrum ſe ſe in hoſtium manus dedit, duo in ſacras cõfeſtim ædes ad prædandum milites, ſi quid forte lateret, ingreſſi, vnus ex his alium impietate vincens, ſuarúm pœnas rapinarũ dedit: Rẽ vero apud Rainaldũ in ſuis annalibus Trithemio narrãnte his verbis accipiamus.

Apocal. 2.

Apocal. c. 3. n. 1. 2. 3
Breui dierũ ſpatio ad diuinum tribunal raptus.

Erat (inquit) *eo tempore in ipſa Eccleſia antè in muro excauato imago beatiſſimæ* Dei *Genitricis Virginis Mariæ ſatis decenter depicta, coronam habens in capite, in qua erant quatuor lapides Chriſtalli, muro, & coronæ artificialiter infixæ, & quintus in pectore ipſius imaginis. Cum ergo fures illi nihil in Eccleſia reperiſſent, vnus eorum ne omnino vacuus abiret, altare prædictum aſcendit, & effodere de corona Virginis ipſos* Chryſtallos *cæpit; cui alter increpando dixit: Quid facis ò miſer, deſine ſpoliare matrem miſericordiæ, per quam ſi nobis ſalus contingere debet, & non per aliam gratiam, poterimus inuenire. Cuius increpationem ſacrilegus, & impius ille contemnens, poſteaquam* Cryſtallos *de corona effoderat quatuor, etiam quintum de pectore ſacræ Virginis effodere cæpit. Mira res accidit. Mox vt impius ille ſacrũ pectus violare præſumpſit, imago ſudare per totum cæpit; quo viſo ſacrilegus aliquantulum horruit, ſed obduratus in malitia à cæpto crimine non ceſſauit. Euulſit ergò de ſacro pectore imaginis lapidem: quo auulſo mox ſãguis lacte mixtus de ipſo vulnere in magna copia ſequutus erupit &c.* vt idem qui ſupra Trithemius qui hæc addit.

Odor. Rain. to. 14. Ann. 1302. n. 13. Trithemius in Clun. Spon an. 1307. Serar. Muguntiner lib. 5 in Gerard.

Monitus à ſocio fure ne matre miſericordiæ violata indignus foret miſericordia.

7. *His viſis* (inquit) *impius ille de Eccleſia curſim exijt, & currens ad Nahum fluuium, velut amens factus, præcipitans ſemetipſum ſubmerſit.*

Trithemius vbi ſupra.
Furore actus ſe in fluuium dat præcipitem

Al-

Alter vero ſocius eius cōfeſtim aufugit qui tamen poſtea reuerſus rei ordinem narrauit &c.

8. Demum quam ingens, execrandumque piaculum ſit, res ſemel Deo oblatas, ac ipſius Eccleſię vſui, ac ditioni addictas prophanis manibus cōtrectare, infelix Francorū Regis, qui Chriſti Eccleſias expilarat, exitus, Sanctiſſimo viro Eucherio Aurelianenſi Epiſcopo diuinitus poſt eius mortem demonſtratus vltro legētes admonet. Atqui rem planè tragicam ex hiſtoriarum tabulis exceptam, ſuiſque exemplorum paginis hunc in modum à Nicio inſertam excipiamus: *Igitur Carolus bona, Deo dicata Eccleſiis ademerat, & quibus libitum fuerat impertierat. Eo vita functo S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus, fuſus in preces ſibi viſus eſt à corpore abſtrahi, atque Angelo Duce, ad lca, improborum ſupplicijs fœda, & horrenda perduci; vbi Carolum exquiſitis tormentis excruciari cōſpexit: cuius tā grauis in eum animaduerſionis cauſ m cum rogaſſet, reſpondiſſe Angelum, qu d eorum ſanctorum ſententijs, quori m Eccleſias expilaſſet, quique vna cum Chriſto genus humanum iudicaturi eſſent, ante diem iudicij pariter cum corpore æternis eſſet ignibus addictus. quod in ſe reuerſus ſancto Bonifacio, ac Fuldrado Abbati narrauit: quibus vehementer exterritis; placuit ad Caroli ſepulchrum accedere, quod cum aperiendum curaſſent draconem ex eo, horribili ſane forma euolantem, illudque prætere a intus igne pereſum, fumoque nigrum aſpexerunt. Quare Pipinus, vt par erat, commotus, bona Eccleſijs erepta perquirenda, eiſdēq; reddēda curauit; Verū vt vt ſe res habeat, hoc à Deo ſacrilegis Eccleſiarum prædonibus ſceleris merces, & gratia repēditur &c.* Ex bonis igitur Eccleſiæ, quorum ſacrilegus Rex vſurpator fuerat, non tam ſibi pecunias, quam pœnas cōflaſſe viſus eſt; quo item iudicij calculo Eccleſiaſticorum cenſuum prędones diuinitus prænotantur.

Offenſæ S. Eucherio Caroli Pipini patris ſacrilegi pœnæ.

Prodigia in Caroli ſepulchro viſa.

9. Porrò alia quoque teſtatiſſima nobis ex hiſtoriarum monumentis, vt Bzouius narrat, perduellium Eccleſiæ, ac prædonum, qui iuſtiſſimis ſunt affecti ſupplicijs, argumenta nō deſunt. Quid igitur olim militibus in Deum impijs funeſte acciderit, videamus. Hæc enim auctor: *Hoc tempore* (inquit) *quo inter Otthonem, & Philippum de Regno Romanorum armis infeſtis certabatur, vindex ſacrorum Deus, violatores eorum quoſdam grauiſſime vltus eſt, Conradus Presbyter Fabarienſis, qui hoc tempore ſcripſit, iſta memorabat. Victor magnus, Dux Rhetice Curienſis, cum Monaſterio S. Galli fraudem ignis molitus fuiſſet, Beato Gallo in viſione clarifica apparente, & ipſius ope Monachis ſeſe tuentibus Dux idem equo lapſus à ſuis cum dolore eſt reportatus &c. Conradus de Scheneſtein, homo militaris, quo nullus in toto militum globo audacior, Beatæ Fidis virtutem inexpertus, Eccleſiā ipſius audacter irrupit, & quæcumque annonæ competentia reperit, ab Eccleſia cum quibuſdam ſuppellectilibus in Ciuitatem tranſportauit. Secuta ſtatim vindicta. Miles quippè quidā, Bertholdus nomine, de Meppolicas, in eorum conſortio ſignifer, in obſidione Caſtri, quod Epiſcopi cella nominatur, in craſtino, telo tranſuerberatus interijt. Alius item ſimili morte occubuit, & vt breuiter dicam, nullus eorum, qui Eccleſiam tam dictæ virginis violauerat, impune euaſit, quin aut cæcaretur, aut ſuſpenderetur, aut gladio puniretur. Adoleſcens quidam nobilis in horum conſortio, cum Eccleſiā ſpoliaſſet, cingulum volens ſumere milita-*

Bzou. tom. 13 an. 1208. n. 10

Sacrilegus à S. Gallo caſtigatus

Alios ſacrilegos Deus multos non ſinit.

Violatores Eccleſiarum vario mortis genere funeſto extincti.

Digitized by Google

litarem in ipſa nocte ſancti Spiritus, quando celebratur feſtiuitas in craſtino, cum vellet ſe cingere, mortuus in lecto repertus eſt. Conradus de Schẽneſtein in vigilia feſtiuitatis eiuſdem Virginis, ſaxo præcipitatus interijt. Enim vero ſancti, vbi opus eſt armis portẽtiſque in contumelioſos laceſſiti inſurgere, acceptaſque vlciſci iniurias didicere, vt portentoſa, cuius ibi mentio eſt, ſcutorũ concuſſio, ſat legentes, audienteſque admonet. *Eccleſia quippe*, vt ſacra Prouerbiorũ racula perhibẽt, *terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata*. & quod alibi decantatum eſt: *mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*. Atqui præter funeſtas clades, quæ noſtris hiſce paginis conſignatę ſunt, poſtremis quoque ſæculis patentiſſimum apud Sueuos exacerbati numinis iudicium affulſit, vt Rainaldus in ſuis annalibus his verbis tradit:

Sacrilega facinora vix vquam impunata.

Rain. to. 15. an. 1305. n. 17

Trugilli Eccleſiaſticarũ opum prædonis funeſtum exemplum.

Magnus in hiſt. lib. 10. c. 17

10. *Per hæc* (inquit) *tempora vidit Suecia iuſtiſſimum* Eccleſiaſticarũ *opũ inuaſoris ſupplicium. Is erat* (*vt refert* Magnus) *Trugillus Canutus regis olim Sueciæ gubernator, ac fratrum eius Henrici, & Valdemari ducum tutor, quo tempore per fas, & nefas ſub nomine regio graſſatus erat, regemque, vt ad inexplebilem regium fiſcum implendũ* Eccleſiarum *diuitias inuaderet, perſuaſerat.* Sed quem finem tandem ſortitus ſit, deſcribit auctor: *Præcepto* (inquit) *eorum nimirum Regis fratrum, quos in illius odium adduxerat, in villa Veſtrogothorum Lena captiuatus, & compedibus ferreis conſtrictus, in regiam Stocholmenſem deportatur; vbi decollatus* Eccleſiaſtica *caruit ſepultura, donec ad petitionem Regis Nicolaus* Archiepiſcopus *Vpſalenſis permitteret, ipſum in monaſterio minorum ſepeliri, accepta ingenti argenti, & auri copia, quod* Eccleſiæ *perſequutor exiſtens iſtam grauiſſimis damnis implicaſſet.*

Vix ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittitur.

Homo igitur, qui viris principibus iura Eccleſiæ infringenda agendas ad impias ex bonis Eccleſiæ prædas, ſuaque furtiuis è donis marſupia implenda, ſuaſerat, eorumdem iuſſu infeliciter vita orbatus eſt. adeout diuitias quas viuens per nefas congeſſerat, noxium veluti pharmacum mortuus regeſſerit. Sed iam ad eos, qui petulanter Eccleſiæ iura violant, proculcantque ſtylum conuertamus.

Ob damna Eccleſiæ illata ſic punitus

CAP. IV.

Eccleſiæ iura violantes.

1 Mira Dei potẽtia in tuenda propagandaq; toto orbe terrarum Eccleſia elucet inaneſq; prorſus, ac irriti eorum, qui eamdẽ acrius inſectati ſunt, ex narratis hactenus conatus intuentibus apparent. Quod ſapienter demiratus aliquando Chryſoſtomus, haud vllis hoſtium machinis, atque aduerſariorum in id pertinaciſſime inſiſtẽtium viribus, adinuentiſque hanc Dei patrocinio ſuffultam excidere, ac peſſundari potuiſſe affirmat. *Quid* (inquit) *Eccleſia Dei potentius eſſe poteſt, mœnia barbari deſtruunt, Eccleſiam verò nec dæmones quidem ſuperant, cum oppugnatur vincit, cum appetitur inſidijs, ſuperat.* Quin & ipſius Eccleſiæ ædificium, ſolius duntaxat Dei nutu tot inter aduerſa inconcuſſum, ſolidumq; manere, neque humano vnquam conſilio ſtare poſſe, vel ex eo palã, Chryſoſtomo teſte, euincitur, quod hæc pri-

Chryſ. orat. de non contem. eccleſ.

Eccleſiæ inexpugnabilis potentia.

primum inter ipſas hoſtium manus, ac perſequutionum, dum acerbius ingruerent procellas, diuinitus coaleſcens, immobilis adhuc, ac bene ſibi conſtans perſeuerat: *Niſi* (inquit) *diuina quædam virtus effeciſſet nequaquam hæc vel principium, vel præludium accepiſſet: ædificabo* (*inquit Chriſtus*) *Eccleſiam meam: multa acceleratione facta eſt, etiam contra illam tyr..nnis ſe armantibus, & militibus arma mouentibus, & populis plus valide inſanientibus*. Aduerſariorum enim, qui Dei Eccleſiam ſubigere, ac totis peſſundare viribus adnitebãtur, iacula in ipſorũmet cõtendentiũ, ac inſultantium caput recidiſſe comprobatur; quod pius illis egregie, eleganterque Poeta carminibus de Eccleſia cecinit.

Chryſoſt. in Demoſt. quod Chriſtus ſit Deus

Dei virtute perſequutorum tempeſtates fregit

Qui tibi bella mouet, genitrix ſanctiſſima, non te
Lædit, at ipſe ſuum traijcit enſe caput.

Et infra.

Fortior es cœlo, cœlum que, & terra peribunt,
At tu ſponſa Dei tempus in omne manes.

Quapropter hinc ipſius Eccleſiæ, quæ peculiari Dei nutu ſubſiſtit, ſtabilitatem quis non videt, admiraturque: *Et portæ* (inquit) *inferni non præualebunt aduerſus eam*. Bene quippe ſibi iugiter Eccleſia conſtãs, detrimentum haud vnquam ſentiet. *Enimuero facilius eſt ſolem extingui* (vt ait Cryſoſtomus) *quam Eccleſiã obſcurari*. Quod, funeſtas ſubinde eorum, qui Eccleſiæ iura violare auſi ſunt, clades retexendo conſtabit.

Matth. c. 16.

Chryſ. ... hom. 4. in verb. Iſai.

Eccleſia igitur quæ ad ſe perfugientibus aſylum, ac propugnaculũ eſt, aduerſus impios qui eius proculcare iura, reoſque à ſacris altaribus abſtrahere auſi ſunt, validus ad bellandum, expugnandumque aries extitiſſe conuincitur. Quod Baronio in ſuis annalibus narrante laudatiſſimi Ducis Maſcelzilis exemplo palã fit; hic enim primum ob nobilem victoriæ palmã ex Gildone tyranno in Africa ſub Principibus Arcadio, & Honorio reuectam, ſcriptorum fere omnium præconijs extolli meruit: verum poſtea dum ſacrilegis ipſius Eccleſiæ iura infringere manibus, ac violare contendit, vltricem Dei expertus dexteram, rebus, ac vita orbatus miſer, atque inglorius deceſſit; ſed rem ab Oroſio digeſtam hic excipiamus.

Maſcelzildis exemplum.

Baron. t. m. 5 an. 398. n. 4.

2. *Sanè* (inquit) *idem*] *Maſcelzil elatus rerum ſecundarum inſolentia, poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam Eccleſiam temerare auſus eſt, atque ex ea quoſdam non dubitauit extrahere. Secuta eſt pœna ſacrilegium; nam iiſdẽ ſuperſtitibus, atque inſultantibus, quos ab Eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum temporis ſolus, & ipſe punitus eſt. Probauit in ſe vno ad vtrũque ſemper diuinum vigilare Numen, quando, & cum ſperauit adiutus, & cum contempſit occiſus eſt.* Hæc Oroſius, cui Paulus item Diaconus cõſonat. Zoſimus verò, etſi funeſtum huius obitum narret, parum tamen in aſſertis ſibi fide conſtãs, dum Maſcelzilem Stiliconis inuidia per põtem in fluuium à militibus præcipitem dari iuſſum ſcribit, nec violatorũ ſacrorũ iurium crimẽ, necis illi in cauſa fuiſſe affirmat. At in re, vtpote ſatis apud Chriſtianos ſcriptores decantata, noſtri potiùs, quam exteri, ne veritatis vlla ex parte fidem perfidorum hominum ore claudicare contingat, conſulendi ſunt. Sed quis crederet, quod vir tantus, qui plus precibus quam armis præfidebat

Oroſius lib. 7 cap. 36.

Eccleſiarum iura violat.

Paul. Diac. lib. 13.

Digitized by Google

bat, & qui non niſi Deo aſpirante pugnauit, vbi victoria potitus, elatuſque Dei honorē proculcat, ſacrarūq; ædium iura ſecū dis adblandientibus rebus infringit, vitam quam hactenus cum laude exegerat, prauis demum victus cupiditatibus vitiauit, adeo ab illo, qui pridem fuerat mutatus, vt ex fideli infidus, atque impius, qui pius erat euaſerit: hæc enim primum Oroſius de eo ſcribit.

Oroſius lib. 7 c. 36.

3. *Igitur* Maſcelzil (inquit) *Caprariam inſulam adijt, vnde ſecum ſāctos ſeruos Dei aliquot permotos precibus ſuis ſumpſit. Cum his, orationibus, ieiunijs, pſalmis dies, & noctes continuans, ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam.* Hæc ille, qui & eius inſuper dedecora, execrandāq; aduerſus ſacrorum iurium præſcripta impietatem deſcribens, laudare eumdem, ac vituperare pro tempore non deſiit, ſed qui deuotus Deo, ſanctiſq; viris addictus, dū ſua Eccleſiæ obſequia defert; *ſine bello* (vt Oroſius ait) *victoriam meruit, & ſine cæde vindictam*, ob violatā ſubinde templi religionē condignas vel ſine bello pœnas dedit, ac non abſq, cœde, ſuoquemet ſāguine numini vindictā exoluit

Eutropii ſacrilegi exēplum.

Huic Eutropius iure merito iungendus eſt, qui in Arcadij principis aula præcipuus, & iam in Oriente Conſul deſignatus, ac Manlij Theodori collega, cum plebeius homo, perditiſque moribus eſſet, ob contēpta, violataque Eccleſiæ iura Deo vlciſcente dignus, qui latinis conſularibus faſtis adſcriberetur, cenſeri minimè potuit, in quem iſthęc Claudianus cecinit.

Baron. tom. 5 an. 399 n. 4. Claudianus quæ de Eutropio cecinit. Claudian. de Conſulat. Theodoſ.

Non hic violata curulis, —
Turpia, non latios inceſtant nomina faſtos:
Fortibus hæc conceſſa viris, ſoliſque gerenda
Patribus, et Romæ nunquam latura pudorem.

4. Quapropter vir iſte vbi conſulatum adeptus eſt, orbem in ſui admirationē excitauit; portenti enim inſtar habitum eſt, quod Eunuchus gynnaceis aſſuetus, ad conſularium faſcium apicem, fortunæ vel impulſu, aut certe ludibrio pertigerit, tantoque iunctus collegæ conſul renūciatus fuerit; Quapropter iure merito idem, qui ſupra Poeta hæc cecinit.

Claud. in Eutrop. lib. 1. in principio.

Omnia ceſſarunt Eunucho Conſule monſtra.
Heū terræ, cælique pudor Trabeata per vrbes
Oſtentatur anus, titulumque effœminat anni.

Virū quippe, vel ſemiuirū potius vlis abſque meritis, ac virtutum fama fortunæ ludibrium fuiſſe conſtat in quem olim cunctorum tum inuidia, tum poetarum dicteria, ac feſtiui ſales deriuabant: verum ſuo miſer ſubinde exemplo promptam, expeditamque in prærupta quæque è ſolio patere ruinā didicit. Enimuero cū apud Arcadium potentia inualuiſſet, vnus pro arbitrio Romani habenas Imperij moderabatur, adeoque eius præ ceteris ſplendor, atque auctoritas præcellebat, vt nō tam in Arcadium, quam in ipſum, omnium tum oculi, tum animi, eorumque pręſertim, qui honorum cupidi totis ad altiora velis cōtendebant, conuerterentur. De quibus poſt improbos Eunuchorū mores ex Cyrillo adūbratos Suidas hęc ſubijcit: *Sub Eutropio Eunucho* (inquit) *tutore ipſius Arcadij Imperatoris, genus Eunuchorum propter illius auctoritatem, & potentiam adeo creuit, atque auctum eſt, vt nonnulli iam barbari cum Eunuchi fieri vellent, & ſe Eutropios fore ſpe-*

Eutropius quantæ in aula auctoritatis.

Suidas a 8. cor. Inſania effæminati ſæculi.

ſperarent vita priuati ſint vna cum teſtibus, etiam Eutropio amiſſo, Aureæ ſtatuæ ipſi paſſim collocabantur, & ædificia extruebantur, & ab eo illuſtrabătur ſplendidiora tota vrbe. Hæc ille.

5. Verum huic ſacrum illud in prouerbijs decantatum occinit; *Contremiſcit terra per ſeruum cum regnauerit.* Id planè Eutropio Eunucho ſæpius turpem ad vſum vendito & ſupremi tandem Imperij prouinciam adepto contigit; ludum quippe ſe inter blanda fortunæ, ac infortuniorum ſubinde in Romano orbe ſpectaculum, atq; ludum exhibuit. Diuinis autē oraculis ipſa Claudiani carmina de Eutropio mirifice conſonant.

Prouer. c. 30.

Aſperius nil eſt humili, cum ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes,
Vt ſe poſſe putent, nec bellua tetrior vlla eſt
Quam ſerui rabies in libera colla furentis.

Claudian. vbi ſup. Ex infima ſorte ad ſupremam euecti cuncta feriunt dum cuncta timent.

Tāta vero apud Arcadiū Barbarus, tum auctoritate, tum gratia pollebat, vt principis fauore ſuffultus, Imperatrici Eudoxiæ in faciem obſiſtere, inſultare, ac minas incutere nō vereretur, quod & poſtmodū in cauſa fuit, vt Imperatrix iuſte in eum exacerbata, dum ſe contemptam videt, in manifeſta odia proſiliret, ſed rem ex Nicephoro proferamus: *Super alia autem* (inquit) *conuicia, & illud minabundus adiecit, breui fore, vt ex imperiali aula abductam ipſe domū remittat &c.* Atqui vxoris ſubinde ac filiorū aſpectu ad irā iuſtiſſime cōcitatus Imperator. *Proinde* (inquit) *Eutropium dignitate omni, & opibus cunctis ſpoliatum in Cyprum inſulam exulatum miſit. Breui vero poſt, Aureliano Præfecto, alijſque Illuſtribus viris cauſam eius cognoſcentibus grauium criminum reus pertractus capitis ſupplicium ſubijt.* Inſoleſcens quippe blandos inter honores, & ob principis gratiam Eunuchi animus ſuis ſibi felicitatibus illuſiſſe, ipſoque faſtu cladem viſus eſt intētaſſe; ſed vir ſub Chriſtiano principe ethnicus à Chriſti religione penitus abhorruiſſe dignoſcitur, vt diſertis verbis S. Proſper poſt Symachum de eo loquutus hæc tradit.

Niceph. lib. 13. c. 4. Eutropij inſolentia in Imperatricem.

Eutropius quoque (inquit) *præpotens plurimum anima vero, & mente paganus, cum in contumeliam Eccleſiæ edictum obreptitie ab Arcadio Chriſtiano Imperatore ſurriperet, vt ſi quis ad eā confugeret, etiam ab altari ſublatus pœnas lueret ampliores, diuino iudicio ſuæ ſententiæ prior propinatus eſt; offenſam quippe prædicti regis incurrens, ad eius refugiū, quā oderat cōuolauit etc.* Potiſſima vero inopinæ infelicitatis cauſa ea fuit, quia Sacrilegus non homines tantū ad Eccleſiam confugientes à ſacris altaribus violēter abſtraxit, ſed & peſſimus ſacrilegę ab Arcadio conſcribendæ ſanctionis author fuit, qua pro fugientes à ſacris aditis diuelli iubebátur: quæ quidem anno Chriſti 398. Conſtantinopoli cōtigiſſe publicę auguſtalium reſcriptorum notæ conſulibus obſignatæ his verbis docent.

Proſper. in de prædic. par. 3 c. 38

Edictum ab Arcadio contra eccleſiarum aſyla ſubrepſerat.

6. *Si quis impoſterū ſeruus, ancilla, curialis debitor publicus procurator, Muri legulus, quilibet poſtremo publicis, priuatiſque rationibus inuolutus ad Eccleſiam confugiens etc.* Quibus ſane Theodoſianę ſanctionis deſcriptis ſupra notis, non ſecus ac gladijs vnus præ cæteris Eutropius feriendus, iuſtoque Dei calculo perſtringendus videbatur, qui cōtumelioſum huiuſcemodi ſanciendæ legi conſiliū, manumque adhibuerat. Contigit igitur

Lib. 3. de his qui confug. ad eccleſ. C. Theodoſ.

vt

vt ipſe inſequenti anno, dum publicis hoſtiliter armis impetitur, ad Eccleſiam confugiens, in ſe primum ſequientem, & ob id potiſſimum principis irã experiri coactus ſit, vt de eo iſthęc plane Chryſoſ. verba teſtãutr.

Præcluſit huius (inquit) *loci refugiũ legibus ſcriptis, quibus hoc irritum facere conatus eſt.* At *nunc re ipſa didicit quale ſit quod fecit, et ſuomet facto legem ſuam primus abrogauit, factus orbis totius ſpectaculum: Et ſileat licet, omnes tamen admonet: nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini, ſua calamitate alios docet, et altare hoc illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationẽ ſibi comparat, quod leonem vinctum continet.* Hęc & alia Chriſoſtomus de funeſto Eutropij caſu, dum ad cõciliandã homini pridẽ tam bene currẽti haud popularem, vt cuique par videbatur, inuidiam, ſed nutanti iam, & ad eccleſiam veluti reo profugiẽti implorandã à cunctis cõmiſerationem ageret, cuius potiſſimum opera, eodemque ferè tẽpore, quo iniqua lex promulgata eſt, abrogari meruit.

Chryſ. hom. in Eutropiũ.

Documento fuit impune non violari Eccleſiam.

Quod vero iniquę ſanciẽdæ legis Eutropio adnitente ob Pentadiã Cõſularem fœminam ſuborta ſit occaſio, ex Sozomeno his palàm verbis didicimus. *In primis vero* (inquit) *Pentadiam Timaſij coniugẽ, quem quidem potentem, ac ſtrenuum ducem ille tyrannidis affectatæ condemnatum perpetuò apud Oaſim* Aegypti *exilio mulctarat &c.* Sed his à Sozomeno enarratis, quam ſubinde ob cauſam miſer ad Eccleſiam confugere compulſus ſit Baronio narrante audiamus.

Occaſio iniquæ ferendæ legis.

Baron. tom. 5 an. 399. n. 7.

7. *Cum* Eutropius (inquit) *mala arte percitum, atque induſtria aucupatum tandem conſulatum adeptus eſſet, mox infelix neſciens in ſummo honore ſummam ſibi ignominiam comparauit etc.* Gainas quippe ira excandeſcens non ſecus ac ipſimet Arcadiò Imperatori rerũ Domino imperaret leges, in primis audacterque præſcripſit, vt Eutropius, ille videlicet Conſul ſibi in manus dederetur; prout rem geſtam his Zoſimus verbis deſcribit: *His auditis* Arcadius, *et accerſit Eutropium, & abrogata dignitate dimittit. Eutropius curſu ad Chriſtianorum* Eccleſiam *pergit, quæ ab illo tempore ius aſyli conſecuta retinet.* Verum cũ Chryſoſtomus tũc temporis in templo adeſſet, miſericordia permotus, hominem planè miſerrimum ſacri altaris baſim prẽſãtẽ valide protexit, nec inde à ſatellitibus vlla ratione diuelli paſſus eſt. Et tanta quidem ſuggeſtũ cõſcendens eloquentiæ vi pro eo tũc inſtitit, vt liuore, quo populus æſtuabat, conſopito, qui aderãt lacrymas ſinguli Eutropio commiſerantes effunderẽt, ac precibus, ne daretur neci, tum apud Deum, tum apud principẽ inſtantiſſime agernta. Sed ipſammet à Chryſoſtomo ex tempore, habitam pro Eutropij defenſione concionẽ, tullianis verbis haud imparẽ gratis hic auribus par eſt excipere.

Prehendit miſer altaris baſim miſericordiam implorans.

Si nunquam antea (inquit) *nunc maxime licet dicere: vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Vbi nunc inclytus ille Conſulatus ſplendor? vbi illuſtres illi faſces? vbi applauſus illi, ac choreæ epulæque, et feſti conuentus? vbi Coronæ, et aulea? vbi ſtrepitus vrbis, et illæ Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes, et adulationes? omnia illa præterierunt etc. Vbi nunc fucati illi amici? vbi compotationes, et cœnæ? vbi Paraſitorum examen etc.*

Baron. tom. 5 an. 399. n. 10 Eiuſdem oratio de inani humano faſtu.

8. Et poſt multa potiſſimam, ob quam Eutropio mala iſta contigerint, rationem afferens, ſacra *Eccleſiæ* iura ab eo proculcata his verbis meminit, inclamatque: *Eccleſia* (inquit) *à te hoſtiliter habita expanſo ſinu*

Chryſ. orat. in Eutropiũ vbi ſup.

nu te ſuſcipit. Theatra autem magnis obſequijs à te culta, quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, et prodiderũt te, & perdiderunt; Attamen nunquã deſtitimus hiſce verbis alloqui: Cur iſta facis, &c. Eccleſia vero tuo furore exagitata, vltro citroque curſitat, ſi quo pacto te ex his caſibus implicitum extricare queat. Quibus ille verbis blãditur ſimul, & terret, & homini barbaro, vno, ac eodemq; tempore iudicium minatur, et miſericordiam exhibet. Qui vt auditorum animos ad commiſerandum inflectat, lugubrem deiecti Eutropij ſortẽ, ſatis apte, eleganterque ſtylum in eumdem conuertens, hunc in modum inculcat.

Chryſoſt. orat. in Eutrop.

9. *Quis hoc* (inquit) *homine ſuit excelſior? nonne in toto orbe diuitijs præcellebat? nonne ad iſta faſtigia honorũ conſcendit? nonne omnes eum formidabant, ac verebantur? ſed ecce factus eſt, & vinctis miſerior, & ſeruis miſerabilior &c. per ſingulos dies præ oculis habẽs gladios in ſe exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam, quæ ad ſupplicium ducit.* Et poſtmodum totam eloquentię vim exerens, et ad permouendos adſtantium animos ex induſtria ſermonem inflectens, multa appoſite pro eo dixit. Ipſum denique in Cyprum deportatũ fuiſſe Claudianus affirmat; ſecuri vero ibidem percuſſum diſertis Socrates, atque Sozomenus verbis aſſerunt, qui itẽ infauſtum tunc Eutropij nomen è conſularibus faſtis abraſum tradũt; quod quidem homine in exilium deportato obtigit, vt carminibus hiſce Claudianus cecinit:

Propoſita Eutropii extrema miſeria.

Claudian. in præfat. lib. 2. in Eutrop.

Scindere nunc alia meditatur ligna ſecuri,
Faſtibus, & tandem vapulat iſte ſuis.
Illicitas conſul pœnas, ſe cõnſule ſoluit.
Annus qui trabeas, hic dedit exiliũ.

Sed his interim celeberrimi poetæ funeſto in Eutropiũ plectro decãtatis eius infelicitati parentaſſe voluimus.

Et ſiquidem Deus (vt ſuſcepti argumenti propoſito inſiſtamus) haud inultas, ſi quas ab impijs, prophaniſque hominibus Eccleſia Chriſti ſponſa contumelias pertulit, nec eius inſuper iura temere infringi; ac proculcari permiſit; enim vero & ſi promeritã ad tempus vltionem, quãdoque diſtulit, extemplo tamẽ validis eorum, qui vim patiebantur, vocibus excitatus laborantibus adfuit, funeſtamque ſacrilegis hominibus, intulit vaſtitatem. *Non enim* (inquit Beda) *clementiſſimus Deus obliuiſcitur orationem pauperum, neque auertit faciem ſuam à ſperantibus in ſe.* Et ne ſermonem longius protrahamus, dũ acerbiores tyrannis, aliquando barbariſque inſurgentibus procellæ Petri nauiculam exagitarent, interim Theodoſius Imperator Deo duntaxat præfidens, immobilis in acie cõſtitit, ac nobilem non tam ferro, quã fide armatus ex hoſtibus triumphum retulit, *Tollebat quippe manus Moyſes & Ioſue vincebat.* Verum quod orãti olim Moyſi, idem plane Theodoſij precibus diuinitus præſtitum nouimus; ſed Socratem iſthæc narrantem conſulamus.

Beda lib. 2. c. 28. in c. 6. mar. tom. 5.

Fluctuare Eccleſiam non mergi Deus patitur.

Vis admirãda orationis

Exod. 17. 11.

10. A*ſpar* (inquit) *filius Artaburij, cum & patrem à tyranno comprehenſum, ac infinitas barbarorum copias ad auxilia tyranno ferenda acceſſiſſe certior factus eſſet, omnino incertus animi erat, quid ageret: Deus igitur qua tranſiri non poterat, tranſitũ Aſpari patefecit. Ille tum copijs per ſtagnũ, cuius aqua diuina ope penitus exhauſta fuit, traductis, portas Ciuitatis, quas apertas offendit, ingreſſus tyrannum opprimit.*

Socrates lib. 6. c. 27.

Enim

Socrates lib. 7.c.27.

Enim verò, quod inſignis eiuſmodi victoria, non tam armis Romanorum, ac viribus, quàm Deo adſcribenda ſit, Theodoſius haud obſcuris argumentis obteſtatus eſt, vt Socrates his verbis tradit: *Quo* (inquit) *tempore etiam Imperator ſanctiſſimus* (*cui ludos Circenſes peragenti nunciatũ eſt, tyrannum è medio ſublatum eſſe*) *ſuam eximiam erga Deum pietatẽ perſpicue declarauit. Sic enim populum affatur: relictis his oblectamentis, ad hæc potius* (*ſi videtur*) *nos referamus, & ad Eccleſiam profecti, preces Deo, quibus illi pro tyranno ipſius manu occiſo, agamus gratias, pie fundamus. Quæ cum dixiſſet non modo ſpectaculis finis impoſitus fuit, verum etiam omnibus illis neglectis recta ad Eccleſiã via contenderũt.* Hæc Chriſtiano quidem principe digna Socrates, qui caute, prudenterque (vt Baronius ait) iſthæc geſta non tam Aſparis Ducis virtuti, quam religioſi principis pietati accepta referenda eſſe inculcat.

allatus Theodoſio nũtius in Circenſibus ludis.

Baron. tom. 5 an. 425. vbi ſup.

11. At ſi inflictæ tyrãno cladis nobiliſque reuecti ſub Theodoſio triũphi rationem perquiramus, immanẽ profecto hominis faſtum, quo tum hominibus, tum Deo ac Religioni inſultarat, infenſumque ſe hoſtem Eccleſiæ prætulit, in cauſa fuiſſe cõperiemus. Ioannes enim qui imperium ſibi vindicare auſus eſt, ne dum aduerſus Imperatorem rebellauit, ſed acerbum quoque ipſimet bellum Eccleſiæ indixit: nam vbi primum, occidentale Imperium hoſtiliter inuaſit, ſub ipſius primordia tyrannidis, ſingula, quibus Eccleſia gaudebat, & quæ à Chriſtianis Imperatoribus, Eccleſiaſticis tum viris, tum locis collata fuerant priuilegia abrogauit, ac inter cœtera omnem prorſus Clericis à foro ſæculari immunitatem ademit. Einſcemodi igitur initijs tyrannicum principatum inauguratus, certum ſibi intentaſſe exitium, expeditumque ad ruinam aditum pateſeciſſe viſus eſt, vt Baronius ad quem lectorem remittimus, in ſuis annalibus diſertè tradit.

Baron. vbi ſup.

Baron. tom. 5 an. 423. nu. 3

Porrò Theodoſius aduerſus validiſſimum tyrannum, qui occidentale Imperium inuaſerat, ac barbarorum fretus auxilio certam ſibi palmam pollicebatur opem ſibi è cœlo præoptauit; religionis quippè cauſã agens, hæreticos, & idololatras, rem Deo gratam facturus, priuſquam cõtra tyrannum arma moueret, ſtrenuè dimicãdũ cẽſuit, & vti dignum pijſſimo principi, plæclarumq; Nicephor. hoc illi elogiũ merito inſcribit. Adeò (inquit) *Religioſus Theodoſius fuit, vitamque ſuam accuratiſſimè ad diuinas leges compoſuit: Quam ob cauſam, quidquid fuit ex idolis reliquũ ita eſt funditus diſiectum, vt poſteris eius ne veſtigium quidem prioris fraudis & ſeductionis cernere ſit datum: ſententiam vero de his ſuam in conſtitutionem retulit.* Hæc ille, adeoque condigna planè Chriſtiano Principe, laudũ monimẽta Baronio teſte retexit: *Vides* (inquit) *quibuſnã pius Imperator Religionem obſequijs viam ſibi ad futuram percipiendam incruentam de tyranno victoriam ſtrauerit.*

Theodoſio hæreticos & idololatras inſectatus victoriam promeruit.

Niceph. lib. 14 c. 13.

Veſtigia Ethnicismi ab eo abolita

Baron. tom. 5 an. 425. n. 12

12. Verum tyranno, qui aduerſus Dei Eccleſiam bellum indixerat, ſublato, Deus multiplicibus Theodoſium triumphis præter ſpem cumulauit; barbarorum quippè milites, ac belli præſertim duces, qui ad auxiliares Ioanni manus ferendas in Italiam venerant, infeliciter hac illac diſperſi, fere omnes extincti, ac deleti ſunt; Sed qui vult, rem geſtam apud Socratem conſulat. *Quibus* (inquit) *autem cladibus barbari tunc opprimerentur, non incommodum eſt hoc*

Eorum dux percuſſus fulmine.

hoc loco recenſere. Primum illorum Dux nomine Cughas fulminis ictu interijt, deinde peſtis ſubſequuta maximam partem hominum, qui ei parebãt, è medio ſuſtulit. Neque hoc ſatis eſſe videbatur, ſed ignis etiam è cœlo delapſus complures eorum, qui ſupererant, abſumpſit. Quæ res barbarorum animis maximum iniecit timorem, non tã propterea quod cõtra bellicoſam Roma*norum gentem arma ferre auſi fuiſſent, quam quod* Romanos *à* Deo *præpotenti adiutos animaduerterent. Eo tempore Proclus Epiſcopus prophetiam quãdã ex* Ezechiele *petitam in Eccleſia docuit, eamque præclare iam tum à* Deo *Romanis datam non ſine maxima omniũ cõmẽdatione accõmodauit &c. Hac de cauſa* Proclus*(vt dixi) maximam cõſequutus eſt laudem.* Hactenus Socrates; Sed pro Theodoſio aduerſus barbaros è cœlo pugnatum eſt, vt Theodoretus his verbis tradit: *Cum Thoilas* (inquit) *Dux Scytarum, qui Nomadæ dicũtur, traiecto Iſtro cum ingentibus copijs, Tracyam populari, & prædas agere inciperet, ac Conſtantinopolim Vrbem primariam obceſſurum, & momento temporis capturum, atque adeò ſolo æquaturum minaretur, Deus fulminum iactu & facibus cœlitus demiſſis cum illum combuſſit, tum vniuerſum exercitum penitus abſumpſit.* Hæc Theodoret. adeo vt quod in ſuo olim Debora carmine cecinit, tunc adamuſſim adimpleri contigerit: *De cœlo pugnatum eſt contra Siſaram.*

Plures igne abſumpti.

Theod. lib. 5. c. 36. Cõfirmatur data e cœlo victoria.

Iud. c. 5

13. Sacrorũ itaque iuriũ violatores Deus haud impune aliquando abire ſinit, quod & ſuo palã Valentinianus Imperator exemplo comprobauit, qui multis à Deo beneficijs auctus, proſperis tamen arridentibus Numini ingratus, ac ſacris Eccleſiæ iuribus cõtumelioſus extitit; propterea que miſerrime è vita deceſsit. Palmis igitur frequentibus elatus, vitijs ſe ipsũ tradens, ab vno in aliud ſcelus miſerrime proruit, & multa impiè, quę Eccleſiaſticis contraria ſunt legibus, ſanciuit, ex quibus haud parum Dei Eccleſiam violari contigit; ſed quoniam peccator Dei oculum non fallit, neque vllum malum impunitũ pertranſit, gladio tandem perculſus viuendi finem fecit. Qui igitur ad triginta fere annos inter multiplices rerum anguſtias ſoſpes, ac vegetus vitam traduxerat, vbi primum Eccleſiæ moleſtiam exhibuit, manifeſtam à tergo vltionem ſenſit, vt rem totam his verbis Procopius narrat.

Baron. tom. 6 an. 452. n. 57

Violatio eccleſiaſticorũ iurium illi cladem intulit.

Incantamentis igitur, (inquit) *& Magijs operam dedit, hiſce artibus matronarum caſtitatem expugnaturus.* Sed vt palã fiat qua ratione poſt fœdas libidines Eccleſiam exacerbarit, & ſacroſancta impius iura proculcarit. Valentinianus quidem anno 452 (vt Baronius aſſerit) decimo ſeptimo Kalend. Maij turpem, indignamque Chriſtiano principe legem ſanciuit, qua iudiciarium Epiſcopis, niſi partes id id conſentirent, tribunal abſtulit: nullamque Clericis poſthac fori ſuppetere exceptionẽ voluit, omne prorſus Eccleſiaſticis viris iudicium, his duntaxat exceptis, quæ ad religionem ſpectãt, adimendo: Et Curiales Clericis adſcribi, aut monachos fieri, ac originarios itidem inquilinos, colonos, ac alterius ſeruitio addictos, diuinis ſe mancipare obſequijs vetuit. Quæ omnia, quam iniquè, quam impie regia male vſus auctoritate præſtiterit, edita à Maiorano, qui proxime in adminiſtrando imperio ei ſuffectus eſt, contraria omninò Sãctio palam fecit. At iſthæc Imperatoris facinora haud impunè tandem abiere. *Conſidera* (inquit Iob) *ſemitas,*

Procopius de bell. Vuand. lib. 1. Magicas artes ad luxuriam ſatiandam amplexus.

Baron. vbi ſup. to. 5. ann 452.

Ius dici vetuit ab epiſcopis

Iob. c. 6.

tas, Thema, & itinera Saba, & expecta pauliſper.

4. Dum igitur antiqua Eccleſiæ iura perperã nouis ſubuertere, ſancitiſq; ſuis proſcribere legibus non timet, plures, ingenteſque vna cum toto Imperio calamitates incurrit; hoc namque anno (vt culpæ pœna in ianuis adeſſet) quod, & Marcellinus, & Caſſiodorus in Chronico, alijque ſimul affirmant. Attila Hunnorum Rex, qui magna ſuorum clade, ab Aetio. & Gothis ſuperiori anno in Gallijs victus, attrituſque fuerat, ipſius Imperatoris exigentibus culpis, Deiq; flagellũ iure merito nuncupatus, cum viribus auctus Aquileiam, quæ Roma altera antiquitus dicebatur, aliaſq; Ciuitates nobilitate præcipuas in ſui poteſtatem redactas ſolo æquaſſet, ipſimet vrbi, totique pariter Romano Imperio vaſtitatem illaturus niſi ille, cuius pridẽ Valẽtinianus imperia cõtẽpſerat, diuina ſuffultus ope, ſe ſe illi tãquã validiſſimũ murum, ac propugnaculum obuiam factus oppoſuiſſet; Enimuero iam barbarus cuncta igni, ferroque aggreſſus, cladem è proximo, vt Paulus Diaconus docet, intentabat. A*ttila* (inquit) *continuo reſumpta fiducia cruentus Italiam petit*, Aquileiam *captam funditus tradit, Ticinumque*, Me*diolanum regias vrbes excidit*. Condigno autem Imperatoris arrogantia ſupplicio addicta eſt, adeo vt qui ſupremam Romani Pontificis auctoritatem, atque Eccleſiæ iura cõtempſerat, eius poſtmodum auctoritas à barbaro homine contemneretur, nec terrori duntaxat barbarus Imperatori eſſet, ſedet barbaro Imperator, ipſe ioco, ac riſui. Atqui Tyrannus diuina Leonis præſentia, verborum vi, atque auctoritate abſterritus, terga vertere, Dei nutu cõpulſus eſt, adeout raro prodigio, dum iam barbaricus furor Romanorum ceruices impeteret, cruoremque ſitiens ad vrbis feſtinaret excidium, ſubito dum non ſperatur miteſcere viſus ſit.

Attila in eũ conſurgit

Romanum vaſtat imperium.

Paul. Diac. Miſcell. Aquileiam Ticinum Mediolanũque excindit.

A Leone Pontifice terga vertere cogit.

Baron. tom. 6 ann. 455. n. 2

15. Porro hiſtoriã hanc Eques Alexander Algardus Bononienſis, inſignis inter ſculptores ſui temporis, cuius opera votis hominum ſuperiora ſunt, Innocentij X. iuſſu olim in Sacello apud Vaticanam Baſilicam, (in quo Sãctiſſimi viri vna cum alijs tribus eiuſdem nominis, ac ſanctimoniæ Pontificibus corpus recõnditur) ſic ad viuum marmore expreſſit, vt qui rem ſerio contemplatur ſuis vix oculis credat, dum loqui marmora, ne dum viuere in tabula mortuos admirabundus conſpicit, Leonem ipſum imperantem, recedentemq; Attilam videre ſibi videatur. Aetypon verò tanti manu artificis ex gypſo elaboratum poſtremis hiſce diebus, quibus hæc cudimus. Alexandro Pont. Opt. Max. concedente perpetuũ apud nos ipſius Leonis beatiſſimi Pontificis, & tũ pontificiæ munificentiæ, tum operis omni ex parte abſolutiſſimi monimentum pariter, atque ornamẽtũ Cõgregatio Oratorij iuxta Bibliothecã Vallicellanã in ſuis nouis ædibus poſſidere ſe gaudet.

Attilæ hiſtoria ab Alexandro Algardo marmori inculpta.

At ingratus princeps (vt ad noſtra redeamus) ob amotũ, fugatũq; tyrãnũ iuſtam eius in ſe iram, dum acceptis à Deo muneribus detrahit, è proximo concitauit, vt B. Leo qui tyrannũ ab vrbe procul amouerat, ingratos homines his verbis perſtrinxit: *Magnũ* (inquit) *periculum eſt, eſſe homines ingratos Deo, & per obliuionẽ beneficiorum eius, nec de correctione compũgi, nec de remiſſione lætari, &c.* Sed immania vrbi ob ingrati vitiũ funera irre-

S. Leo in ſerm. oct. Apoſt. Petr. Paul.

fidia inferior, prauiſq; tantũ moribus nec tam nominis, quã ſcelerũ fama larus, crudelis, fœdifragus illud ad ſcelerum cumulum addidit, vt Chriſti ſponſam Eccleſiam, & quæ ſunt eius per ſummam iniuriam proculcando, Eccleſiaſticos viros tributarios faceret, ac militaris inſuper rei ducibus, vt Epiſcopos, ac Clericos ſibi ad nutum obſequentes ſibi, inſeruienteſq; haberent, vltro poteſtatem concederet: quam potiſſimum ob cauſam ſe impie in bellis aduerſus Deum infeliciter geſſit, adeout vinci, ac demum miſere à Bulgaris in vltionem ſcelerum neci tradi meruerit. Sed quæ ab eo impiè geſta ſunt, lugubremq; pariter hominis exitum hic ex Theophane poſt Saracenos irrumpentes, deprædatũque militare donatiuum, excipiamus.

Eius in Eccleſiaſticos viros inſolentia.

In his (inquit) *nec ſic redarguutus Nicephorus ab auaritia ſua ceſſauit. Igitur nouus Achab ſignis non eruditus quin è contra Phalaride, ac Mida ambitioſior factus contra Bulgaros præliũ præparat, vna cum Stauratio filio ſuo, & Iulio menſe è regia vrbe digreſſus iuſſit Nicetæ Patricio, & generali Loghotetæ, publicos Eccleſiarum, & Monaſteriorum cenſus imponere, & octo annorum præteritorum redhibitiones à principum domibus exigere: & erat lamentum magnum. Cum autem querimoniam audiret à quodam proprio famulo, Theodoſio videlicet Salibara Patricio, dicẽte ſibi: Omnes ò domine cõtra nos clamant, & in tẽpore tentationis caſui noſtro congratulabuntur, ſic ait ad eum. Si Deus obdurans obdurauit cor meum vt Pharaonis, quid boni erit his, qui ſub manu mea ſunt? à Nicephoro Theodoſi noli expectare, præter quæ à te cõſpiciuntur.* En paucis lugubre rerũ ab impio principe tam geſtarum, quam gerendarum auſpicium, vt Theophanes his verbis proſequitur.

Eccleſias & monaſteria expilat.

Redarguutus flagitii ſibi inſtar Pharaonis cor obduruiſſe ait.

Collectis itaq; (inquit) militijs nõ ſolũ ex Thracia, verum etiam ex vlterioribus thematibus, cum his etiam egenos pedites cum proprijs ſtipendijs contra Bulgaros fundis, & armis armatos, & blaſphemantes minauit. Crunnus autẽ Rex Bulgarorum multitudines timẽs, cum eſſet Marcellis pacem petebat. At ille nequam conſilijs, & conſcientia conſiliariorum ſuorum perſuaſionibus prohibitus eſt, & poſt multos anfractus per auia loca præcipitanter temerarius ſimul, et pauidus ingreditur Bulgariã, decimo tertio Calend. Augusti. Cum Syrius appareret cuncta conſumens, frequenter ita fatus: Quis ibit, inquiẽs, & decipiet? Quis ſiue Deus, ſiue aduerſarius, trahit me nolentem? Porro priuſquam ingreſſus fuiſſet Bulgariam, Byzantius dilectus eius famulus ad Crunnum confugit Marcellis, ſecum ſubrepta veſte imperiali, & auri libris centum. Multi autem huius fugam in malum Nicephori auſpicati ſunt. Qui enim hactenus inique agẽdo, ac palàm Religioni inſultando à Deo diſceſſerat, ſuos non niſi impulſu Numinis ſubditos rebellantes ſentire debuit. Sed quid inde? Cõfecto feliciter bello, ſibiq; victoriam adſcribens, miſer tandem hoſti triũphus ceſſit, vt ex iam narrandis videbimus.

Theoph. vbi ſup. Funeſta eiuſdem expeditio in Bulgaros.

Quæ funeſtũ Nicephoro exitum portenderent.

18. *Tunc* (inquit) *ſæuiens Crũnus regionis introitus, & exitus, lignea munimina admittẽs, materia circumdedit, atque tutauit. Nicephorus autem hoc comperto mox attonitus, quidnam ageret circumiens ignorauit, & ijs, quibus aderant, futuram perditionem pronunciabat aſſeuerans; etiam ſi pennati fuerimus, nemo ſperet exitum ſe euaſurum etc. Ante diei vero principiũ ſuperuenientes barbari contra tabernaculum Nicephori, & Magnates, qui*

Theoph. in Annalib. Intercluſo reditu in deſperationem agitur.

eum ipſo erant hunc miſerabiliter interficiunt, &c. Arma quoque perierunt, & imperij vaſa. Porrò talis diei deformia verba, abſit, vt Chriſtiani vlterius audiant, vt potè omne lamentum excedentia. Namque Nicephori citara Dei nutu repente conuerſa eſt in luctum, ac impij regis triumphus præter omnem ſpem in lamenta deſiuit; reciſa vero tyranni ceruix, paloque infixa, omnium oculis propoſita nobilem triumphi pompam adauxit, vt his verbis Theophanes. *Caput* (inquit) *Nicephori Crūnus reciſum ſuſpendit diebus multis in ligno in oſtentationem ad ſe venientium nationum, & confuſionem omnium noſtrum. Poſt hæc autem accipiens illud & denudans, argentoque forinſecus induens, ac bibere in illo Sclauinorum Principes fecit gloriatus. Verum licèt multæ viduæ, & Orphani fuerint facti vno die, & lamentatio intolerabilis haberetur, huius tamen occiſio multorū facta eſt conſolatio*. Hactenus de ſacrilegi hominis caſu, peſſimoque eius interitu, *Qui nō poſuit Deū adiutorem ſuum* (vt inquit Baronius) *ſed ſperauit in multitudine diuitiarū ſuarum, & præualuit in vanitate ſua*; cui plane iuxta illud diuinum oraculū accidit: *Cor durum male habebit in nouiſſimo*.

Theoph. vbi ſup.
Eius caput infixum conto circumlatum.

Pſal. 5.

Eccl. 3.

Porrò, & ſi ſubitus Nicephori exitus, præuiſus tamen, eidemque lōgè ante à Theodoro Studita enunciatus fuit, vt Michael item Studita his verbis exequitur; *Nec vero* (inquit) *prætermittendum, quod ſanguinario illi euenturum pater prædixit. Hoc ipſum quippè illi prædixit, & imminēs periculum denunciauit, tametſi nec ſic quidem amens intellexit*. Enim verò nedum miſer in malis perſtitit, ſed bellum in Scytas, cui manus admouebat, à Dei famulo, ſed fruſtra prouehē-dum curauit, hęc enim ſibi ab eo enūciata ſunt. *Aequum erat* (inquit) *Imperator, te actorum tuorum pœnitentia duci, & medicinam malo facere, ne temporis progreſſu difficile ad ſanandū, aut penitus etiā inſanabile redderetur: ſed quoniam haud vllum morbi tui sēſum habes, vt non ſolum ipſe vltrò te in laqueum inducas, ſed alios etiam in eumdem impellere conaris, & ruinam nolentibus, ac perniciem pares: hæc tibi omnium vindex, & ſpectator oculus meis verbis prænunciat. Scitote, quā viam nunc ingrederis, ex ea nunquam reuerſurum*. Cladem igitur ſibi diuinitus prænunciatam, quam à culpis reſiliens euitare potuerat, ijſdem hærendo, præoptaſſe, ratumque habuiſſe exitium viſus eſt; ſed reliqua proſequamur.

Prædicta illi à Theodoro Studita diuina vltio.

Michael Studita in Niceph.

Admonitus ne cæteros in ruinam impelleret.

10. *Itaque ſecundum iuſti* (inquit) *Vaticinium barbaricis manibus captus, non ſolum vitam turpiter amiſit, ſed caput ipſum amputatum, Bulgarorum genti ad ludibrium reliquit, in quo illi inter potandum propinarent, & cladem ſuam, & ignominiam in omnibus conuiuijs miſero exprobrarent; de quo quidem aptè Prophetarum illud, dici queat: Domus regis erubeſcet, quoniam in gladio principes veſtri cadent, eo quod legem meam præuaricati ſunt, & populum meum vexauerūt. Poſtquā igitur fœdo in hunc modum exitu ſublatus eſt &c.* Huc vſque [illegible] ita, qui notis haud obſcuris miſeram illam necem, funeſtaſque Nicephori calamitates expreſsit. [illegible] vero, & ſi per vim è throno deiectus eſt, qui illud non niſi per vim, ac tyrannidem occupans, Irene Auguſtam fœminam è ſolio exturbatam exilio mulctauit, vt Theophanes eiuſdem principatus initia repetēdo tradit, quem qui vult apud Baronium conſulat. Publicæ vero rei detrimēto, bonorū-

Theoph. vbi ſup.

Oſee c. 7.

iuxta ſcelerum viuo.

que

que omnium exitio hic vnus ad Imperij culmen pertigiſſe viſus eſt. Verũ qui in malo pertinax,& ob auaritiæ ſtudium vix ferendus,cunctis negotium exhibuit, Eccleſiaſticis præſertim hominibus moleſtias intẽtare non deſtitit, horum enim opera mãcipiorum inſtar,ſuis ad libitum rerũ militarium præfectis vti permiſit; Cũ enim perſequutione in Monachos, qui Manicheorum hæreſim execrabantur, impius Nicephorus indixiſſet,in alios itidem ſuæ vim tyrannidis petulanter exercuit;vt Theophanes, qui oculatus rerum teſtis fuit, poſtquam acerba, indictaque recens immanium tributorum onera recẽſuit, hæc ſubdit. *Denique*(inquit)*militares principes, more ſeruorum, vti Epiſcopis, & inferioris ordinis Clericis iuſſit. Adituris Epiſcopia, & monaſteria tributum impoſuit perſoluendum, aurea, & argentea Eccleſiæ vaſa improbabat, eadem que licet ſacrata, pro communibus habebat, illud Iudæ de vnguento exhibito* Domino *vſurpans:Vt quid perditio iſta?* Hæc Theophanes,qui & omnem ab ipſo Chriſtianum hominẽ,qui Chriſti ſectatus dogmata, intimo proximũ charitatis affectu diligeret,derideri,cachinniſq; excipi conſueuiſſe pronunciat. Cum igitur clã Imperator ſecta Manicheus prauis eorum dogmatibus impenſe faueret,orthodoxos homines pijs operibus deditos,atque ex laudabili Chriſtianorum more profundẽdis in pauperes elemoſynarum elargitionibus, operam dãtes,iuxta impietatem,quę eiuſcemodi ẽ fonte promanabat,acerbius non potuit non odiſſe. Verum quod ſæuiſsimus tyrannus, infenſus prę cęteris Chriſtianorum hoſtis extiterit,vel ex eo palã euincitur,quod cũ Iconomachis ſẽtiẽs, nono imperij anno orthodoxi quãplures ipſius iuſſu necati ſunt, nobilique Martyrij corona illuſtres,in Græcorum menologio,ſolemni quot annis recurrente die,condigno laudum pręconio celebrentur. Tot igitur, ac tantis improbus iſte vitiorum notis in hiſtoriarum tabulis proſcribitur, vt tum Deo, tum hominibus inuiſus, infenſuſque,ſuis iuſtiſſimã ſceleribus apud omnes infamiam Baronio teſte contraxerit. *Tot enim* (inquit ille) *infame habuit capita cornuta monſtrum vnum, quorum ſingulis dire infeſtauit Eccleſiam.* At iuſto tandem Dei iudicio is inter Imperatores perditiſsimus hoſtili manu victus,vinctus, attrituſque, omni ex parte miſer, ſed nulla adhuc commiſeratione dignus neci traditus eſt, Deique potentiam quam delinquendo iugiter in ſe acerbiſſime concitarat, vel demum fatali gladio addictus agnoſcere compulſus eſt,ſuo illud cunctis exemplo inculcãs *Quia Altiſſimus eſt patiens redditor.* Sed iam ad Epiſcopos ſtylum conuertimus.

Eccleſiaſtici & monachi ab eo oppreſſi.

Theoph.in Nicephoro

Theod.Studita in Platone

Impius ſauerat Iconomachis

Baron.tom.9. an.810.n.

Eccl.1.5.

CAP. V.

Epiſcopi intruſi, vel ad Cathedram ſimoniace prouecti.

1 QVi ſacrum, venerandumque Pontificij muneris thronum, per fraudem,ac malas artes cõſcendere aggrediuntur ſeque proditorũ inſtar, nõ paſtoris gerẽdo,principe in Eccleſia Dei locum aucupantur, proditionis apud Deum obnoxij, turpem denique, atque ingloriũ proditoris exitum. ipſius Dei nutu ſortiuntur: *Qui non intrat*(Chriſtus inquit)

Ioann. cap. 10. 1

Digitized by Google

per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt, & latro, & non venit, niſi vt perdat, & mactet. Prędones igitur, peremptoreſque ouicularum Chriſti potius, quam duces, Paſtoreſque dicendi, atque agnoſcẽdi ſunt, qui prauis artibus ad ſua explenda vota contendunt; Non tam enim ad pabulũm, ad cuſtodiam atq; ad tutelam electas Chriſti oues, quã ad prædam, lanienamque funeſtiſsimam expetunt; ex quo exleges poſt impium, ac fraudulentum ingreſſum, exitum quoque dolis, ſuaque condignũ improbitate cõſequuntur. Rẽ vero probe ſuo Patroclus exẽplo cõfirmat, qui cum ſe in Herois Sanctiſsimi Epiſcopi ſedem, eodem per ſũmum ſcelus exturbato intruſiſſet, meritas tandem pœnas ferro percuſſus exſoluit. Sed Proſperum iſthęc narrantem audire præſtat.

Epiſcopale ſolẽne inuadentes carnifices potius ſunt, quam paſtores.

2. E*odem tempore*(inquit) *nempe his conſulibus Heros vir ſanctus, & B. Martini diſcipulus, cum Arelatẽſi oppido Epiſcopus præſideret, à populo ipſius Ciuitatis inſons, & nullis ſimulationibus obnoxius pulſus eſt, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantij magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur: Ea ue*[illegible] *inter Epiſcopos Regionis illius, magnarũ diſcordiarum cauſa fuit.* Hęc Proſper. Verum adulterinus iſte alieni throni inuaſor, qui Conſtantij fauore ſuffultus, ſe in Arelatenſium ſedem intruſerat, haud certis ſua limitibus iura praſcribi ſuſtinẽs, alienæ ſibi Metropolis iura vſurpare non timuit, dum in Narbonẽſi Prouincia, Eccleſiæ, quæ ſuo fuerat Paſtore orbata, temere Epiſcopum initiare auſus eſt: cuius arrogantiam Bonifacius Romanus Pontifex conſcriptis ad Hilariũ Narbonẽſẽ Epiſcopũ literis retundere, opportuniſq; legibus coercere nõ deſtitit, ſed iuſtas tãdem pœnas dedit. Rẽ vero ex eodẽ Proſp. audire hic præſtat: *His ipſis*(inquit) *conſulibus Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à tribuno quodam Barbaro vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam iuſſionem* Felicis *magiſtri militum referebatur, cuius impulſu traditur etiam Titus Diaconus vir ſanctus, Romæ pecunias diſtribuens interfectus.* Hæc ille.

Baron. tom. 5 an. 412. n. 40. Proſper. in Chron.
Patroclus pſeudoepiſcopus Arelaten.

Intruſio Patrocli diſcordiarum cauſa.

Patroclus ambitioſe in Epiſcopalem ſedem intruſus, funeſte occiſus. *Proſper. in Chron.*

3. Atqui lõgè diſpar necis vtriuſque tam conditio, quam cauſa deſcribitur. *Titus etenim vir ſanctus*(vt ille ait)*inter ſanctos adſcriptus eſt martyres,* Patroclus autẽ in pœnã ſcelerũ iniquæ ſẽtẽtiæ calculo, ac patrocinii minimè releuandus, non niſi vlciſcente numine percullus eſt; quippè qui Heroe conſpicuæ viro ſanctitatis expulſo in alienam ſe intrudere ſedem veritus non eſt, vt tragico ſubinde rerum obuentu palàm fieret, quod qui tanquam fur, inuaſor, ac proditor in illius locum ſubintrauit, iuſtiſsimè itidem gladijs impetendus vt latro, ac è throno eliminandus fuit: *Qui non intrat per oſtium, ſed aliũde* (inquit Chriſtus) *ille fur eſt, & latro.* Sed iam à Patroclo ad Timotheum orationis ſtylum cõuertimus

Proſper. in Chron.
Barbarico gladio cęſus

Ioan. c. 10.

4. Timotheus Aelurus, cuius nũc mentio incidit, impius Euthychianorum Epiſcopus, eorumdemque ſignifer, ſũmis Zenone Imperãte beneficijs adauctus, & ab eodem ad Cõſtantinopolitanam vrbem veniens, benigne exceptus, Alexandrinæ Eccleſię thronum, impij principis auctoritate ſuffultus inuaſit. Qui cum ſacroſanctam Synodum Calcedonẽſem nouis Baſiliſci iuſſu editis ſanctionibus abolendam curaret, magno Euthychianorum Epiſcoporum cœtu comitatus, Conſtantinopolim ad nouum ſalutandum Imperatorem ve-

Timotheus Aelurus Eutychianorũ epiſcopus

veniens, vt Catholicorum ſibi Eccleſia pateret, ſupplicibus ab eo verbis vltro popoſcit, impetrauitque; at cũ ad Eccleſiam, quam dari ſibi popoſcerat, voti compos effectus, ingenti triumphantis in morẽ lętitia, ac pópa deduceretur, nouo, inopinoque caſu gaudium omne in luctum commutandum, ac impios, quibus aduerſus Chriſti Eccleſiá adnitebatur, irritos tandem fore conatus edidicit; Quippe, vt Theodorus ait. *Cũ* (inquit) *Timotheus incondita Alexandrinorum turba cuncta ex ædibus Baſiliſci vna cum alijs ſupplicando ad Eccleſiam aſino vectus progreſſus eſt; Et cum ad locum veniſſet, qui dicitur Octangulus, grauiter prolapſus cecidit, fractoq; crure domum reuerſus eſt.* Enimuerò caſus, qui vel tunc contemplanti fortuito accidiſſe viſus fuit, re tamen ipſa Deo ſic diſponente obtigit; Caſu um quippe non multo poſt è trhono, in quo ſe male locauerat, impium, ac ſacrilegum hominem, portendere iam tũ videbatur; Sed funeſtũ eiuſmodi portentum diuinitus tunc præoſtenſum, ac triſti poſtmodum exitu comprobatum recenſeamus.

Baron. tom. 6 an. 476. n. 25.

In ipſa triũphali pompa crus frangit.
Theod. collect lib. 1.

5. Timotheus itaque hæreticorũ Euthychianorum nequiſſimus, qui tabificum Baſiliſci venenum, eius fauore illectus, apteque ad nocendũ comparatus fouit, vbi Zenonem mortuo ſubinde Baſiliſco aduerſis ſubmonitum rebus, ab antiquis reſipuiſſe erroribus, eumdemque iam in Catholicum hominem commutatum exiſtimans, ſua ſpe fruſtratus, ac mærore animi tabeſcens, Iudæ proditoris ad inſtar, cruentus ſibimet carnifex infelicem exitum peperit. Quod enim Imperatores nimia indulgendi facilitate permoti, vltro, libenterque eidem ignouiſſent, ipſe in ſemetipſum futurus Dei iudicio ſcelerum vindex inſilijt, *& ſui ipſius iuſtus vltor exiſtens* (vt Baronius ait) *ipſe ſibi mortem conſciuit.* Sed qua potiſſimum infelix ratione dignam ſibi mortem intulerit, Liberatus Diaconus his verbis narrat.

Sibi voluntariam necẽ conſciſcit.

Baron. ann. 477. vbi ſup.

6. *Poſtquam* (inquit) *Imperator Zeno reuerſus eſt ad Imperiũ, Timotheus Aelurus metuens zelum, quem habebat circa Chalcedonenſem Synodum, optauit ſibi mortẽ, & iſtud perſeueranter orans, ab humana vita, hauſto veneno, ſolutus eſt. dicunt ſequaces eius præuidiſſe eum diẽ obitus ſui, & re vera, qui ſe parabat veneno interficere, ſciebat.* Hæc Liberatus rerum, quæ ſuo temcõtigerunt pore probæ fidei ſcriptor, ac teſtis. Ab hoc autem perdito, ac nequam Timotheo Timotheani hæretici appellati ſunt. Veneno igitur periit, qui venenatis orthodoxam ſidem dictis, perditoque ſuo innumeros dogmate labefactarat. Atqui vt alterum malis intruſum artibus proferamus.

Liberat. Diacon. Breu. c. 16 tom. 2 conc.

Hauſto perit veneno.

Flauitas poſt Acaciũ nõniſi dolo, ac fraudibus Conſtãtinopolitanę vrbis thronum occupans, promeritum Deo vlciſcente iudicium expertus eſt; Quatuor enim vix menſes in Põtificatu exegerat, cum repentino fato expetitus, propheticum illud Pſalmiſtę, quod in prędones, ac pontificii throni inuaſores decantatum eſt, ſuis edoctus malis oraculum comprobauit: *Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiã eius, & diripiant alieni labores illius &c. in generatione vna deleatur nomen eius.* Ita planè Flauitæ, ſeu, vt alij appellant, Flauiano contigit; Cõſtantinopolitana enim Eccleſia legitimo viduata paſtore hunc non vt virum, imo vt mœchum, atque adul-

Flauitas dolo in Conſtantinopol. patriarchatum irrupit.

Baron. tom. 6 an. 438. n. 23

Pſalm. 108

adulterum ſemper agnouit, & qui auro ad alienam ſibi comparandam ſedem aditum parauerat, rapinis ſubinde, vt ſperabat, condicta pecuniarum breui decedens detrimenta ſarcire nequiuit. Simoniacus igitur aurum, atque animam pariter paruo, aut nullo quidẽ fructu morte præuẽtus impẽdit. Sed rẽ hic ex Niceph. repetamus. *Zeno*(inquit) *Imperator chartam puram in ſacro ponit altari, atque in charta alia per ſcriptum* Deo *ſupplicauit, vt per Angeli manum, quæ in hominum conſpectum non veniret, nomen eius adſcriberet, quem cæleſti calculo* Conſtantinopolitanæ *Eccleſiæ Hierarcham præfectum vellet. Atque ob eam rẽ quadraginta dierum ieiuniũ indixit, & Deum omnes orare, vt qui illi placitus eſſet oſtenderetur, iuſſit. Hæc vbi Flauitas cognouit, auro multo templi cuſtodem, qui idem princeps Imperialium cubiculariorum erat, corrupit, vt in charta purum nomen eius adnotaret, eamque rurſus Imperatoris ſigillo obſignaret. Hoc vbi factum eſt, & vbi conſtitutum ieiunij tempus præterijt ſigillo è charta ſublato de repẽte Flauitas ingenti gloria perinde, atque à* Deo *deſignatus eſſet, affluens correptus eſt, et magnifico ſaltu in* Patriarchæ *thronum is conſcendit.* Hæc ambitioſus ad ſua prouehenda vota, vſurpandũque ſibi cathedram præſtitit. Sed Imperatorem quidem dolo, cuſtodẽ auro verſipellis fallere potuit, at Deũ qui cuncta proſpicit, ac doloſorum vindex eſt, ſacrilegus minimè fefellit: Hæc autem Nicephorus: *Infelix*(inquit) *ille, cum non totos quatuor menſes in ſede ea tranſegiſſet, morte repentina ex hominibus ſublatus eſt, cum ne dimidiam quidem partem muneris eius, quo Epiſcopalem dignitatem redemerat corradere potuerit &c.* At per argentarios hominis fraus detecta eſt: *Zeno autẽ*(inquit) *re audita obſtupuit. Et poſtquã non Chriſtum, ſed Chyſum, hoc eſt aurum potius Flauitæ nomen in libello illo adſcripſiſſe cognouit, iudiciũ re vera, & iuſtitiam iuxta pſalmum fecit.* Atque *Eunuchum quidem, qui ſibi diuinam exiſtimationem, & gloriã arrogaſſet tolli, pecuniam autem creditã ex ſubſtantia eius diſſolui argentarijs iuſſit.* Ipſam vero Eccleſiam *Epiſcopis permiſit, vt illi ſuffragijs ſuis, quẽ idoneum eſſe procurationi ei indicarent, eligerent.* Hæc Nicephorus. Porrò Flauitas Hæreticorum, vtpotè communione vitiatus, Catholicos inter Epiſcopos minimè adnumerãdus eſt: qui, vt Euagrius teſtatur acerrimũ ſe Calcedonenſis Concilij hoſtem perpetuò exhibuit.

Niceph. lib.10.c.18.

Zenonis Imper. Deum tentantis inſania.

Deluditur à Flauita Patriarcharum turpiter exambiente.

Diuina in Flauitam vltio.

Zeno non tentandum Deum agnoſcens permittit epiſcopis, vt patriarcham deligant.

7. Sed probè effictam, ſimulatamque hominis iſtius ſub ementito pietatis fuco improbitatem vel ex eo apparet, quod alioqui impius ad impetrandum tamen communicãdi cũ Romano Pontifice, quod ſummopere cupiebat, beneficium, larua ſuperinducta Catholicus dici voluit; opportunè enim ſibi conſulens, veluti homo Catholicus à Felice Papa ad cõmunionẽ recipi cõtẽdit, ex qua nõ ſine magno nominis detrimento, ac bonæ apud omnes exiſtimationis, ac famæ, iactura Acacium excidiſſe intelligebat. *Videas* (inquit Baronius) *hæreticum hominem, & in ouile ouium ingreſſum aliunde, quam per oſtiũ, & latronem, & furem, quo tamen ſuffurari æque poſſet Catholicum nomen, ſedere renuiſſe, donec acciperet à Romano Pontifice litteras communicatorias. Sed quid inſuper fraudulentus homo? In Zenonis Imperatoris gratiam Protheus iſte ad hæreticos eius amicos Epiſcopos litteras dedit,* Quod & diſertis item Nicephorus verbis affirmat.

Vir impius pietatis laruam ad ſua proſequenda vota ſuperinducit.

Baron. ann. 488.n.5.

Cum

3. *Cum Flauitas adhuc thronum obtineret, ſynodales ad Petrum Alexandrinum* Epiſtolas *dedit, & eiuſdẽ generis literas ab eodem accepit, in quibus eadem de Chalcedonenſibus actis anathemati ea ſubijciens ſcripſit*. Infelici igitur ſub Felice Romano Pontifice exitu, ſuas doloſus iſte artes prodidit, atque vniuerſo terrarum orbi quid intus in cute lateret, vel inuitus palàm fecit, qui Prothei inſtar exaduerſo in ouilis dominici ſepta irrumpens, vt mactaret potius, ac veluti lupus perderet, quam vt Euãgelici inſtar paſtoris Pontificiũ obeũdo munus regeret, paſceretque Dominicum gregem in præcelſum Eccleſiæ thronum Mimice proſilierat.

Flauitæ doli.

Huic iure optimo Timotheus presbyter hæretica prauitate corruptus, fœdiſque inſuper vitiatus moribus aſſociandus eſt; qui eiecto Conſtantinopolitana è ſede Macedonio, eius ſibi locum Imperatore adnitẽte vindicauit; ſed infelici poſtmodum rerũ alea, improbus tum è ſede tũ ex hac luce proiectus, omnibus haud dubiũ diuinæ vltionis argumẽtum reliquit. Verùm enim vero antequam contẽplandum hic viri exitum proponamus, quam perditis iſte moribus ſupremum Conſtantinopolitanæ Eccleſię thronum, quem tyrannice conſcenderat, deturpauerit, conſcripta eiuſdẽ geſta teſtantur, de quo Theodorus hæc habet: *Sequenti vero die Imperator Timotheum quendã presbyterum, & cuſtodem Eccleſiæ, Epiſcopum elegit, quem Litrobulbam, et Colonem propter facta quædam nominibus iſtius conuenientia vocarunt*. Hęc de pſeudo Archipræſule in ſedem intruſo Theodorus, cuius vt viuis in tabula coloribus adũbratam vnuſquiſq; imaginem contemplari queat, Baronium iſthæc narrantem conſulat: *Porro quod ad has voces pertinet* (inquit) *apud Theodorum lectorem pro* κώλων *Colonem legendum ex Cedreno, & Nicephoro* κηλων *eſt propriè* κηλωνα *equus emiſſarius, inde ſumitur pro libidinoſo, quæ item verba aliter Suidas interpretatur*. *Ita plane compoſitum ignominioſum vocabulum, quo ſignificetur homo mulieroſus, impurus, quem exprimere apertioribus vocibus pudeat*. Hæc de Timotheo Baronius.

Timotheus hæreticus ſoliũ Conſtantinop. occupat

Baron. tom 6 an. 511. n. 6.

Impura eius nomina.

9. Atqui Timotheus Macedonio ſua è ſede proiecto, eius palàm petulanterque inſultare imaginibus nõ erubuit, vt Theodorus affirmat. Perditus itaque execrãdum noui erroris dogma vi duntaxat, ac potentia fretus ſub ſpecioſo ementitæ veritatis typo promere, atque hunc in modum Eccleſiæ delibandum proponere auſus eſt, vt Paulus, vel potius Ioannes Diaconus lectori ſuggerit: *Deinde* (inquit) *idem Timotheus quoſdam ex Principibus præcepit in templo S. Theodori Sparatij ſuper ambonem Triſagij additamentum admittere, ideſt qui Crucifixus eſt pro nobis &c. Quod multi metuentes fecerũt. Monachi vero alium pſalmum pſallendo venerunt. Hos autem populus uidens clamauit. Bene uenerunt orthodoxi. Simultas etiam facta eſt multa, & incendium domorum multarum, & homicidia dena millia, turba vociferante aduerſus Anaſtaſium, & Vitalianum Imperatorem petente, ita vt fugeret Anaſtaſius, & latitaret, ab ipſaque Ariadna laceraretur iniurijs, vt potè multorum cauſa malorum Chriſtianis effectus*: Hæc quidem, & alia ibi. Ex quibus aduerſus nouã portẽtoſãq; emergentẽ ab Orco hæreſim orthodoxos omnes audacter in medium proſilientes inclamare non deſtitiſſe liquet.

Paulus Diac. Miſcel. lib. 15

Impia eius hæreſis Trinitatem crucifixam eſſutientis.

Fugatus Anaſtaſius Imp.

Ve-

10. Verùm Deus tandem è cœlo proſpiciens, inuiſum ab Eccleſiæ ſãctuario idolum in orcum proiecit: *Ipſum inquam* (ait Baronius) *Timotheum Conſtantinopolitanum intruſum Epiſcopum è medio ſuſtulit: morte enim inopinata confeſtim ſublatus eſt de medio, qui medium ſtruxerat diuidentem parietem, impediebatque, ne orthodoxis vnirentur hæretici, cum ſex annos ſedem illam tenuiſſet, imo cathedram peſtilentiæ occupaſſet*. Hæc ille. Timotheus igitur, qui ſuæ cunctis perfidiæ venenum propinabat, promeritum tandem diuinæ indignationis calicem certo, patentique iudicio hauſit.

Timotheus repentina morte ſublatus.

Niceph. in Chron.

Quorſum verò hic Anaſtaſiũ B. Germani Cõſtantinopolitani Patriarchæ diſcipulum ſilentio prçterimus; qui dominandi cupiditate, ac Pontificiæ ſedis ambitione captus, Proditor Magiſtri effectus, dum eo expulſo Patriarchalem occupare ſedem nititur, à Leone Iſaurico hæretico homine, tanquam ſuis erroribus faueret, in thronum euectus eſt, ſed inde à Romano Pontifice, vti Iconoclaſtarum ſectator exturbatus, extremum diē funeſte clauſit. At non incongrue hic, quæ ad hiſtoriam pertinent, recenſenda videntur. Enimuero cum Leo Iſauricus B. Germanum ſuis apprimè reſiſtentem votis animaduerteret, eum de medio tollēdum ſtatuit. Ad turpiſſima autem proditionis facinus perpetrandum, idoneum, præ cunctis miniſtrũ, nouũ Iudam, Anaſtaſium videlicet eius diſcipulum ſelegit: *Quem* (vt Baronius ait) *ad proditionem vlero faciendam, promiſſione Epiſcopatus, eiuſdem Conſtantinopolitanæ ſedis redemit*. Verum iſthæc quamuis oculte peragerentur, Germanum, qui Deo reuelante futura probè norat, neutiquam latuere; diuino quippè vir lumine afflatus, quæ poſt multos annos infauſtè homini obuentura erant, technas eius, doloſq; omnes retexēdo palàm edixit, vt ſuis Theophanes, ad quem lectorem remittimus, verbis tradit; Atqui cum poſtmodum res illi ex voto proceſſiſſet viri Dei monitis nil ſe ipſo melior effectus, dum nimio honores faſtu aucupari ſatagit, publicam ſolemnemque ſuis pro meritis, ac mercede ignominiam retulit. Impius enim multas, condignaſque contumelias perpeſſus, vt fatidicum, diuinumque illud adimpleretur oraculum. *Aſcendiſti cubile patris tui non creſcas*. Turpiter demum è throno, ac per ſummã ignominiã è vita excidit. Sed Theophanē in ſuis iſthæc annalibus hunc in modum deſcribētem audiamus: *Sed in primis* (inquit) *hoc anno decimo tertio Imperij Conſtãtini, Anaſtaſius, qui ſcelerate throno Cõſtantinopolitano præſuit mortuus eſt, corpore ſimul, & anima, miſerabili paſſione, quæ dicitur Cordapſos fatigatus. cum ſtercus euomuiſſet, dignam exoluēs vindictam, pro audacia ſcilicet quam contra Deum, & contra ſuum Magiſtrum S. Germanum exhibuit*. Hęc ille. Condignum itaque ſacrilego in Deum, ac in magiſtrum proditori ſupplicium intentatum eſt; qui enim pontificium petulanter thronum exambiendo, non tam virtutum prærogatiua, quam proditoriæ artis impietate, doliſque inuaſerat, ex tunc cũctis inuiſus, calamitatibuſque abunde diues infeliciſſimè accidit.

Anaſtaſius pulſo B. Germano ſedem Cõſtantinopol. inuadit.

Baron. tom. 9. an. 735. n. 4

Theoph. in Columb. vbi ſup.

iuſta culpæ reſpondit pœna.

Baron. tom. 9 an. 753. n. 5

Theophan. in Leone.

11. Neque vero hic à nomis ſilentio prætereundus videtur Caluinus, qui Odoni Cantuarienſi notæ ſanctitatis Epiſcopo ſuffectus eſt: homo cæteris nequitia tantum præcellens, at turpiſſimis alioqui moribus præditus, dum iniquis ad pontificiã au-

Caluini exemplum triſte.

Digitized by Google

aucupandam ſedem artibus niſus, Romam pro obtinendo (vt mos Archipræſulum eſt) pallio contenderet, votis fruſtratus, morte infeliciter præuentus eſt: Rem vero geſtã Matthæus Vveſtnonſtrarienſis Monachus, qui olim tercentos propè annos claruit, his verbis narrat: *Quo etiam anno idem Odo uir ingenio clarus virtute laudabilis, & ſpiritu prophephetiæ pollens, humanis rebus exemptus, in paradiſum eſt Angelorum manibus deportatus, quo ad cæleſtia tranſlato Ealſinus* (*Edelſinum hunc nominat Oſbertus in Duſtanno*) *Vventanæ vrbis Epiſcopus datis muneribus profuſis; per internuntios regem Eadgardum circumuenire ſtudens cum Simone magno thronum Cantuarienſis Eccleſiæ, pecuniæ interuentu conſcendit; qui primo introitus die abſtinere nõ potuit, quin furias mente diu conceptas euomeret; ad tumulum S. Odonis accedens, illudque pede conculcans, dixit: Peſſimè ſenex nunc animam licet ſero emiſiſti, & meliori locum faciens receſſiſti. Nunc vero, quod diù concupieram teneo, te inuito, & inde tibi multas gratias ago. Et ſic fatus, cum rabidus ille ſopori membra dediſſet, ſequenti nocte vidit B. Odonis effigiem, ſibi aſtare, atque improperare conuiciũ, atque velox illi exitium comminari; ſed Ealſinus ſomnij vanitatem eſſe, quod viderat, exiſtimans, non minus ad obtinendum pallium Romam properabat &c.* Sed intentatũ illi diuinitus ſupplicium his verbis proſequitur: *Cum vero per alpes viam expediret incæptã nihil aliud remedij habere potuit, dum niuali tempore eſſet congelatus, niſi vt exenteratorum equorum adhuc calentibus extis pedes immergeret, quibus ſanctiſſimi viri conculcauerat ſepulturam, ſed nec ſic algore deficiente, ſed potius inualeſcente vitam flagitioſam morte miſera terminauit.* Hæc ipſe. Ex quibus hominẽ Simoniaca labe vitiatũ, qui conſpicuæ ſanctitatis viro iã ſepulto inſultarat, pedibus deperditis, nimioq; algore penitus exareſactis diuinitus percuſſum, deinde verò infeliciter è vita ſublatum conſtat, vt ſuo illud experimẽto diſceret, *quoniam per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Auro Eccleſiam Cantuarienſem occupat.

S. Odonis ſepulchro. inſultat.

Matth. Vueſtmonaſterien. Pedes quibus calcarat ſepulchrum algore marcent.

Greg. in moral.

12\. Sed quoniam hic de ambitioſis per Simoniã in Epiſcopalẽ ſedem prouectis ſermo eſt, cum quidam in Sicilia Catanenſis Eccleſiæ thronum prauis artibus inuaſiſſet, & Vvillelmi videlicet iuniorjs Regis potentja fretus, omnes funeſtã ſubindè, portentoſã q; cladem, tã ipſe, quam vrbs ob rem nefariam ſubire diuinitus compulſi, aliiſq; ipſe aliique terra dehiſcente miſerabiliter obruti periere. Rem vero ab vgone Falcando his verbis narratam ſubijcimus. *In vigilijs* (inquit) *Santæ Agatæ circa primam horam eiuſdem diei, vehemẽs terræmotus tanta Siciliam excuſſit violẽtia, vt in Calabria quoque, quæ circa Rhegium, oppidaque proxima ſentiretur, Cataníenſium oppulentiſſima Ciuitas, vſque adeo ſubuerſa eſt, vt ne vna quidem domus in vrbe ſuperſtes remanſerit viri, ac mulieres circiter, quindecim millia cum Epiſcopo eiuſdẽ Ciuitatis, maximaque parte Monachorum ſub ruina ſunt ædificiorum oppreſſi.* Præmemoratus vero ſcriptor dum tragice hiſtoriam proſequitur, de aliarum quoque Ciuitatum cladibus, ac cœteris, quæ tunc in Sicilia contigere, prodigijs mentionẽ facit. Potiſſimam vero ingruentium calamitatũ cauſã Petrus Bleſſenſis, qui apud Vvillelmum iuniorem regem, tunc temporis in aula demorabatur, eam fuiſſe ſcribit, quod cum populi peccata in dies inuale-

Baron. to. 12. an. 1164. nu. 45. 46. 47 Aliud Catanenſis Simoniaci exemplum lugubre.

Hugo Falcandus.

Catanenſes ad quindecim millia cum epiſcopo terra obruti.

hoc loco recenſere. Primum illorum Dux nomine Cughas fulminis ictu interijt, deinde peſtis ſubſequuta maximam partem hominum, qui ei parebãt, è medio ſuſtulit. Neque hoc ſatis eſſe videbatur, ſed ignis etiam è cœlo delapſus complures eorum, qui ſupererant, abſumpſit. Quæ res barbarorum animis maximum iniecit timorem, non tã propterea quod cõtra bellicoſam Romanorum *gentem arma ferre auſi fuiſſent, quam quod* Romanos *à* Deo *præpotenti adiutos animaduerterent. Eo tempore*

Plures igne abſumpti.

Proclus Epiſcopus prophetiam quãdã ex Ezzechiele petitam in Eccleſia docuit, eamque præclare iam tum à Deo *Romanis datam non ſine maxima omniũ cõmẽdatione accõmodauit &c. Hac de cauſa* Proclus *(vt dixi) maximam cõſequutus eſt laudem.* Hactenus Socrates; Sed pro Theodoſio aduerſus barbaros è cœlo pugnatum eſt, vt Theodoretus his verbis tradit: *Cum Thoilas* (inquit) *Dux Scytarum, qui Nomadæ dicũtur, traiecto Iſtro cum ingentibus copijs, Tracyam populari, & prædas agere inciperet, ac Conſtantinopolim Vrbem primariam obceſſurum, & momento temporis capturum, atque adeò ſolo æquaturum minaretur, Deus fulminum iactu & facibus cælitus demiſſis cum illum combuſſit, tum vniuerſum exercitum penitus abſumpſit.* Hæc Theodoretus adeo vt quod in ſuo olim Debora carmine cecinit, tunc adamuſſim adimpleri contigerit: *De cælo pugnatum eſt contra Siſaram.*

Theod. lib.5. c.36. Cõfirmatur data e cœlo victoria.

Iud.c.5

13. Sacrorũ itaque iuriũ violatores Deus haud impune aliquando abire ſinit, quod & ſuo palã Valentinianus Imperator exemplo comprobauit, qui multis à Deo beneficijs auctus, proſperis tamen arridentibus Numini ingratus, ac ſacris Eccleſiæ iuribus cõtumelioſus extitit; proptereaque miſerrime è vita deceſsit. Palmis igitur frequentibus elatus, vitijs ſe ipsũ tradens, ab vno in aliud ſcelus miſerrime proruit, & multa impiè, quę Eccleſiaſticis contraria ſunt legibus, ſanciuit, ex quibus haud parum Dei Eccleſiam violari contigit; ſed quoniam peccator Dei oculum non fallit, neque vllum malum impunitũ pertranſit, gladio tandem perculſus viuendi finem fecit. Qui igitur ad triginta fere annos inter multiplices rerum anguſtias ſoſpes, ac vegetus vitam traduxerat, vbi primum Eccleſiæ moleſtiam exhibuit, manifeſtam à tergo vltionem ſenſit, vt rem totam his verbis Procopius narrat.

Baron. tom.6 an.452.n.53

Violatio eccleſiaſticorũ iurium illi cladem intulit.

Incantamentis igitur, (inquit) *& Magijs operam dedit, hiſce artibus matronarum caſtitatem expugnaturus.* Sed vt palã fiat qua ratione poſt fœdas libidines Eccleſiam exacerbarit, & ſacroſancta impius iura proculcarit. Valentinianus quidem anno 452 (vt Baronius aſſerit) decimo ſeptimo Kalend. Maij turpem, indignamque Chriſtiano principe legem ſanciuit, qua iudiciarium Epiſcopis, niſi partes id id conſentirent, tribunal abſtulit: nullamque Clericis poſthac fori ſuppetere exceptionẽ voluit, omne prorſus Eccleſiaſticis viris iudicium, his duntaxat exceptis, quæ ad religionem ſpectãt, adimendo: Et Curiales Clericis adſcribi, aut monachos fieri, ac originarios itidem inquilinos, colonos, ac alterius ſeruitio addictos, diuinis ſe mancipare obſequijs vetuit. Quæ omnia, quam iniquè, quam impie regia male vſus auctoritate præſtiterit, edita à Maiorano, qui proxime in adminiſtrando imperio ei ſuffectus eſt, contraria omninò Sãctio palam fecit. At iſthæc Imperatoris facinora haud impunè tandem abiere. *Conſidera* (inquit Iob) *ſemitas,*

Procopius de bell. Vuand. lib.1. Magicas artes ad luxuriam ſatiandam amplexus.

Baron. vbi ſup. to.5. ann 452.

Ius dici vetuit ab epiſcopis

Iob.c.6.

tas, Thema, & itinera Saba, & expecta pauliſper.

4. Dum igitur antiqua Eccleſiæ iura perperã nouis ſubuertere, ſanciſq; ſuis proſcribere legibus non timet, plures, ingenteſque vna cum toto Imperio calamitates incurrit: hoc namque anno (vt culpæ pœna in ianuis adeſſet) quod, & Marcellinus, & Caſſiodorus in Chronico, alijque ſimul affirmant. Attila Hunnorum Rex, qui magna ſuorum clade, ab Aetio. & Gothis ſuperiori anno in Gallijs victus, attrituſque fuerat, ipſius Imperatoris exigentibus culpis, Deiq; flagellũ iure merito nuncupatus, cum viribus auctus Aquileiam, quæ Roma altera antiquitus dicebatur, aliaſq; Ciuitates nobilitate præcipuas in ſui poteſtatem redactas ſolo æquaſſet, ipſimet vrbi, totique pariter Romano Imperio vaſtitatem illaturus niſi ille, cuius pridè Valẽtinianus imperia cõtẽpſerat, diuina ſuffultus ope, ſe ſe illi tãquã validiſſimũ murum, ac propugnaculum obuiam factus oppoſuiſſet; Enimuero iam barbarus cuncta igni, ferroque aggreſſus, cladem è proximo, vt Paulus Diaconus docet, intentabat. *Attila (inquit) continuo reſumpta fiducia cruentus Italiam petit, Aquileiam captam funditus tradit, Ticinumque, Mediolanum regias vrbes excidit.* Condigno autem Imperatoris arrogantia ſupplicio addicta eſt, adeo vt qui ſupremam Romani Pontificis auctoritatem, atque Eccleſiæ iura, cõtempſerat, eius poſtmodum auctoritas à barbaro homine contemneretur, nec terrori duntaxat barbarus Imperatori eſſet, ſedet barbaro Imperator, ipſe ioco, ac riſui. Atqui Tyrannus diuina Leonis præſentia, verborum vi, atque auctoritate abſterritus, tergavertere, Dei nutu cõpulſus eſt, adeout raro prodigio, dum iam barbaricus furor Romanorum ceruices impeteret, cruoremque ſitiens ad vrbis feſtinaret excidium, ſubito dum non ſperatur miteſcere viſus ſit.

Attila in eũ conſurgit

Romanum vaſtat imperium.

Paul. Diac. Miſcell. Aquileiam Ticinum Mediolanũque excindit.

A Leone Pontifice terga vertere cogit.

Baron. tom. 6 ann. 455. n. 2

15. Porro hiſtoriã hanc Eques Alexander Algardus Bononienſis, inſignis inter ſculptores ſui temporis, cuius opera votis hominum ſuperiora ſunt, Innocentij X. iuſſu olim in Sacello apud Vaticanam Baſilicam, (in quo Sãctiſſimi viri vna cum alijs tribus eiuſdem nominis, ac fane imoniæ Pontificibus corpus recõnditur) ſic ad viuum marmore expreſſit, vt qui rem ſerio contemplatur ſuis vix oculis credãt, dum loqui marmora, ne dum viuere in tabula mortuos admirabundus conſpicit, Leonem ipſum imperantem, recedentemq; Attilam videre ſibi videatur. Aetypon verò tanti manu artificis ex gypſo elaboratum poſtremis hiſce diebus, quibus hæc cudimus. Alexandro Pont. Opt. Max. concedente perpetuũ apud nos ipſius Leonis beatiſſimi Pontificis, & tũ pontificiæ munificentiæ, tum operis omni ex parte abſolutiſſimi monimentum pariter, atque ornamẽtũ Cõgregatio Oratorij iuxta Bibliothecã Vallicellanã in ſuis nouis ædibus poſſidere ſe gaudet.

Attilæ hiſtoria ab Alexandro Algardo marmori inculpta.

At ingratus princeps (vt ad noſtra redeamus) ob amotũ, fugatũq; tyrãnũ iuſtam eius in ſe iram, dum acceptis à Deo muneribus detrahit, è proximo concitauit, vt B. Leo qui tyrannũ ab vrbe procul amouerat, ingratos homines his verbis perſtrinxit: *Magnũ (inquit) periculum eſt, eſſe homines ingratos Deo, & per obliuionẽ beneficiorum eius, nec de correctione compũgi, nec de remiſſione lætari, &c.* Sed immania vrbi ob ingrati vitiũ funera irre-

S. Leo in ſerm. oct. Apoſt. Petr. Paul.

fidia inferior, prauiſq; tantũ moribus nec tam nominis, quã ſcelerũ fama larus, crudelis, fœdifragus illud ad ſcelerum cumulum addidit, vt Chriſti ſponſam Eccleſiam, & quæ ſunt eius per ſummam iniuriam proculcando, Eccleſiaſticos viros tributarios faceret, ac militaris inſuper rei ducibus, vt Epiſcopos, ac Clericos ſibi ad nutum obſequentes ſibi, inſeruienteſq; haberent, vltro poteſtatem concederet: quam potiſſimum ob cauſam ſe impiè in bellis aduerſus Deum infeliciter geſſit, adeout vinci, ac demum miſerè à Bulgaris in vltionem ſcelerum neci tradi meruerit. Sed quæ ab eo impiè geſta ſunt, lugubremq; pariter hominis exitum hic ex Theophane poſt Saracenos irrumpentes, deprædatũque militare donatiuum, excipiamus.

Eius in Eccleſiaſticos viros inſolentia.

In his (inquit) *nec ſic redarguutus Nicephorus ab auaritia ſua ceſſauit. Igitur nouus Achab ſignis non eruditus quin è contra Phalaride, ac Mida ambitioſior factus contra* Bulgaros *præliũ præparat, vna cum Stauratio filio ſuo, & Iulio menſe è regia vrbe digreſſus iuſſit Nicetæ Patricio, & generali Loghotetæ, publicos Eccleſiarum, &* Mo*naſteriorum cenſus imponere, & octo annorum præteritorum redhibitiones à principum domibus exigere: & erat lamentum magnum. Cum autem querimoniam audiret à quodam proprio famulo, Theodoſio videlicet Salibara Patricio, dicẽte ſibi: Omnes ò domine cõtra nos clamant, & in tẽpore tentationis caſui noſtro congratulabuntur, ſic ait ad eum. Si Deus obdurans obdurauit cor meum vt* Pharaonis, *quid boni erit his, qui ſub manu mea ſunt? à Nicephoro Theodoſi noli expectare, præter quæ à te cõſpiciuntur.* En paucis lugubre rerũ ab impio principe tam geſtarum, quam gerendarum auſpicium, vt Theophanes his verbis proſequitur.

Eccleſias & monaſteria expilat.

Redarguutus flagitii ſibi inſtar Pharaonis cor obduruiſſe ait.

Collectis itaq; (inquit) *militijs nõ ſolũ ex Thracia, verum etiam ex vlterioribus thematibus, cum his etiam egenos pedites cum proprijs ſtipendijs contra Bulgaros fundis, & armis armatos, & blaſphemantes minauit. Crunnus autẽ Rex Bulgarorum multitudines timẽs, cum eſſet Marcellis pacem petebat. At ille nequam conſilijs, & conſcientia conſiliariorum ſuorum perſuaſionibus prohibitus eſt, & poſt multos anfractus per auia loca præcipitanter temerarius ſimul, et pauidus ingreditur Bulgariã, decimo tertio* Calend. *Auguſti. Cum Syrius appareret cuncta conſumens, frequenter ita fatus: Quis ibit, inquiẽs, & decipiet? Quis ſiue Deus, ſiue aduerſarius, trahit me nolentem? Porro priuſquam ingreſſus fuiſſet Bulgariam, Byzantius dilectus eius famulus ad Crunnum confugit Marcellis, ſecum ſubrepta veſte imperiali, & auri libris centum. Multi autem huius fugam in malum Nicephori auſpicati ſunt.* Qui enim hactenus inique agẽdo, ac palàm Religioni inſultando à Deo diſceſſerat, ſuos non niſi impulſu Numinis ſubditos rebellantes ſentire debuit. Sed quid inde? Cõfecto feliciter bello, ſibiq; victoriam adſcribens, miſer tandem hoſti triũphus ceſſit, vt ex iam narrandis videbimus.

Theop. vbi ſup. Funeſta eiuſdem expeditio in Bulgaros.

Quæ funeſtũ Nicephoro exitum portenderent.

18. *Tunc* (inquit) *ſæuiens Crũnus regionis introitus, & exitus, lignea munimina admittẽs, materia circumdedit, atque tutauit. Nicephorus autem hoc comperto mox attonitus, quidnam ageret circumiens ignorauit, & ijs, quibus aderant, futuram perditionem pronunciabat aſſeuerans; etiam ſi pennati fuerimus, nemo ſperet exitum ſe euaſurum etc. Ante diei vero principiũ ſuperuenientes barbari contra tabernaculum Nicephori, & Magnates, qui*

Theoph. in Annalib. Intercluſo reditu in deſperationem agitur.

Digitized by Google

cum ipſo erant hunc miſerabiliter interficiunt, &c. Arma quoque perierunt, & imperij vaſa. Porrò talis diei deformia verba, abſit, vt Chriſtiani vlterius audiant, vt potè omne lamentum excedentia. Namque Nicephori citara Dei nutu repente conuerſa eſt in luctum, ac impij regis triumphus præter omnem ſpem in lamenta deſiuit; reciſa vero tyranni ceruix, paloque infixa, omnium oculis propoſita nobilem triumphi pompam adauxit, vt his verbis Theophanes. *Caput* (inquit) *Nicephori Crũnus reciſum ſuſpendit diebus multis in ligno in oſtentationem ad ſe venientium nationum, & confuſionem omnium noſtrum. Poſt hæc autem accipiens illud & denudans, argentoque forinſecus induens, ac bibere in illo Sclauinorum Principes fecit gloriatus. Verum licèt multæ viduæ, & Orphani fuerint facti vno die, & lamentatio intolerabilis haberetur, huius tamen occiſio multorũ facta eſt conſolatio.* Hactenus de ſacrilegi hominis caſu, peſſimoque eius interitu, *Qui nõ poſuit Deũ adiutorem ſuum* (vt inquit Baronius) *ſed ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarum, & præualuit in vanitate ſua*; cui planè iuxta illud diuinum oraculũ accidit: *Cor durum male habebit in nouiſſimo.*

Theoph. vbi ſup.

Eius caput infixum conto circumlatum.

Pſal. 5.

Eccl. 3.

Porrò, & ſi ſubitus Nicephori exitus, præuiſus tamen, idemque lõgè ante à Theodoro Studita enunciatus fuit vt Michael item Studita his verbis exequitur; *Nec vero* (inquit) *prætermittendum, quod ſanguinario illi euenturum pater prædixit. Hoc ipſum quippè illi prædixit, & imminẽs periculum denunciauit, tametſi nec ſic quidem amens intellexit.* Enim verò nedum miſer in malis perſtitit, ſed bellum, in Scytas, cui manus admouebat, à Dei famulo, ſed fruſtra prouochẽdum curauit, hęc enim ſibi ab eo enũciata ſunt. *Aequum erat* (inquit) *Imperator, te actorum tuorum pœnitentia duci, & medicinam malo facere, ne temporis progreſſu difficile ad ſanandũ, aut penitus etiã inſanabile redderetur: ſed quoniam haud vllum morbi tui ſẽſum habes, vt non ſolum ipſe vltrò te in laqueum inducas, ſed alios etiam in eumdem impellere conaris, & ruinam nolentibus, ac perniciem pares: hæc tibi omnium vindex, & ſpectator oculus meis verbis prænunciat. Scitote, quã viam nunc ingrederis, ex ea nunquam reuerſurum.* Cladem igitur ſibi diuinitus prænunciatam, quam à culpis reſiliens euitare potuerat, iiſdem hærendo, præoptaſſe, ratumque habuiſſe exitium viſus eſt; ſed reliqua proſequamur.

Prædicta illi à Theodoro Studita diuina vltio.

Michael Studita in Niceph.

Admonitus ne cæteros in ruinam impelleret.

10. *Itaque ſecundum iuſti* (inquit) *Vaticinium barbaricis manibus captus, non ſolum vitam turpiter amiſit, ſed caput ipſum amputatum, Bulgarorum genti ad ludibrium reliquit, in quo illi inter potandum propinarent, & cladem ſuam, & ignominiam in omnibus conuiuijs miſero exprobrarent; de quo quidem aptè Prophetarum illud, dici queat: Domus regis crudeli[illegible], quoniam in gladio principes [illegible]dent, eo quod legem meam præuaricati ſunt, & populum meum vexauerũ[illegible]quã igitur fœdo in hunc m[illegible] ſublatus eſt &c.* Huc vſque [illegible]ta, qui notis haud obſcuris [illegible]m necem, luneſtaſque N[illegible]alamitates expreſsit. Iu[illegible] vero, & ſi per vim e throno de[illegible]us eſt, qui illud non niſi per vim, ac tyrannidem occupans, Irene Auguſtam fœminam è ſolio exturbatam exilio mulctauit, vt Theophanes eiuſdem principatus initia repetẽdo tradit, quem qui vult apud Baronium conſulat. Publicæ vero rei detrimẽto, bonorũ-

Theoph. vbi ſup.

Oſea c. 7.

iuxta ſcelerum vitio.

que

que omnium exitio hic vnus ad Imperij culmen pertigiſſe viſus eſt. Verũ qui in malo pertinax,& ob auaritiæ ſtudium vix ferendus,cunctis negotium exhibuit, Eccleſiaſticis præſertim hominibus moleſtias intẽtare non deſtitit, horum enim opera mãcipiorum inſtar,ſuis ad libitum rerũ militarium præfectis vti permiſit; Cũ enim perſequutione in Monachos, qui Manicheorum hæreſim execrabantur, impius Nicephorus indixiſſet,in alios itidem ſuæ vim tyrannidis petulanter exercuit;vt Theophanes, qui oculatus rerum teſtis fuit, poſtquam acerba , indictaque recens immanium tributorum onera recẽſuit, hæc ſubdit. *Denique*(inquit)*militares principes , more ſeruorum , vti Epiſcopis , & inferioris ordinis Clericis iuſſit. Adituris Epiſcopia , & monaſteria tributum impoſuit perſoluendum , aurea , & argentea Eccleſiæ vaſa improbabat, eadem que licet ſacrata , pro communibus habebat, illud Iudæ de vnguento exhibito Domino vſurpans:Vt quid perditio iſta?*Hæc Theophanes,qui & omnem ab ipſo Chriſtianum hominẽ,qui Chriſti ſectatus dogmata,intimo proximũ charitatis affectu diligeret,derideri,cachinniſq; excipi conſueuiſſe pronunciat. Cum igitur clã Imperator ſecta Manicheus prauis eorum dogmatibus impenſe faueret,orthodoxos homines pijs operibus deditos,atque ex laudabili Chriſtianorum more profundẽdis in pauperes elemoſynarum elargitionibus, operam dãtes,iuxta impietatem,quę eiuſcemodi è fonte promanabat,acerbius non potuit non odiſſe. Verum quod ſæuiſsimus tyrannus, inſenſus prę cæteris Chriſtianorum hoſtis extiterit,vel ex eo palã euincitur,quod cũ Iconomachis ſẽtiẽs, nono imperij anno orthodoxi quãplures ipſius iuſſu necati ſunt, nobilique Martyrij corona illuſtres,in Græcorum menologio,ſolemni quot annis recurrente die,condigno laudum pręconio celebrentur. Tot igitur , ac tantis improbus iſte vitiorum notis in hiſtoriarum tabulis proſcribitur, vt tum Deo , tum hominibus inuiſus ,inſenſuſque,ſuis iuſtiſſimã ſceleribus apud omnes infamiam Baronio teſte contraxerit. *Tot enim* (inquit ille) *infame habuit capita cornuta monſtrum vnum , quorum ſingulis dire infeſtauit Eccleſiam*. At iuſto tandem Dei iudicio is inter Imperatores perditiſsimus hoſtili manu victus,vinctus , attrituſque, omni ex parte miſer , ſed nulla adhuc commiſeratione dignus neci traditus eſt , Deique potentiam quam delinquendo iugiter in ſe acerbiſſime concitarat, vel demum fatali gladio addictus agnoſcere compulſus eſt,ſuo illud cunctis exemplo inculcãs *Quia Altiſſimus eſt patiens redditor*. Sed iam ad Epiſcopos ſtylum conuertimus.

Eccleſiaſtici & monachi ab eo oppreſſi.

Theoph.in Nicephoro

Theod.Studita in platone

Impius fauerat Iconomachis

Baron.tom.9. an.810.n.

Eccl.1.5.

CAP. V.

Epiſcopi intruſi, vel ad Cathedram ſimoniace prouecti.

1 QVi ſacrum , venerandumque Pontificij muneris thronum , per fraudem,ac malas artes cõſcendere aggrediuntur ſeque proditorũ inſtar, nõ paſtoris gerẽdo,principe in Eccleſia Dei locum aucupantur , proditionis apud Deum obnoxij, turpem denique , atque inglorium proditoris exitum . ipſius Dei nutu ſortiuntur: *Qui non intrat*(Chriſtus inquit)

Ioann. cap. 10. 1.

per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt, & latro, & non venit, niſi vt perdat, & mactet. Prędones igitur, peremptoreſque ouicularum Chriſti potius, quam duces, Paſtoreſque dicendi, atque agnoſcêdi ſunt, qui prauis artibus ad ſua explenda vota contendunt; Non tam enim ad pabulũm, ad cuſtodiam atq; ad tutelam electas Chriſti oues, quã ad prædam, lanienamque funeſtiſsimam expetunt; ex quo exleges poſt impium, ac fraudulentum ingreſſum, exitum quoque dolis, ſuaque condignũ improbitate cõſequuntur. Rẽ vero probe ſuo Patroclus exẽplo cõfirmat, qui cum ſe in Herois Sanctiſsimi Epiſcopi ſedem, eodem per ſũmum ſcelus exturbato intruſiſſet, meritas tandem pœnas ferro percullus exſoluit. Sed Proſperum iſthęc narrantem audire præſtat.

Epiſcopale ſolẽne inuadentes carnifices potius ſunt, quam paſtores.

2. E*odem tempore*(inquit) *nempe his conſulibus Heros vir ſanctus, & B. Martini diſcipulus, cum Arelatẽſi oppido Epiſcopus præſideret, à populo ipſius Ciuitatis inſons, & nullis ſimulationibus obnoxius pulſus eſt, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantij magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur: Ea ue es inter Epiſcopos Regionis illius, magnarũ diſcordiarum cauſa fuit.* Hęc Proſper. Verum adulterinus iſte alieni throni inuaſor, qui Conſtantij fauore ſuffultus, ſe in Arelatenſium ſedem intruſerat, haud certis ſua limitibus iura præſcribi ſuſtinẽs, alienæ ſibi Metropolis iura vſurpare non timuit, dum in Narbonẽſi Prouincia, Eccleſiæ, quæ ſuo fuerat Paſtore orbata, temere Epiſcopum initiare auſus eſt: cuius arrogantiam Bonifacius Romanus Pontifex conſcriptis ad Hilariũ Narbonẽsẽ Epiſcopũ literis retundere, opportuniſq; legibus

Baron. tom. 5 an. 412. n. 40. Proſper. in Chron.

Patroclus pſeudoepiſcopus Arelaten.

Intruſio Patrocli diſcordiarum cauſa.

coercere nõ deſtitit; ſed iuſtas tãdem pœnas dedit. Rẽ vero ex eodẽ Proſp. audire hic præſtat: *His ipſis*(inquit) *conſulibus Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à tribuno quodam Barbaro vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam iuſſionem* Felicis *magiſtri militum referebatur, cuius impulſu traditur etiam Titus Diaconus vir ſanctus, Romæ pecunias diſtribuens interfectus.* Hæc ille.

Patroclus ambitioſe in Epiſcopalem ſedem intruſus fuit, neſte occiſus.

Proſper. in Chron.

3. Atqui lõgè diſpar necis vtriuſque tam conditio, quam cauſa deſcribitur. *Titus etenim vir ſanctus*(vt ille ait)*inter ſanctos adſcriptus eſt martyres*, Patroclus autẽ in pœnã ſcelerũ iniquæ ſentẽtiæ calculo, ac patrocinimimè releuandus, non niſi vlciſcente numine percullus eſt; quippè qui Heroe conſpicuæ viro ſanctitatis expulſo in alienam ſe intrudere ſedem veritus non eſt, vt tragico ſubinde rerum obuentu palàm fieret, quod qui tanquam fur, inuaſor, ac proditor in illius locum ſubintrauit, iuſtiſsimè itidem gladijs impetendus vt latro, ac è throno eliminandus fuit: *Qui non intrat per oſtium, ſed aliũde* (inquit Chriſtus) *ille fur eſt, & latro*. Sed iam à Patroclo ad Timotheum orationis ſtylum cõuertimus

Proſper. in Chron.

Barbarico gladio cęſus

Ioan. c. 10.

4. Timotheus Aelurus, cuius nũc mentio incidit, impius Euthychianorum Epiſcopus, eorumdemque ſignifer, ſũmis Zenone Imperãte beneficijs adauctus, & ab eodem ad Cõſtantinopolitanam vrbem veniens, benigne exceptus, Alexandrinæ Eccleſię thronum, impij principis auctoritate ſuffultus inuaſit. Qui cum ſacroſanctam Synodum Calcedonẽſem nouis Baſiliſci iuſſu editis ſanctionibus abolendam curaret, magno Euthychianorum Epiſcoporum cœtu comitatus, Cõnſtantinopolim ad nouum ſalutandum Imperatorem ve-

Timotheus Aelurus Eutychianorũ epiſcopus

ueniens, vt Catholicorum ſibi Eccleſia pateret, ſupplicibus ab eo verbis vltro popoſcit, impetrauitque; at cũ ad Eccleſiam, quam dari ſibi popoſcerat, voti compos effectus, ingenti triumphantis in morẽ lętitia, ac põpa deduceretur, nouo, inopinoque caſu gaudium omne in luctum commutandum, ac impios, quibus aduerſus Chriſti Eccleſiã adnitebatur, irritos tandem fore conatus edidicit; Quippe, vt Theodorus ait. *Cũ* (inquit) *Timotheus incondita Alexandrinorum turba cuncta ex ædibus Baſiliſci vna cum alijs ſupplicando ad Eccleſiam aſino vectus progreſſus eſt; Et cum ad locum veniſſet, qui dicitur Octangulus, grauiter prolapſus cecidit, fractoq; crure domum reuerſus eſt.* Enimuerò caſus, qui vel tunc contemplanti fortuito accidiſſe viſus fuit, re tamen ipſa Deo ſic diſponente obtigit; Caſu um quippe non multo poſt è trhono, in quo ſe male locauerat, impium, ac ſacrilegum hominem, portendere iam tũ videbatur; Sed funeſtũ eiuſmodi portentum diuinitus tunc præoſtenſum, ac triſti poſtmodum exitu comprobatum recenſeamus.

Baron. tom. 6 an. 476. n. 25.

In ipſa triũphali pompa crus frangit. *Theod. collect. lib. 1.*

5. Timotheus itaque hæreticorũ Euthychianorum nequiſſimus, qui tabificum Baſiliſci venenum, eius fauore illectus, apteque ad nocendũ comparatus fouit, vbi Zenonem mortuo ſubinde Baſiliſco aduerſis ſubmonitum rebus, ab antiquis reſipuiſſe erroribus, eumdemque iam in Catholicum hominem commutatum exiſtimans, ſua ſpe fruſtratus, ac mærore animi tabeſcens, Iudæ proditoris ad inſtar, cruentus ſibimet carnifex infelicem exitum peperit. Quod enim Imperatores nimia indulgendi facilitate permoti, vltro, libenterque eidem ignouiſſent, ipſe in ſemetipſum futurus Dei iudicio ſcelerum vindex inſilijt, *& ſui ipſius iuſtus vltor exiſtens* (vt Baronius ait) *ipſe ſibi mortem conſciuit.* Sed qua potiſſimum infelix ratione dignam ſibi mortem intulerit, Liberatus Diaconus his verbis narrat.

Sibi voluntariam necẽ conſciſcit.

Baron. ann. 477. vbi ſup.

6. *Poſtquam* (inquit) *Imperator Zeno reuerſus eſt ad Imperiũ, Timotheus Aelurus metuens zelum, quem habebat circa Chalcedonenſem Synodum, optauit ſibi mortẽ, & iſtud perſeueranter orans, ab humana vita, hauſto veneno, ſolutus eſt dicunt ſequaces eius præuidiſſe eum diẽ obitus ſui, & re vera, qui ſe parabat veneno interficere, ſciebat.* Hæc Liberatus rerum, quæ ſuo tem cõtigerunt pore probæ fidei ſcriptor, ac teſtis. Ab hoc autem perdito, ac nequam Timotheo Timotheani hæretici appellati ſunt. Veneno igitur periit, qui venenatis orthodoxam ſidem dictis, perditoque ſuo innumeros dogmate labefactarat. Atqui vt alterum malis intruſum artibus proferamus.

Liberat. Diaco. Breu. c. 16 tom. 2 conc.

Hauſto perit veneno.

Flauitas poſt Acaciũ nõniſi dolo, ac fraudibus Conſtãtinopolitanę vrbis thronum occupans, promeritum Deo vlciſcente iudicium expertus eſt; Quatuor enim vix menſes in Põtificatu exegerat, cum repentino fato expetitus, propheticum illud Pſalmiſtę, quod in prędones, ac pontificii throni inuaſores decantatum eſt, ſuis edoctus malis oraculum comprobauit: *Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, ſcrutetur fænerator omnem ſubſtantiã eius, & diripiant alieni labores illius &c. in generatione vna deleatur nomen eius.* Ita planè Flauitæ, ſeu, vt alij appellant, Flauiano contigit; Cõſtantinopolitana enim Eccleſia legitimo viduata paſtore hunc non vt virum, imo vt mœchum, atque adul-

Flauitas dolo in Conſtantinopol. patriarchatum irrupit.

Baron. tom. 6 an. 488. n. 23

Pſalm. 108

adulterum ſemper agnouit, & qui auro ad alienam ſibi comparandam ſedem aditum parauerat, rapinis ſubinde, vt ſperabat, condicta pecuniarum breui decedens detrimenta ſarcire nequiuit. Simoniacus igitur aurum, atque animam pariter paruo, aut nullo quidẽ fructu morte prę uẽtus impẽdit. Sed rẽ hic ex Niceph. repetamus. *Zeno* (inquit) *Imperator chartam puram in ſacro ponit altari, atque in charta alia per ſcriptum* Deo *ſupplicauit, vt per* Angeli *manum, quæ in hominum conſpectum non veniret, nomen eius adſcriberet, quem cæleſti calculo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Hierarcham præfectum vellet. Atque ob eam rẽ quadraginta dierum ieiuniũ indixit, & Deum omnes orare, vt qui illi placitus eſſet oſtenderetur, iuſſit. Hæc vbi Flauitas cognouit, auro multo templi cuſtodem, qui idem princeps Imperialium cubiculariorum erat, corrupit, vt in charta purum nomen eius adnotaret, eamque rurſus Imperatoris ſigillo obſignaret. Hoc vbi factum eſt, & vbi conſtitutum ieiunij tempus præterijt ſigillo è charta ſublato de repẽte Flauitas ingenti gloria perinde, atque à* Deo *deſignatus eſſet, affluens correptus eſt, et magnifico ſaltu in Patriarchæ thronum is conſcendit.* Hæc ambitioſus ad ſua prouehenda vota, vſurpandũque ſibi cathedram præſtitit. Sed Imperatorem quidem dolo, cuſtodẽ auro verſipellis fallere potuit, at Deũ qui cuncta proſpicit, ac doloſorum vindex eſt, ſacrilegus minimè fefellit: Hæc autem Nicephorus: *Infelix* (inquit) *ille, cum non totos quatuor menſes in ſede ea tranſegiſſet, morte repentina ex hominibus ſublatus eſt, cum ne dimidiam quidem partem muneris eius, quo Epiſcopalem dignitatem redemerat corradere potuerit &c.* At per argentarios hominis fraus detecta eſt:

Nicephorus lib. 10. c. 18.

Zenonis Imper. Deum tentantis inſania.

Deluditur à Flauita Patriarchatum turpiter exambiente.

Diuina in Flauitam vltio.

Zeno autẽ (inquit) *re audita obſtupuit. Et poſtquã non Chriſtum, ſed Chyſum, hoc eſt aurum potius Flauitæ nomen in libello illo adſcripſiſſe cognouit, iudiciũ re vera, & iuſtitiam iuxta pſalmum fecit.* Atque *Eunuchum quidem, qui ſibi diuinam exiſtimationem, & gloriã arrogaſſet tolli, pecuniam autem creditã ex ſubſtantia eius diſſolui argentarijs iuſſit. Ipſam vero* Eccleſiam *Epiſcopis permiſit, vt illi ſuffragijs ſuis, quẽ idoneum eſſe procurationi ei indicarent, eligerent.* Hæc Nicephorus. Porrò Flauitas Hæreticorum, vtpotè communione vitiatus, Catholicos inter Epiſcopos minimè adnumerãdus eſt: qui, vt Euagrius teſtatur acerrimũ ſe Calcedonenſis Concilij hoſtem perpetuò exhibuit.

Zeno non tentandum Deum agnoſcens permittit epiſcopis, vt patriarcham deligant.

7. Sed probè effictam, ſimulatamque hominis iſtius ſub ementito pietatis fuco improbitatem vel ex eo apparet, quod alioqui impius ad impetrandum tamen communicãdi cũ Romano Pontifice, quod ſummopere cupiebat, beneficium, larua ſuperinducta Catholicus dici voluit; opportunè enim ſibi conſulens, veluti homo Catholicus à Felice Papa ad cõmunionẽ recipi cõtẽdit, ex qua nõ ſine magno nominis detrimento, ac bonæ apud omnes exiſtimationis, ac famæ, iactura Acacium excidiſſe intelligebat. *Videas* (inquit Baronius) *hæreticum hominem, & in ouile ouium ingreſſum aliunde, quam per oſtiũ, & latronem, & furem, quo tamen ſuffurari æque poſſet Catholicum nomen, ſedere renuiſſe, donec acciperet à Romano Pontifice litteras communicatorias. Sed quid inſuper fraudulentus homo? In Zenonis Imperatoris gratiam Protheus iſte ad hæreticos eius amicos Epiſcopos litteras dedit,* Quod & diſertis item Nicephorus verbis affirmat.

Vir impius pietatis laruam ad ſua proſequenda vota ſuperinducit.

Baron. ann. 488. n. 5.

Cum

3. *Cum Flauitas adhuc thronum obtineret, ſynodales ad Petrum Alexandrinum Epiſtolas dedit, & eiuſdẽ generis literas ab eodem accepit, in quibus eadem de Chalcedonenſibus actis anathemati ea ſubijciens ſcripſit*. Infelici igitur ſub Felice Romano Pontifice exitu, ſuas doloſus iſte artes prodidit, atque vniuerſo terrarum orbi quid intus in cute lateret, vel inuitus palàm fecit, qui Prothei inſtar exaduerſo in ouilis dominici ſepta irrumpens, vt mactaret potius, ac veluti lupus perderet, quam vt Euãgelici inſtar paſtoris Pontificiũ obeũdo munus regeret, paſceretque Dominicum gregem in præcelſum Eccleſiæ thronum Mimice proſilierat.

Flauitæ doli.

Huic iure optimo Timotheus presbyter hæretica prauitate corruptus, fœdiſque inſuper vitiatus moribus aſſociandus eſt; qui eiecto Conſtantinopolitana è ſede Macedonio, eius ſibi locum Imperatore adnitẽte vindicauit; ſed infelici poſtmodum rerũ alea, improbus tum è ſede tũ ex hac luce proiectus, omnibus haud dubiũ diuinæ vltionis argumẽtum reliquit. Verùm enim vero antequam contẽplandum hic viri exitum proponamus, quam perditis iſte moribus ſupremum Conſtantinopolitanæ Eccleſię thronum, quem tyrannice conſcenderat, deturpauerit, conſcripta eiuſdẽ geſta teſtantur, de quo Theodorus hæc habet: *Sequenti vero die Imperator Timotheum quendã presbyterum, & custodem Eccleſiæ, Epiſcopum elegit, quem Litrobulbam, et Colonem propter facta quædam nominibus iſtius conuenientia vocarunt*. Hęc de pſeudo Archipræſule in ſedem intruſo Theodorus, cuius vt viuis in tabula coloribus adũbratam vnuſquiſq; imaginem contemplari queat, Baronium iſthæc narrantem conſulat: *Porro quod ad has voces pertinet* (inquit) *apud Theodorum lectorem pro* κόλων *Colonem legendum ex Cedreno, & Nicephoro* κηλων *eſt propriè* κηλωνα *equus emiſſarius, inde ſumitur pro libidinoſo, quæ item verba aliter Suidas interpretatur*. *Ita plane compoſitum ignominioſum vocabulum, quo ſignificetur homo mulieroſus, impurus, quem exprimere apertioribus vocibus pudeat*. Hæc de Timotheo Baronius.

Timotheus hæreticus ſoliũ Conſtanti nop. occupat

Baron. tom 6 an. 511. n. 6.

Impura eius nomina.

9. Atqui Timotheus Macedonio ſua è ſede proiecto, eius palàm petulanterque inſultare imaginibus nõ erubuit, vt Theodorus affirmat. Perditus itaque execrãdum noui erroris dogma vi duntaxat, ac potentia fretus ſub ſpecioſo ementitæ veritatis typo promere, atque hunc in modum Eccleſiæ delibandum proponere auſus eſt, vt Paulus, vel potius Ioannes Diaconus lectori ſuggerit: *Deinde* (inquit) *idem Timotheus quoſdam ex Principibus præcepit in templo S. Theodori Sparatij ſuper ambonem Triſagij additamentum admittere, id eſt qui Crucifixus eſt pro nobis &c. Quod multi metuentes fecerũt. Monachi vero alium pſalmum pſallendo venerunt. Hos autem populus uidens clamauit. Bene uenerunt orthodoxi. Simultas etiam facta eſt multa, & incendium domorum multarum, & homicidia dena millia, turba vociferante aduerſus Anaſtaſium, & Vitalianum Imperatorem petente, ita vt fugeret Anaſtaſius, & latitaret, ab ipſaque Ariadna laceraretur iniurijs, vt potè multorum cauſa malorum Chriſtianis effectus*: Hæc quidem, & alia ibi. Ex quibus aduerſus nouã portẽtoſãq; emergentẽ ab Orco hæreſim orthodoxos omnes audacter in medium proſilientes inclamare non deſtitiſſe liquet.

Paulus Diac. Miſcel. lib. 15

Impia eius hæreſis Trinitatem crucifixam eſſe dicentis.

Fugatus Anaſtaſius Imp.

Ve-

aucupandam ſedem artibus niſus, Romam pro obtinendo (vt mos Archipræſulum eſt) pallio contenderet, votis fruſtratus, morte infeliciter præuentus eſt: Rem vero geſtã Matthæus Vveſtnonſtrarienſis Monachus, qui olim tercentos propè annos claruit, his verbis narrat: *Quo etiam anno idem Odo uir ingenio clarus virtute laudabilis, & ſpiritu propbephetiæ pollens, humanis rebus exemptus, in paradiſum eſt Angelorum manibus deportatus, quo ad cœleſtia translato Ealſinus* (Edelſinum hunc nominat *Oſbertus in Duſtanno*) *Vventanæ vrbis Epiſcopus datis muneribus profuſis; per internuntios regem Eadgardum circumuenire ſtudens cum Simone magno thronum Cantuarienſis Eccleſiæ, pecuniæ interuentu conſcendit; qui primo introitus die abſtinere nõ potuit, quin furias mente diu conceptas euomeret; ad tumulum S. Odonis accedens, illudque pede conculcans, dixit: Peſſimè ſenex nunc animam licet ſero emiſiſti, & meliori locum faciens receſſiſti. Nunc vero, quod diù concupieram teneo, te inuito, & inde tibi multas gratias ago. Et ſic fatus, cum rabidus ille ſopori membra dediſſet, ſequenti nocte vidit B. Odonis effigiem, ſibi aſtare, atque improperare conuiciũ, atque velox illi exitium comminari; ſed* Ealſinus *ſomnij vanitatem eſſe, quod viderat, exiſtimans, non minus ad obtinendum pallium Romam properabat* &c. Sed intentatũ illi diuinitus ſupplicium his verbis proſequitur: *Cum vero per alpes viam expediret incœptã nihil aliud remedij habere potuit, dum niuali tempore eſſet congelatus, niſi vt exenteratorum equorum adhuc calentibus extis pedes immergeret, quibus ſanctiſſimi viri conculcauerat ſepulturam, ſed nec ſic algore deficiente, ſed potius inualeſcente vitam flagitioſam morte miſera terminauit*. Hæc ipſe. Ex quibushominẽ Simoniaca labe vitiatũ, qui conſpicuæ ſanctitatis viro iã ſepulto inſultarat, pedibus deperditis, nimioq; algore penitus exareſactis diuinitus percuſſum, deinde verò infeliciter è vita ſublatum conſtat, vt ſuo illud experimẽto diſceret, *quoniam per quæ quis peccat, per hæc & punitur*.

Auro Eccleſiam Cantuarienſem occupat.

S. Odonis ſepulchro. inſultat.

Matth. Vueſtmonaſterien. Pedes quibus calcarat ſepulchrum algore marcent.

Greg. in moral.

12. Sed quoniam hic de ambitioſis per Simoniã in Epiſcopalẽ ſedem prouectis ſermo eſt, cum quidam in Sicilia Catanenſis Eccleſiæ thronum prauis artibus inuaſiſſet, & Vvillelmi videlicet iuniorjs Regis potentja fretus, omnes funeſtã ſubindè, portentoſã q; cladem, tã ipſe, quam vrbs ob rem nefariam ſubire diuinitus compulſi, aliiſq; ipſe aliique terra dehiſcente miſerabiliter obruti periere. Rem vero ab vgone Falcando his verbis narratam ſubijcimus. *In vigilijs* (inquit) *Santæ Agatæ circa primam horam eiuſdem diei, vehemẽs terræmotus tanta Siciliam excuſſit violẽtia, vt in Calabria quoque, quæ circa Rhegium, oppidaque proxima ſentiretur, Catanienſium oppulentiſſima Ciuitas, vſque adeo ſubuerſa eſt, vt ne vna quidem domus in vrbe ſuperſtes remanſerit viri, ac mulieres circiter, quindecim millia cum Epiſcopo eiuſdẽ Ciuitatis, maximaque parte Monachorum ſub ruina ſunt ædificiorum oppreſſi*. Præmemoratus vero ſcriptor dum tragice hiſtoriam proſequitur, de aliarum quoque Ciuitatum cladibus, ac cœteris, quæ tunc in Sicilia contigere, prodigijs mentionẽ facit. Potiſſimam vero ingruentium calamitatũ cauſã Petrus Bleſſenſis, qui apud Vvillelmum iuniorem regem, tunc temporis in aula demorabatur, eam fuiſſe ſcribit, quod cum populi peccata in dies inuale-

Baron. to. 12. an. 1164. nu. 45. 46. 47
Aliud Catanenſis Simoniaci exemplum lugubre.

Hugo Falcandus.

Catanenſes ad quindecim millia cum epiſcopo terra obruti.

ſcerent, non nulli inſuper Simoniace Pontificium thronum occupare auſi fuerãt: datis enim ad Riccardum Syracuſanum Epiſcopum epiſtolis ſic narrat.

13. *In omnẽ* (inquit) *terram, & in fines orbis terræ iam exijt plaga illa qua nuper in Sicilia percuſſi ſunt Catanenſes in vigilia B.* Agathæ, *cum Epiſcopus ille damnatiſſimus frater Matthei notarij, qui ſicut ſcitis ſibi ſumpſit honorem, non vocatus à Domino tanquam Aaron, & qui ad ſedem illam non electione Canonica, ſed Gezitica venalitate intrauit: cum inquam abominationis offerret incenſum, intonuit de cælo Dominus, & ecce terræmotus magnus factus eſt. Angelus enim Domini percutiens* Epiſcopum *in furore Domini cum populo, & vniuerſa Ciuitate ſubuertit.* Hæc Petrus, eadẽque Rogerius in Anglicanis annalibus, cuius, & grauiſſima illa aduerſus Regem Vuillelmum iuniorem querela extat, quod is præſcriptos regiæ poteſtati limites tranſgreſſus, laica Epiſcopos manu præter ſacrorum canonum decreta in Eccleſias paſſim induceret, intruderetque. At Bleſſenſem hic de iſto immania proborũ facinora narrantem, qui vult conſulat. Execranda planè hominis Eccleſiæ iura temere infringentis, ac ſæuos pro paſtoribus lupos in ouile Dominicum inducentis impietas, cui diuinę gladius vltionis ſub ipſamet Regni primordia iuſtiſſimo Dei nutu intentabatur. Poſtquam vero Religioſo zelo permotus Bleſſenſis, ſermonem vlteriusrius protendens iſthæc aſſeruit, immanè alterius viri facinus his verbis perſtringens proſequitur.

Miſeranda Catanenſium clades præcipue ob ſimoniacum nonnullorum labem contigit.

In peruigilio B. Agathes Cataniæ excidium contigit. *Rogerius in annal. Angl.*

Bar. tom. 12. an. 1199. vbi ſup.

14. Et *quia* (inquit) *ille miſerabilis adoleſcens in theſauros* Eccleſiæ *cõſilio malignorum manus rapaces inieci, vereor, ne in eum Dominus excãdeſcat, & euenia quod dicit* Iob: *Theſauros (inquit) quos deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet illos Deus: Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Non decebat eum manus laicas ad ſacra porrigere. Frequenter debueras ei ſuggeſſiſſe, qualiter Oza fuit percuſſus* à Domino, *eo quod in arcam Domini manus deuote quidem, ſed indignè porrexerit.* Hæc prælmemoratus ſcriptor.

Petr. Bleſſ. in ep. vbi ſup.

Obiectæ illi etiam Eccleſiarum rapina, Iob. c. 20

Verùm quod ad ſiculi Regni Epiſcopos attinet, illa Petri eiuſdem in Commentario, quem de Epiſcopi inſtitutione ritè conſcripſit inſignis querela eſt: venerabiles nimirũ præmemorati eiuſdem Regni Epiſcopos ob deferẽdũ Regi obſequium à ſuis procul ſedibus abeſſe, ac in aula ſui curam gregis oblitos, haud impunè moram diutinam trahere. Hæc autẽ ſunt eius verba: *Nam* (inquit) *pro cauſa huiuſmodi, hodie in Sicilia mãcipati ſunt Epiſcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectant ab Eccleſia* Romana *ſolatium, quibus improperatur à ſummo Pontifice, vt bibant de calice, quem ſibi temere miſcuerunt.* His interim narratis poſt multa, quibus ad tuenda periclitantis Eccleſiæ iura, atque Eccleſiaſticam à iugo libertatem totis viribus vindicandam Epiſcopos adhortatus, hæc ſubijcit: *Si ergo res exegerit, pro iuſtitia, & libertate Eccleſiæ non dubites facultates tuas raptoribus, famam ludibrio, fortunam periculis, & caput hoſtilibus gladijs obiectare. Delectabile ſpectaculum eſt Angelis &c.* Hęc ille ſuam Epiſcopis prerogatiuam dignitatis, & quæ Pontificio debentur muneri, conceptis in rem præſentẽ verbis inculcans, proponenſque ob oculos. Contigit enim, vt cum per ambitionem nõnulli è ſiculis Epiſcopis,

Baron. to. 12. an. 1169. nu. 48, 49. Petr. Bleſſ. vbi ſup.

Iuſtitia & libertas cum periculo capitis aſſerendo.

pis pręcipua apud regem auctoritate pollere, ac emergentibus Regni negotijs, regiæ auctoritatis nutu pręfici appeterēt, vix ſubindè quod pręoptabant aſſequuti, cæteris in eos conſpirantibus certam æmulantium, ac perſequutorum inuidiam ſubirent; adeo vt exilio per ſummam iniuriam mulctati, vel regię cuſtodiæ per ſcelus traditi, vel certe veneno miſerandum in modum ſublati, vitam finierint. Quas quidem lugubres, ac frequenter admodum in Sicilia, vt Falcandus eius temporis ſcriptor refert tragicas Epiſcoporum res, calamitateſque ſuis quiſque oculis contemplari potuit. Quapropter ex cōtemptis, violatiſque Eccleſiæ iuribus & Sacerdotibus Chriſti contumelioſe habitis, par in vtroſque, ac in pſeudoEpiſcopos præcipuè, qui malis artibus Pontificio throno, ac per vim ſe ipſos in animarum regimen intrudebant, iuſtiſſima Dei vltio exarſit. Sed iam ad alia ſermonem conuertimus.

Quæ in Epiſcopos ab æmulis intentata

CAP. VI.

Epiſcoporum electioni alias indebitè ſe immiſcentes.

1 SOlus Deus (inquit Auguſtin.) *non eligit dignos, ſed dignos eligendo facit*, Apud homines vero, qui dum alios muneribus præficiunt, dignitates, tantummodo non merita conferrè poſſunt, nullum debere in eligendis hominibus priuatum præualere affectum, ſed meritorum duntaxat habendam eſſe rationem valido Moyſes argumento, extraneum, vt Hieronymus docet, eligendo mōſtrauit. *Extraneus* (inquit) *de altera Tribu eligitur Ieſus, vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ*. Hinc magna in Deum iniuria, nec exigua proindè in hominem pœna redundat, ſi Deus in ſuis ſacerdotibus, miniſtriſque eligendis contemnitur, vel certe ſi quæ ad Chriſti ſacerdotes quoquo modo ſpectant, per ſcelus ab hominibus attrectantur; Sacerdotes namque ſolo Dei nutu deſignantur, cuius hi vice in Eccleſia præſunt, quod & de Regibus quoque Irenæus aſſirmat: *Cuius* (inquit) *nutu homines naſcuntur, huius iuſſu & reges conſtituuntur*. Ob id enim potiſſimum Saul Regno excidit, quia in Deum contumelioſus, quæ Sacerdotalis erant officii, & Samueli diuinitus deſignato ſeruabantur, temere ſibi vſurpauit, adeoque condignis à Tertulliano proſcriptus verbis: *Deſpector prophetæ Samuelis appellatus eſt*. Atqui vnde Sauli deiectio è throno, & clades prouenit, indè Dauidi in ſolium prouectio, & ſumma rerum felicitas Chryſoſtomo teſte affulſit: *Deus* (inquit) *Dauidem eligit obſequentem, & Saulem reprobat contemptorem*. Siquidem infelix ille huius rei gratia regno exciſus eſt, ſceptrumq; ſibi ac poſteritati amiſit. *Propter hoc* (inquit Rupertus) *audire meruit: nequaquam regnū tuum conſurget*. Verū vt apte ſermo in rem noſtram recidat, pari proculdubio crimine obnoxii ſunt, parique diuinitus mulctandi ſupplicio hi, qui ne dum Epiſcopis, ac Sacerdotibus parent, ſed per ſcelus, temeritatemque in Epiſcopis (quorū electio Deū reſpicit) eligendis, deſigandiſq; ſe quoquomodo immiſcent, nec diuinum è

Aug. lib. 5. cont. Iulian.

Iren. lib. 5 c. 44.

Tertull. lib. 2 con. Marc. c. 23

Chryſ. hom. de Dad. e Goliad.

Chryſ. hom 5 de verb. Iſai.

Digitized by Google

calculum reueriti, Epiſcopũ pro ſuo libitu præficere, ac deſignare contendunt. In quos iure merito Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, dignuſque Apoſtolicæ Cathedræ propugnator inuehitur; *Saul* (inquit) *honore priuatur regio non expectans ſummum ſacerdotem Samuelem. Si qui Epiſcopũ appellant, & ſine eo omnia faciũt, huiuſmodi dicet ipſe, qui verus, & primus Epiſcopus eſt. Quid me vocatis Domine, & nõ facitis quæ dico?* Hinc nimirum primæuo veluti ex fonte tot, ac tanta in Dei Eccleſiam malorum ſcãdala irrepſere, dum viri ſæculares poteſtatis humanę limites prętergreſſi, ſuáq; ſacerdotibus ceruicẽ inflectere detrectantes, contendunt põtificio throno, quos volunt præficere, eiſq; priuatis affectibus haud meritorum ſuffragio, Deique explorato conſilio primatum deferunt. *Ad hæreſis* (Cyprianus inquit) *proſilitur dum obtrectatur ſacerdotibus, dũ Epiſcopis inuidetur.* Quod & apertis itẽ alibi verbis inculcat: *Vnde ſchiſmata* (inquit), *& hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur? Dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorũdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione* Dei *honoratus indignus honoribus iudicatur.* Dei, namque, haud hominum ſuffragio Pontifices ac Sacerdotes Eccleſiæ præficiuntur, & ſuprema ijſdem ad regendum, interpellandumque apud Deum pro populis præ rogatiua defertur; adeoque, qui in ijs, quæ ipſorum ſunt, ſeſe, quoquo modo injciunt, eum, qui tum propugnator, tum muneris auctor eſt, vindicem ſentiunt, vt plurimis infra exemplis euincitur, & vt narrandi initium faciamus.

Ignat. ep. ad magnes.

Epiſcoporũ contemptus in Deum redundat

Cypr. lib. 4. de hæret.

Baron. to. 7. an. 534 n. 67

2. Theodatus Gothorum Rex, Theodorici ex ſorore nepos, Atalarico Regi perditis moribus adoleſcẽti, vt Procopius aſſerit, in Regno ſuffectus eſt, qui & ſi literis ſat eruditus, militaris tamen rei omnino ignarus, vbi Amaſuntæ fretus conſilio regijs inſulis potitus eſt, nil adeo ſolemne habuit, quam vt omnem acceptorum beneficiorum memoriam à ſe excutiens, ingratique animi vitium ſceptro ſtabiliens, haud vllã pro regno gratiam, imo iniurias, vltrò contumeliaſque, nec non pro gratia inſuper exilium rependeret, ac demum crudelitatem exercens regiæ fœminæ gladio vitam eriperet. Porro quoniam ad vno ſcelere in aliud facilis via eſt, illud ſuæ in Amalasũtã gratitudini adiecit, vt Romano Clero vim inferret, caueretque, ne quis in Romanũ Pontificem, quo tunc Chriſti Eccleſia viduata erat, Iuſtiniano Imperatori beneuolus, eiuſdemque addictus obſequo eligeretur, ex quo ſuborta inter regem, ac Imperatorem diſſidia, còntentioneſque inſtaurando bello, ac militaribus in eum copijs inſtruẽdis cauſã dedere. Beliſario igitur valida armatorum manu, ipſiuſque Iuſtiniani Imperatoris iuſſu ad vlciſcendas Almalaſuntæ iniurias in vrbem accurrente, nil ipſe inter impendentis belli pericula, tuendæ ab hoſtium impetu vrbi intentus; magum à cõſilijs nactus Hæbreũ de futuris belli euẽtibus cum ſerio conſulere ſatagebat; Itaque parum prouidus, & aduerſus hoſtem neutiquam munitus, hoſtilibus vrbi iam copijs aduentantibus territus, fuga ſibi proſpicere, ac feſtinus Roma pedem efferre parabat, dum interim conſilij inops, ac præuentus ab hoſtibus inter fugiendum, vt ipſius merebantur ſcelera, gladio confoſſus eſt, ſed vt eius hic mores narrante Procopio agnoſcamus; *Erat* (inquit) *Theodatus nomi-*

Theodatus Rex Goth Romano clero vim infert.

Magũ conſulit improuidus.

Procop. de bell. Goth. li. 1.

mine quidã Theodorici ex ſorore Amalafreda nepos, ad multum ætatis pronectus latinarum literarum, Platonicorumque dogmatum ſatis peritus, rei tamen bellicæ prorſus ignarus, longoq; interuallo, cum ab induſtrio, & ſtrenuo quouis abeſſet accumulandis pecunijs enixius incumbebat. Hęc Procopius, ſed ingrati animi indignum planè, argumentum de ſe cunctis præbuit; quippè Theodatus liberas Regni habenas nactus, Amalaſunthã vinculis conſtrictam, in Inſulam, quæ ad lacum Vulſinum ſita eſt, deportandam, ibidemque carceri includendam, ac ſubindè, vt Procopius tradit, gladio obtrunncari præcepit, & ſi regiam in balneo mulierem mitiori affectam nece, ſtrangulatamque Irodanus affirmat. Atqui ingens poſtmodũ Iuſtiniano imperãte, Octauo eius anno aduerſus Gothos bellum exarſit, vt his Procopius verbis teſtatur: *Imperator vbi iam didiciſſet, quemadmodum cum Amalaſuntha actum fuiſſet, confeſtim ſe ad bellum parabat annos nouenos potitus imperio.* Hęc Procopius.

Illius in Amalaſuntham ſæuitia.

Procop. vbi ſup. Iuſtinianus Reginæ cædem vlciſci parat.

3. Verum Theodatus vbi militares Iuſtiniani copias Vrbi iã propinquantes audiuit, ſuis à Põtifice & Senatu litteris non tam ſupplex, quã minitabundus petijt, vt Agapetus Romanus Pontifex ad Imperatorem pro ineundo in ſui gratiam pacis fœdere Conſtantinopolim vſque contenderet, prout Liberatus Diaconus his planè verbis narrat: *Quò tempore Theodatus Rex Gothorum ſcribẽs ipſi Papæ, & Senatui Romano (Rauẽnæ enim degere conſueuit) interminatus, non ſolum Senatores, ſed & vxores, & filios, filiaſque ſe gladio interempturum, niſi egiſſent apud Imperatorem, vt deſtinatum exercitum ſuum de Italia ſubmoueret: ſed Papa pro eadem cauſa legatione ſuſcepta Conſtantinopolim profectus eſt.* Hęc Liberatus. Porrò tunc pro ſanciendo inter Imperatorem, & Theodatum Regem fœdere, vt in Eccleſiaſticis annalibus apud Baronium videre eſt, legati miſſi ſunt. Interim verò, cum poſt Agapeti obitum, apud Romanam Eccleſiam, pro nouo ęligendo Pontifice comitia de more haberentur, Theodatus armatorũ copias (ſi Anaſtaſio credimus) in Vrbem direxit, vt nõn quem Clerici vellent, ſed hominem ad ſui libitum in præmortui locum ſufficerent. Iſthæc vero Anaſtaſius in rem præſentem narrat: *Silueriuſ* (inquit) *natione Campanus, ex Patre Hormiſda* Epiſcopus Romanus *ſedit annum vnum menſes quinque, & dies vndecim. Hic leuatus eſt à tyrãno Theodato, ſine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato talem timorem indixit clero, vt qui non conſentirent in eius ordinatione, gladio punirentur; Sacerdotes quidam non ſubſcripſerunt in eum ſecundum morem antiquum, neque decretum cõfirmauerunt ante ordinationem &c.* Et infra: *Poſt menſes vero duos nutu diuino extinguitur Theodatus tyrannus, & eleuatur* Rex *Vitigis.* Et quidẽ de impertitis Theodato pro electione in ſui gratiam obtinenda pecunijs, per calumniam dictum, aſſertumq; in ſuis Baronius annalibus palàm facit: Enimuerò à Ghotorum tyrãno, qui, etſi multũ ſibi timeret, haud tamen quemquam ex his, qui Iuſtiniano accepti eſsẽt, eligi permitteret, ex hoc vim manifeſtam catholicis intentatam fuiſſe idem qui ſupra Baronius affirmat, ſed quid ſubindè acciderit, videamus. Gothi animo, ac viribus ob Neapolitanę vrbis deditionem conſternati, iamque ob id vnum iam penitus victoriam deſperabant

Liberatus in breu. c. 2. Theodati minæ in Põtificem & clerum

Baron. tom. 7. an. vbi ſup.

Syluerium intrudit in ſedem. Anaſtaſio in Syluerio.

Quæ in Romano pontificios eligendo ambitiorum ſtudia. Baron. tom. 7 ann. 536. nu. 120

Neapolis ademptæ Gothis. Baron. vbi ſup.

rabant

ſperabant, quod ſub rege rerum omnino bellicarum ignaro, & de proditione inſuper ſuſpecto militarent. *Videbant enim* (inquit Baronius) *eum tanti præſidij iacturæ nullam prorſus habuiſſe rationem, ac de nobiliſſimæ vrbis excidio, ac ſi de paruæ rei momento minimum curaſſe, cum facili negotio ex Gothorum gente validum conſlans exercitum, ſuppetias illis ferre, & tantam anteuertere cladem valuiſſet. Quamobrem diſpendioſum ſibi regimẽ nauſeãtes, & ſocordiæ pertæſi iã homini è medio tollendi inter ſe inire conſilia cœperunt, quod & citius feliciter perfecere.* Nam Theodatum hoc eodẽ anno Vitige illi ſuffecto, poſtquam annos tres regnaſſet, ab ipſis interfectum fuiſſe Procopius tradit, qui & Vitigem à Goſtis rei bellicæ ducẽ, regem ſalutatum affirmat. Theodatus igitur delato ad ſe nouarũ rerũ nuncio, repẽte abſterritus, dum vrbe profugus Rauennam contenderet, à militibus, qui à Vitige ſubmiſſi fuerã in ipſomet itineris curſu præuentus, condignas ſcelerum pœnam gladio confoſſus dedit. Tunc autẽ qui recens conſalutatus fuerat Rex, Romã profectus, poſt Theodogiſcium Tehodati filium carceri mancipatum, publicas ad Gothos Epiſtolas à Caſſiodoro, qui tunc Prætorii, præfectus erat, eleganti ſtylo conſcriptas direxit, quæ ab eodem inter cœteras ſuas, variaſque elucubrationes recẽſentur, tenoris eiuſmodi. *Non in cubilibus* (inquit) *anguſtis, ſed in campis late patentibus electum me eſſe noueritis, nec inter blandientium delicata colloquia, ſed tubis concrepantibus ſum quæſitus, vt tali fremitu concitatus deſiderio virtutis ingenitæ regem ſibi martiũ Geticus populus inueniret. Quãdiù enim fortes viri, inter bella feruẽtia munii Principem ferre poterant, nõ probatum, vt de eius fama laboraret, quamuis de propria virtute præſumeret? Neceſſe eſt enim talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem &c.* Ingentem profecto ſui principatus ſpem ſubditorũ animis nuper electus ingerit, dum gratũ ſe exhibens, ſuam Numini electionem, haud hominum conſilio adſcribit, vt ex ip ſis apud Caſſiodorum Epiſtola videre eſt.]

Procop. de bell. Goth. lib. 4.

Coitiões non eũ factæ

Caſſiod. var. lib. 10. ep. 31.

Caſſiodori munus eleganteſque epiſtolæ

4. Theodatus igitur, qui peſſimo Amalaſuntham poſt acceptum ab ea Regnum, ingrati, nedum barbari animi exemplo trucidarat, à ſuis non ſecus, ac manifeſtus proditor, & tũ vitæ, tum Regni beneficio indignus ferro demeti meruit, vel ob id vnum præcipuè cœleſti calculo neci addictus, quod ſe vltro præter fas omne in Eccleſiaſticarum adminiſtrationẽ rerum in Romano iniugurando Põtifice immiſcere veritus non eſt. Itaque dum Chriſti temere ſacerdotiũ proculcat, principatus, quem gerebat diſpendio iuſtiſſimè mulctatus, infeliciter è vita deceſſit. Pari quoque cumulo infelicitatis numine vlciſcente obuoluti leguntur, qui malis Põtificium thronum artibus violare aggreſſi adulterinos alijs perperam paſtores præficiendos totis animi viribus cõntendebant. Exemplum vero ex Ciſtercienſium Chronicis teſtatiſſimum lectori delibandum hic volumus; hæc igitur accipè.

Cur eam ſibi matrimonio iunxit.

5. *Mauritium* (inquit) *pſeudopontificem* (Ardinacenſem) *ægrotantem ſimilis vitæ mors præſtolabatur rebelli corde, & peruicaciæ proniori, quam pœnitentiæ. Ergò ſedem cum vita demiſſurus, ne peccatum dimitteret, ſed vltra mortem, qua poſſet, continuaret, quem ipſe iure ſanguinis inuaſerat, vni ex cognatis legauit Pontificatum, eodem in ipſo ſucceſſuro. Tum demum miſeram,*

Mauritil pſeudoepiſcopi infelix mors.

Manriquez ann. Ciſter. 1139. to. 1. c. 3. n. 9. & 10.

ram, ſed non miſerandam animam perpetuò igni tradidit cruciandam. At *vero hæros ſacrilegio prius aſſentiens, mox ſacrilegium (quæ peccatorum colligatio eſt) atroci parricidio cumulans, & Malachiæ, & Regi inſidias parat: ſi ſuccedant, vtrumque trucidaturus: illum, ne dignitatis haberet æmulum, hunc ne ſceleris vindicem, vtrumque, quo expeditius alij cederent, aut ipſe in reſiſtentes debaccharetur.* Conuenerat *Cormacho cum* Epiſcopis *iucubatore pulſo, verum Pontificem in ſede collocare: atq; ad hoc tempus, locumque condixerant deducendo cū gloria Malachiæ, à cuius facie intruſus fugaretur. Hos per inſidias aggredi diſponit, erupturis repente ſatellitibus, atque homines ſemiermes, atque nil tale metuentes comprehenſuris. Hæc diſponebat homo perditionis, & iam, iam in inſidijs poſiti hoſtes, & Rex cum reliquis ad locum properabat, cùm (ò altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ* Dei*) quam mirabilis eſt in ſanctis ſuis, & rurſus in iudicijs quam terribilis! Sed reliqua proſequamur,* Bernardi *Boneuallis verbis:* Res *innotuit* Malachiæ, *& intrās* Eccleſiam *(erat enim propè) eleuatis manibus, orauit ad* Dominum, *& ecce nubes, & caligo, ſed & tenebroſa aqua in nubibus aeris diem verterūt in noctem; fulgura quoque, & tonitrua & horribilis ſpiritus procellarum diem vltimum minabantur, vicinaque elementa intentabant omnia mortem. Et vt ſcias, lector, quod Oratio Malachiæ concuſſerit elementa, ſolos intercæpit tempeſtas, qui quærebant animam eius, ſolos turbo tenebroſus inuoluit, qui parabant opera tenebrarum. Denique qui princeps extiterat tanti mali fulmine percuſſus interijt, cum tribus alijs & fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris. Quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora ſemiuſta, et putrida hærētia ramis arborum, vbicunque ſpiritus eleuans alliſiſſet. His quoque tres ſemiuiui inuenti ſunt, cæteri omnes, circumquaque, diſperſi.* Sic fulmen è cœlo excuſſum ſacrilegū hominem Epiſcopali vim throno intentātem, ſanctiſſimoque viro Malachiæ moleſtias exhibentem vna cum petulantibus impietatis ſuæ aſſeclis humi deiecit. Sacerdotibus igitur, ne dum honor deferendus eſt & rebus, quæ ad Chriſti ſacerdotes ſpectant, & quæ Pontificii præſertim muneris ſunt, ſed & impias ab his cohibendas manus patentibus haud ſemel argumētis comprobatum eſt.

Perditi hominis facinus.

Deus è cœlo pro ſuis pugnat.

Haud impune ſacrilegi abeunt.

CAP. VII.

Epiſcoporum, ac inprimis Romani Pontificis imperio obluctantes.

1 Honor, qui ex Dei præſcripto Sacerdoti defertur Deū, cuius ille nutu pręficitur, & cuius locum inter homines tenet, proximè attingit, adeoque iniuria, quæ Sacerdotem tangit, in Deum pariter Chryſoſtomo teſte refunditur. *Qui honorat* (inquit) *ſacerdotem, Deum quoque honorat: Qui vero ſacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, vt in Deū ipſum contumelioſus euadat.* Quod vt argumentis, exempliſque confirmet: *Hinc* (inquit) *Iudæi Deum ſpernere didicerunt, quia Moyſen contēpſere.* Adeo enim contra ſacerdotibus cum Deo communia ſunt (*vt quid quid eis* (inquit Gregorius) *ingeritur, diuinæ iniuriæ adſcribatur.* Sacerdotum quippè cūtemptum, iniuriamque Ignatius ſuorum grauitate ver-

Summus ſacerdoti honor debetur.

Chryſ. hom. 2. in 2. ad Timot.

Greg. in moral.

verborum perſtringens ab vltione, quæ Sauli iuſtiſſimè intentata eſt, ſermonem auſpicatus, maximè à ſacerdotum iniurijs diuino Apoſtolicus vir magiſterio edoctus cauendũ admonet; *Decet & vos* (inquit) *obedire Epiſcopo, & in nullo illi refragari. Terribile namq; eſt tali contradicere. Nec enim hunc fallit, qui videtur, ſed inuiſibilem fallere nititur, qui non poteſt à quoquam falli. Nam ſi id fit, non ad hominem, ſed ad Deum redit contumelia: Samueli namq; dicit dominus; non te ſpreuerunt ſed me.* Indè fit, vt olim populo aduerſus Moyſem acerbius tumultuãti Ioſue, & Caleb illis in faciem verbis obſtiterint: *Nolite rebelles eſſe contra dominum.* Haud enim tantorum hominũ, qui Dei zelo agebantur, otioſa omnino fuiſſe verba quis dixerit, vt aptè Chryſoſt. docet: *Quia* (inquit) *rebellando Moyſi Domino rebellabant.*

Ignat. ep. 6. ad magiſ.

Lib. 1. Reg.

Chryſ. vbi ſup.

Hinc vt ab ipſius legis Moſaycæ primordijs dicendi initium ſit, perditi quondam contemtores, Core videlicet Datan, & Abyron, qui aduerſus Moyſen, & Aaron ſuperbæ mentis ſupercilio inſurrexerãt nouo, acerboque ſupplicio percuſſi tam ipſi, quam quæ ipſorum erant, deliteſcente de ſub pedibus humo miſere in Orcum proſilire. Et Saul quidẽ cuius, & ſupra mentio incidit ad Regnum Dei nutu aſcitus, ac ſingulari ipſius beneficio ad Iſraelitici populi regimen prouectus, quia Samuelis Prophetæ audacter obluctari imperio, & quæ Sacerdotalis ſunt muneris vſurpare veritus non fuit, infeliciter tandem tum Regno, tum vita orbatus eſt; haud aliud enim eiuſcemodi reprobationis in cauſa fuiſſe legitur, niſi quod prophetam ille diuina ſibi imperia enunciantem vel potiùs ipſummet in imperante homine Deum contempſit, ob quod item altiſſimus totam Iſraeliticæ gẽtis proſapiam Prophetę vlturus iniuriam, innumeris viſus eſt cladibus deuouiſſe; quas enim Samueli intulerant, ſibimet Deus contumelias adſcribens: *Non te ſpreuerunt* (inquit) *ſed me*, multiſque vniuerſus, ob id vnum Populus malorum incommodis, ac ſub regiæ poſtmodum ditionis iugo calamitatibus, Cypriano teſte iuſtiſſimè mulctatus eſt: *Ideò vt hoc vlciſceretur* (inquit Cyprianus) *excitauit eis Saul Regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas ſuperbum populum calcaret, & vt contemptus Sacerdos de ſuperbo populo vltione diuina vindicaret.* Hæc ille. Quod adeo verum eſt, vt vel hominibus improbis, ac perfunctorie Moyſis locũ, Cathedramque obtinentibus, non ſecus, ac ipſimet Deo honoris vltro, ac obſequij cultum deferendum, in Euangelicis Chriſtus tabulis palàm edixerit: *Super Cathedram* (inquit) *Moyſis ſederunt ſcribæ, & Phariſei; omnia ergo, quæcunque dixerint vobis ſeruate, et facite.* Ex quibus optime in rem Chryſoſtomus, argumentum deducens: *Si moyſis* (inquit) *ſedes adeo veneranda fuit, vt propter ipſam audire oporteret* Sacerdotem, *multo magis ſedes Chriſti.* Enim vero cum Sacerdotes diuina ad populum pertractantes negotia, Dei legatione fungantur: *Legatione fungimur* (aiebat Apoſtolus) *tanquam Deo exhortante per nos*, & ſi cõdigno virtutum merito, vt tãti muneris, miniſterio par eſt minime pręfulgeãt, ſuo tamẽ honore fruſtandi non ſunt. *Legatii quippè propter legationis prærogatiuam* (inquit Chryſoſtomus) *multo potiuntur honore In mediam barbarorum terram inter hoſtes ſoli ingrediuntur, omnes eos hono-*

1. Reg. 3 Saulis reprobatio ex condotalis imperii.

Regum. c. 3

Cypr. lib. 3 ep. 9.

Sacerdotum contemptus vindicatus dato ſuperbo Rege.

Matth. c. 23. n. 2.

Chryſ. c. 1. ep ad Coloſ hom 3.

Præſules Dei legati. 2. Cor. 5. n. 2.

Chryſ. vbi ſup.

honorant; omnes in eos intendunt, omnes cum fiducia, & libere dimittunt.

Legatorum auctoritas.

Atqui laudabilem hanc, cunctarumque conſenſu gentium vſurpatã apud homines, quantumuis barbaros conſuetudinem, ad eos potiſſimum, qui Eccleſiaſtico præſunt regimini, ſanctiſſimus Doctor ſubmonendo traducens, quo hi honore habendi, quibus officijs, quibuſque vltro obſequijs digni ſint, ſuis haud obſcure verbis inculcat.

2. Verũ qui Dei Sacerdotes, eorumdemque imperia detrectant, contemnuntque, quibus merito ſint addicendi ſupplicijs, ſe olim Deus acerrimum cõtemptæ eorumdem auctoritatis vindicem obteſtatus edixit: P*rophetam* (inquit) *ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorùm ſimilem ſui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba eius audire noluerint, ego vltor exiſtam.*

Deut.c.18.n.18.

Quod ſuo ille in Deũ blaſphemus, ac in Moyſen maledicus exemplo docuit, qui apud illum delatus, eoque apud Deum cõſulente, eiuſcemodi calculo iuſtiſſimè proſcriptus legitur: E*duc eum, qui maledixit extra caſtra, & lapidet eum populus vniuerſus.*

Inflicta imperio Dei maledico in Moyſen pœna.

Leuit.24.n.14

Enim vero Deus non tam blaſphemum, ſibique contumelioſum, quam maledicum in Moyſen, vt Iſidorus edocet, lapidibus deſtinauit: *Deus* (inquit) *cui ſua curæ ſunt, magis voluit vlciſci iniuriam Moyſis, quam propriam contumeliam.*

Iſidor. Clar. c.24. Leuit.

Ex quo illud ſemel non tam verbum, quam in contemptores fulmen Clemens Alexandrinus diuinorum præſulum auctoritatem inculcans valide intorſit: *Rem* (inquit) *dicturus ſum mirabilem, ſed inde omnino ne hæſites. Expedit in Deum magis peccare, quam in ducem noſtrũ, &c.*

Clemens Alexand.

Quapropter exacerbato Dei miniſtro ac Chriſti Sacerdote offenſo, infenſum protinus, ipſiſmet contemptoribus Deum, ex antiquis haud ſemel rerum geſtarum monimentis extitiſſe conuincitur, & vt nonnulla opportunè hic in rem preſẽtem proferamus exempla, à contumelioſis in ipſam Petri ſedem, eiuſquè contemptoribus dicendi initium ſit.

Vlciſcitur interdum ſuorũ prius quam ſuas contumelias Deus.

3. Neomenius, ſiue potiùs Nomeneius Dux, qui nouus in minori Britannia tyrannus emerſerat, à Carolo Francorum Rege ad eam olim adminiſtrandam prouinciam miſſus, omnia ſuſquedeque permiſcens, cũcta tam humana, quam diuina per ſcelus proculcans, orthodoxos inſuper à ſuis Eccleſijs Epiſcopos temerario auſu exturbare non timuit; Quapropter à Leone IV. ſummo Põtifice Apoſtolicis ob contumaciam, quã preſeferebat, litteris admonitus, nil Romani Pontificis auctoritatem veritus, eo vſque per faſtũ, & arrogantiam proſiliit, vt Pontificias, quo maiorem in Pontificem contemptũ præſeferret, literas accipere dedignatus ſit.

Baron.to.10 an.849.n.19 Neomenius Britanniæ tyrannus.

Pontificias literas aſpernatur.

At ſedis Apoſtolicæ, quam ab impio homine ſic proculcari videbant Francorum Epiſcopi, duo & viginti propugnatores, ac vindices in medium proſiliere, qui in vnum coeuntes, cõſcriptisq; ad tyrannũ Ducem epiſtolis, atque ob id illi contẽptori anathematis fulmen comminanati, amarulentis eumdem, vt par erat, modis perſtinxerunt, & vt ab incæpto deſiſteret, conceptis in rem verbis ſerio admonuerunt. Atqui in ſua adhuc malitia fixus, & in inſectãdis Epiſcopis pertinax, Deo, cuius ille ſacerdotes contemnebat, vindice, peſſimo tãdem exitu è medio ſublatus eſt, vt in Engoliſmenſi Chronico his verbis legitur. *Anno Octingẽteſimo quinquageſimo iubente Domino*

Engoliſ. chronica. Ab Angelo percuſſus emoritur.

Nomenius ab Angelo percuſſus interijt

Sed repentini illius, ac funeſti, quo miſer præuentus eſt, interitus, non niſi immẽſa, quibus ſe obſtrinxerat, ſcelera in cauſa fuiſſe, ex nuper recenſitis Epiſcoporum litteris in hæc verba legenti compertum redditur: hęc enim ibi.

Reprehẽſionis ad cũ à Clero miſsæ litteræ.

4. Dominus quidem Deus occulto (inquit) *iuſto tamen iudicio permiſit eſſe te rectorem gentis ſuæ, in quo tamẽ regimine qualem te exhibueris, teſtis eſt conſcientia tua, & amaræ querimoniæ diuerſarum Eccleſiarum, & afflictiones nobilium, & ignobilium, diuitum, & pauperum, viduarum, & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexaſti. Sed quia Chriſtianum nomen non penitus abieciſti, & nos ex Apoſtolica ſucceſſione debitores ſumus omnibus, vt bene agentes ad perſeuerantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate diuina prouocemus, vehementiſſime tuis eccesſibus condolemus, & à tuo interitu paterna, & epiſcopali ſollicitudine te cupimus reuocare. Cupiditate tua vaſtata eſt terra, Chriſtianorum tẽpla paſſim deſtructa, paſſim incenſa; cum ſanctorum oſsibus, cæteriſque reliquijs, poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemptio animarũ, patrimonium pauperum illicitè in tuos vſus redacta, hæreditates nobilium ablatæ, & maxima multitudo hominum, & interfecta, & ſeueritate oppreſſa: rapinæ crudeliſſimæ perpetratæ, adulteria, & corruptiones virginum paſſim commiſſæ; Epiſcopi legitimi ſedibus proprijs expulſi (& vt mitius loquamur) quia dicere nolumus, fures & latrones mercenarij introducti &c.* Ob quæ ſanè miſer diuinam ſubire vltionem, ac regiminis, quod obtinebat, ſolio deijci merebatur; ſed reliqua in terim proſequamur:

Direpta ab eo templa.

Pulſi ſedibus epiſcopi

Satis hæc ad tuam perditionem ſufficiebant, ſed ad cumulum malorum auxiſti temeritatem, & omnem læſiſti Chriſtianitatem, dum Vicarium Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus primatũ in omni orbe terrarum, ſpreuiſti; cum enim eum poſtulaſſes, vt in libro ſuo te ſcriberet, & pro te Dei clementiã exoraret, et ille directis litteris ſe id facturum promiſiſſet, ſi ſe monentem obediẽter audires, non ſolum nihil eorum, quæ mandauerat, feciſti, ſed ne litteras quidem ipſas recepiſti. Et quia nolebas à malo deſinere, timuiſti bene monentem audire. In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus, læſiſti Epiſcopos, qui iam cum Deo regnant in Cælis, et miraculis coruſcant in terris; læſiſti et nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen diuina gratia poſſidemus officium. Quibus narratis hæc Baronius appendicis inſtar ſubtexit: *Hæc audiant* (inquit) *qui litteras Apoſtolicas retinent, atque earum executionem, quouis colorato prætextu eludentes impediunt, quã enormiter peccent, et quam grauiter delinquant, qui quod patres adeo deteſtati ſunt in tyranno, defendant in pijs principibus duplo peccantibus, ſi quidẽ ſciẽs, et non faciens voluntatem Domini ſui vapulabit multis.* Sed reliqua orthodoxorum Patrum non tam verba; quam fulmina in tyrannum intorta orationis ſtylo proſequi libet: *O quid facturus es in die magni iudicij, cum tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mẽſibus, horis, momentis. Et hoc erit celeriter. Verum eſt etenim, quod iuuenis poſſit citò mori, ſed ſenex diu nõ poſſit viuere: ante te prolixũ fuit, ſequutũ poſt te quoq; Deo certum eſt, quã tum durabit. Pro hac vita breuiſſima noli tibi ſempiternam miſeriam comparare.* Hæc illi; ſed quo vehementius hominem ad pœnitendum extimulent. vr-

Lupus Ferrarien. Ab. vbi ſup. Gallorum præſulum de primatu Pontificis teſtimoniũ inſigne.

Baron. to. 10. an. 849. vbi ſup. n. 15. Baroniana animaduerſio in literarum Apoſtolicarum contemptores.

Intentata cæleſtis ira.

Digitized by Google

vrgeantque haud Chriſtianæ fidei, quibus initiatus fuerat ſacramenta, ni fidem operibus teneat, profutura, his quidem verbis aſſeuerant: *Non tibi prodeſſet fides, nec quæcunque pietas, aut bona opera, quod Saluator dicit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: Cogita quid mereatur, qui ſcandalizauit vnum de puſillis, et ita poteris colligere, quam ingẽtem ſis perlaturus, niſi reſipueris, damnationem, qui partem maximam populi Chriſtiani grauiſſimè perturbaſti; quãobrem monemus te, obſecramus, obteſtamurque tuæ ſalutis cupidi, pone finem malis tuis; conuertere ad Dominum, cuius nemo noſtrum poteſt effugere iudicium etc.* Et plura alia ſubinde digniſſimi Præſules his illi verbis inculcant.

Matt. c. 7.

5. *Maximum reatum te contraxiſſe ſcimus, quod Epiſtolam ſedis Apoſtolicæ reſpuiſti, exiſtimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Quod ſi* Legatum *cum venerandis litteris non receperis, nos, qui monuimus, excuſabiles erimus, ſin autem receperis, & auſcultaueris, & dominum, & B. Petrum propitios, & nos habebis in fide coniunctos, & interceſſores proficuos. Si vero nos benigne monentes contempſeris, certum tibi ſit, nunquam tibi futurum locum in cælo, & cito non futurum in terra, quod tua culpa ſeparatus ab* Apoſtolica, *& noſtra Societate, anathematis vltione locum habebis (quod auertat* Deus*) in tartaro.* Hucuſque recẽſitæ ſynodales Epiſcoporum literæ, quæ prophetico planè ſpiritu, impendentem ceruicibus cladem illis palàm verbis prędixerunt nuntiarunt: *Certũ tibi ſit nũquã futurũ locũ in cælo, & cito nõ futurũ in terra.* verum quod venerabiles Chriſti ſacerdotes edixere, perdito homini adamuſsim contigit. Quippe qui ſubito, inopinoque haud multo poſt exitu, ſuis pertinaciter criminibus inhęrens abſque vllis pœnitentiæ ſignis viuendi finem fecit, & vt ſupra dictũ eſt, haud vulgari, conſuetaq; aliorũ inſtar morte, ſed inſuper *ab Angelo* (in ſcelerũ vltionem) *percuſſus interijt.*

Lupus Abb. Ferrarienſ. vbi ſup.

Contemptori mors tum animæ, tum corporis indicitur.

Lup. Ab. Ferrarien. Prædictum impio proteruienti imminens exitium.

Quoniam vero capitale prę cũctis crimen eſt, præpoſitorũ imperiis obluctari congruè ſpiritus ſancti oraculo in ſacris paginis exlegum hominum contumacia perſtringitur, acerbique piaculi noxa illis verbis exprimitur: *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere &c.* Quamobrem haud impune aliquando, qui Epiſcopis reluctantur, abiere, ſed ingentibus diuino calculo pœnis expetiti, ſuo cœteros exemplo docuere. Quid igitur, in B. Alphegi Vvintoniẽſis in Anglia Epiſcopi geſtis de his, qui ipſius parere dictis detrectarant, ſeuere, vt alibi dictum eſt, mulctatis hũc in modum traditur videamus: Hortatus *eſt eos, vt tempore quadrageſimali ieiunio, & caſtitati vacantes, diebus illis vxorum etiam delicijs abſtinerent. Quorum vnus, cœteris Epiſcopi iuſſionibus reuerenter obtemperantibus, iocularì cœpit dicens, ſe abſtinere non poſſe à venere, à cibo pariter, & coniugio. Cui Epiſcopus, Contriſtas me miſer oppido neſciens, quid tibi pariat dies ventura. Et ſic homo ille recedens duram B.* Alphegi *prophetiam nebulo experitur, dum poſtera luce in cubiculo ſit repertus exanimis, incertũ vtrum à diabolo ſuffocatus.* Vtinam ergo homines Præſulũ imperijs ceruicem, vt par eſt, humiliter inflectãt, ne Dei vindicantis ſacerdotum ſuorum iniurias, ac contemptum, iram vltro ſubire cogantur.

Idololatriæ genus eſt obluctari antiſtiti.

Baron. to 10 an. 947. nu 4

1 Reg. c. 15. n. 23.

proteruus contemnit B. Alphegi pia mandata

Repentina morte percuſſus.

6. Et manifeſtum quidem Dei iudicium in contemptores ſacerdota-

lis imperij, ac Pontificij muneris, vt videre eſt, in B. Malachiæ Epiſcopi geſtis affulſit: Schiſmatici enim omnes, qui ei obluctantes in ſua aduerſus virum Dei pertinacia perſtitere, infeliciter è medio ſublati, Malachiam à Deo electum, & Eccleſiæ illi paſtorem cõſtitutum ſub Dei tutela degere, & fruſtra ſe diuinitus electo contradicere experimento didicere; ſed rem hic ex eius geſtis à D. Bernardo cõſcriptis repetere haud pigeat: *Paucis* (inquit) *decurſis diebus Celſus moriens miſit baculũ ſuum Malachiæ tanquam ſibi ſucceſſuro, quem vt vidit, agnouit ipſum eſſe quem viderat. Huius præcipuè recordatio viſionis tenuit Malachiam, ne ſi quod diù ſatis diſſimularat, vltra renueret, diuinæ iã videretur reſiſtere volũtati: verumtamẽ Ciuitatem non intrauit, quandiu ille incubator vixit, ne hac occaſione contingeret mori quemquam ex his, quibus vitam magis miniſtraturus ueniebat. Ita per biennium (nam id temporis ſuperuixit ille) agens extra vrbem, ſtrenuè in vniuerſa prouincia opus* Epiſcopale *exercuit. Illo igitur celeri morte facto de medio, rurſum Nigellus quidam, imo vero Nigerrimus ſedem præripuit. Et in hoc animæ ſuæ Mauritius adhuc viuens prouiderat, vt hunc haberet hæredem, in quo qui damnandus exibat, operibus adijcere damnationis perſiſteret. Erat enim ipſe ex damnata progenie cognatus* Mauritij. *Cæterum Rex, & Epiſcopi, & fideles terræ nihilominus cõuenerunt, vt introducerent* Malachiã, *& ecce concilium malignantium ex aduerſo. Quidam de filijs Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate ſciens locum, vbi pariter conuenire decreuiſſent, multis aggregatis ſibi latenter vicinum occupat collem, eminentem è regione, vnde illis tractantibus alia, repentino impetu ſuper incautos irruerent, & interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Epiſcopo trucidare, vt non eſſet, qui vindicaret ſanguinem iuſtum. Res innotuit* Malachiæ, *& intrans Eccleſiam (erat enim propè) eleuatis manibus orauit ad* Dominum. *Et ecce nubes, & caligo, ſed et tenebroſa aqua in nubibus aeris diem verterunt in noctem. Fulgura quoque, & tonitrua, & horribilis ſpiritus procellarum diem vltimum minitantur, vicinaque elementa intentant omnia mortem.* Et *vt ſcias, Lector, quod Oratio* Malachiæ *concuſſerit elementa, ſolos intercæpit tempeſtas, qui quærebant animam eius, ſolos turbo tenebroſus inuoluit, qui parauerant opera tenebrarum. Denique ipſe, qui Princeps extiterat tanti mali fulmine percuſſus interijt cum tribus alijs, et fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris, quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora ſemiuſta, et putrida, hærentia ramis arborum, vbi quemque ſpiritus eleuans alliſiſſet. Alij quoque tres ſemiuiui inuenti ſunt, cæteri omnes, circumquaque diſperſi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quamuis proximos loco, tempeſtas omnino non tetigit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* E cœlo quippe pro Malachia legitimo Præſule aduerſus refractarios perfidos, paciſque oſores, Eccleſiæ hoſtes dimicatum eſt.

D. Bernard. in vit. S. Malach.

Impii illi aduerſati

Nefandorum conſilia de Rege & S. præſule trucidandis.

Expedita in eos è cælo fulmina.

7. Sed vt alterum, quod diuinitus obtigit, portentum ſubtexamus: Malachia iam in ſuam ſedem, ipſius Regis manu, ac populo plaudente, immiſſo receptoque, qui contumelioſus erat, honorem deferre, ac ſe ante eum humi demittere compulſus eſt: hæc enim in B. Malachiæ geſtis habentur: *Nigellus* (inquit) *videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam ædis illius, textum ſcilicet Euangelicum, qui fuit* B. Pa-

Ex vita S. Malach. à S. Bernardo conſcripta. Nicelli pſeudoepiſcopi furtim, ſacrilegium

Digitized by Google

B. Patritij, baculumque auro tectum, et gemmis pretioſiſſimis adornatū &c. Ibat homo gyrouagus, et alter Satanas circuibat terram, et perambulabat eam, inſignia ſacra circumferens. Quæ vbique oſtentans, vbi que eorum gratia receptabatur, conciliant ſibi per hæc animos omnium, et à Malachia, quoſcunque potuiſſet auertens. Hæc ille. Erat autem Princeps *quidam de potentioribus iniquæ progeniei, quem* Rex *priuſquam Ciuitatem exiret, iurare coegerat pacem tenere Epiſcopo, acceptis ab eo inſuper obſidibus multis. Is poſt Regis exitum nihilominus ciuitatem ingreſſus, conſilium habuit cum propinquis, et amicis, quomodo ſanctū dolo teneret, et occideret.* Atqui Deo protegente vir ſanctus inter pericula tutus, inter aduerſa lætus, ac inter inſidias illæſus omnino perſtitit; qui vero dolos in eum meditabantur diuinitus repreſſi, inuidia, ac mœrore contabeſcere compulſi ſunt: ſed ex Malachię actis rem proſequamur. *Contendentibus* (inquit) *in hunc modū illis quidem vt iret, iſtis vero ne iret: (res quidem mira)* Epiſcopus *cupidus pacis, et mortis non timidus; Sinite (inquit) fratres, ſinite me imitari magiſtrum meum, ſine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor. Forte flecto humilitate tyrannum, et ſi non vinco, tamen exhibens oui paſtor, ſacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque quod in me eſt parum ædifico exemplo tali. Quid enim ſi contingat occidi? Non recuſo mori, vt vos vitæ ex me teneatis exemplum. Experiemini certè, an Sacerdos veſter digne ſatis à Chriſto didicerit mortem nō timere pro Chriſto: & ſurgens cæpit ire flētibus cunctis, & ſupplicantibus, ne tantum cuperet pro Chriſto mori, vt tantū Chriſti gregem deſolatum relinqueret.* Imperterritum ſanè virum, ac Sacerdotis conſtantiam planè admirandā, qui alter velut Ambroſius, & Chryſoſtomus, vbi Dei, atque animarum cauſa peragitur, precibus non flectitur, minis non cedit, omnique metu ſuperior, in ipſam, quoque mortem præfidenter inſurgit. Solus igitur Malachias, cuius vitæ ab omnibus timebatur, ſibi non timebat, paratus quidē pro grege Dominico cœdi, periculis vero, ac morti pro Dei gloria cedere neſcius. Quid igitur Malachias præſtiterit videamus. *Qui vt calcato limine domus repente ſe medio intulit armatorum, ſcuto fidei ipſe munitus, concidere facies omnium, quia pauor irruit ſuper eos &c. videres hoſtiam ſtantem, carnifices ferro armatis manibus, vndique circumſtantes, & qui immolaret non erat &c. Nā & is quoque, qui caput malitiæ videbatur, aſſurgit ei potius, quam inſurgit. Vbi quæſo ſignum ò homo, quod dederas in mortem* Pontificis? *Hoc magis honoris ſignum, quam mortis indicium. Deferre hoc eſt, non mortem inferre. Res mira! pacem afferunt, qui necem parauerant &c. Itaque facta eſt pax, & tam firma, vt ab illa die hoſtem ſacerdos, non modo pacatum habuerit, ſed ſubditum, ſed deuotum. Quo audito apprehendit omnes circumquaque timor audientes, quomodo duos inimicorum eius, qui viderentur ferociores, & fortiores in generatione ſua, ſic ſubita virtute proſtrauit Deus: iſtum loquor, qui in manibus eſt, & eum de quo ſuperius dixi. Alterum enim terribiliter mulctatum in corpore, alterum miſericorditer mutatum in corde, ambos mirabiliter comprehendit in conſilijs, quæ cogitabant.* Mira plane Dei portenta in iſtis videre eſt, quorum vnus miſerādo mortis genere abſūptus eſt, alter verò immutatus deceſſit, ex quo ſubindè Dei nomē apud cōtēptores mi-

Conflata in virum Sāctū noua cōiuratio

Inſignis & pia præſulis ſancti Demiſſio.

Imperterritus Malachiæ animus, cedere minis neſcius.

Pax pro deſtinato parricidio ſucceſſit.

Epiſcopatus inſignia à pſeudoepiſcopo reſtituta.

mirificè illuſtrari contigit, hęc enim in geſtis: *Malignus autem ille coactus eſt dare manus, reddere inſignia, & quieſcere de reliquo in omni ſubiectione*: Sic Deus ſacerdotem ſuum ab inſidiantibus defendit, ipſoſque obluctãtes, ac ſuo rebelles Pontifici ante illius pedes deiecit.

Friderici II funeſtum exemplum.

8 Verum quoniam de contemptoribus Pontificij culminis opportunè hic ſermo recurrit, Fridericus ſecundus, Romanorũ Imperator ſilentio haud prætereundus eſt; qui in Chriſti Eccleſiam, ac Romanum Pontificem adeò perditum, contumelioſumque ſe præbuit, vt ne dũ Põtificijs iuſſis petulãter obſiſteret, ſed ira furens, ac liuore tabeſcens, aſſiduis bellorum, ac diſcordiarum incommodis eos, qui Romano Pontifici adhærerent, pluſquam hoſtiliter inſectaretur. Illud autem ſua dignum improbitate, ac nequitia præ alijs facinus præſtitit, vt Pontificiam auctoritatem nil reueritus, Marcellinum Aretinum Epiſcopum, qui mordicus Apoſtolicæ ſedis imperiũ, ac iura propugnabat, vinculis mancipariit, diutinaque carceris maceratione afflictum, quibuſuis contumelijs affectũ, patibulo deſtinarit; nec ſæuiẽdi modũ faciẽs addidit, vt Chriſti ſacerdotẽ ſaracenorũ, qui barbaræ eius exercẽdæ tyrãnidis velut adminiſtri inſeruiebãt, manibus excruciandum, mactandumque traderet. Innumeris igitur Præſul digniſſimus probris affectus, verberibus inſuper appetitus, ac plagis onuſtus, ingenti orthodoxæ Religionis propudio, viliſſimi inſtar mancipij, per publica loca raptatus, inclytus tandem Chriſti martyr è vita deceſſit: At Deo ſcelerum vindice iuſta impio homini à tergo pœna non defuit; poſt triduum enim vrbs Victoria, apud quã

Rain. n. 13 an. 1248 n. 19 20. 21. 22.

Aretinus Epiſcopus ab eo traditus vinculis.

iſtæc regiæ impietatis pręludia celebrata ſunt, à Parmenſibus bello vita, expugnata, atque in perpetuę obliuionis anathema flammis addicta, Sodomorum ignes, quos ob immane facinus meruiſſe videbatur, perpeſſa eſt: capta vero poſtmodum Vrbe, qui ſæuientis, ac contumelioſi Imperatoris furori quoquo modo manum præſtiterant, condignas Deo ſcelerum multipliciter exagitati pœnas dedere: Sed præſtat hic inauditũ, quod ſchiſmaticorum impietas perpetrauit, ſcelus, ex Card. Raynerij apud Pariſium literis excerptum recenſere.

Triduo poſt inſigni clade fuſus tyrannus.

Apud Pariſ. hiſt. Angl. an. 1249.

9 *Cæterum* (inquit) *cum Auerni Cyclopes, & Vulcani ſatellites mãdatum à ſuo principe recepiſſent, vrgebant Epiſcopum, vt ipſe dominum Papam Cardinales, & alios Prælatos Eccleſiæ tunc excommunicaret publicè corã plebe, & fidelitatẽ iuraret perfido Friderico, impunitate ſibi ſuper hoc, & multis diuitijs repromiſſis. Ipſe vero Domini ſpiritu roboratus fidenter aſſeruit, quod ipſum Fridericum Satanæ primogenitum, & alumnum frequenter excommunicauerat, atque ſuos: & tũc etiam in ipſum anathematis ſententiam iterauit. Cumque duceretur ad martyrium Pontifex ſe primùm muniuit, tã lamentis pœnitentiæ, quam omnibus Eccleſiaſticis ſacramentis. Verum cum ſe in abyſſum demergi æſtimans à circũſtantibus intellexit, quod tractus per villam debebat ſuſpendio interire, cantare cœpit: Te Deum laudamus, & hymnum Angelicum alta voce. Deinde ad patibulum trahi voluit velut Chriſtus ad Crucem. Sed flentibus mulieribus, & paruulis circa ipſum, non permiſſus ex toto nudari.* Execrandum planè in Romanum Põtificem, eiuſque auctoritatẽ ab his, qui ſuo impio Regi adblandiebãtur ſcelus; Sed reliqua

Impium facinus ſuadentis martyri, vt anathematis formulam in Pont. & Cardd. repeteret.

Conſtantia martyris ad miranda.

Diuinas laudes concinit ad mortem iturus.

qua interim proſequamur. *Porro ſarraceni ligauerunt ſacras manus, & pedes, velauerunt oculos, caput vero iuxta caudam animalis eſt poſitum &c. Sicque per Caſtrum S. Palmiani Sarraceni traxerunt eum ad furcas, ac ſi eſſet vir ignobilis, & plebeius, ſeu omnium abiectorum peripſema, vel perfidus parricida, ſeu ſicarius, aut plagearius, ſeu nocturnus depopulator agrorũ &c.* Et demum poſt multa ignominioſe in Dei virum præſtita, patibulo appenſus martyrij laurea inſignitus eſt. Manifeſtis vero Pariſius dedecorum notis Friderici impietatem, digniſque recolendam Beati Pōtificis, ac martyris memoriã præconijs proſequitur. Sed impio Rege, ac barbaro permittente, Sarraceni ſuam nedũ in Chriſti Præſulẽ, ſed & in Deũ ipſũ impietatem exercuere, vt idẽ narrat:

Apud Pariſiũ hiſt. Anglic. an 1249.

Traditus ſarracenis occidendus.

Pariſ. vbi ſup.

10. *Inſuper vt furor* Domini *contra malignum amplius incandeſcat, nuper apud* Narniam *ſarraceni multis cernentibus ad caudam ſubiugalis traxerũt imaginem Crucifixi, & Beatæ Mariæ, & aliorum ſanctorum: Deinde ſucciſis Crucifixi cruribus, & brachijs ipſum ſibi, & alias imagines in clypeos adaptabant, vt in bello Chriſtiani eas appetere cogerentur iaculis, & ſagittis.*

Crucifixi & Virginis imagines raptatæ per lutum à Saracenis.

Quibus Imperator facinoribus cum Deum immanè exacerbaſſet, ſua tandem impietate victus, acerbiſſimã ſuis cladem poſt modũ intentauit. Nã cũ Parmenſium obſidioni, ſex iã menſibus vna cum Ezelino validè, totoque exercitus robore inſtitiſſet, vrbemque, quam ſuperiori anno, cōſtruxerat Victoriæ nomine, proſperum indè rerum futurarum omne aucupans, appellandam voluiſſet, accidit, vt dum ob nimiã hyemis aſperitatem declinandam, certum bellatorum numerum illuc hibernãdi gratia tranſmiſiſſet, Parmenſeſ opportunam repellendæ obſidionis occaſionem rati, noctu armis repente inſtructi in medium proſilientes, hoſtiumque caſtra viriliter aggreſſi, quam plurimis miſerrimè contrucidatis nobilem de Friderico triumphum reuexerint: quod (vt condigna culpæ reſponderet pœna) poſt tres dies à Sanctiſſimi Epiſcopi nece contigit. Rem autem Patauinus his planè verbis tradit.

Victa victoria.

Anno (inquit) *Dom. MCCXLVIII. Friderico in Victoria reſidẽte, Parmẽſes inito conſilio de Ciuitate vnanimiter exiuerunt, irruenteſque in Victoriam, ipſam ſine mora cœperunt, captãque protinus concremauerunt: Fridericus vero verſus Cremonã fugã arripiẽs, vix euaſit dimiſſis ibidẽ diuitijs infinitis &c.* Eadẽ fere Pariſius, Ricordanus, Maleſpina, Ioannes Villanus, Iordanus, ac pleriq; recentiores tradũt. Verũ enimuero in hac luctuoſa vrbis clade vnus præ cœteris Taddeus Imperialis palatij iudex, ſingularis vir eloquentiæ, cui militares Fridericus copias regendas, ac regios inſuper theſauros cuſtodiẽdos tradiderat, miſerandum in modum Pariſio teſte confoſſus eſt: quem ſubindè Imperator enectum impẽſis vltro lachrymis proſequutus eſt. Hic vero ſuæ condignas crudelitatis pœnas exoluit; Cum enim Parmẽſes in eos eruptione primũ facta, ab hoſtibus propulſati, ac capti fuiſſent, immitis ingenij homo, cuius conſilijs Fridericus deferre plurimum videbatur, eorum nemini parcendum edixit, licet miſſis oratoribus Fridericum quibuſuis modis placandum voluiſſent, vt Pariſius his verbis affirmat, *Immiſericors* (inquit) *Fridericus iracundia ſuccenſus, & in arrogantiam eleuatus, viſcera miſericordiæ clauſit exorantibus, nec miſeris aurem benignitatis alicuius*

Patauinus in Frideric.

Parmenſium in caſtro Friderici irruptio.

Victoria concremata.

Fridericus vix fuga lapſus.

Matthæus Pariſius Ricordanus Maleſpina Ioannes Villanus. Iordanus.

Taddæi præcipui adminiſtri cædes.

Pariſius in Friderico.

quod

quod Deo diſplicuit dignabatur cõmodare etc: Et *hæc auſteritas à Thaddæo creditur emanaſſe.* At iuſta barbarę iſthęc ſuadentium crudelitati, Dei nutu pœna reſpõdit; Thaddæus enim, præcipuus inter tyranni miniſtros acerbis poſt victoriam ſupplicijs expetitus, ac ingens tyranni militibus clades illata eſt; vt Parmenſium epiſtolę docent: In quibus plura inſuper de cœſorum clade, ac de militaribus Friderici copijs, quæ ſuperfuerant, & apud Parmenſium Vrbem remanſerãt, funditus euertendis ac de his, qui vincti in carcere detinebantur, in libertatem vindicatis traduntur. Quæ quidem inſignis victoria, non tam armis, quam precibus, nec tam humanis quam diuinis parta auxilijs Deo perfidum vlciſcente Tyrãnum, & pro Eccleſiæ dimicãte Parmenſibus è cœlo affulſit, Cuius nũcio ad Innocentium Romanum Põtificem dicto citius perlato, maxima animi exultatione perfuſus condignas Chriſto gratias, laudeſque perſoluens; acceptam illi vltro palmam retulit, truculentumque hoſtem Eccleſiæ, Chriſti dũtaxat virtute deiectum ſubſannando, lætum, ac feſtiuũ victoriæ carmen concinens, illo triũphalem in morem verſiculo luſit, vt ſcriptores tradunt.

Thaddæi & copiarũ Friderici ingẽs clades.

Ad laudem Chriſti Victoria victa fuiſti.

Auctores ſupra cit. Vt victa ſit ad laudem Chriſti victoria.

Ciuitatẽ quippè, cui ſpecioſum inditum à Friderico fuerat Victorię nomen, vincendo, armiſque prælìantes ſubigendo, ipſam quodammodo viciſſe victoriam, nobilemque de cunctis Friderici triumphis viſi ſunt reuexiſſe triumphum, dum interim infauſto Friderici ſedis Apoſtolicæ perduellis omine, inuerſa fortunæ alea, ipſummet Victoria nomen immutauit. Quippe vt ſacra obteſtantur oracula, non contumax, *Sed Vir obediens loquetur victorias.* Refractarius vero iſte Romanis Pontificibus, ac Deo contumelioſus, haud multo poſt iuſtas ſcelerum pænas nedum in filijs, verum & in ſe ipſo dedit, dum morbo, qui lupus, ac ſacer ignis dicitur, dirum in modum affligi ctari cæpit, adeo vt viuus quodámodo arderet, qui ſacrilegus flammis (vt quidam referunt) Chriſti ſacerdotes iniecerat, quinimo ad malorum cumulum inuſitato, Caini ad inſtar, pauori addictus, iugiter ſibi timeret, cunctiſque planè inuiſus anno Chriſti 1250. (vt ſcriptores teſtãtur) ſatis duro, acerboque fato ſublatus eſt. Enim vero poſtquam à dæmone, quo familiariter vtebatur, ſe Florentiæ obiturum didicit, eam ob id potiſſimum caute vrbem declinans, ac ſi fuga fatum, quod inſtabat, declinare, ſtatoque loco, ac tempore moriturus, prædefinitam ſibi mortẽ eludere poſſet, Florentiolam in Apulia peruenit, vbi miſere à cacodęmone per ambiguũ nomẽ deluſus, ibi diem infeliciſſimè clauſit, vt Anonymus rerum à Conrado, & Manfredo geſtarum compilator tradit.

Prou. 21. 28.

Rainar. 13. an. 1249. n. 13 Fridericus morbo diuinitus immiſſo cruciatus

Deluſus à dæmone.

11. Porrò funeſtũm viri interitũ ſuis nonnulli ſcriptis recenſentes, vti condignum vitæ præmium reſpondiſſe affirmant. A Manfredo enim notho eiuſdem filio, puluino ori appoſito præfocatum, atque ita exauctoratum Imperio, atque Eccleſiaſtici anathematis innodatum vinculo abſque vllo cõtriti cordis ſigno, nulliſque Sacramentorum impertitum, releuatumque remedijs, impiũ impia parricidę manu perijſſe tradunt: At Baronio, alijſque ex aduerſo teſtibus, hic poſt, & ſi infeliciter, quod ad corpus ſpectat, obierit, tamen ſuas immanes culpas, ac pontificiæ ſedis con-

præfocatus à notho fertur.

Digitized by Google

contemptum, Deo aſpirante prę uijs pænitentiæ ſignis, ſacramentiſque de more expiatus, deceſſit; hæc enim ſunt Baronij, cuius ſententiæ inhærendum videtur, verba, qui & haud obſcura pænitentię ſigna ex eiuſdem teſtamento primũ coniicit: *Sicque illud* (inquit) *propheticum de inimicis Eccleſiæ: ſacrifica illos in die occiſionis, hoc impio tyranno magna* Dei *miſericordia cõceſſum, vt nouiſſimo elogio, quæ pij principis eſſent, præſtare poſſet.* Aptè iſthæc in rem Baronius. Quapropter, etſi probæ fidei ſcriptorum auctoritate, noſtris hiſce paginis Friderici obitus, ac cœterorum ei inhærẽtium, qui peſſimo tandem fine culpis irretiti vitã clauſere, iure aſcribendus videatur; conſulto tamen ab his Fridericus, præcipuoq; Dei munere (vt Baron. aſſerit, ſecernẽdus eſt) quẽ haud temere pænitentium, de quibus ſuo loco Deo aſpirante agemus, catalogo adſcribendum cenſuimus: Vnicus interim ſepulchralis Friderico titulus, carminibus iſtis prænotatus legitur.

Ierem c. 18

Baron tom. 11 an. 1097. nu. 82

Pænituiſſe ſcelerum in extremo vitæ actu aſſeritur.

Qui mare, qui terras, populos, et Regna ſubegit,
Cæſareum fregit ſubito mors improba nomen.
Sic iacet vt cernis Fridericus in orbe ſecundus.
Nunc lapis hic, totus cui mũdus paruit, arcet.

Rain tom. 13 an. 1250. nu. 36.

Epitaphium Friderici.

Et hæc interim lectori ſatis.

Porro quoniam peccantes par iuſto Dei iudicio pęna inuoluit, & ſi Fridericus pænitens è vita deceſſit, eius tamen Præfectus Raynerius à Monte Merlo, pontificiæ item poteſtatis contemptor, dum Florentiæ ageret, concidente ex repentino caſu ipſius, in quo manebat, cubiculi fornice, ruinæ ſuccumbens, infeliciter oppreſſus interijt; vt ſubita ædificij ruina, quæ contigit, manifeſtum: proculdubio ſignum eſſet, principatus, ac ditionis potentiam haud multo poſt Florentiæ deſituram. Opportunum vero hic de male adblãdiẽtibus Friderico Romanorum Imperatori, infelici morte ſublatis, in præſens ſuppetit exemplum; Fridericianæ enim tum fortunæ, tum impietatis ſectatores, qui in gentilitios prolapſi errores, ipſammet terreno Imperatori diuinitatem per ſummũ ſcelus adſcribere non verebantur, læſi, contemptique Numinis iram experti ſunt; Fridericiani quippè dum inſaniẽtes, ac ſi nullum alium præter Cæſarem, ſeruatorem agnoſcerent, colerentq; ac blaſphemas in cęlum voces eiacularent, turris, cuius præſidio ſe validè tutos, munitoſque putabant, & ex qua, velut è nobili propugnaculo, acerbam in Dei Eccleſiam, ac Romanum Pontificem exercere tyrannidem, ac ſuas conſtabilire ad pugnãdum, vires, conatuſq; adnitebantur, Deo perfidorum machinas, alteram veluti Babelicam turrim, diſſipante, ingentique eam impetu cõcutiente, cecidit, blaſphemoſque homines miſerandum in modum oppreſſit; vt Anonymus rerum geſtarum Gregorij Põtificis ſcriptor his verbis tradit.

Ricord. loc. cit. c. 43 Villan. lib. 7. c. 44.

Raynerii eius impietatis miniſtri triſtis caſus

Fridericiani Saluatoris imaginem deridentes turris ruina obruti.

12. *Adhuc autem* (inquit) *ſpirãs minarum, & cædis* (*Fridericus videlicet*) *turrim dicti* Petri *Frãgibilis Frãgipanis, cuius potentia Petri credebat humiliare primatum, ſumptibus proprijs refici procurauit. Verum cum Romanus populus in Aſſumptionis glorioſæ Virginis vigilia, Saluatoris imaginem per vrbis vicos, ex antiqua conſuetudine deduxit; quæ dum in atrio poneretur* Eccleſiæ, *quæ ſancta* Maria *noua vocatur, quaſi quietis beneficium receptura, blaſphemis quibuſdam conductis, Friderici prædicti ſacrilega voce clamanman-*

Anonym. in vit. Gregor. pp. IX.

Dei iudicio turris collapſa contemptoris Eccleſiæ opprimit

manſibus: ecce ſaluator, veniat Imperator, turris in ignominiam ſpōſæ Chriſti, de ſanguine pauperum, & lacrymis viduarum è vicinio erecta, mox euerſa funditus, blaſphemantium multitudinem, iudicio diuinæ vltionis oppreſſit, &c. Deus quippe lapidibus è ruina proſiliētibus, blaſphemorū euoluiſſe quodámodos obſtruere viſus eſt, cū non tam ſubſtructionum motu, quā ſceleris immanitate turris machina, non ſecus ac illa in Siloe, ad terrā caderet, & qui blaſphemis Deum verbis impetebant, lapidibus perculſi, dignum ſcelere ſupplicium luerent.

Lucæ 13.4

Exemplum aliud diuinæ in oppreſſores Eccleſiæ vltionis.

Friderico autem, & Raynerio in Pontificem contumelioſis, Friderici eiuſdem, ex vetito ſacris legibus cōnubio filius adnumerādus eſt, qui inter ſacerdotalis muneris, ac Pontificiæ præſertim auctoritatis contemptores, ſibi iure merito locum vendicat; Entius hic ſubintelligendus eſt, nothus Friderici II. Imperatoris filius. ſiue alio nomine Henricus, qui Adelaſiam in Sardiniæ regno vxorē nactus, ſupremam inſulæ, ac principatus ditionem ab Eccleſia in Imperium transferēndo vſurparat. Hic igitur à Friderico in Marchiā ſubindè trāſmiſſus iuſtiſſimè à Gregorio IX. Romano Pontifice anathemate perculſus eſt: ſacrilegus enim Patris veſtigia ſectatus, eo arrogātię Romano Pontifici reſiſtendo deuenerat, vt S. R. E. Pręſules in Pontificis odium, mari intercipere iuſſus, comprehenſos, incommodiſque affectos, quamplures ex eorum numero, gladio abſumpſerit: iſthæc verò homo ſacrilegus non impunè præſtitit; Diutino nāque carceris ſquallore maceratus, condignam ſcelerum mercedem ſortitus, infeliciter tandem è vita deceſſit, tacitò illud cunctos admonens, quod: *Summa infelicitas eſt, fuiſſe aliquando felicem.* Et illud inſuper de ſe humanæ infelicitatis elogium cunctis contemplandum proponens: *Quia grauè eſt* (vt ille aiebat) *de regno cadere.*

Entius Sardiniæ tyrannus. Rain. tom. 13 an. 1249

13. Atqui hęc iuſtiſſimè homini vltio contigit; illi etenim Fridericus pater, rei maritimæ Præfecto, dum anno Chriſti 1241. Apoſtolicæ ſedis Legati (e quorum numero vnus erat Gregorius, qui pontificiam tunc vna cū cæteris Præſulibus legationē obibat) nauigio vecti ad Concilium contenderent, illud in mandatis dedit, vt ingenti comparata claſſe exaduerſo in eoſdem irruens, profundo pelago cunctos demergeret. *Qui clade ſubinde accepta* (Rainaldus ait) *cum legatis ipſis in Regnum apud Neapolim per mare in captionē ducti sūt, et in cuſtodiā per Regni caſtella trāſmiſſi.* Condignum vero haud multo poſt diuinæ in ſacrilegas animaduerſionis argumentum, Chriſtiano orbi, vt hiſtoriæ docent, exhibitum eſt. Porro nonnulli è numero Pręſulum, ſacrilegis e manibus profugere. Cardinales vero legatos, alioſque, quos bello intercipi contigit, Neapolim adductos, multiſque conſumptos incommodis, in teterrimum carcerem coniectos, Pariſius quoque poſt ſententioſum illud Poetæ carmen; his verbis narrat;

Rain. tom. 1. an. 1241. nu. 16

Rain. vbi ſup. n. 67. 71. 72

Præſules captiui à Friderico peſſimè habiti.

Gloria peccati non repetenda ſui eſt.

Quæ vero eoſdem malorum incommoda cōſequuta ſunt, his verbis proſequitur; *Fame* (inquit), *et ſiti cruciati, & ad arbitrium nequiſſimorū nautarū, imo hoſtilium piratarum laceſſiti, & obiurgati, lōgum martyrium protraxerūt, quod pro obedientia ſubierunt. Videbatur igitur carcer requies, licet requie caruiſſet. Tabuerunt ergò præcipue delicatiores, & varijs infirmitatibus languerunt, vnde quidam Religioſi, & mul-*

Diuturno affecti martyrio.

Digitized by Google

multi alij animas afflictas exhalantes, ex miſeria huius mundi ad dominũ nõ ſine palma martyrij migrauerunt. Funeſtũ planè dictu, vt Pariſius tradit, quę, & quanta tunc Apoſtolicæ ſedis legati, alijque, Pontificiæ duntaxat tuendę ſedis gratia, perpeſſi ſunt. Quibus ad Romanum Pontificem delatis, vehementius ille ex corde indoluit, exaratasque commiſerationis affectu, ad eoſdem vinctos, teQuæ Pontifex amarulenter inculcet. noris eiuſcemodi litteras dedit, vbi inter cœtera paternis eoſdem verbis alloquens, ac intimum, quo tenebatur paterni in eos animi dolorem, viuis characteribus exprimens, hęc habet. *Adeſt nobis* (inquit) *in defectũ veſtræ libertatis angaria, in penuria fames, in terrore ſupplicium, & in exaſperatione tormentum: triſte quod loquimur, flebile quod ſentimus: Dies feſti conuertuntur in luctum, in ſalicibus ſuſpendimus organa, dum ſedetis ſuper flumina Babylonis obedientes* Aegyptijs, *expoſiti iudicio* Pharaonis. *Vtinam Moyſis manus accederet, cuius obſequio, ſuo Iſraelis arbitrio redderetur ad ſolita ſacrificiorum libamina, votiuis menſibus offerenda. Cæterum recolere li*Proponit martyriorũ tempora refloreſcere. *beat* Eccleſiæ *ſurgentis exordium, quid pro patrijs legibus Patrum conſtantia pertulit, quid* Apoſtolicus *labor, quid martyrum triumphus, exceperit. &c.* Hęc aliaque ſapientiſſimus Pontifex ſuorum cõdolens calamitatibus, opportunaque languoribus remedia comparans, lacrymis ora perfuſus edixit. At certum illud tandẽ ſupernę animaduerſionis, quo pari ab errantes ſupplicio inuoluũtur, iudicium affulſit; Entius enim Imperatoris filius, cuius ille opera Chriſti Sacerdotes, atque Eccleſiæ Præſules carceri mancipandos curauerat, Bononienſium manu interceptus, arctiſſimæque cuſtodiæ traditus in pœnam criminis, tum mœrore animi, tum loci ſquallore tabeſcens, infeliciſſime extinctus, illud Pſalmiſtæ palam verbum ſuggeſſit: *Comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant.* Pſal. 10. 2.

14. Porrò vt exlegum, contumelioſorumque in Chriſti ſacerdotes exemplis inſiſtamus: Robertus Atrebati Comes, Pontificiæ auctoritatis contemptor, cum anno Chriſti 1302. Belgæ aduerſus Philippũ Galliarum Regem, ob grauia vectigalium onera rebellaſſent, is arma aduerſus eoſdem mouens, infelicem vna cum ſuis exitum ſortitus eſt; vulneribus quippè ſaucius, atque ingloRain. tom 14 an. 1302. nu. 16 rius deceſſit; capitale autẽ, ob quod pœnis expetitus eſt, crimen deſcribitur, quod Romani Pontificis litteras, quas bullas dicunt, ad Apoſtolicum legatum Cardinalem delatas, in ipſius contemptum Pontificis, in ignem audacter proiecit; ſed S. Antoninus hac ſuper re audiendus eſt: Rex (inquit) *non permiſit bullas publicari, &c. Comes autem* Atrebatenſis, *qui tunc viuebat, quia hoc accidit ante debellationem eius, & mortem in bello ſupradicto, litteras eius accipiens, in ignem proiecit in contemptũ* Pontificis: *propter quod iuſto* Dei *iudicio male perijt, ſicut et* Ioachin Rex Hieruſalem *comburens dominicas litteras.* Antonin. 3. p. tit. 21 c. 8 §. 15. & alii. Præſentaneam ſiquidem, vt vides, petulanti homini cladem, Põtificiæ maieſtatis, ac litterarum Apoſtolicarum contemptus peperit; enim vero contẽpti ſacri epiſtolarũ apices, gladiorum inſtar iuſtam promerenti vltionẽ infligendo ſuum acriter contemptorem confoderunt. Exufferat literas pontificias.

Verum ſi quis rem ab hiſtoricis luculenter digeſtam aſſequi cupit, de ſubſequuta poſtmodum ſtrage, Iordanum iſthæc narrantem conſulat: *Apud Bruges* (inquit) *propter illicitas*

exactiones ab officiali regio, nil valente reclamatione apud regem, minutus populus contra maiores inſurgens ſeditionem commouit &c. ſed miſſis in eos à Rege armatis viris, informati Burgẽſes, quod plurimos Burgenſium in craſtino ſuſpendi faceret, deſperatione concepta, enorme facinus præſumpſerunt. Hũc in modũ à Belgis Galli trucidati sũt, ac meritas Comes Apoſtolicis contumelioſus litteris Deo pęnas exſoluit.

15. Quod vero hæc Gallorum clades, non tam hoſtium robori, quã diuino adſcribenda ſit calculo, Matthæus Vveſtmonſtarienſis, aliorum ſuffultus ſcriptorum teſtimonio affirmat. Demum, vt narratis hactenus nonnulla vel obiter inſeramus, oppoſitaque iuxta ſe poſita magis eluceſcant; Certe quo Paſtores Eccleſię, ac Romani præſertim Pontifices à populis in honore habẽdi sũt, gentiles ipſi, ac barbari teſtes locupletiſſimi adſunt; & (vt ſacræ paginæ docent: *ipſimet* (inquam) *inimici noſtri ſunt iudices*. Qui enim barbarico dudum ex more ſæuientes, irãque truci vultu ſpirantes, contumeliam ſacerdotibus, iniuriam Pontifici, cladem ciuibus, vrbibus vaſtitatem, cũctiſque è proximo ſupremũ exitiũ pertendebant, vel inuiti, vel nolentes mitéſcere compulſi ſunt; & ne Dei iram ſubirent, pro contumelia honorem, cultum pro iniuria, ipſius impulſu Numinis deferre vltro coacti ſunt cuius rei teſtatiſſimus, vtiã vidimus, teſtis Hunnorum Rex Attila accedit.

Deuter. c. 32. Quantus ſacerdotibus honor debeatur, ipſimet gentiles docent.

Verum enim vero, vbi Pontificias barbaro homini tum inſulas, tum imperia venerationi fuiſſe didicimus, ſi ad Romanorum quondam Principes oculos conuertimus, diuinis eoſdem Pontificum iuſſis, moniti ſque ceruicem humiliter inflexiſſe cõperimus, vt apte Baronius in rem præſentem hunc in modũ narrat: *Theodoſius* (inquit) *ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo publicè prohibitus, templo, niſi ante pro innoxio ſanguine, quem Theſſalonicæ, & in Pannonia ſparſerat*, Deo palam *ſatisfeciſſet, eam notam patienter, atque humane tulit, neque ante redire ad templum eſt auſus, quã ijs, quæ ab Ambroſio ad criminis emẽdationem iniuncta fuerant, peractis, Quo tempore Ambroſius templo eum, atq; diuinis omnibus inhibuit. Hac igitur re nonne humanam fidem ſuperare videretur, vt Imperator iuuenis victor, à ſene ſacerdote ſubito publice erroris ſui impunè argueretur? Adeo enim ætate noſtra neglectus creuit, vt vix plebei ordinis vir laturus fuerit, quod orbis terrarum dominus non ſolum æquo animo tulit; verum etiam humiliter petita venia obediendo impleuit. Itaque qui armis inter mille diſcrimina aduerſus tyrannos, atque Imperatores, Auguſtalem maieſtatem illæſam ſeruarat, non modo de conſueta animi magnitudine nihil amiſit, cum lacrymarum plenus* Ambroſii *pedibus ſe prouoluit: verum omnium victoriarum ſuarum, quia ſe ipſum vicit, triumphos ſuperauit &c.* Honorem igitur ſacerdoti debitum præſtitit, qui palmis aſſuetus, victor iugiter ex acie domum redierat; & qui nobilem haud ſemel in orbe triumphum egerat, ſe vltro vinci, ac triumphari à Pontifice dedignatus non eſt; plus quippe ab vno Chriſti ſacerdote, quam ab innumeris hoſtium cuneis, ac furore timendum ſibi didicerat.

Baron. to. 4. an. 390.

Theodoſij Imp. in Ambroſium pia obſeruantia.

Publice erroris increpitus patienter tulit.

16. Hic autem iure optimo appendicis, nec non triumphalis inſtar lapidis ipſius Baronij verba inſculpenda ſunt: *Viguit* (inquit) *vigebitque ſemper eiuſmodi Theodoſij exẽplum*

Baron. tom. 4. an. 390. n. 31.

plum

Digitized by Google

plum in Eccleſia Dei, & quod tunc effulſit, effulgebit iugiter, tanquam inſigne quoddam, ac præclariſſimum ornamentum, ac veluti nobile trophæum, erectum ex illuſtri victoria, cõſequutũ, vincente ſe ipſum Imperatore: vigebit (inquam) glorioſus triumphus exculptus æternis tabulis, longe præſtantioribus illis, quibus tum barbarorum, tum tyrannorum declarabatur extinctio, atque felix Imperij propagatio, vt tanquam in viua columna ampliſſimis, perpetuiſque notis expreſſa viſuri ſint poſteri Imperatores, ac Principes, nihil elucere venuſtius, coruſcare ſplendidius, atque micare ardentius in omnes regiæ coronæ Virtutum gemmas, quam ipſam illibate ſeruatam, & in omnibus integerrimè cuſtoditam religionem, cuius cauſa exhibita humilitas, ſublimis ſit exaltatio, & delata obedientia quouis ſummo præſtet Imperio, vſque adeo, vt eius gratia, & ipſæ tenebræ peccatorum, quibus offundi, obſcurarique ſolet fulgor ille regiæ maieſtatis, conuertantur (vt vidimus de Theodoſio) in claritudinem, ſemperque manentem gloriam. Et his ſupremam ſuſceptę narrationi manum imponimus.

Manebunt hæc conſecrata æternitati trophæa,

CAP. VIII.

Ad Euchariſtiæ Sacramentum indignè accedentes, vel in hoſtiam ſacratiſſimam contumelioſi.

Euchariſtiæ dignitas.

1 QVi ad ſacroſancta altaris myſteria, quibus nil dignius, & ad participandum Dominici corporis, quo nil ſalubrius eſt, pabulum, non ea, qua par eſt animi puritate, ac deuotę mentis obſequio, culpisque rite expiati accedunt, certum indè ſibi iudicium, animę interitum pro ſceleris grauitate reportant; Quod manifeſtis olim Apoſtolus verbis inculcaſſe viſus eſt, dum conuiualibus cæleſtis menſæ epulis funera, ſacramentorũque diuinorum delicijs clades conſulto immiſcens, metum cunctis, debitumque accedentibus reuerentiæ cultum inculcans: *Probet* (inquit) *ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim indignè manducat et bibit, iudicium ſibi mãducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Adeo vt congruè in iſtos diuina Cypriani verba iuſteq; recidãt: *Nec hi eſſe* (inquit) *ſine pœna poſſunt, quamuis nondum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur, exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Pœna inde cœpit; vnde cœpit, & crimen*. Quo magis autem Apoſtolus, ad viuificum Chriſti corpus temerario auſu pręſumentes accepere perterrefaciat, quænam eoſdem conſequantur mala, funeſtaque, tum animi, tum corporis detrimenta lugubri rem ſtylo complexus: *Ideo* (inquit) *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Quibus ſanè verbis haud vnam ab indignè diuina altaris myſteria participantibus, ſed triplicem mortem incurri affirmat; temporalem videlicet, dum ait: *Dormiunt multi*: Spiritualem dum ſubinſert: *Reus erit Corporis, et ſanguinis Chriſti*: æternã denique cum ad malorum cumulũ, cuncta, quæ lugubri ſtylo præmiſerat breui ſermone perſtringẽs: *Iudicium* (inquit) *ſibi manducat, et bibit*. ac ſi homo indigne illuc accedens, nõ tam viuificetur ſacramentorum pabulo, quam diuinę vltionis perſtrictus cultro deperat. Et

Indigne ad ſacrum epulum accedentibus mentis incutitur.

1. Corinth. 11. n. 27

Cypr. lib. de Lapſ.

1. Cor. 11. n. 17 Ex altaris ſacroſancto pabulo vita & mors.

2. Et plures quidem, vt indignè ad diuinum epulum accedētiū ſcelus appareat, in Moſaici teſtamēti tabulis capitales olim pœnæ, ſancta temere pertrectantibus decernebantur, quæ occultiore iam tum Sacramēto, fideles indignè cōmunicantes, velut iacula impeteret, vt his aptè Baſilius verbis enunciat: *Si tales* (inquit) *minæ aduerſus eos poſitæ ſunt, qui temere ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſāctificantur: quid dicendum eſt de eo, qui in tantum, ac tale myſterium temerarius eſt? Quanto enim Deus maior eſt templo, tanto grauius, et terribilius eſt, corpus Chriſti temere contingere, quā ſit accedere ad arietes, ad tauros.* Hinc acerbioribus olim homines morbis ſub primæua Eccleſiæ tempora impetitos, immaturaſque ob diuinorum Sacramentorum contemptum clades incurriſſe, ex antiquis Patribus præcipui aſſerunt; At vnus præ cœteris Anſelmus, dū poſt Paſchaliū feſtorum ſolemnia humanis frequētiores corporibus ingruere debilitates, ac ægritudinum moleſtias, totque olim paſſim ob id vnum funera obtigiſſe affirmat: *Adhuc* (inquit) *multi homines poſt Paſcha varijs infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indignè ſuſceperunt.* Cui ſubindè Durandus egregiè in ſuo diuinorum officiorum rationali adſtipulatus, pernicioſam illam, quæ ſub Pelagij Papæ temporibus in Vrbe potiſſimum diu graſſata eſt, & vſque ad magni Gregorij Pōtificis dies inualuit, multaque hominum millia abſumpſit, luem non niſi in eorum pœnam, qui circulari peracto dierū quadrageſimalium ieiunio, poſt Sacramentorum Paſchalium participationem non abſque ingenti myſteriorum contumelia ad inolitas ſulparum fœces reuertebantur, diuinitus irrepſiſſe teſtatur.

Exod. 30. deu. 23. n. 3. n. 10.

Baſil. lib. de Bapt. c. 3

Chryſ. Theoph D Anſel. & alii.

Poſt paſcha morbos vigere Anſelmus p tat ob indignam Euch. ſumptionem

D. Anſel Ep. ad Corinth. 11.

Durand. in rat diu. off. lib 6. c. 10.

3. Haud perſunctoriè igitur, ſed ritè, ac ſanctè ad participanda diuina altaris myſteria accedendum fideles ipſius Sapientis ore monentur *Cū ſederis* (inquit) *ad menſam potentis, ſtatue cultrum in gutture tuo.* Ita planè diuinæ impendentis vltionis mucro in temere, indigneque accedentes vibrandus, debiti cultus, ac exhibendi diuinis ſacramentis obſequij ampliſſimum cunctis monimentum eſt: Qui enim indignè accedit (vt Apoſtol. ait) *iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Panis quippè Euchariſticus, niſi digne, & vt par eſt, à fidelibus ſuſcipiatur, haud cibus, ſed lapis, haud pabulum, ſed venenū fit, certiſſimāq; procul dubio necem ſumentibus affert. Quod, vt hiſtoriarum tabulis inſiſtamus, Lotharij potiſſimū Frācorum Regis exemplo euincitur; hic enim cum Teutpergam legitimā cōiugem exoſam haberet, eamdemque poſt domeſtica diſſidia, altercationeſque, domo abieciſſet, præter fas omne, ſacrorumque præſcripta canonum, Vvaldradam ſibi nuptiarū fœdere, inceſtuoſus, atque prophanus iunxit. Verum ab Arſenio Epiſcopo, Apoſtolicę ſedis legato ad primas redire nuptias compulſus eſt: qua in re nullatenus acquieſcens, Pōtificis imperio, morem neutiquam geſſit, vt inceſtuoſæ, quam cū Vvaldrada pridem habuerat conſuetudini fœminam à ſe abiiciendo, finem faceret; Quapropter Nicolaus Romanus Pontifex anathematis iaculo pertinacē in malo hominem percellendū eſſe ratus, acriter primū obiurgat, ſed ſceleſtus legitimam inique tractando vxorem, à ſe abire cogit,

Quomodo ad altaris menſam accedendum

1. Ad Corinth. 11

Baron. to. 10 an. 863. n. 50. Lotharij Frācorum Regis triſte exemplum,

Perculſus anathemate.

vt im-

vt impuram ſubindè ni eius locũ pellicem, quam deperibat, induceret, ſicque ad inceſtuoſum, vti concupierat, thalamum reuocauit. Romanus igitur Pontifex ſacra proculcari iura animaduertẽs, regem non ſecus, ac publicanum reputans, ad Apoſtolicæ ſedis communionem, non niſi certis quibuſdam præmiſſis conditionibus admiſit. Sacris itaq; adſtãs altaribus, & iam de Romani Pontificis manu ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpturus, ſe ad inceſtuoſum fœminę contubernium non rediturum promittens ſacris cõtinuo myſterijs ab eo impertitus eſt. At dum ſacrilegus reditum in patriã acceleraret, infauſto in periurij, violatorumque ſacramentorum pænam exitu è vita abſceſſit; quo tempore multi quoque è ſuis pari obuoluti infelicitate vna ſimul cum ipſo periere; vt Regno his verbis hiſtoriã narrat. *Lotharius* (inquit) *Romam profectus eſt, quo cum perueniſſet, ab Adriano Pontifice honorifice ſuſceptus eſt: qui ab eodem Pontifice ſciſcitatus, ſi monita pij patris Domini Nicolai cum omni vigilantia hactenus obſeruata haberet, & præſtitum iuramentum inuiolato fædere cuſtoditum? Qui ab illo deceptus, qui in veritate non ſtetit, qui non ſolũ mendax eſt, ſed etiam pater omnis mendacij, reſpondit ſe ita omnia obſeruaſſe, ac ſi diuinitus ſibi eſſent imperata. Cũque proceres, & optimates, qui cum eo venerant, eadem teſtiſicarentur, &c.*

Periurus violatæ religionis, ac diuinorum ſacramentorum reus.

Regino de reb. Franc.

4. *Finitis igitur miſſarum ſolemnibus, inuitat ſummus Pontifex eumdẽ Regem ad menſam Chriſti, acceptoque in manibus corpore, & ſanguine Domini ita eum alloquitur: ſi innoxium te recognoſcis à prohibito, atque interdicto tibi à Nicolao adulterij ſcelere, & hoc fixa mente ſtatutum habes, vt nunquam diebus vitæ tuæ Vualdradæ pellicis tuæ, dudum à te repudiatæ miſcearis neſario concubitu: fiducialiter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conſcientia te accuſat, teque lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mẽte diſponis in Mœchiæ volutabrũ, nequaquam ſumere præſumas, ne forte ad iudicium, & condemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia.* Sed maximè obcæcatam hominis mentem aduertere libet, qui dũ criminis reus, ac ſtimulis conſcientiæ exagitatus, ad participanda diuina altaris myſteria accedere non timet, diuinæ vltionis gladium ſuo gutturi intentauit: Sed quæ prophanum diuinorum ſacramentorum violatorem conſequuta ſunt, videamus.

Regino de reb. Franc. Præmonetur à pontifice ne indignè Euchariſtiã ſumat.

Tremenda verborum formula.

5. *Qui mente* (inquit) *captus, obduratus, & obcæcatus abſque retractatione communionem corporis, & ſanguinis Domini de manu Pontificis ſumpſit, non expaueſcens illam ſententiam quæ dicit: Horribile eſt incidere in manus* Dei *viuentis: Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Deinde conuerſus idem Præſul ad ſequaces, & fautores Regis, vnicuique communionẽ obtulit in hæc verba: Si Domino, & Regi tuo* Lothario *in obiecto adulterij crimine fauorem nõ præſtitiſti, neque conſenſum tribuiſti, & Vualdradæ, & alijs ab hac ſede Apoſtolica excõmunicatis, non communicaſti; Corpus, & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in vitã æternã. Igitur quiſquis ſe læſum ſciens, auſu temerario communionem ſub tali cõteſtatione porrectam ſumere præſumpſit, diuino iudicio ab hac luce ſubtractu eſt antequã ſubſequẽtis anni rediret principium: perpauci, qui ſe à communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum euaſe-*

Contempto diuino iudicio ſumit. Heb. c. 10. 1. Cor. 11.

Haud impune aulici eius exemplo indignè ſumũt.

eua ſerũt. Porro *Lotharius Roma egreſſus morbo corripitur, & Placentiam ciuitatem perueniens, diẽ clauſit extremum, ſexto* Idus *Auguſti. Tanta autem ſtrages in præfati Regis populo facta eſt, vt non peſte perijſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe virtus, & nobilitas totius regni videretur.* Hæc de Lothario ſocijs pari tum culpæ, tum ſupplicij conſortio abreptis; Rex namque, acſi lethali poſt ſacrilegij piaculũ vulnere perculſus, ac ſocij ipſius diris addicti fuiſſent, funeſta ſubinde ſinguli paucis exceptis clade abſumpti, haud Sacramenta Dominici corporis ad remedium, ſed potius ad vindictam ſumpſiſſe viſi ſunt.

Lotharis cum ſociis funeſta morte ſublatus.

6. Et Aimoinus quidem de portentoſo Lotharij Francorum Regis obitu, atque inglorio eiuſdem funere hæc habet: *Lotharius* (inquit) *Roma lætus promouens, vſque Lucam* Ciuitatem *venit, vbi febre corripitur, graſſante clade in ſuos, quos ſub oculis ſuis coaceruatim mori conſpiciebat, ſed iudicium* Dei *intelligere nolẽs, vſque Placentiam octauo idus* Auguſti *peruenit, ibiq; Dominica die ſuperdiurnãs, circa horã nonã inopinatò exanimis pene effectus eſt, & obmuteſcens, in craſtinũ hora diei ſecũda moritur, & à paucis ſuorũ, qui à clade remanſerant, in quodam monaſteriolo ſecus ipſam Ciuitatem mandatur.* Quibus ab Aimoino narratis ſepulchralis inſtar tituli, has haud obſcuras diuinæ in ſacrilegum principem animaduerſionis notas, Baronij ſtylo exaratas ſubtexere voluimus. *En finis* (inquit) *Deum mendacijs eludentium, ſedemque* Apo*ſtolicam fraudibus traducentium* Prin*cipum, vt illis plane acciderit iuxta illud: Vidi eos, qui operantur iniquitatẽ, et ſeminãt dolos, et metũt eos, flante Deo perijſſe, & ſpiritu iræ eius cõſũptos eſſe.* Id ſane Regi, ac Principibus ſibi adblandientibus, atque in malo conniuentibus iuſtiſſimè accidit, qui impuro Regi vna cum Epiſcopis morẽ gerendo, eius ceruicicibus gladium intentaſſe viſi ſunt; ſed Baronius hic in eos, qui in vnum coacti pro eo ſententiam tulere, audiendus eſt: *Quid actum?* (inquit) *ex regis arbitrio, conſilio vero ſuorũ* Epi*ſcoporũ Aquiſgrani indicitur ſynodus, fingitur caſus, componitur ſtropha, concilium cogitur* Epi*ſcoporum, quot Præſules, tot* Philip*po* De*moſthenes: nullus tamen (quod lugendum eſt ob temporis huius boni penuriam)* Io*annes inuentus, qui Regem errantem corripiat, & alios in errorem trahentem arguat: Canes muti effecti ſunt omnes non valentes latrare, imo conſpirantes cum lupo, eiuſque voracitati fauentes, facti ſunt & ipſi ſimul lupi rapaces. De quibus appoſite apud* Ie*remiam: Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt dominus, & tenentes legem neſcierunt me, & Prophetæ præuaricati ſunt in me, & prophetauerunt in Baal, & idola ſecuti ſunt.* Hæc Baronius de Epiſcopis Regẽ in ipſiuſmet turpi ſceleris obſcænitate palpantibus.

Aimon. lib. 5. c. 21.

Caternatim peſte abſumptus perit.

Lothari infelix exitus.

Baron. loc. cit. n. 51

Iob c. 4.

Baroni. ubi ſup.

Præſules illi obſiſtere non auſi.

Ierem. c. 2.

7. Verum Princeps ſubinde Apoſtolico ad S. Petrum iudicio expoſtulatus, Romã venire compulſus eſt; qui ob contẽptã põtificię ſedis auctoritatem, ſacraque connubij iura proculcata, adeoque Petrum obiectorũ criminum ſeueriſſimum vindicem nactus, tremendo Dominici corporis ſacramento ad iudicium miſer præuentus eſt: & non ſecus ac olim Ananias, qui ablatæ pecuniæ fraudem per calumniã, & dolos celauerat; Sic pariter iſte diuinis ad iudicium impertitus ſacramẽtis, & propriæ in cõſcientiæ calculo reus, Deiq; proſcriptus calculo, funeſtam, quã ſuis mentiẽdo ceruicibus intentarat, in ipſo reditu cladem accepit, ipſiſmet Petri verbis

Act. c. 5. n. 3

bis

bis,tanquam validiſſimis iaculis cum Anania pariter Pontificis ore percul-

Act.5.3.v.3.

ſus: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te ſpiritui ſancto, &c. Quare poſuiſti in corde tuo hāc rem? non es mētitus* Deo *ſed hominibus*. Enim verò infelix ſi non à Petro, pari tamen à legitimo ipſius Petri ſucceſſore, ob ſua ſcelera præuentus iudicio. Petrū inſuper Apoſtolici cōtēptor Imperij, ſacramentorúq; Chriſti violator vindicem ſeuerißimū, necnō connubialiū iuriū propugnatorē expertus eſt.

Diuinæ vltionis exemplum in eum qui non rite Euchariſtiā umpſerat.

8. Atqui vt Sacramentorum contemptus, quas nā contēptoribus afferat clades, altero cōprobetur exēplo: Vir religioſi inſtituti, ſed haud religioſis moribus, dum ſacrilegus, ſub extremam vitæ periodum non rite ſacramentali confeſſione expiatus, Dominici corporis viaticum accipere præſumpſit, viuendi protinus finē fecit ipſe vitæ pabulo enectus, & non ſecus ac fulmine deſuper, aut gladio perculſus, vt in Ciſterciēſiū annalibus ſuo loco ex Bellouacēſi traditur, ad quem lectorem remittimus. Quid pariter portentoſū in accedentē indignè ad Euchariſtiā diuinitus preſtitū à F. Luca Vvadingo in ſuis Minoritanæ familiæ annalibus traditur, quē qui vult conſulat. Nūc vero vt ad noſtra redeamus; profecto Diuinæ gladium vltionis ſuo mortaliū hic infeliciſſimus gutturi, ad Chriſti menſam inexpiatus accedendo, & ſacroſanctum Dominici corporis viaticum ſub vitæ finem de ſacerdotis manu temere, indigneque, vt vidimus, accipiendo, ad certum animæ interitum applicuiſſe viſus eſt. Et vt ad contumelioſos in ſacratiſſimam hoſtiam ſtylum cōuertamus.

F. Lucas Vuadingus in chronic. minorum.

3.Reg.c.4.

Certè quidem olim Prophetam, qui panem in Samaria præter iniunctum ſibi imperium comederat, Leo in via aggreſſus occidit: homo verò ſacrilegè ad ſacroſanctum altaris pabulum accedens, in ſacroſanctam hoſtiam contumelioſus, dignus iure merito pronunciandus erit, vt à gehenna, ne dum à Leonibus abſorbeatur; quinimo ab ipſiſmet canibus ſupernarum iniuriarum vltoribus in fruſta conciſus pereat: Quo planè animaduerſionis genere, hæreticorū nonnulli mulctati leguntur, qui ſacroſāct canino pluſquam dēte Euchariſtiam lacerantes, eam canibus, quoque deuorandam proiecerāt, pro iectamque canes deuote venerati, ipſos actutum contemptores ferinū in morem diſcerpſere, vt Optatus Mileuitanus Donatiſtas his acriter verbis perſtringendo demonſtrat: Et *quod vobis* (inquit) *leue videtur, facinus immane commiſſum eſt, vt omnia ſacroſancta ſupramemorati veſtri Epiſcopi violarent, iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi non ſine ſigno diuini iudicij; nam ijdem canes accenſi rabie in dominos ſuos, quaſi latrones ſancti Corporis reos, dente vindice tanquā ignotos, & inimicos laniauerunt.* Sic canes profecto perditos homines, ac ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento inſultantes, iniuriam vlti, ad carnificinam expetiere.

Optatus Mileuit. lib. 2.
Donatiſtarū facinus execrandum.

Baron. tom. 3 an. 362. nu. 367.
Deuorati vt latrones a canibus qui Euchariſtiā iis porrexerant.

Sed hic vbi de cōdigno erga diuiniſſimū altaris Sacramentū honoris cultu ſermo eſt. Quid nebuloni blaſſphemas in diuiniſſimū corporis Dominici ſacramentum voces eiaculanti, Thoma Vvaldenſi in ſuis paginis teſte contigerit, audiamus: *Venerādus* (inquit) *Cantuarienſis Antiſtes felicis recordationis Thomas Arundelius filius, & frater Comitum, pro loco iudicij (aſſiſtentibus ſibi Noruicenſis Eccleſiæ tunc Præſule Alexādro, & alijs) reſidens Epiſcopali, verba quedam, & interrogationes ad quemdam ſartorem*

Tho. Vuald. cont. Ioan. Vuiclef. in ſuo lib. an. 1384.
Vuiclephiſta blaſphemus in Euchariſtiam

de partibus Vicigorinæ deprehenſum in hæreſi, cumque flecti omnino non poſſet, nec aliud, quam benedictum panẽ, ſacratiſſimam hoſtiam volebat appellare, vel credere, tamen iuſſus facere reuerentiam hoſtiæ, reſpondit blaſphemus: Vere (inquit) dignior eſt aranea reuerentia. At illico de alto culmine tecti deſcendens ingens, & horrida viſu aranea, ad os blaſphemi directo filo peruenit: Et dum ſartor loqueretur, vt intraret per polluta labia aranea, ſollicite laborabat; aſtitit illuſtris Princeps Thomas Oxonienſis Dux, tunc regni Cancellarius, & vidit prodigium, & prædictus Archiepiſcopus ſtatim ſurgens cum alijs, exponit omni populo quid vltrix manus Domini fecerat in blaſphemum. Nec mora, qui pretioſiſſimæ carni Agni prælegit araneam, peccatricem carnem ſuam flammis deuorãdam amiſit, vt eſſet fauilla peior aranea: Ecce doctrinam fœdam, & amaram errãtium, qui ſacramentum optimum ſic in figuram attenuant, vt Idolum faciant. Et merito ab aranea, ne blaſphemas ex impijs faucibus voces emitteret, iacularetque, præfocatus eſt.

Ab aranea diuinitus necatur.

9. Atqui funeſtam ſuis diuiniſſima hoſtia contemptoribus, velut Azotijs olim Moſaycę Arcæ cõtemptus, vaſtitatem intulit, vt hæretica labe vitiatus expertus eſt. De quo in hiſtoriarum monumentis hæc habentur: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1561. *Nouiomagi ad Vvahalim fluuium, quæ Ciuitas in Ducatu Geldriæ, et antiquitate, et populi frequentia, et mercimonijs, priuilegijſque celeberrima eſt. Accidit ibi feria ſecunda Paſchæ, quæ tum incidit in ſeptimum diem Aprilis, circiter horam diei nonam, vt ſermone in Eccleſia Parochiali ſimul, et Collegiata, quæ Prothomartyri Stephano ſacra eſt, abſoluto, alter Parochorum nomine* Antonius *Vorſtius, vna cum æditui, ſeu Cuſtode templi Ioanne Kaeps accerſeretur ad ægrotantem mulierculam, quæ in ſolemni die* Dominicæ *reſurrectionis ob corporis imbecillitatem in templo non communicarat. Decumbebat autem mulier in platea regularium, ſic dicta quod via illa per ſundum Canicorum regularium in ea vrbe commorantium iam olim ſit munita. Porro in altiore vici parte, prope vallum oppidi taberna erat meritoria, in qua parũ honeſte tunc temporis diuerſabãtur viri duo iuuenes; vni Nouiomagum patria erat, alteri Traiectum ſuperius ad* Moſam*; vtroque ibidem tum ouum Paſchale quod vocant, ſolito more elixum manibus tenente, periculo hauriẽdi poculi cereuiſarij, vter ſuum prius ouum glutire queat.* Interim *aduentat* Paſtor *prædictus cum venerabili* Sacramento *ouiculam ſuam infirmam in vicinia commorantem refecturus. Audita per plateam nolat, quæ præferebatur Euchariſtiæ, alter ille qui Traiectenſis erat, in contemptum tremendi myſterij audacter dixit ad ſodalem ſuum. Ego ouum iſtud quod manu teneo, citius diglutiuero, quam ægrotans muliercula Deaſtrum illũ (Teutonice das Goedzẽ) dixit, & protinus hians ouum in os immiſit, volens, traijcere illud per gulam &c.*

Exemplum aliud diuinæ vltionis

Circumſtantiæ loci & temporis

Impius in ſacra Euchariſtiam contumelioſus pœnas dat.

10. *Sed ecce præſentiſſimam Dei vindictam, qua præpeditus nullo modo ouum tranſmittere potuit: Hærente autem illo in faucibus, cum miſer homo ſe ſtatim ſuffocatum iri, nec ſpem vitæ reliquam videret, oculis horribiliter cõtortis conſpicit candelam ſebaceam ex clauo pendentẽ.* Arripuit *celerrime ſebaceum, & abſque mora inijcit ori, cupiens, conãſque candela tali protrudere ouum, ſed fruſtra; Nihil enim aliud efficit, quam quod ſebo candelæ in gutture diuina vltione apud ouum, relicto, ellychnium, ſeu fila nuda retraxe-*

Ex *theatro vitæ humanæ ubi ſup.*

Horrendo lethi genere præfocatur.

xerit. Hic ſpe fruſtratus humi procũbit inſtar bouis mactati, memoria, loquẽdique facultate omnino priuatus, & ſupinus iacẽs fuliginoſũ, & velut Aethiopicum induit vultum, & gutture diuina vltione confracto triſtiſſimam efflat animam, Parocho memorato cum ſacroſancto illo pane cœli adſtante. Sic itaque vir Sacrilegus ſub Euchariſtici panis, cui debitum honorem non adhibuerat, ſed inſultarat, præſentia, perditã in orcum animam euomuit.

Os, quod blaſphemias loquebatur, obſtruitur.

Et ſiquidem Iudas proditor, vt ex Euangelicis tabulis compertum eſt, poſt indignè acceptam è Chriſti manibus Euchariſtici panis bucellã, ex cõuiuio protinus ad laqueum cõuolauit; *Introiuit quippe in eum Satanas*, ac præcipitem agens ſacrilegum hominem, iuſtus id promerentem patibulo vindex deſtinauit. Quod ſanè funeſta alterius proditoris clade, quam ex diuinæ vltionis theatro excerptã ſibi cõtemplãdã proponimus, in præſens comprobandum occurrit: In Polonia (inquit) *Samoſſæ in Ciuitate magni Cancellarij regni, volebat Choralis quidam ſacram hoſtiam* Iudæo *prodere, qui eum in finem feria ſecunda Paſchæ cum reliquis communicarat, exemptaque ex ore hoſtia illam panno inuolutam in ſaccum recondiderat, conductoque curru ad* Iud*æum pergebat; cũ iam ex oppoſito ſacræ ædiculæ in biuio eſſet, ſubſtitere et equi, neque vlla vi humana loco moueri potuerunt. Choralis viſo miraculo in fugam ſe conijcit, ſuperueniunt nobiles aliquot equites, qui cognita re ſubito inſecuti ſũt ſacrilegũ, eumque comprehendentes, magiſtratui ſtitere, à quo deinde morti adiudicatus, candentibus forcipibus cum quinque Iudæis eſt diſcerptus. Epiſcopus vero loci monitus cum vniuerſo Clero hoſtiam ſacram honorificè retulit, curatq; modo magnis impenſis in eodem loco excitare inſigne templum.* Sic diuinam proditor impius vltionem ſenſit, qui panem ſanctum, Deumque pariter ſuis prodere hoſtibus, ac porcis margharitam tradere ſtatuerat: neq; infelix, quam incurrerat, numinis indignationem, & ſi maximè vellet, ſubſiſtentibus in via equis effugere valuit.

Iudas ſumpta indignè Euchariſtia properat ad proditionẽ & laqueum.

Tympius in theat. diuinæ vind. pag. 116

Proditoris Iudæo Euchariſtiam tradituri ſcelus.

23. Verum enimuero ſi quis Cyprianum, hac ſuper re conſulat; is quidem multiplices, triſteſque hominibus ſacra indignè obeuntibus myſteria, intentatas neces deſcribit. Hæc enim habet poſtquam contumelioſos in Euchariſtiam recenſuit. *Quam multi quotidie* (inquit) *pœnitentiam nõ agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus implentur. quam multi vſque ad inſaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur. Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quam ſit delinquentium multitudo numeroſa.* hæc Cyprianus. Et hæc interim dixiſſe ſufficiat.

Cyprianus lib. de lapſ.

Plures ſumpta indignè Euchar. correpti à dæmonibus

CAP. IX.
Excommunicationis cenſuram contemnentes.

1 ACerbiſſimum apud Chriſti fideles ſub ipſa Chriſtianæ fidei, ac religionis primordia, animaduerſionis, atque pœnarum genus cẽſebatur, ſi quis ob immane perpetratum facinus, à fidelium cœtu & conſortio præciſus, putridum veluti membrũ è Chriſti corpore exteriores in tenebras proiectum, totius Eccleſiæ calculo, ad iuſtas ex eo repo-

Excommunicationis cenſura maximè timenda.

ſcendas pœnas, Satanę in carnis interitũ traderetur. Quapropter Paulus inceſtuoſum inter Chorinthios nõ alia, quã eiuſcemodi pœna mulctauit: *Ego quidẽ* (inquit) *abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui, vt præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine* Domini *Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmodi Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri*. Et apte quidem Apoſtolus ſeuerum adeo in animaduertendo ſe præſtitit, dum nouum, portentoſumque, quod Diabolo inſtigante in orbem irrepſerat, ſcelus auditu horrendum, non vulgaribus ad cunctos abſterrendos pœnis, Apoſtolica, qua præcellebat, auctoritate plecti, ac vindicari præcepit. At ſi pœna, quæ in inceſtuoſum hominem ex ipſius Apoſtoli præſcripto inflicta eſt, ſpectetur, vt impuræ videlicet mancipium libidinis, ad carnificinam ex eo exercendam, nõ alij, quã Sathanę traderetur, ex hoc quidẽ datur intelligi, quod non modo vir iſte nequã de more obſeſſus, miſerabiliter viuens diſcruciaretur; *Verũ etiam*, (vt optime Baronius docet) *ſic Satanæ addictus, à fidelium communicatione alienus omnino haberetur, et quod (communi vſu vocabuli fertur) excommunicatus, Patres omnes vno ore affirmant*. Nam tollendum etiam de medio hominem edixerat, quod à reliquorum conſortio ſeparationem importat, vt antiquus inter ſcriptores manifeſtis olim verbis Tertullianus aſſeruit: *Illis* (inquit) *traditis Sathanæ id eſt, extra Eccleſiam proiectis*. Quod item alibi meritò paribus verbis inculcat: *Abijcitur* (inquit) *extra Ciuitatem, in locum immundum, deditus ſcilicet Satanæ in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Eccleſia poſt ruinam*. Hæc Tertullianus: Ex quibus ſatis, ſuperque ex Apoſtolica loquẽdi formula cõſtat: *De medio aliquẽ auferre* (vt Baronius adnotat) *nihil aliud fuiſſe, quam tradere Sathanæ, & tradere Sathanæ, iſtud ipſum, quod de Eccleſia eijcere*.

1. ad Chor. c. 4.
Eccleſiaſticæ pœnæ ſanci. tæ ab Apoſtolis.

Baron. tom. 1 an. 57. n. 11
Quid ſit hominem tradi Sathanæ plectendum

Tertull. de pudic. lib. 13 c. 20.
Tertulliani ſententia de eccleſiaſtica excommunicatione

2. Porro quod qui acerba eiuſcemodi cenſura percellitur, foras olim ab Eccleſia, putridi inſtar membri abijceretur, atq; à maioribus excõmunicatus dici conſueuerit, haud mos quidẽ iſte ab Apoſtolo in Eccleſiã inductus, & retinẽdus ſubinde à fidelibus initiũ accepit; apud Iudeos quippe ſolemne illud fuit, vt cum quis immane aliquod crimẽ admiſiſſet, nõ à templo duntaxat, ſed à Synagogis etiam veluti cunctorum indignus cõſortio ablegaretur; Quapropter Iudæi, vt Ioannes teſtatur ijs, qui Chriſtum Deum eſſe, ac Dominum cõfiterentur, hanc potiſſimum pœnam commi nati ſunt; *Magnum quippe*, vt Cyrillus ait, *re vera apud Iudæos opprobrium ducebatur, ſi quem de ſynagoga eieciſſent. Sicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel cæteris capitalibus criminibus rei ab Eccleſia pelluntur, ita tunc confeſſores Chriſti à ſynagoga eliminabantur*. Idem quoq; animaduertendi, atque impios plectendi modus, ſi ad ſuperiora ſæcula reſpiciamus, apud Eſſenos vſurpatus fuiſſe noſcitur, cui & illud in miſeros hoſce homines haud dubiũ diuinæ argumentum indignationis acceſſit, vt perditi mortalium ſic diuinitus proſcripti, & à communicando cũ reliquis penitus amoti, dum ſoli inter homines, hominumque habiti, ſocietate indigni agerent, funeſto tandem ad infelicitatis cumulum fato, abſumerentur. *Deprehenſos vero in peccatis* (inquit Ioſephus) *à ſua congregatione depellunt, & qui taliter fuerit*

Anathematũ vſus olim apud iudęos viguit.

Cyrill. in Ioã. lib. 6. c. 20.
Et apud Eſſenos.

Ioſeph. de bel. iud. lib. 2. c. 7.

rit condemnatus, miſerabili plerumque morte conſumitur. Hęc Ioſephus.

Maximum itaque, vt hæc obiter adijciamus, ſupplicij genus olim apud Iudæos diris eiuſcemodi cenſuris, ob admiſſum piaculũ innecti ſano hominum conſilio, ac diuino etiã calculo cenſebatur. Sed ne gentilitię ſuperſtitionis tempora ſilẽtio pręteremus. Idẽ planè mos apud æthnicos, ac in primis, Baronio in ſuis annalibus teſte, apud Romanos vſu venit, à quibus ob enorme, nefandumque, quod quiſque perpetraſſet ſcelus, *Diti, ſeu diris deuouebatur*; *Dictæ enim, diræ erant* (vt Baronius ait) *furiæ infernales*; talis vero vt Dionyſius Halicarnaſſeus tradit, *impune à quolibet occidi poterat*; Si quis vero plura in rem præſentem noſſe cupit, Eccleſiaſticos annales conſulat.

Barōn. vbi ſup. n. 13

Dyon. lib. 2.

Atqui apud orthodoxam Eccleſiã, acceptus ab Apoſtolis, totque per ſæcula retentus, ſeruatuſq; excõmunicandi mos, ſuo in robore cõſtanter adhuc viget, vt qui grauioribus culpis obnoxij ſunt, *ſicut olim de Paradiſo Adam, ſic iſti* (inquit Hieron.) *ab Eccleſia eijciãtur*. Quod & apertis Tertullianus verbis inculcans: *Summum* (inquit) *futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur*. Id autem, quod hic diuinam antiquiſſimus inter ſcriptores cenſuram, alibi anathematis vocabulo, nuncupat: Quod & illis Cyprianus verbis expreſſit: *Spirituali* (inquit) *gladio ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia eijciuntur*.

Hieron. c. 6. in Oſea.
Futuri iudicii præludium eſt ſacrorũ commercio mulctari.
Tertull. in Apolog. c. 39.

Cypr. ep. 62

3. Triſtis itaque finis eos plerumque expetit, qui tali ab Eccleſia ad capitalia vlciſcenda delicta gladio percelluntur, adeo vt tam olim apud Iudæos, quam nunc apud Chriſtianos infeliciſſimi proculdubio renunciandi ſint, quos Dei orbatos patrocinio, aliorumque conſortio abdicatos, cunctæ, (vt ait Hieronymus) calamitates turmatim proſequuntur: *In veteri* (inquit) *lege quicunque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta contemptum expiabat cruore: nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Eccleſia rabido Dæmonũ ore diſcerpitur*. Is plane hominum nequam, ac petulantium, vt cœteri contremiſcant, finis, ac vitæ clauſula extitiſſe deprehenditur.

Hier. ep. 1.

Eccleſiaſticarum vero cẽſurarum contemptus certam contemptoribus cladem inferre conſueuit, eoſque infelici poſt hęc tãdem exitio deuouere. Quod cum pluribus, manifeſtiſque exemplis, Sigeberti tamen orientaliũ Saxonum Regis miſerãdo exitu palã innoteſcit; hic enim cũ quemdã Eccleſiaſticę cenſuræ vinculo irretitum adire, & cum eo conuiuari non deſtitiſſet, quamuis optimis eſſet præditus moribus, Chriſtianaque inprimis pietate fulgeret, iuſto tamen Dei iudicio, alijs documẽto futurus, miſere propinquorum ſuorum manu iugulatus eſt. Sed ipſius hic Bedæ iſthæc narrantis verba excipiamus.

Baron. ann. 655. n. 6.

Sigeberti Regis infelix exitus ob contemptas cenſuras.

Habuerat (inquit) *vnus ex his, qui eum occiderant Comitibus illicitum cõiugium, quod cũ Epiſcopus probiberet, & corrigere non poſſet, excommunicauit eum, atque omnibus, qui ſe audire vellent, præcepit, ne domum eius intraret, neque de cibis illius acciperent. Contẽpſit hoc Rex præceptum: & rogatus à Comite intrauit epulaturus domũ eius, qui cum abijſſet, obuiauit ei Antiſtes. At rex intuens eum mox terrefactus deſiluit ex equo, ceciditq; ante pedes eius veniam reatus ſui poſtulans. Nam, &* Epi-

Beda in hiſt. Anglic. lib. 3. c. 22.

Digitized by Google

Epiſcopus pariter deſiluit, ſederat enim & ipſe in equo. Iratus autem tetigit *Regem iacentem virga, quam tenebat manu, et põtificali auctoritate proteſtãs:* Dico tibi (inquit) *quia noluiſti te continere à domo perditi, & damnati illius, tu in ipſa domo mori habes. Sed credẽdũ eſt, quia talis mors viri Religioſi nõ ſolum talem culpam diluerit, ſed etiam metum eius auxerit: quia nimirum ob cauſam pietatis propter obſeruantiam mandatorum Chriſti contigit.* Hæc Beda, dum triſtẽ, funeſtumque probi Regis interitum patentibus notis deſcribit, ſuiſque paginis monimenta relinquit.

Moritur vt prædixerat.

Baron. vbi ſup.

4. *Quibus intelligas* (inquit Baronius) *quanto ſuo damno non pareant Principes ſacerdotibus, quãtaque iactura quis excommunicato communicet, & quomodo inſuper præſules iuſte cenſurã Eccleſiaſticam exercẽtes exaudiat Deus, contumaces aduerſarios puniens.* Adeo quippe Sacerdotalis auctoritas diuino calculo comprobari meruit, vt Pontificis verbis, non ſecus ac gladio Rex cõtemptor perculſus, Chriſtum haud impune in ſuis ſacerdotibus cõtemni, ac ſacra proculcari iura ſuo ille principes exemplo docuerit.

Quanti igitur faciendũ per ſe ſit ſeueræ huius animaduerſionis iudiciũ, quod diuino Præſulum, ac ſacerdotum Chriſti ore iuſtiſſime in improbos intorquetur, ac his præſertim iure merito infligitur, & quã timẽdũ inflictæ contumaciũ hominum capiti diuinitus pœnæ Chriſtiano palàm orbi teſtantur, vt rerum Eccleſiaſticarum monumenta docent, & præ cęteris Vuillelmi Traiectenſis Epiſcopi, aliorumque Schiſmaticorũ exẽpla legenti compertum ſit; hi quippe cum Henrico Regi mordicus inhærentes, Apoſtolicã ſedem iniurijs inuaſiſsẽt, ab eodem Chriſti Vicario anathemate perculſi, funeſto vitam exitu clauſere; ſed rem geſtam à Lãberto Germano his fideliter verbis deſcriptam excipiamus:

Exemplum lugubre in Vuillelmo Traiectenſi Epiſc. Baron. to. 11. an. 706. n. 35. 36. 37.

5. *Vvillelmus* (inquit) *Traiectenſis Epiſcopus cauſam Regis (vt ſupra dictũ eſt) contra bonum, & æquum obſtinate tuebatur, & ſtudio partium Regis, multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus ſolemnibus inter miſſarum ſolemnia, rabido ore declamabat: periurum eum, adulterum, & pſeudoapoſtolum appellans & tam à ſe, quam à cæteris Epiſcopis ſæpenumero excommunicatum pronuncians.* Is *breui, poſteaquam Rex exactis Paſchalibus ferijs, Traiecto diſceſſerat, repẽte grauiſſima ægritudine correptus eſt. Cumque per acerrimos cruciatus animæ ac corporis vrgeretur, miſerabili eiulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur:* Iuſto Dei *iudicio, ſe & præſentem vitam amiſiſſe, & æternam, quod Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anni ſu tribuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius, Romano* Pontifici *Sanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum viro graues contumelias ſciens, & prudens innocenti irrogaſſet. In hanc vocem* (vt *aſſerunt*) *ſine communione, ſine vlla ſatisfactione expirauit:* Hæc profecto in ſceleris anteſignanum, qui Chriſti Vicario petulantius inſultabat, vltio diuinitus affulſit. At quid idem ſcriptor ſubtexit, videamus. *Hic* (inquit) *cum præfatus Rex eſſet Traiecti, & excommunicatio Regis à Romano Pontifice facta, præſentata fuiſſet, Rex ipſe excommunicationem Papæ, conſilio Epiſcopi vilipendebat. Epiſcopus, quoque idem præfatus timens, ne ſi populus hoc audiſſet, à Rege, ſicut ab excommunicato diſcederet, inter miſſas ſermonẽ faciens ad populum deriſorie, quod Rex excommunicatus eſſet, indicauit. Sed hanc*

Lambertus apud Baroniũ vbi ſup.

Factiones Cæſareę ſtudio, anathematis ignominia ferit Pontificem.

Addictum ſe æternis pœnis conteſtatus exhalat animam.

Digitized by Google

hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat verbis, vtpote facundus homo confirmabat. Sed quantum valeret, in ſemetipſo coactus eſt cognoſcere, ſi liceret ei pœnitendo à ſuperbia reſilire. Nam in ipſo loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ipſe mala valetudine corripitur, in qua vſq; ad miſerandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis, ac magis ingraueſcente, dum quidam homo Regis eum rogaret: vt ſe cum ſuo mandato remitteret ad regem. Hoc (inquit) mitto ei mandatum. Quod ipſe, & ego, & omnes iniquitati eius fauentes ſumus damnati in perpetuum. *Cumque à ſuis, qui aderant Clericis, ne talia loqueretur, eſſet admonitus: Quid aliud (inquit) loquor, niſi quod verum eſſe viſibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumſtant, quatenus me mox, vt expirauero, rapiant. Itaque cum fuero è corpore eductus, rogo vos, & omnes fideles, ne ſe fatigẽt pro me faciendo ſupplicationes. Hic igitur in deſperatione defunctus diu iacebat inſepultus, donec Romam mittitur, & inde quæſito conſilio, ne populus fætore corrumperetur, Apoſtolico iuſſu ſine cõmendationibus ſepelitur.* Hæc ille. Quid vero de alijs, qui eidem in crimine adhæſerant, pari ſimul anathemate innodatis, ac diuina pariter vltione percuſſis, idẽ ſcriptor his verbis exequitur, videamus:

Denunciauit Regem, & ſequaces nũquam interituris ignibus addictum iri.

Cadauer diu inſepultum iacuit.

6. *Et ita alij complures* (inquit) *Henrici fautores male interiere. Vdo Treuirenſis Archipræſul repentina morte obijt. Burcardus Miſnenſis Præfectus, ex equo cadens expirauit. Sic, & Godefredus Dux, hoſtis Saxoniæ percuſſus, ſine confeſſione perijt. Ita, &* Eppo *Epiſcopus noſter magnus Henrici fautor, & affectator mala morte diẽ cõcluſit, de quo in prædictis Chronicis Magdeburgenſibus ita ad verbum ſcribitur:* Eppo *Citzenſis Epiſcopus, dum in Epiſcopatu S. Chiliani quemdam riuum fortè ſedens in equo tranſiret, quẽ quilibet pedes, ſine periculo tranſire poſſet, vbi nec timor vllus, equo cadente moriens interijt, Sãcto Chiliano ſic diſponente, vt qui eius rebus violentus incubuerat, vinumque illius ſæpè iniuſte biberat, aquam quoque ſuam iuſte bibendo, dum ſuffocatus ſcilicet obijt, vltra merum non quærat.* Et quia *nobis irreconciliabilis remanſit, Deo irreconciliatus ab hac vita migrauit.* Hæc in præmemoratis Magdeburgenſis Eccleſiæ annalibus habentur, ex quibus palam videre eſt, quid rerum geſtarum eius temporis compilator excripſit. Porro Moguntinus, & alij, qui Hẽrico fauerãt, ad meliorẽ frugẽ traducti, ab eoq; reſiliẽtes, aliorũ exẽplo edocti, diuinę vltionis iudiciũ euaſere.

Lamb. apud Baro. vbi ſup. Alii epiſcopi & principes miſero letho confecti.

Citzenſis epiſcopus miſere ſubmerſus.

7. Verum enim vero Eccleſiaſtico poſtmodum anathemate tam Hẽricus Rex, quam cœteri, qui eidem criminis conſortio iungebantur, à Gregorio Romano Pontifice iure merito exagitati ſunt, & Schiſmatici quidem, dum ſceleri ſcelus addunt, ab Apoſtolicæ ſedis obſequio reſilire auſi, coacto Vormatienſi impiorum conciliabulo, de abdicando à Pontificio munere Gregorio, palã agere nõ dubitarũt, adeo vt ſatis aſperam, arrogantemque epiſtolam, Traiectenſi Epiſcopo in primis adnitente, à pſeudoſynodo ad Romanũ Pontificem probris, contumelijſque refertam, mitti contigerit; At quæ Lambertus referat, audiamus. Sed *Vvillelmus* (inquit) *Traiectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinacius tuebatur, vehementer inſiſtebat, vt aut cum cæteris in damnationem Papæ ſubſcriberent, aut Regi, cui ſub iure iuran-*

Pſeudoſynodus arroganter nimis Romano põtifici ſcribit.

Lamb. apud Bar. vbi ſup.

iurando fidem ſpopondiſſent, protinus renunciarent &c. Igitur ex nomine omnium, qui conuenerant Epiſcoporum, & Abbatũ, plenæ contumeliarum literæ Romã deſtinãtur, quibus denũcietur Romano Pontifici, vt Põtificatu, quẽ cõtra Eccleſiaſticas leges vſurpaſſet, ſe abdicet, ſciatque poſt eam diem, quidquid agat, iubeat, decernat, irritum habendum. Hęc quidem in Vvormatienſi conciliabulo acta Lambertus tradit, quibus egregie conſonant, quæ Dõnizo presbyter, eorumdemque temporum ſcriptor narrat. Sed quid de immani iſtius, qui anathemate ipſũmet Romanũ Pontificem percellere non timuit, haud ferendæ arrogantiæ faſtu, idẽ verſibus hiſce decãtet, qui & ſi pedibus claudicent, haud tamen apud nos rei fidem claudicare patiũtur, audiamus.

Auſus erat memoratus Vuillelmus indicere Põtifici, vt ſe abdicaret pontificatu.

Audax Antiſtes Moguntinus nimis ille,
Non Chriſtum timuit, Papam quãdo maledixit,
Cuncti ſubſcribunt; magis ipſi ſe maledicunt;
O blaſphemia non vnquam hic, neq; poſt abolenda &c.

Baron. ann. 1076. n. 15 Domnizo vbi ſup. Nefanda eius acta.

Hæc quidem pręmemoratus auctor, etſi non ſatis eleganter, ſincere tamen cecinit. At vero, quę Patres in Romana ſynodo, ad quam fuerant ab eodem Gregorio euocati, quæ inquam aduerſus Henricum Regem ſtabilienda voluerint, in ſuis idem Domnizo carminibus expreſſit

Non nos à Chriſto tribulatio ſeparet iſto
Tempore, ſed colla ſubdamus, membraque noſtra
Martyrio, verbo fidei feriatur hic ergo
Oſtenſus ſerpens, qui ſcutum geſtat, & enſem.
Aduerſus matrem Romanam, Catholicamque
Eccleſiam Chriſti de ſãguine rubra benigni.
Plura loquens Papæ dixit ſynodus ſibi ſancta. Et hæc infra.
Iudicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelſo dignum clamantibus eſſe,
Priuari Regno Regem, maledicere nec non;
Papa dolens vinclis anathematis illico ſtrinxit &c.

Domnizo in vit. Matild. Reginæ. Baron. vbi ſup. Synodus habita Romæ à Pontifice.

In ea Henricus anathemate perculſus.

8. Hæc prælaudatus, probæq; fidei ſcriptor. At Deus præſtitis aperte è cœlo ſignis ſupremam Apoſtolicæ ſedis, ac Romani Pontificis, qui tunc præerat, auctoritatem propugnando, deſignaſſe viſus eſt, dum Traiectenſem, alioſque pſeudoepiſcopos, qui Petri Apoſtolorum Principis, eidemque in Cathedra ſuccedentium poteſtatem, vt morẽ Henrico gererent, proculcare non dubitauerant, infelici exitu e medio abſtulit; quæ qui noſſe cupit, Baronium in ſuis annalibus conſulat.

Sed vt alterum regijs conſpicuũ inſulis, qui poſtquam Eccleſiaſtico anathemate innodatus eſt, in varias, acerbaſque calamitates incidit, funeſto tandem fine abſumptum hic tibi contemplandum proponamus: Boleslaus ille ſacrilegus Poloniæ Rex, cum à Beato Staniſlao Cracouienſi Epiſcopo, in ſpiritu, & virtute Eliæ, qui impium regem Acab iuſtiſſimè increpabat, & Ioannis Baptiſtę Herodem itidẽ obiurgantis exẽplo ſuffultus, ob enormia, quæ is in dies patrabat ſcelera, paterne ab eo ſubmoneretur, nec monentem audiret, quin potius petulantior euadens, correptus inſuper ſalubria paſtoris verba

Exemplum triſte in Boleslao Poloniæ Rege Baron. to. 11 an. 1079. nu. 39. 40. 41.

Digitized by Google

Perculſus anathemate à B. Stanislao.

verba contemnêret; tandem, vt nil paterna monentis ſollicitudo intentatum relinqueret, anathematis mucrone perculit. Quod iniquo Rex impius ferens animo, eo vſque audacter proſilijt, vt dum Chriſti Sacerdos ſacroſanctam ad altare hoſtiam immolaret, ipſa regis manu crudeliter mactatus, martyrij nobilem pro mercede palmam retulerit. Porro Gregorius ſeptimus Romanus Pontifex, ob immane ab iniquiſſimo rege patratum facinus, anathematis in eũdem fulmen, regalibus prius inſulis abdicando intorſit. Quod autem Pontifex geſſerat, Deus ratũ è cælo habens, haud dubijs argumentis viſus eſt comprobaſſe; miris enim manifeſtiſque aduerſus tyrannum, & iam non Regem ſignorum portentis decertauit: *Secuta quippe eſt* (ait Baronius) *Apoſtolicas litteras diuina deſuper vindicta; nam poſt alia mala, ipſe Rex, vt alter Cain factus eſt profugus ſuper terram, demum verſus in inſaniã errabundus, dum vagatur morte præuentus, à canibus eſt deuoratus: ita vlciſcente Numine ſanguinẽ ſui innocentiſſimi ſacerdotis, anno ſalutis milleſimo octogeſimo primo.* Quibus à Baronio narratis, quæ Longinus in ſua hiſtoria de nefando Regis facinore his quidem verbis recenſeat, à nobis prętermittenda non ſunt:

Baron. to. 11. vbi ſup.

Longinus in vit. S. Stanislai c. 26.

Polonia à Pontifice ſacrorum vſu interdicta.

9. *Sũmus* (inquit) *ipſe Pontifex Gregorius, & vniuerſorum ſuorum tunc Cardinalium cœtus, in flebilem lamentationem ruens, qua rigiditate Boleslai Regis tam inſolens parricidium plectendum eſſet, matura deliberatione tempus terens, tandẽ Petro Geneſnenſi Archiepiſcopo, & omnibus Poloniæ Eccleſiarũ Epiſcopis, per ſpecialia ſcripta dedit in mandatis, quatenus in patrati per Regem Boleslaum, & ſuos milites facinoris execrationem, & pœnam, generale in terdictũ in vniuerſa Geneſnẽſi prouincia obſeruarent. Regem inſuper Boleslaum, & Poloniæ Regnum omni honore, dignitate, & excellentia regali priuauit &c.*

Exuta regij honoris faſtigio.

10. Sed diuinam, præproperamque in Boleslaum vltionem, poſtquã Põtificio anathemate innodatus eſt, ex Longino, in cõſcriptis eiuſdem B. Stanislai geſtis hic repetamus. *Interim* (inquit) *miſer ille diris conſcientiæ ſtimulis adeo noctes, atque dies exagitabatur, vt nec cibum, nec ſomnum commode capere poſſet. Conſolabantur illum amici, & animum eius erigere conabantur, ſed ad ſuperiora flagitia etiã deſperationem quamdã adijciebat &c. Acceſſit tumultus Regni, & diſcordia ciuilis, nec quiſquam fere erat ex nobilitate, qui non dira regi imprecaretur. Omnes tanquam peſtem eum vitabant, & oderant. Creuit tandem eo vſq; in illum, & procerum, & populariũ odium, vt permulti inter ſe in eius necem, aut certe captiuitatem conſpirauerint. Atque ipſe ſolebat non raro cõqueri amicis, ſe tanquam vmbris, & phantaſmatibus quibuſdam perpetrati parricidij miſere agitari.* Vides apertam Caini poſt admiſſam fratris necem ſemetipſum exhorrentis, viuiſq; in Boleslao adumbratam coloribus imaginem, dum cunctis inuiſus, & pauori intolerando addictus, ad carnificinam quibuſuis tormentis longè funeſtiorem, diuino nutu traditus eſt: Sed quæ parricidij piaculum conſequuta ſunt ex eodem ſcriptore videamus. *Sed diuina* (inquit) *illum perſequẽte vltione, ſecundo exilij anno ſubito lãguore correptus, & amẽtia percuſſus ſyluas, & loca auia petebat: vbi à proprijs canibus cum repentina morte extinctus eſſet, fertur deuoratus.* Ita *quod Beato Stanislao ipſe ſtruxerat in ſuo cadauere, ſtupendo Dei iudicio per-*

Diuina vltione de poteſtate mentis deturbatur.

Longinus in geſtis S. Stanislai c. 27

Amicos & laruas manium exorret.

A ſuis canibus laniatur in ſyluis.

Digitized by Google

peſſus eſt. *Plexi ſunt etiam diuinitus varijs modis, qui ei in ſancti viri nece ſocij fuere*. Hęc planè tragica in perfidum, execrandumque Regem, ac ſocios, qui Stanislao ſanctiſſimo interimendo manum pręſtiterant, vltio extitit; dum interim martyr beatiſſimus martyrij apud ſuperos laurea candidatus, ſignis vbique in orbe clareſceret, lampadibuſque è cœlo micantibus, venerandum eiuſdē corpus, quod fuerat vulneribus pro Chriſto lacerū, cunctorum oculis nouis, inuſitatiſque portentis conſpicuum redderetur. Quod honorificè translatū, ſuiſque condigno meritis ſepulchro eiuſmodi pręnotatum titulo, reconditum eſt.

B. Stanislai reliquiæ prodigiis cœleſtibus incla-ruere.

Tumba Stanislai cineres tegit iſta beati,
Regis Boleslai, quia non fauit impietati,
Martyrio meritas cœli migrauit ad ædes.
Felix, cui Deitas merces, cui ſidera ſedes:

In ſepulchro honorificentiſſimo repoſitæ. *Inſcriptio ſepulc. S. Stanislai epiſc.*

11. Hæc de venerando Chriſti Athleta, toto terrarū orbe clariſſimo, qui apud Deum virtutum luce coruſcans, ac cœlo iugiter viuens, Deū profuſi ab impio Rege Boleslao ſanguinis vindicem, in terris ſortitus eſt: Quoniā igitur *non eſt conſilium contra Dominum*, vt ſacræ teſtantur paginæ, eius fama exhibitis è cælo ſignis miraculorum inter probra clarior euaſit, atque impius Rex perennē ſibi ob patratum ſcelus ignominiam peperit; regno enim haud multo poſt Apoſtolica auctoritate, regalique honore priuatus, vita demum, ac cœleſti quod peius eſt Regno orbatus cōtumax, atque impœnitens extinctus eſt, adeo vt in ſui pœnam ſceleris cōtemptique anathematis reus, canibus vorandus traditus, ferus à feris diſceptus, qui humana prorſus in inſontem ſæuiendo pridem exuiſſe viſcera videbatur, barbarus ſuis brutorū viſcera carnibus farcinaret; ſed vt hic principē alterū Deo, ac Pōtifici contumelioſum, nec non itē Eccleſiæ, cenſuris perfide obluctantem meminerimus;

Prouer. 21.30

Confutati cœleſtibus prodigiis.

Ferus Rex à feris merito laniatus.

12. Henricus V. Imperator, qui in exercenda hoſtium carnificina, expetendaque ab ijs vltione, cunctis ſæuitia præcelluit, cum ſeptem in Imperio adminiſtrando annos exegiſſet, tandem à Cæleſtino Romano Pontifice, huius nominis III. ob captum redemptumq; Richardum Anglorū Regem, Eccleſiaſtici anathematis iaculo iuſtiſſimè perculſus, ſepultura ei ſubindè interdicta, è viuis ablatus eſt; ſed quæ Rogerius ſuper eius obitu exſcribat, in medium, proferre hic præſtat: *Eodem* (inquit) *anno Henricus* Romanorum Imperator, *facta reconciliatione cum vxore ſua, & magnatibus Siciliæ, cœpit ægrotare, & miſit Sauaricum Barhonienſem Epiſcopum conſanguineum, &* Cancellarium *ſuū de Burgundia ad* Richardum *Regem Angliæ, & obtulit ei recompenſationē pecuniæ, quam de eo ceperat pro redēptione ſua, ſiue in auro, & argento, ſiue in terris*. *Dum autem prædictus Sauaricus iret in iſta legatione prædictus Romanorum* Imperator *obijt in Sicilia apud Meſſanam in vigilia S. Michaelis excommunicatus à Cæleſtino Papa propter captionem, & redemptionem* Richardi *Regis Angliæ, & ideo prohibuit idem Papa, ne corpus illius ſepeliretur, licet Archiepiſcopus Meſſanæ pro eo multum oraſſet*. Porrò de Henrici obitu Chronicon foſſæ nouæ, in quo id anno 1197. contigiſſe deſcribitur, his quidem carminibus fidem facit:

Exemplum vltionis diuinæ in Henr. V. Cęſare.

Baron. to. 12. an. 1197.

Rogerius in Annalib.

Moritur & ſepulchri honore mulctatur.

Sepultura veluti indignus caruit. *Chron. foſſæ nouæ. monaſt.*

Imperij *Romæ ſexto deceſſit ab anno.*

Mil-

Mille dein centum bis, demptis tribus ab iſtis,
Tranſierāt anni, perijt cum peſſimus anguis &c.

Peſſimo igitur fine (vt rerum geſtarum monimenta docēt) is, qui peſſime vixerat, interijt, & plura quidē in execrandam viri memoriam ibi ſcriptoris ſtylo coaceruantur, ob quę mulctatū diuinitus, ac è vita funeſte abreptum hominem hunc credere par eſt. Et certè quod vnus hic exercēdæ vltionis cupidiſſimus, iugi hoſtes, obſtinatoq; odio proſequeretur, ac pænas implacabili ex iiſdē animo expeteret, Arnoldus Lubecenſis, dum ex Germania eundem Italiam vna cū exercitu contendentem meminit, & quomodo in Northmannos potiſſimum, qui Regi Tancredo fauerant, diriſſimam exercuit carnificinam, his verbis tradit.

Conſenſit vitæ peſſimę finis peſſimus.

Arnoldus lib. 5. c. 2.

13. *Imperator ſane* (inquit) *ad vltionem inimicorum ſuorum infinitum contraxerat exercitum de Sueuia, Bauaria, Franconia, & alijs nationibus vſque ad ſexaginta millia.* Hæc ille; Atqui immitis ingenij Princeps, quā diram ex iiſdem vltionem, omnem ſęuiendi prætergreſſus modum ſumpſerit, ex eodem ſcriptore his verbis compertum fit: *Contigit autem* (inquit) *vt ipſos aduerſarios ſuos comprehenderet, & dignam de eis vltionem omnem caperet, & illi quidem, qui contra ſe Regem creauerant, de diademate impoſito clauis acutiſſimis cum ipſo diademate caput transfixit, filios autē ſuſpendio, aut incendio, aut alijs damnauit ſupplicijs.* Quod quidem haud de Tancredo Imperatore, qui ſuperiori anno è viuis deceſſerat, ſed de his, qui Imperialem Tancredo coronam impoſuerant, intelligendum videtur.

In Northmānos ſæuiſſimam crudelitatem exercuerat.

At vero dum Henrici aduerſus Northmannos ſęuitia recrudeſceret, Conſtantia Auguſta ipſius vxor, illuſtris è Northmannorum Regum proſapia, gentem ſuam ad internecionē quæri, gladioque demetendā tradi, inique ferens, aduerſus virum pro patria viriliter pugnandum duxit. Quapropter vt ad vlciſcendas ſuorum iniurias armis decerneret, à marito rebellans, militares copias inſtruxit, vt Rogerius narrat. Claſſe autem in Sicilię oris comparata, haud exiguum Alexio Angelo Conſtantinopolitano Imperatori metum incuſſit, ac tributi prorſus intolerandi conditionem indixit: Tributum vero inique indictum, ac male inſuper extortum, ſacrilegaque prædonum manu conflatum Henricus, qui illud indixerat, è viuis tunc temporis abreptus à ſubiectis populis exigere, pecuniamque in ſuam poteſtatem deriuare nequiuit. Quo deinde extincto Alexius, qui ſub immani tyrannidis iugo præ tædio, ac mœrore fatiſcebat, tot è calamitatibus emergens reſpirauit; cum Henrico è contra ob ſua ſcelera, Romani Pontificis auctoritate diris addicto, funeſte cūcta proceſſerint.

Conſtantia indigne tulit Northmanni cum genus deleri.

Conſtantinopolitanus Imper. ab eodem ad vectigal pendendum compulſus.

14. Anathematis igitur gladio perculſi, ac Deo prorſus inuiſi, vbi pertinaces in malo extitere, vindicem Deum ſeueriſſimum experti ſunt, vt in geſtis Hugonis Linconienſis Epiſcopi hunc in modum traditur: *Cum rebelles quoſdam, & contumaces, Sathanæ tradidiſſet in interitum carnis, ſubito non comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Epiſcopo ſancto reprehenſus, cum admonitionem eius parui pēderet, nec ſe emēdare vellet, mox ab illo excommunicatus eſt. Vſurpabat namque ſibi bona quædam, quæ incitante eum vxore, quod prolem legitimam non haberet, à veris*

In vita S. Vgonis apud Surium to. 6 die 17. Nouemb.

hæredibus per ſimulationem alienare cõſenſerat. Tremenda res! Inuaſit eum Diabolus nocte ſequenti, extorquens ſubito animam mendacem. Alius quidã in eodem ſcelere ei ſuccedens, cum lætus; & temulentus lecto exciperetur, ſopori mortem ſocians etiam miſere extinctus eſt. Foreſtarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri Dei ſententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte deceſſit è vita. Quidã Diaconus Liuore impellente militem quemdam nequiter accuſans de crimine Regiæ proditionis, Hugonis ſentẽtia ob ſpem emendationis percuſſus, cũ peccatũ ſuum non modo non vellet agnoſcere, ſed etiam ab Archiepiſcopo abſolutionẽ impetraret, rediensque ad virum ſanctum, purgationis, vt putabat ſuæ chirographum ſecum, afferret, rurſum non obſtante mandato ab illo excommunicatus eſt. Vt autem Dominus oſtenderet, vtrius ſententiam approbaſſet, Diaconũ horrendum in modum percuſſit, nec eũ diutius viuere paſſus eſt. Adoleſcentula quædam cum impudenter ſpueret in faciem ſponſi ſui præſente S. Epiſcopo, nec veniam petere vellet, à Diabolo præfocata expirauit. Vides diuinitus inflictas perditis, pertinacibuſque hominibus pænas, ſed aliorum, qui Eccleſiæ fuerant cenſuris irretiti, ſupplicia eodem ſcriptore teſte, hic à nobis ſilentio prætereunda non ſunt.

Anathematis reus à dęmone extinctus.

Muliercula in ſponſum expuens præfocata à dæmone.

15. Clericus quidã (inquit) propter tyrãnidẽ quorumdam potẽtium, ius ſuum quod ei erat in quadam Eccleſia obtinere non potuit: Pecunijs quoque, ac alijs rebus penè omnibus in Curia Romana conſumptis, iam ſumma ægeſtate cæpit vrgeri. Audiens vero S. Hugonem oppreſſorum conſolatorem pijſſimum eſſe ad illum tandem venit etiam longe extra fines diæceſis ſuæ, & cum lacrymis eius auxilium implorauit. Motus ergo vir Dei omnes excommunicauit, licet eius iuriſdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam verſi, alij repẽtina morte extincti ſunt, quorumdã oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo poſſeſſori reſtituta eſt Eccleſia. Alios etiam viros ſeptem quandoque excommunicauit vir ſãctus quod furẽ à cœmeterio abſtraxiſſent, & mox ſine dilatione ſuſpendiſſent. Timentes vero illi, ne accideret ipſis, quod iam multis eueniſſe conſtabat, ad pedes Epiſcopi pariter venerũt. Sex ſatisfactione dura illa quidẽ, ſed breui expurgati ſunt. Septimus quia noluit ſatisfacere, abſolutionis gratiam non impetrauit. Tam vero dura fuit eis ſatisfactio, vt etiam brumali tempore pene nudi, furem à patibulo depoſitum per lõgum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, vnde illũ extraxerãt, tumulare compulſi ſint. Res prorſus ſtupenda! Iam ſeptem anni tranſierunt, & ecce redit miſerabilis ille cũ lacrymis petẽs abſolutionẽ: Domine (inquit) poſtquam ſententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiã Regis continuo perdidi, exulare coactus, ad inopiam redactus ſum, corporis moleſtia contabui, plurimiſque aduerſis caſibus ſubiacui. Sed ne peiora his ſuccedant, dignare obſecro, vel ſerò pænitẽtem releuare. Miſertus ergo vir pius tantæ calamitatis, quod ex fortunato, & diuite, ærumnoſus, & morbidus factus eſſet, clementèr eum abſoluit, & ne dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogauit. Hęc de Hugone Linconienſi Epiſcopo miræ ſanctitatis, ac diuinę ſapientiæ viro in eiuſdẽ apud Surium actis recẽſentur, quem Deus miraculis ad ea, quæ ipſe dixerat comprobanda, illuſtrare dignatus eſt, adeo vt delinquentes ab eo admonitos, & anathemati, dum nõ reſipiſcerẽt addictos, cœleſtis ira, nec tardæ animaduerſionis gladius exagi-

Auctor vitæ S. Vgon. apud Sur. vbi ſup. Clericus inique oppreſſus aduerſus oppreſsores virum Dei interpellat.

Eccleſiaſtica iura à S. Hugone conſtantiſſime defensa.

Quj veniam poſcere abnuerat mille exceptus calamitatibus demum poſcit.

gi-

Digitized by Google

gitaret: Quo iſthæc contemplantibus palam fieret, quod vir præ cunctis potens opere, ac ſermone extitit, & quod item cenſuræ, quas occaſione ferente ipſorum Præſulum ore aduerſus delinquentes intorqueri contingit, iuſtum cunctis ſui metum incutere debeant.

16. Ad quod confirmandum Otho Bauariæ Dux, Conradi Regis ſocer, vir potentia, ac robore duntaxat ad immania quęque facinora abuti conſuetus, rerumque ſecundarum arridente ſibi alea, explendis pro arbitrio libidinibus indulgens, eo improbitatis deuenit, vt hominibus, ac Deo contumelioſus, petulantes Conradi aduerſus Romanum Pontificem partes totis animi neruis foueret, Clericos acerrimè inſectaretur, Eccleſię patrimonia inuaderet, ſacra incenderet, expilaretque templa, ac libere in omnem auaritiam, atque impietatem omni reiecto fręno, furentis inſtar belluæ eum in modum proſiliret, vt nil ea, quę religionis ſunt, ęſtimans, dũ à recto procul inſtigãte diabolo aberraret, iã perfrictę frontis homo, *Nec Deũ timebat, neq; homines* (iuxta ſcripturę oraculum) *reuereretur*. Quapropter iure merito cum ob ſcelerum probra, quæ in dies incurrebat paternis, vt à cępto deſiſteret, ſemel, atque iterum, etſi fruſtra officijs præuentus, monituſque, cenſuris tandem ouis ad inſtar morbidæ Chriſti fidelium cœtu præciſus fuit. Quin immo cum Innocentius Quartus Romanus Pontifex illius elucrãdi ſpe adductus, Friſigenſi Epiſcopo id præcipue curandum iniunxiſſet, caſſo demũ labore pia vtriuſq; opera deſudauit. Rex etenim nouis quotidie flagitijs ſe ipſum ſuperãs, poſt iuſtam concitatam diuini in ſe Numinis acerbius iram, ſeuero tandem iudicio perculſus, infelici vitam, quam turpiſſime tranſegerat, exitu concluſit. Sed præſtat hic rem geſtam ex Auguſtenſibus excerptam annalibus pio, ac ſtudioſo his verbis lectori delibandam proponere.

Othonis ducis Bauariæ exemplum funeſtum.

Oderic. Rainald. tom. 13. an. 1253. n. 32. Eius in Eccleſias graſſationes.

Luc. 18. 2.

Paterna pontificis cura in elucrando homine fruſtra laborat.

17. *Otho Dux in principio ſui regiminis, ſeuerus iudex, & Princeps manſuetus, poſtea propter fauorem. quẽ impendere videbatur Friderico quondam Imperatori, & Conrado filio eius, ab Innocentio Papa Quarto, & Epiſcopis iam diu, & ſæpè excommunicatus, perſequi cœpit Clerum, & mala malis addens in vigilia S. Andreæ Apoſtoli, cum in ſero cum vxore, & familiaribus ſuis valde iucundus fuiſſet, præſentem vitam ſubitanea morte finit. Eodẽ tẽpore menſe Nouembri famoſus ille Prædicator, frater Bertholdus in Leãtzhut prædicationis officium exercebat, & morabatur in Caſtro cum Duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Eccleſiæ, & ſuum erga Eccleſiam, & Clerum animum mitigare. Tunc ſuperuenit quidam pauper ruſticellus, aſſerens ſe in nocte præterita feſti Michaelis raptum, & ductum ad Tribunal iudicis cuiuſdam, vbi audiuiſſet, & vidiſſet, quod ad querimoniam ſãctorum, ſententia mortis data eſſet in Othonem Ducem, & cæteros Principes pacis turbatores, & Eccleſiarum, & pauperum vaſtatores &c.* Hęc quidem ex Auguſtenſium annalibus de Othonis interitu hic repetẽda voluimus. Ex quibus immenſam Dei clementiam videre eſt, impio homini, & qui nil tale promeruiſſe videbatur, diutius impenſam, nec non iuſtã, qua è cœlo tactus eſt, vindictam, dum ſubitus, inopinuſque in medijs eumdem peccatis improuidũ, ac inter ſæculi delirantem altius illecebras obitus præuenit. Sic enim miſer deſijt, vt nullus ſibi pœniten-

Cronic. Auguſtenſ. ann. Chriſt. 1253. apud Rainal. to. 13. an. 1.

Otho dux ſub principatu abortum fecit.

Oſtenſum prius pio pauperculo imminens principi exitium.

tiæ

tiæ locus, ac certa proinde perditio præ foribus adeſſet. *Ignoras quippe* (Apoſtolus ait) *quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Atqui vt alterum Eccleſiaſticis mulctatum cenſuris, certoque ob contemptum exitio addictum proferamus.

Rom.2.4.

18. Conradus Rex, Friderici II. ex Iſabella Hieroſolymorum Regina filius, qui & Hieroſolymitanum Regnum amiſit, cum hæreticos apprimè foueret, à ſuis merito derelictus adeoque diuina orbatus ope, hoſtiles vix manus euaſit. Hic à Friderico nuncupatus ex teſtamento hæres, verum ob affectatum prauis artibus Imperium, ab Innocentio Pontifice huius nominis quarto Eccleſiaſtico anathemate perculſus eſt. Nec his cõtentus Pontifex eumdem principatu exturbandum curauit. Itaque miſer cum, armis inſtructus ſe in Italiam contuliſſet, complura Campaniæ loca ad deditionem coegit, ob quod à Romano Pontifice in iudicium vocatus, nec ad certam condictam illi diem comparens, ſpiritualibus ob cõtumaciam, vt par erat, iaculis impetitus eſt. At dum militaria aduerſus Vvillelmum ſigna in Germanorũ ditionẽ mouere excogitaret, in ipſomet belli inſtruendi apparatu, Cõradino hærede ſibi nũcupato, nõ abſq; propinati à Manfredo veneni ſuſpicione, infeliciter è vita abſceſſit, eiuſque ſubinde cadauer in Eccleſiam delatum vltricibus vltro flammis cõflagrauit, ſed lugubris hic ex Pariſio, qui triſtem Principis obitum narrat, his planè verbis hiſtoria repetẽda eſt.

Aliud exẽplum in Cõrado.
Rain.tom.13 an.1254. nu. 45

Eius corpus flammis exuſtum

19. *Interim* (inquit) *Papa nõ mediocriter diffamauit regem Conradum, imponẽs ei enormia crimina, ſcilicet cædem fratris ſui Henrici, vt ſic prouocaret Regem Anglorum, & omnes Anglos contra ipſum, & quod contemptor extitit clauium Eccleſiæ, et multa alia, quæ non oportet recitare: Scripta autẽ ſunt in libro additamentorum, & in hoc prætacta. Rex igitur Conradus irruptiones hoſtiles, comminationes, opprobria Papæ ſuſtinens, & diffamationes, cœpit ſupra modum contriſtari, & graui dolore contabeſcere, & vt dicitur, veneno propinato impellente*. Venenũ autem à Manfredo, qui tyrannidem affectabat, propinatum fuiſſe Ricordanus, cui Ioannes Villanus, & nonnulli alij adſtipulantur, illudque per dolos languentis viſceribus chylſtere infuſum tradit: Nec vana quidem opinio; mutua quippe, ac inteſtina, quæ præceſſerant, odia, diſſidia inſuper, illatæque Manfredo iniuriæ ſuſpicioni locum dedere. Sed Conradum iam decedentem, ac ſub ipſum mortis aſpectum, ſupremas lugubreſque imis è præcordijs querelarum voces emittentem, ac ſuam infeliciſſimam demum ſortem, haud ad animi remedium, proficuiſque lacrymis deplorantem videamus, quod Pariſius his verbis exequitur.

Pariſius hiſt. Angl. an. 1254.

Creditum eſt à Manfredo venenum illi miſtum fuiſſe.

Ricordanus hiſt. Flor.cap. 146.
Io. Villan. lib.6.c.44.

20. *Væ* (inquit) *mihi miſero, væ væ mihi miſero, vt qui me fudit mater mea è gremio? vt quid pater meus me genuit tot ærumnis exponendum? Eccleſia, quæ Mater Patri meo, & mihi eſſe debuit potius nouercatur: Imperium, quod ante Chriſti natiuitatem, vſque nunc floruit, modo marceſcit, et datur letheæ obliuioni. Maledicens ergo diei Natiuitatis ſuæ miſeram, et afflictam animam exhalauit*. Hæ fuerunt infeliciſſimi, ac deſperantis voces, qui impendentes ſibi alterius ſub vitæ finem ſæculi calamitates, promeritaſque ſcelerum inſequentes à tergo pœnas, & quæ decedentem ad Orcum comitabantur, his præſentiẽs verbis, ſe è proximo perditũ proclamare viſus eſt: Lugubre etenim carmen,

Pariſius hiſt. Anglor. vbi ſupra.

Periturì Cõradi triſtia lamenta.

men, ſuiſque condignum ſceleribus lamentum, ſub vitæ occaſum, vita indigniſſimus iuſtiſſime vſurpauit. Verum funeſto hominis deceſſui, pares quoque funerum, pompę, vt ſcriptores aſſerunt, ſubſequutæ ſunt, ſuiſq; hominem ſatis iam ſceleribus clarũ, haud obſcura ſuppliciorum, quæ eũ expetebant indicia, perditum renunciarunt; Enimuero cum Conradi in templum Meſſanenſe cadauer, vt tumulo conderetur, illatum de more fuiſſet, ex cereorum, & funalium, copia, quibus iuxta Regis præſcriptũ, funebris pompa inſtruebatur, cæteroque rerum huic miniſterio deſeruientium apparatu mox flammam corripiente, cadauer ipſum, rogo vtpote dignum, vna cum eiuſdem tẽpli tholo flammis conflagrauit, totaque perditi viri in cineres gloria momento temporis redacta eſt. Qua ſuper re elegans quidem, ſed tragicũ eiuſcemodi carmẽ exaratũ, ſupremã hominis infelicitatẽ legẽtes admonet.

Perditi viri gloria in fumum & cineres abiit

Maurol. & Conſtant. in hiſt Sicil. Surmont. in hiſt. Neapol.

Funere Conradus caruit, tumuloq; rebellis.
Vtraque namque negat munera religio &c.

Aculeatum de eo epigramma.

21. Quibus perdito regi carminibus, velut haud obſcuris ignominię notis parentaſſe viſum eſt, illudque Pſalmiſtæ, quod cœteris impijs occinit, adimpleri contigit oraculum. *Perijt memoria eius cum ſonitu*: vt enim Nazianzenus ait: *Videas impios perire cum ſonitu, & clariores fieri ob ruinam, quam ob impietatem.* Atqui haud abſimilis Rodulpho Eheinduit in Anglia diuinitus vltio inflicta eſt, qui Eccleſiaſticę excõmunicationis cenſuram contumelioſis vocibus deridebat, ſubſannabatque: vt enim Pariſius ait. *Cum per triennium ſententie vinculis innodatus, claues Eccleſię procaciter contempſiſſet, erecta ceruice in palatio Veſtmonaſterienſi multis dixit cõuocatis: Eia de monachis S. Albani: Eia de ipſis. Tam diu, tam ſepe, tam efficaciter me excommunicarũt quod impinguatum, incraſſatum, & dilatatum vix me mea ſella continet equitantem. Quo dicto infirmatus, & debilitatus, nec non & deſperatus, demum eſt ſubito relatus; ſed vix palpitans, & iam ſpiritum extremum, letiferos ſingultus oregmon prouocante cœperat exhalando protrahere &c.* Hęc ille, ſed hic adeo infelix ſacri anathematis primũ contemptor, ac vim expertus, & ſi infeliciter, haud tamen perdite è vita poſtea deceſſit; errorẽ enim ſuũ agnouit flagellis admonitus, præſtitaque de Pontificijs iuſſis parendo cautione, á Monachis Eccleſiaſticę abſolutionis beneficium obtinuit, & poſtmodum pœnitens Dei aſpirante gratia è viuis deceſſit, alios edocens quã grande piaculum apud Dei tribunal cenſeatur, contra Eccleſiæ cenſuras per cõtumaciam homines ceruicem erigere.

Pſ. 9. 8
Nazianzen. orat. 1. contr. Iulianum quaſt. 3. in ord.
Exemplum hominis impii anathemata ſpernentis.
Pariſius hiſt. Angl.
Rainal. to 13. an. 1243. n. 42
Faſsus error. men e viuis excedit

22. Hic vero Othocharus Bohemiæ Rex infelici abſumptus exitu, iure merito adnumerandus eſt, qui validiſſimis armatorum copiis Auſtriacam ditionem excurrens, initiq; violator fœderis, Rodulphum Romanorum Regem armis primum diuexare ſtatim cœpit, eo quod Auſtriã Styriam, & Carinthiam, quę ſibi debebantur, per ſummam abreptas iniuriam quereretur; Rodulphus vero, ab hominum vt pote ſtrage vehemẽter abhorrens, nũcios ad Othocharum miſit, qui cum monerent, vt manus à pręliando contraheret, cum ad malorum cumulum proditoribus (vt ille aiebat) ſeptus vndique eſſet. At ille haud ab inferendo bello abſtinuit, quinimo ſemel, atque iterum à Romanis Pontificibus, etſi fru-

Rain. tom. 14 an. 1278. n. 42

ſi fruſtra monitus, interpellatuſque, Apoſtolicis tandem cenſuris percul-ſus eſt, vbi bellum Rodulpho intulit. Verum diuina protinus hominē vt par erat, vltio conſequuta eſt; nam cū milites cōgredi cœpiſſent, Othocharus, ſuis illum extemplo, dum ſtrenue medios inter armatorum cuneos pugnabat, deſerentibus, immani hoſtium numero ſuperatus, nec iiſdē vltra reſiſtere valens, demum captus eſt, moxque armis, quibus nimium præfidebat, exutum vnus militum, cuius fratrem Othocharus obtruncarat, aſpiciens, ſæuitia, ac furore percitus in eum irruit, atque ad vlciſcendam fratris necem ipſomet, quo ille alterum cæciderat, gladio valide in fronte percuſſit. Rex autem lethali accepto vulnere, cum toties à Romanis Pontificibus, etſi fruſtra, vt manum ab armis contraheret, & à præliando deſiſteret, admonitus fuiſſet, infelici tandem exitu, nec ſine magno aduerſariorum triumpho cæſus occubuit. Verū ob iuſtam ſcelerum pœnam, & viri dedecus, diu poſtmodū cadauer inhumatum iacuit, eo quod dum viueret à fidelium cœtu Apoſtolica auctoritate præciſus, *ante mortem* (vt Siffridus ait) *eiuſdem Eccleſiæ conſortio redditus nō fuiſſet*. Rex quippe ob illatum Rodulpho bellū, contra Apoſtolicæ ſedis imperium cenſuras, quibus plectuntur hi, qui Romanorum Reges armis laceſsūt, canonico iure vibratas incurrerat.

Othocharus cenſuris ob mota iniqua bella defixus

Infeliciter contrucidatus.

Siffridus ep. lib. 2.

Iuſta in contumacem Regem, & anathemate perculſum vltio.

23. Ingens vero, cruentaque tū Regi, tum ſuis ex prælio clades obtigit; cæſorum enim numerus ad decem mille peruenit, & Rex Othocarus inſidiis pariter, atque armis bellum aggreſſus, ſpectati roboris militem, propoſitiſque inſuper præmijs in Rodulphi cædem inflammauit, ampla illi mercede propoſita, ſi Regem ferro inuadens peremiſſet, vel ſaltem equū, cui ille inſidebat, gladio conſternaſſet. Miles autem præmiorum ſpe illectus, Rodulphum in acie pugnantem, ac diligenter quæſitum oculis à longe aſſequutus, facto in eum impetu ex equo deiecit, haſtaque ipſum, quo inter præliandū vtebatur, equum occidit. Porro cum Rodulphus alteri inſiliens equo, viriliterque pugnans, victoriæ palmam obtinuiſſet, prædictus miles hoſtili manu interceptus, vindictæ loco, inſigni adauctus beneficio, illæſuſque ad propria remeare permiſſus, liberaliter vita donatus eſt, vt his quidem apud Eberardum verbis exponitur: *Haud exiguum* (inquit) *fere damnum ſi ſtrenuus adeo, ac generoſus miles, qui lanceam promerebatur, obtrū catus fuiſſet*. Rem vero Ptolomeus Lucenſis tradit: ad quē lectorem remittimus: Cœleſti igitur calculo, ſuperniſque virtutibus, non humano conſilio, armorumq præſidijs Rodulpho palma in prælio ceſſit, ingenſq; Othogaro Bohemorum Regi, eiuſque militibus clades obtigit, vt pote qui Romanum audire Pontificem noluerat, ac bellum præter ius hoſtibus intentauerat: In fronte igitur is cōgrue, alter veluti Goliathus Philiſtinorum bellator, percuſſus interijt, Quia ceruicem Romano, vt par erat, Pontifici inflectere recuſarat.

Rodulphi in hoſtem clementia inſignis.

Eberardus apud Caniſ. antiqu. lect. to. 1. pag. 314.

Contumax monitis in fronte perculſus eſt.

24. Porro vt hic, vbi tragicas hominum, Eccleſiæ obluctantium imperio, clades retexiмus, quantam ad perdendum impios Pontificum cenſuræ vim obtineant, vnuſquiſque per ſe probe intelligat, non nulla haud obſcura diuinæ vltionis argumenta in medium proferre, ac pio lectori delibanda offerre voluimus, ex quibus Anglorum Rex ob id vnum, quod excommunicati conſor-

tio non ſe abdicauit, viſus eſt mortis incurriſſe ſententiam, vt Beda narrante, iam vidimus. Quod ſi probo, ac laudabili viro eiuſcemodi mors diuinitus intentata eſt, quid impijs, qui ſpiritualem Eccleſiæ mucronem nō timent funeſto prorſus exitio cōtinget? Ex hoc igitur eccleſię cēſuras, quibus rite Epiſcopi ad homines ſibi commiſſos, & à recto tramite deuios in ſalutis viam reducendos, morboſaſque à Chriſti grege, ne cœteris nocumento ſint, ouiculas abſtrahendas, diuina prorſus auctoritate, ac magiſterio vtuntur, haud contemnendas, ſed ab ijs, veluti ab impendente ſuis ceruicibus diuinæ indignationis iaculo cauendum probe vnuſquiſq; intelligit. Haud enim niſi morbis, morboſiſq; ouibus, imo Deo iā mortuis, ad mortem procul arcendam, excutiendumq; à miſeris mortis ſoporem, rigidum hoc animaduerſionis genus Tertulliano teſte adhiberi conſueuit: *Anathema* (inquit) *illidito, & relinquito in ſuo ſopore morientem*. Extremis quippe malis extrema, quoque ſano medicorū iudicio remedia, adhibēda, nemo prudens non videt. Hinc apte Cyprianus, dum conſuetum in Eccleſia, & quod ſuum ab Apoſtolis initium traxit, in exleges animaduertendi genus, excommunicationem ſcilicet, ſpiritualem gladiū appellat.

Quanta anathematis vis.

Tertull. in ſcorp. c. 16.

Cyp. vbi ſup.

25. At præmemoratis hic alter ſociandus eſt, Anglorū videlicet Regi Philippus Francorum Rex, qui Apri dentibus miſerabiliter, nulla ex filijs poſtmodū prole relicta, diſcerptus interijt, hác vnā certe ob cauſam, quia pontificiæ excommunicationis, vt probæ fidei ſcriptores tradunt, contumelioſus ſententiam flocci fecerat; ſed ea de re Carolum Sigonium agētem excipiamus: *Longe aliter* (inquit) *ſe geſſit erga cēſuras* Eccleſiaſticas *Philippus Galliæ Rex, cognomēto Pulcher; Hiſtoricorum enim quidam ſcriptis prodidere, eum tum ob deſpectam excommunicationem, tum etiam quod Bonifacium Octauum hoſtiliter vexauerit, à quodam Apro diſcerptum, miſerabili morte interijſſe, atque à tribus eius filijs, ad quos ex ordine corona peruenit, ſobolem, quæ ſibi ſuccederet, nullam reliquiſſe, eorumque coniuges, Philippi vero nurus de ſtupro poſtulatas, et duas ex illis adulterij conuictas regium ſāguinem graui infamia inquinaſſe.* Infelici planè Rex mulctatus exitu, parē quoq; in totā regiæ ſtirpis proſapiam infelicitatem inuexit.

Carol. Sigon. lib. 5. de reg. Italicæ. Philippus Pulcher contempto anathematiſmo miſere perijt

26. Quorſum vero hic inflictum Gaufrido Andegauenſium Comiti ſupplicium ſilētio præterimus? qui eò quod Eccleſiaſtico anathemate innodatus, pontificiam auctoritatē neglexerat, neci traditus eſt; breui enim recurrente dierum circulo funeſtè diem clauſit, vt in conſcriptis D. Bernardi geſtis his verbis traditur: *Inter Ludouicum Francorum* Regem, *et Gaufridum Comitem Andegauenſiū exercebantur inimicitiæ graues. Cauſa erat, quod virum nobilem Gerardū de Monaſteriolo,* Rege *prohibente, in munitiſſimo oppido ſuo Comes obſidēs comprehendiſſet vna cum vxore, liberis, et propinquis, ipſamque diruiſſet munitionem. Conatus eſt* D. *Bernardus cum multis Epiſcopis, et Principibus eos conciliare, ſed Comes amaritudinis felle commotus, inſalutatus omnes relinquens equo inſilijt, et receſſit; ſic pacis re deſperata paratus erat Gerardus in carcerem redire; ſub obſidibus enim ad colloquium erat addictus. Sed eum conſolatus eſt vir ſanctus. Ne timeas, ait, certus eſto, quia Deus tibi, tuiſq; ſubueniet, idque celerius, quam valeas, vel ſperare &c.* Et poſt multa. *Erat autem idem Comes pro eodem negotio ex mandato ſummi Pontificis anathematis*

Gaufridi Comitis cenſuras ſpernentis lugubris exitus.

Ex vita D. Bernard. lib. 4. c. 3.

Monentem D. Bernardū ſpreuit.

matis vinculis innodatus, ſed abſoluendus, humiliari, vt debuit, vel culpam ſuper hoc fateri ſuam penitus recuſauit, magis autem, vt erat plurimum animoſus, Deum ſibi culpam huiuſmodi nũquam remittere imprecabatur, innocentem ſe reputans, & iniuſte ligatũ. Quãobrem diſceſſit pater ſanctus non parum triſtis ab illo, dicens ei (ſi quidem literas nouerat) in qua menſura menſus fueris, remetietur tibi. Eadem autem die cauſantibus ſuper hac improbitate perſonis quibuſdam, & principem illum grauiter erraſſe dicentibus, accenſus zelo Dei famulus, aiebat: Grauiter ſatis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non poteſt quin hoc eodem anno Comes ipſe aut moriatur, aut euidentẽ aliam diuinæ indignationis ſentiat vltionem. Hoc verbum, & ex ipſis, & ex alijs audiere non pauci. Quod tam celeriter eſt impletum, vt Comes idem infra diem quintum decimum moreretur. Anathematis quippe vinculo iuſtiſſime irretitus pro latam Deo confirmante ſententiam haud vitæ ſuperſtes diu eſſe potuit, ſed inopinum cunctis mirantibus lethum illi à tergo fuit, tumuloque præter ſpem illatus eſt.

Reum ſe anathematis agnoſcere contempſit

Prædicta à D. Bernardo illi mors.

27. Verum enim vero Eccleſiaſticarum legum, ac cenſurarum contemptus præſentaneum contemptoribus exitium afferre cõſueuit, vt quæ item funeſte Leopoldo Auſtrię Duci, eiuſcemodi cenſuris implicito contigere, lectorem ſatis ſuperq; admonent, de quo iſthæc apud Rogerium in ſuis annalibus: *Anno* (inquit) *Chriſti Domini 1194. cũ Leopoldus Dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam D. Papa Cœleſtinus in eum tulerat propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pœniteret, flagellauit Dominus terram ſuam in hunc modum, In primis quidem incenſæ ſunt omnes Ciuitates terræ ſuæ, nec alicui nota fuit cauſa incendij: ſecundo ex inundatione Danubij fluuij ſubmerſa eſt quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo amplius perierunt. Tertio cùm in media æſtate ſoleat, & debeat omnis terra virere, tota terra eius tunc temporis contra ſolitum, & debitum curſum exaruit. Quarto cum ſemina frugum deberent in herba proceſſiſſe, in vermes conuerſa ſunt. Quinto nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt. Et quãuis tot, & tantis flagellaſſet Dominus terram ſuam plagis, noluit tamen pœnitere, ſed induratum eſt cor eius &c.* Tot quippe, ac tantæ Leopoldi Regno, poſt anathematis ſententiam, clades, vaſtitateſque obrepſere, totq; eius ſubiectis ditioni illata ſunt diuinitus damna, vt Deus è cœlo, non ſecus, ac olim ad alterum Pharaonẽ debellandũ, ipſis contra eũ elementis pugnãtibus, in aciem proſiliens arma exeruiſſe videretur, triſti proculdubio Ducẽ, ni ceruicẽ humiliter inflectẽs culpam diluiſſet, fato abſumpturus.

Diuinæ vindictę prodigia io Leopoldum Ducem Auſtrię cenſuras contemnentem.

Roger. in annal. Angl.

Auſtria incẽdiis & eluuione fluminum vexata

Fame & peſte

Innumera ex pontificio anathemata mala regi obuenere.

28. Et certe quidem Eccleſiaſtici mucronis metu potius, quã armis abſterritos, Reges alioqui barbaros Romanorum Pontificum imperijs acquieuiſſe Fulgoſus in ſuis hiſtoriarũ monumentis aſſerit, his plane verbis: *Deſiderius* (inquit) *Longobardorum Rex: cum multas ditionis Romanæ vrbes iam cepiſſet, nouiſſetque ab Adriano primo Romano Pontifice ad ferendã opem Carolum magnum vocari, cupiens aſtu ante Carolum vrbẽ Romam inire, ſimulauit voto ſe ad ſalutãda Principis Apoſtolorum limina proficiſci velle, quod cum prudens Pontifex animaduertiſſet, reſeratis prius templi, atq; vrbis portis miſit, qui Deſiderio ſub anathematis pœna imperarent, ne propius ad vrbem*

Plures Reges anathemã magis, quam ferrũ exterruit.

Fulgoſ. lib. 1. cap. 1.

vrbem accederet. *Incredibile forſan videatur, & tamen vero ipſo verius eſt barbarum Regem ſuperbiæ, atque immanitatis plenum, quem arma non mouerant, ſimplici anathematis denunciatione territum; ſententia mutata retro exercitum conuertiſſe*. Pontificio, nã que intimato ſibi à nunciis imperio, vbi exerendũ in ſe anathematis gladium comperit, id magis quam confertos, conglobatoſque hoſtium cuneos in aciem prodeuntes expauit, ac imperanti protinus humiliter parens, ab vrbe, quam inuadere iã cupiebat, dicto citius auolauit.

Deſiderius illius obiecto metu exercitum flexit.

Atqui illud omni dignum admiratione eſt, & pontificijs cenſuris honorem affert (vt nonnulla hic obiter inſeramus) quod muta quoque animalia Apoſtolicarum vim cenſurarum præſentiunt, adeoq; anathema, veluti intortũ è cælo fulmẽ timent, vt canes ipſi Petrò Damiano edocente aliquando teſtati ſunt; hæc autẽ Petrus Damianus: *Quidam* (inquit) *degener quidem moribus, ſed maiorum titulis inſignitus, ſuam conſanguineam nuptiali ſibi fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totumque Eccleſiaſticæ cenſuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui hoc certe ad diuinæ indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti, minime tangerentur. Inſuper, O diuinæ animaduerſionis pauẽda ſeueritas! dum rigidus ſtat, dum præceptis ſacerdotalibus ſe nõ humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cæleſtibus irruens fulgur extinxit*. Et congrue intorto è cælo fulmine perculſus eſt, qui inflictũ anathematis iaculũ, nõ, vt par eſt, reueritus fuerat, & qui belluarum magiſterio edoctus, nil ad ſalutem profecerat, ſuo vbi nil ſibi prodeſſet exemplo: ſuo inquam non parum cæteris, tum periculo, tũ exemplo profuit.

Pet. Damian. Card. in ep. al Deſid. Abb. apud Bernardum 993. tom, 3. n. 10

Obſtinatus in malitia poſt monita perſtat.

29. Verum, ne dum belluæ ſed & ipſemet res inanimæ iacula, quibus contumaces Eccleſiæ calculo percelli conſueuere, eorumq; vim attigiſſe, ac haud dubiis inſuper prodidiſſe argumentis viſæ ſunt. Cuius rei teſtatiſſimum hic excerptum à Petro Bibadeneira exemplũ ſuppetit: *Ferdinandus* (inquit) *à Caſtello, vir religioſus in prima parte hiſtoriæ ſuæ ſcriptũ reliquit*, S. *Gundiſalium* Amarantium, *ex Dominicana familia* Monachum, *vt rudi populo, ad quem conciones habebat, declararet, quanta ſit vis excommunicationis, & quid damni in anima pariat, caniſtrum candido, ac primario plenum pane, quem mulier geſtabat, excommunicaſſe, ſubitoque, mirũ dictu panem niueum in aterrimum conuerſum! deinde cum eumdem aqua luſtrali aſperſum benedixiſſet reſciſſo maledicto, nigrore poſito priſtinum candorẽ recepiſſe*. Tanta quippè Eccleſiaſticis cenſuris vis ineſt, vt conſuetos hominum panes, ne dum animos contemnentium intime afficiant, ac labefactando peruadant. Quin imo vt alijs res comprobetur exemplis, arbores, plantaſque, alteram veluti ficum, quæ Chriſti maledicto protinus exaruit, ſimili exarefactas portento, ex his, quæ apud Surium leguntur his verbis euincitur: E*lſinus* (inquit) *Regis Euerardi quondam* Miniſter, *ad conſecrandam Eccleſiam* Epiſcopũ *precibus aduocauit. Erat autem in cæmeterio arbor nucea, patulis frondibus vmbroſa, quæ luxuriante ramorum amplitudine luminibus officiebat* Eccleſiæ. *Solebat autem vir ille aleis, & epulis ſub illa arbore vacare, & cum iuſſiſſet eam Epiſcopus abſcindi, maluit* Eccleſiã *non dedicari, quam arborem inde penitus depo-*

Petr. Ribadeneira lib. 1. de principe Chriſtian. c. 34.

Vis anathematis in animas prodigio confirmata.

Inanimæ res ſentiunt cenſurarum vim.

deponi. *Vir ergo ſanctus maledictionis iaculum in arborem offenſus intorſit, & illa quaſi vulnerata paulatim ſterileſcens, radicitus exaruit, & fructu caruit.* *Exacerbatus inde Dominus eã abſcindi iuſſit, & dixit: nihil* Vvolſtani *maledictione amarius, nihil eius benedictione dulcius poterit iuueniri.* Sic Vvolſtani verbo, non ſecus ac fuiſset arbor cœleſti calculo impetita, dicto citius exaruit.

Excommunicationis vis mutas res perſundat. *Ian. Nic. ex. 87. in libell. vir. ac vir.*

30. His vero mirifice conſonat, quod eruditus, diſertuſque noſtri ſæculi ſcriptor, alteri ſimiliter arbori, ob intentatum in fures excommunicationis fulmen obtigiſſe his verbis narrat: *Neque* (inquit) *cenſurarum vis hæc maxima, atque grauiſſima homines tantum, quorum præſertim audacia compeſcitur, alligat, pœnaque conſtringit, ſed mutas res quoque, atque inanimes, comprehendit, cuiuſmodi ſunt arbores, atque adeo elementa ipſa, quas res ſenſus, atq; rationis expertes nulla pars ſceleris poteſt attingere.*

Exemplum aliud quo ſuus anathemati honor aſſeritur.

Olim Cardinales aliquot conuenere, vt in villa Farneſiorum, pratis Neronianis adiũcta de ſymbolis eſſent &c. Verum cum die, atque hora conſtituta veniſſent, & aqua manibus daretur, eorum vnus annulum cariſſimum è digito ſibi detractum, arboris cuiuſdam ramo inſeruit, ſed poſtea, ſermonum ſuauitate perceptus, qui erant in prandio laceſſiti, non ſolum oblitus eſt illum recipere, verum etiam funditus loci memoriam, vbi collocarat abiecit, at confecto iam prandio cum eius meminiſſet, cœpit eum poſcere: & quia nuſquam inueniebatur, eo quod ſibi non veniebat in mentem, cui commendaſſet, venit in ſuſpicionem furti familia, quæ circa ipſum fuerat; itaque quiſquis ille eſſet è cœtu fidelium ſegregandum, & Sathanæ in interitum tradendum curauit: ſed poſtea quieſcente iam illo, atque annuli iactura in obliuionem adducta, animaduerſum eſt, arborem illam, cuius ramis ſuſpenſus ille annulus fuerat, exaruiſſe, quam cum coloni diligentius inſpicerent, quo repentinæ illius ariditatis cauſam inueſtigarent, pendentem in ea annulum inuenerunt, detractumq; ſumma cum voluptate ſuum ad Dominum retulerunt.

Iacto anathemate in eum qui annulum retinuiſſet arbor quæ retinebat commiſſum exareſcit.

Funeſtum itaque arbori, ne dum homini, qui inuerſa item arbor eſt, eiaculatas Pontificum ore, Eccleſiæ aliquando incurriſſe cẽſuras affirmandum eſt. Atqui vt præter narrata hactenus, Eccleſiaſtici, quo morboſos plecti homines vſu venit, mucronis virtus innoteſcat, illud ſubteximus, quod modernus, ac ſupralaudatus ſcriptor cuidam fonti experimento eueniſſe narrat his planè verbis: *In quodam* (inquit) *Italiæ oppido inſignis fons eſt, & celebris, ibi fullonia, quo magnus fit mulierum, in ea ſe exercentium arte, concurſus, quarum vna cum pretioſum ibi toral amiſiſſet, exiſtimauit id ſibi cuiuſpiam ex ſocijs dolo fuiſſe ſublatum, cumque exploratum non eſſet, quam eius facinoris inſimularet, adhoc extremum præſidium confugit, vt quecunque apud ſe furtum celaret, anathemate feriretur: quo facto fons ille, qui ad eam diem puriſſimus, limpidiſſimuſque emanauerat præter modum lutulentus cœpit effluere, adeo vt iam nulli eſſe vſui poſſet, ſed cũ diligentius earum ſordium origo exploraretur, inuentum eſt illud toral in ima aqua latere, quo inde extracto, ac mulieri, cuius illud erat reddito, continuo priſtinus fonti nitor acceſſit.* Præſtitit certe quidem fons viſu ſic immutatus manifeſtiſſimum, quo ſuus cenſuris Pontificijs honor illibatus ſeruetur, argumentum, nec non pauendi, quo interdum homines percelli contigit, ſupplicij non obſcurũ exem-

Senſit etiam vim anathematis fons.

Ian. Nic. ex. 88 vbi ſup.

Qui limpidis fluxerat lutulentus manauit.

Cenſuræ ſuũ aquis nitorẽ auferunt.

exemplum demoſtrauit, vt illud iure merito de lutulento fonte decantari poſſet: *Quomodo obſcuratum eſt aurũ, mutatus eſt color optimus.* Sed ne quis fortuitã, quod tũc cerni cõtigit, portenti cauſam exiſtimaret, vbi latens tunc ad manus res venit, primæum illico limpha colorem recepit;

Ierem.c.4.1

31. Illud vero præ cunctis mirandum eſt, homines videlicet tot, tantiſque affulgentibus è cælo ſignorum portentis edoctos, pręmonitoſq; nil, vel certè parum Apoſtolicorum fulminum metu affici; adeo vt cum integras interdum Ciuitates vna cum ciuibus terræ motibus valide cõcuti, atque vnico anathematis impulſu, arietis inſtar expetitas corruere, ac repentino funditus hiatu abſorptas deperire contingat, nonnulli tamen in ſua adhuc defixi malitia, conſtanteſque, Eccleſiæ ſubdi, eiuſque cenſuris obedire detrectẽt. Denique vnum hic coronidis inſtar ex eodem Nicio diuinæ in fures, qui pauendum excõmunicationis fulmen, ac ſi nullius rem momenti per iocum deridebãt, diuinæ inquam indignationis, quo enarrationem hanc concludimus, pio contemplandum lectori ob oculos exemplum proponimus: *Quantam* (inquit) *Eccleſiaſticæ cenſuræ vim habeant, quæ contumaces, ac rebelles ſacrificijs interdicunt, atque à reliquo fidelium cætu, ac cõmunione ſeiungunt, declararunt hac noſtra memoria, diſceſſiones, hiatuſque terræ, quæ Ciuitates integras, vna cum earum ædificijs abſorbens, intra viſcera condidit, tanquam ipſi propoſitum eſſet oſtẽdere, quibus ita interdictum ſit, ſibi quoque eos impiorum, ac ſceleratorum numero eſſe; ſed vt ſingillatim veniam ad eos, quibus hoc animaduerſionis genus peſtem, & exitium attulit: Ante annos prope triginta, erant Neapoli vir, atque vxor, nõ tam coniugij vinculo, quam improbitatis ſocietate inter ſe coniuncti, colligatique, qui ipſorum propinquis non parum multa ſurripuerant, & clanculum domum ſuam auerterant. Illi cum aliter ius ſuum obtinere non poſſent, hoc eos flagello verberandos curarunt; cuius verberis ictum (quod eius vim nondum experti eſſent) cum riſu, iocoque exceperunt, atque hilaras, & ſecuri voluptatibus operam dabãt. Verum dum liberiore ſunt animo, neque quidquam minus, quam diuinæ iracũdiæ vim metuũt, tum eã ſibi ſupra caput eſſe intellexerũt: etenim cum die quodam à prandio, animi ſcilicet cauſa, in proiectum, ſiue mænianum exiiſſent, extemplo, multis ſpectantibus repentina morte ſubito conciderunt: quæ mors nefarium illorum furtum prodidit, & in oculis omnium, conſpectuque defixit, quod illi tantopere occultare conati erant.* Sic Diris itaq; homines nequã iſti ſe vna cum rebus infeliciter deuouere, qui Eccleſiæ cenſuras temere, petulanterque proculcando, impune iam ſibi non in Deum, ſed in hominem peccare videbãtur; Repentinus vero, qui eos è vita abripuit interitus, quod clã admiſerant, furtum prodidit, & cenſurarum, quibus Eccleſia vti conſueuit, haud vnquam religionẽ impune contemni ſatis aperte monſtrauit: Quibus enarratis huic libro tandem Deo fauente finem imponimus.

Integræ ciuitates anathematis vi euerſæ.

Ian.Nic.ex. 86
Quanto fidelibus cenſuræ debeant eſſe terrori.

Anathema innumeras gignit clades

Vir & vxor anathema ſeu laruam miracem temnentes repentino obitu extincti

MORTES

MORTES PECCATORVM PESSIMAE.

LIBER QVARTVS

Infelices eorum, qui Feſtos dies violant, exitus.

1 VT à prophanis hominibus feſtorum dierũ cultum violátibus libri huius initium capiamus, infauſtos planè dies, diuino dicatos obſequio, ijs potiſſimũ extitiſſe conſtat, qui in ſeruilibus eoſdem operibus, prauiſque actibus tranſigentes, Deum, vt par eſt, colere, prę ſtitaq; ſibi beneficia recolere, per obliuionem, aut arrogantiam contẽpſere. Enimuero pœnam inde, vnde gratiam promereri poterant, pro contempto religioſo dierum cultu retulere: Feſti quippe dies, quibus Dei honor negligitur, ac ſuum Religio locum non obtinet, prophani magis, quam ſacri diuino Oraculo declarantur; adeout non tam ſe propitiari muneribus, quam culpis exacerbari, pluſque homines in ſe cœleſtis iracundiæ conflare, quam gratiæ & ſuppliciorum potius, quam indulgentiæ cumulum promereri Deus ipſe palam denunciet: *Calendas veſtras* (inquit) *& ſolemnitates veſtras odiuit anima mea*. Nam vt diſerte in rem pręſentem Origenes. *Vbi de muneribus* (ait ille) *mandatur, vbi nulla adhuc peccata ſunt, dies feſtos meos dicit, vbi autem peccatum eſt, nõ meos, ſed veſtros dies dicit Dominus*. Vnius etenim Dei cultu, ac memoria feſtiui potiſsimum dies, vt Nazianzenus edocet, inſtituti cẽſentur, ſuſq; præ aliis diebus sãctitatis prærogatiuam obtinent. *Dei memoria* (inquit) *præcipuum feſti caput eſt, Deum memoria* co-

Feſti dies non impune violati

Iſai. 1. 1.

Feſti dies abſque virtutũ cultu Deo ingrati.

Origen. in lib num. c. 23.

Iſai. c. 1.

Nazianzen. orat. 39.

colamus. Si quidem feſtorum longe aliter apud Chriſtianos, quam apud Gentiles dierum cultus recurrit, apud quos ventri indulgere, cunctiſque vitijs operam dare, his potiſſimũ diebus ſolemne eſt; *Ethnici quippe* (vt Nazianzeni verbis vtamur) *Deũ ventre colunt*. Sacrum itaque recurrẽtium feſtorum dierum tempus, quod Dei tributum eſt, ſacris pijſque exercitationibus tranſigendum nemo eſt qui neſciat; adeout vnumquemque vt probe ſuo muneri reſpondeat, animo, itidemque corpore feriari oporteat; id circo enim hoc potiſſimum tempore corpus ab operibus vacat, vt ad pietatis officia promptior Nazianzeno teſte, animus, inueniatur. *Feriari noſtrum* (inquit) *non eſt quidquã aliud, quam animum aliquid eorum agere, quæ firma, & ſtabilia ſunt*. Quapropter tunc debitus (vt Origenes docet) feſtis honor diebus redditur: *Si deſinas* (inquit) *ab omnibus ſæcularibus operibus, & nihil mũdanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, ſi de cœleſtibus cogites, ſi non reſpicias ad præſentia, hæc eſt obſeruantia ſabbathi Chriſtiani*. Hæc ille de religioſo feſtorum dierum ritu.

Nazian. orat. 38

Nazian. orat. 40

Quid ſit feriari ex Nazianzeno.

Origen. hom. 23. in lib. nu. Et ex Origene.

2. Enimuero qui erga ſacrorum dierum cultum, venerationemque aliter affecti ſunt, ſuperis profecto nõ tam ſupplicãt, quam inſultant, Deũque exacerbant potius, quam placãt. Hinc perfida olim Iudæorum natio, ſuperſtitioſo ſabathorum ritu, quo ſuam maximè Religionem prætendebat, Deum ſupra quam dici poteſt irritando, iuſtiſſimam tandem indignationem commeruit, eumque in modũ vna cum ſuis ceremonijs deſpectui fuit, vt ab ipſiſmet hoſtibus, cũ ſibi plurimum de religioſa eius diei obſeruantia placeret, plauderetq; grauioribus inde ad malorum cumulum contumelijs, probriſque derideretur: *Viderunt eam* (inquit) *hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius*. Sub dierũ quippe paſchalium feſto (vt dign culpis ſtaret pœna) cum Iudęi vndique intra Hieroſolymorum vrbem ad ſolemnitatem ex more conueniſſent, grauiſſimo ſub Tito Romanorũ Principe circumfuſi bello, ne fuga quidem vllũ ſaluti aditum ad inuenire potuerunt. *Tota gens* (inquit Ioſephus) *velut in carcerem concluſa eſt, & referta hominibus Ciuitas bello obſidebatur*. Sub ijſdem vero Azimorũ diebus, quibus iam pridem ſacrilegi Chriſtum Dominum cruci ſuffixerant, cum ad eorum recolendam memoriam confluxiſſent, cuncti prę̄ſentiſſimam è cœlo vltionem experti ſunt, vt propheticum aduerſus perfidos oraculum adimpleretur: *Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul, ac Virginem, lactentem cũ homine ſene*. In immani quippe vrbis obſidione, ac vaſtitate is, ac tantus mortuorum hominum numerus fuit, vt Ioſephi teſtimonio ſupputari vix queat. *Quid opus eſt* (inquit) *ſigillatim narrare clades*. Et ſtragem ſubindè quoquomodo perſtringens: Mortuorum (inquit) *per omne tempus obſidionis vndecies centum millia*. Sic immenſa, quæ contigit ſtrages feſtorum dierum proculcatores, iratique Numinis inaudita hactenus animaduerſio contemptores inuoluit, vt hic nõ immerito acerba tot hominũ clades, vrbiſque vna cum ciuibus ruina, inter funeſtos impiorum interitus recenſenda ſit.

Sabbathi ſuperſtitioſo cultu Deum Iudæi oſtendunt.

Hierem. c. 4. Cur ſabbatho Iudæi circumuenti.

Ioſeph. lib. 6. de bell. iudaic

Violata ſacrorum dierum religio iudæis vaſtitatem intulit

Deut. c. 32.

Ioſeph. lib. 6 c. 17. de bell. Iudaico

Vndecies cẽtum millia iudæorum extincta in obſidione Hieroſol.

3. Porro vt rerum, quæ hoc libro continentur, ſeries innoteſcat; poſt feſtorum dierum contemptores à Deo mulctatos. *Quoniam ſine fide* (vt Apoſt. ait) *impoſſibile eſt placere Deo* eos, qui à Chriſti fide vitæ,

ad Heb. 11. 6.

aut

aut imperij, aut magnorum principum gratiæ retinendæ cauſa trãsfugiũt, vel certe acceptam fidei notitiã repudiant, eos inſuper, qui fidem alteri præſtitam, & iureiurando obligatam temere infringunt, haud pacifice diem clauſiſſe comperimus. His Genitores, qui filios male educant, filios item parentibus inobedientes, ac contumelioſos, eorumque imprecationibus irretitos; fœminas quoque nimium corporis pulchritudini ſeruientes, impuriſque amoribus deditas, Fratricidas item, ac fures, furtiuarumque rerum detentores infelici tandem exitu abreptos, hæ vltro Lectorem paginę admonent.

Ordo in hoc libro tenendus.

CAP. I.

Feſtorum dierum, Eccleſiæ ritu Deo ſacrorum, violatores infeliciter, pereunt.

1 SAcrorum dierum cultus, tunc primum Dei magiſterio initium cœpiſſe viſus eſt, cũ poſt formatum è limo hominem, ſeptimę diei cultũ, ideſt Sabbathi, ipſe, qui diem & hominem fecerat, vniuerſi opifex, in ſui operis primordio dedicauit: *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Enimuero vel tunc Deus Sabbatũ, quãdo ſãctificationẽ diei benedicẽdo impertiuit, religioſe à cunctis habendum voluit, ſacrauitque, ac ſuimetipſius obſequio, ac cultui dicatũ à prophanis reliquis quodammodo ſeiunxit. Quamobrẽ venerãdæ huius diei honorem apud homines iugiter ab ipſius mundi exordio viguiſſe, ac ſucceſſiuis ad poſteros temporibus promanaſſe, Euſebius præ cæteris aſſertor eſt, dũ eius potiſſimũ mẽtionem faciens: *Septimã* (inquit) *diem nòn hæbrees tantum, ſed ómnes fere tã philoſophos, quam poetas, ſacratiorẽ eſſe cognouiſſe.* Hanc vero ab Hæbreis, quibus peculiari titulo ſolẽnis erat, opinionem ad Philoſophos corriuatam, apertis quoq; verbis affirmat, adeout nuſquã antea ſacer diei cultus extiterit, vel certe tot inualeſcẽtibus ſubinde toto terrarũ orbe idololatrarũ erroribus, extinctus penè fuerit, eiuſque religio inoleuerit.

Genes. c. 2.

Dies ſeptimus apud vetuſtiſſimas gentes in veneratione habitus

Euſeb. lib. 13 de præparat. Euang. c. 7

2. At præcipuus apud Iudęos, Deo inſtituente, Sabbathi cultus fuit: *Memento* (inquit) *vt Sabbatha ſanctifices.* Recolendam quippe tanti diei memoriã peculiaribus verbis eiuſq; moſayco populo obſeruantiã diſtricte comendans: S*ex diebus* (inquit) *facietis opus, dies ſeptimus, quia Sabbathi requies eſt, vocabitur ſanctus, omne opus non facietis in eo.* Sanctificatio quippe diei tam ſolemni ritu peragenda in eo potiſſimũ conſiſtebat, vt vnuſquiſque ab omni ſeruili opere, ac labore ſibi in primis abſtinendum, ac Deo intenſius vacandum intelligeret. Hinc de pijs, qui ad diuinum pertinent obſequiũ, ipſa die ſabbathi aduenientе, exercendis actibus, aperta in Moſaycarum legum tabulis præcepta certiſque verbis adnumerantur. Quin vt ſacra diei religio ipſius Dei magiſterio euincatur, Iudaicum populum, vt Philo aſſerit, & Euſebius Philonem ſecutus, totamq; Iſraelis proſapiã ſic diuinus Moyſes inſtituit, vt ſinguli auitæ religionis cauſa, ſeptimo quoquè die in vnum conuenirent, diuiniſque rebus cunctis poſthabitis, impenſius vacarent: *Vt conſidentes* (inquit Euſebius) *ſcripturas audirent:* Quem quidem

Exod. 20, 31.

Antiquiſſimus in orbe Sabbathi cultus apud Iudæos. Leuit. c. 23

Ritus diuinitus præſcripti in Sabbathi cultu.

Philo. & Euſeb. lib. 8. de præp. Euang. c. 2.

Digitized by Google

quidem laudatiſſimum morem è ſacris Euangelicorum, nec non Apoſtolicorum actuum paginis apud fideles percæuiſiſſe conſtat. Etenim vt ſua diei eſſet religio, formulam quoque, peculiaremque colendi Sabbathi ritum, ſuis Deus longe ante præſcripſerat, cum præcipiendo ait: A *veſpera* (inquit) *vſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*. Atqui ſolemnis dierum cultus non tantum apud hębreos, ſed ipſis gẽtilibus in vſu fuit, qui Dei memores, eiuſq; beneficijs grati, Religionis amore ſuccẽſi, ab humanis exercitationibus manus tunc potiſſimum, laboribuſque contrahebant, vt nimirũ in ſacris eiuſcemodi cerimoniis, ac ſacrificijs liberi, expeditique inuenirentur, animumq; ad Deum, vt par eſt, traducerent. Otium vero, quod præcipuo Numinis imperio, Moſaicarumque legum præſcripto Iudæis indicebatur, ad ceremonialia reducendum præcepta comprobatur; occultiore enim rerum ſacramẽto id ipſius Dei à ſex dierum operibus otium indigitabat. Ex quo Iudaicæ religionis cultum, & quod ſub cortice latebat, myſterium, moralis ille inter Philoſophos, ignorans Iudæorum ſabbatha, moremque deridens reprehendit, quod ſeptimã videlicet vitæ ſic inutiliter partem conterant, & (vt Auguſtinus ait) eoſdem tẽpus perdere cauſatur. Quem errorem ſecutus etiam ille Satyricorum princeps Iudæis ait:

Diuinis rebus à Veſpere ad veſperam Iudæi vacare iuſſit.

Tunc vere viuitur cum vita Deo ſacratur. *Aug. lib. 6. de Ciuit. Dei c. 11.*

Iuuenal. in Satyr.

------------Septima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.

Aug. vbi ſup.

Atqui *impium eſt* (vt idem Auguſtinus docet) *inutiliter amitti tempus aſſerere, quod diuino deſtinatum cultui pie, ac laudabiliter diuinis rebus impenditur*.

4. Porro illibata diei ſeptimæ, ac iudaici ſabbathi religio, quæ diu in orbe viguit, ſub Euangelicis poſtmodũ temporibus deſiit, adeo vt quemadmodum, & reliquæ legis obſeruantię abolitæ ſunt, ſic & huius quoque diei cultum aboleri contigerit; quod prę ceteris Gregorius tradit in hæreticos quoſdam acrius inuehens, qui impium Ebionitarum errorem iterum inſtaurando, Chriſtianos ad ſabbathi retinendum, ſeruandumq; cultum adhortantes, eoſdem à cunctis operibus contrahere manum cogebant: quod ſuperſtitioſæ item obſeruantiæ præſcriptum iam antiquatum, demum Antichriſti opera, vt Iudæos nimis hac in re deliros decipiendo ob ſtringat, in morem denuo inducendum Gregorius docet. Cuius aſſertionis propoſitum haud ſemel Auguſtinus meminit, confirmatq; dũ eaſdem pro abolendo ſabbathi cultu, ac pro tota moſaica lege, cœteriſq; legalibus ritibus è medio tollẽdis, rationes militare contendit: *Ideo* (inquit) *ſanctos Eccleſiæ Patres omnẽ gloriam Iudaici ſabbathi in diem Dominicum transferre, vt quod ipſi in figura, nos celebraremus in veritate*. Inde fit, quod in Lugdunenſi Concilio Dominicus Chriſtianis peculiari cultu dies ſeruandus his planè verbis indicitur. *Ne Iudaiſmo capiantur*. Sabbatho autem Dominicum apud Chriſtianos diem ſuffectum, præcipuoq; ritu colẽdum, diſertis tum ſancti Patres, tum Pontifices verbis inculcant; qui certe dies ſeptimus in reliquorum ordine computatur: Quapropter Alexander huius nominis III. ait: *Licet tam veteris, quam noui teſtamenti pagina diem ſeptimum ad humanam quietem ſpecialiter deputauerit, quod tam eum, quam alios dies maieſtati altiſſimæ deputatos, nec non natalitia SS. Martyrũ Eccleſia decre-* *uit*

Greg. lib. 11. ep. 3. & in capit. præſent. de conſec. diſt. 3

Sabbathi gloria tranſlata ad diẽ dominicum & figura in veritatem effulſit. *Aug. ſer. 251 de temp. & lib. 4. Gen. ad lit.*

Conc. Lugd. c. 1. de conſec. d. 3.

Alexander 3. c. licet de ferijs.

Digitized by Google

uit obſeruanda; vt enim gloſſ. ait. *Nouum vero ſpiritualiter illud ſeruat, primum diem pro ſeptima celebrando*. Cuius item religio illis à Hieronymo verbis exprimitur: *Poſt ſabbatha triſtia* (inquit) *felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet, luce prima in eo luceſcente, & Domino meo cum triumpho reſurgente, & dicente: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. Sacratiſſimæ vero huius diei præconia, cuncti paſſim, certatimque SS. PP. celebrāt, cuius item cultus à Trullani Concilij Patribus, illis præſcribitur verbis, atq; extollitur. *Tanta debet eſſe illius diei obſeruantia, vt præter orationes, ac miſſarum ſolemnia, & ea, quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat*. Quibus ſane ſacratiſſimi diei religio, lydio veluti lapide probatur.

Gloſ. in Alex.

pſal. 117
Sācti Patres pro cultu dominicæ Dei ſtrenue laborant.
Hieron. in c. 16. Marci.

Conc. Trull. c. 8.

5. Verum enim vero præter dies Deo ſacros, dicatoſque, ipſis inſuper Beatiſſimis Apoſtolis, electiſque Chriſti martyribus & ſolemnes alios pijs Eccleſia officijs proſequi cōſueuit, vt Clemens inprimis dies, qui Apoſtolis, & martyribus dicati ſūt, ſolēniori cultu pręcipuos recēſēdo ait. *Quia magiſtri noſtri* (inquit) *fuerunt ad docendum nos de Chriſto, nobiſque ſpiritum Sanctum dederunt, & Chriſtum vitæ ſuæ anteposuerunt*. Quod & Auguſtinus in ſuis paſſim ſcriptorum monumentis inculcat: *Populus Chriſtianus* (inquit) *memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen, vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo, quamuis in memorias martyrum conſtituamus altaria*. Hinc qui rerum, diuinarum immemores, ſacras tum Deo, tum martyribus dies, ſeruilibus inſumentes operibus violant, diuinam contrahē-

Clem. Papa lib. 8. conſtit. c. 33
Euſeb. lib. 14 hiſt. c. 14.
Cur (feſti Martyrum dies celebrētur.

Aug. lib 8. de ciuit. Dei c. 27. l. 22. c. 2.

Non Martyri, ſed Deo ponuntur aræ.

do offenſam peſſimo tandem fine ſublati ſunt.

6. Sacrorum igitur, feſtiuorumq; dierū contēptus, fatalis ipſis haud ſemel contemptoribus extitiſſe è probatis hiſtoriarum paginis euincitur, adeo vt, qui debitum tam Deo, quā ſanctis eius obſequium auferre, ac potiſſimam ſacri temporis religionē lædere auſi ſunt, præreptum ſibi vitæ vſum ſenſerint, diuinoque expetiti iudicio, peſſimę vitā morti ſociarint. Et vt nonnulla hic ex veterum traditionibus excerpta lectori ob oculos proponamus; Quid ſacrum Beatiſſimo Iacobo Apoſtolo diem violanti, vt Bellouacenſis tradit, portentoſe contigerit, videamus. *Inter Hiſpanos* (inquit) *apud Tudelionum, die feſto ſancti Iacobi, triticum Ruſticus tota die in area excuſſit, qui adueſperaſcente die balneum, quod iuxta idem Caſtrum miro opere à Sarraceno antiquo factum eſt, intrauit, cumque in eo ſederet, ſtatim pellis dorſi eius ab humeris vſque ad crura balnei parietibus adhæſit, cunctiſque videntibus ob tranſgreſſionem tanti feſti, ſpiritum exhalauit. Inter Vaſcones, quoq; apud Albinetum, ſancti Iacobi diem plebs colere renuens, tota die operabatur, ſed diuina vltione totum caſtrum eius nocte ſequenti conſumptum eſt igne: nec fuit, qui ſciret, ex qua parte progrederetur ignis, ſed è cælo dicitur eueniſſe. In Epiſcopatu etiam Biſnutienſi Bernardus de Maiora eadē die tritici manipulos cum carro tota die, vicinis contradicentibus duxit. & ad veſperam vſque eo ſic operante, tempeſtuoſus ignis ac validus è cælo veniens carrum, manipulos, & boues in cinerem redegit, ſed et mulieres, quæ cū illo erāt ab alijs ſuperuenientibus in fontem proximum deportatæ ſunt, vt ignis calorem euaderent, & vix euaſerunt*. Flamma igitur

Vincent. Bellouacenſ. ex. ſpec. hiſ. lib. c. 41.
Diuinæ Iuſtitiæ exemplum in ruſtico, qui diem S. Iacobi non celebrarat.

Exemplum aliud immiſſi cęlitus ignis in eos qui diem ſacrum prophanabant

igitur vltrix è cœlo delapſa homines, velut impios, ac ſacrilegos, qui ſacrum Dei cultum temere proculcabant, dicto citius abſumpſit; Religio quippe vix vnquam impune à mortalibus lęditur.

7. Necvero abſimile eſt, quod alteri, qui in ſolẽnẽ B. Mariæ Magdalenæ diem contumelioſus fuit, funeſte impendebat ſupplicium; nã igni procul dubio ob eiuſmodi culpam cõſumptus fuiſſet, niſi patratum piaculum ex animo retractans, eiuſdem Diuæ opem cum veneratione, & lacrymis imploraſſet; vt idem ſcriptor his verbis tradit: *Vir quidam* (inquit) *Priuignum habuit, qui dum ei Bubulci ferret officium, dies B. Mariæ Magdalenæ obuenit, quam idem iuuenis, nomine Petrus, indictione ſacerdotali cum audiſſet, opere forenſi inhibitam, vitrico agri cultum imperanti reuerentiam ſolemnitatis obiecit, ſed vitrici iurgantis Imperium vicit. Itaque boues aratro ſubiungens cum ipſius operis, atque animalium execratione proſequitur. Cumque cœpta iugibus maledictis illapidat, inutile ſibi exauditur ad votum; Nam boues, & vtenſilia motis ſubitaneo tonitru elementis fulmine abſumuntur, & ipſe, qui hoc fieri exegerat imprecando, atrociori ſupplicio, & diuturniori addicitur. Eadem enim cæleſtis flamma, quæ bruta, lignaque vorauerat, eius pedi extemplo ſubripuit, quem in breui cum reddidiſſet exeſum, tibiam quoque peruadens, cruris pariter ſuprema corripuit; carnes quoque vorans neruorum durítia tabidis fluxibus laſeſcente, oſſa retexerat, eademque caſu quotidiano vſque ad geniculum hac illac diſperſerat. Cum igitur pro miſera ſua habitudine putori, & pudori ſuis eſſet parentibus, ad quãdam Eccleſiam, B. Mariæ Magdalenæ nomine, dedicatam offerri ſe fecit, vt cuius temerata feſtiuitas occaſio punitionis extiterat, remedij cauſa rurſus exiſtat. Itaque ſacer ignis, qui partes iam corporis ſuperiores attigerat, merito illius extinctus eſt, quæ ad pedes Ieſu Chriſti concupiſcentiarum ignem lacrymis extinguere meruerat.* Erumpentibus igitur ex oculis lacrymarum riuulis, actutũ ignis, qui intus tã vehementer exarſerat, cõpreſſus ceſſit.

Ignis è cælo in feſtorum violatores deſæuit.

Vincent. Belloua cenſ. ep. lib. 27

Prodigium cæleſte in eum, qui diem ſacrum temerauerat & execrationibus erat vſus.

B. Magdalenæ implorata ope depulſus ſacer ignis.

8. At quoniam de illatis diuinitus prunarum miniſterio ſupplicijs ſermo eſt, præſtat hic funeſtam hominis, qui ſacrum B. Martino diem, contumelioſis tum dictis, tum factis prophanum fecerat, cladem meminiſſe, de quo iſthæc Brandẽbachius ex Turonenſi in ſuis collationibus narrat: *Fuit* (inquit) *in ipſo termino Bituricenſi Marianus quidam Eremita, cui non erat alter cibus, niſi poma agreſtia, & ſi ei aliquoties à quibuſdã mel delatum fuiſſet, aut ſi ipſe reperire potuiſſet in ſyluis, hoc ei erat cibus, qui cum plerumque viſitaretur à plurimis, quodam tempore à quærentibus non poterat inueniri; Inueſtigantes denique eum viri, qui venerant, deprehenſo veſtigio, inuenerunt locum, in quo flexo genu aquam hauſit à fluuio, & exinde progreſſi reperiunt eum ſub vna arbore malo iacentem mortuum, vnde celebre ferebatur in populo, eum eliſum ex arbore ſpiritum exhalaſſe, ſed euidenter non eſt cognitum, quoniam à nullo refertur viſum. Tunc viri, qui aduenerant, eleuantes attulerunt ad vicum Cuuanenſem, quem ablutum, digniſq; indutũ veſtibus ſepelierunt in Eccleſia, feſta eius obitus per ſingulos celebrantes annos, atque conuenientes populi crebro ab infirmitatibus ſanabantur. Quidam autem de vicinis annonas diu infectas aqua, ac germine producto cõflatas, facto igne ſuper vimina contexta torrere parat ad pocula facienda.*

Brandebach. lib. 4. collat. ſacr. c. 40. ex Greg. Turr. de glor. conf. c. 81.

B. Mariani auſtera viuendi ratio.

Eius mors aliis incognita.

Ac-

Accedens autem vnus vicinorum ait: Quid tu ò homo hoc detineris in opere? An ignoras quod ſolemnitas eſt beati Mariani? qui cum furore reſpondit: Putaſne qui hæc loqueris, quod homo eliſus ex arbore propter compendia gulæ, Angelorum ſit relatus conſortio, vt ſanctus debeat adorari? melius eſt enim opus neceſſarium in domo exercere, quã talem ſanctum excolere &c. Nec mora flante vènto apprehenditur domus incendio, exuritur omnis, nec quicquam de ſubſtantia reſtat hominis. Exinde *eleuati globi flammarum ſuper hoſpitiola aliorum, quæ circum locata erant, huius hominis arcam ſepes, taguriola, vel porcorum, vel animalium, reliquaque, quæ ad eum pertinebant, flamma percuſſit. Nec quicquam remanſit huic miſero, quod non fuiſſet igne ſuccenſum:* Sic irreligioſi, ac prophani hominis temeritas vltricibus vltro flammis addicta eſt.

Diuina in contemptorem illius vltio.

9. Verum enim vero diuinæ indignationis furor adeo in prophanos homines, ac ſacris præſertim diebus iniurios aliquando exarſit, vt ignis è cœlo in pœnam vibratus, ſuam vel in ipſis vndis vim, ne dum amitteret ſed adaugeret, vt Petrus Damianus in B. Ruffini geſtis hunc in modum narrat: *Cum quidam* (inquit) *textrinis, ac ruralibus operibus intenti, diem ab omni populo cultum contempſiſſent, Dei miraculo domos, agroſque, ac ſuppellectilem incendio inuadi conſpexerunt origine ignota, & vt ſuppellectilem ab igne ſeruarent, in proximum profluentem amnem demergebant, recuperaturi haud dubie, ob exiguum amnem: Sed quoniam omnia ſeruiunt* Deo, *vt vel ignis refrigeret, & aqua illo iraſcente comburat, illa quidem fluuij aqua partim liquidam ſeruauit naturam, vt illata demergeret, ſed quodammodo humida alia ratione eſſe dedignata eſt, vt iniecta non humectare, ſed ignea ſiccitate poſſet adurere. Vbi igitur paruit aqua vindice Domino, rurſum paruit eidẽ placato; ij enim ipſi ſceleris pœnitẽtes, cum ad B.* Ruffini *ædem confugiſſent, quem læſiſſent, & incendium reſtinctũ eſt, & aqua non niſi frigidum ſuum cõſuetum opus exhibuit.* Hæc ibi.

Petr. Dam. ſer. de S. Ruffino Lipp. to. 4.

Immiſſus ignis cælitus in contemnentes B. Ruffini diem feſtũ.

Non extingui aquis ille potuit, ſed precibus

10. Nec ſilentio hic prætereundũ eſt, ſuneſtum illud prodigium, quod alteri, qui ſacrum B. Auito Abbati Carnotenſi diem violauerat, contigit; membris enim miſer, quæ operi vetito in diei contumeliam admouere præſumpſerat, captus, vita ipſa priuatus fuiſſet, ni ſe ad pœnitentiã traduxiſſet. Sed res hic ex Turonenſi repetenda nobis eſt. *Auitus* (inquit) *Abbas Carnotenſis poſt obitum Aurelianis fuit humatus. Supra cuius corpus fideles ciues Eccleſiam cõſtruxerunt, quam cum die anniuerſarij ſui feſti vniuerſus populus celeberrime viſitaſſet, vnus ex ciuibus contempta Miſſa, accepto raſtro vineam paſtinabat, increpatuſque à quibuſdam, cur ad Eccleſiam ſancti non accederet, reſpondit: Quod etiam Auitus cultor vineæ fuerat moxque ſibi manus retorta, & facies ad tergum verſa eſt in admirantium ſtuporem, qui ad Eccleſiam ſancti confugit, & in teſtimonium ſanctitatis beati corporis, diebus aliquibus ſic manens, vt à cunctis videri poſſet, tandem peccatum confitens, & veniam petens, oranſque ad ſancti tumulum, poſt dies modicos liberatus eſt. Huius ſancti feſtum agitur 6. Kalend. Februarij.* Supplex igitur pœnam, quam pridem contemptor in ſe concitarat, viri ſanctiſſimi patrocinio ſuffultus euaſit.

Greg. Turon. lib. de glor. confeſſ. c. 99.

Contemnẽs celebritatẽ S. Auiti ſpaſmo contractus

Precatus veniam a ſancto valetudini reſtitutus

11. Porrò religioſa ſacratorum dierum obſeruantia, belluas, ne dum homines aduerſus proculcatores impios, religionis teſtes habuit, aſſertoreſque, vt in conſcriptis B. Ludgeri ge-

geſtis apud Surium videre eſt, vbi iſthæc: Anno (inquit) *ſequenti cum natalis eius celebritas ſuperueniret, & plurimi ex vicinis, exemplo Monachorum excitati, ſimili deuotionis ſtudio ducerentur, quidam vero operibus ſuis inſiſtendum ſatius eſſe ducerẽt contigit, vt fractis aratris nihil proficerent; vnde certus quidam Bẽno nomine, furore, & amentia præceps, aratro vt cunque reſtaurato, crebris boues ſtimulis ad arandum impulit; at illi inſania efferati diſruptis loris, & iugis, ſyluas petierunt, nec ante ſane capi potuere, quam ipſe cum reliquis ad ſancti Ludgeri memoriam veniens, ſuæ temeritatis, & contemptus culpam confeſſus, pro ſe orationem ſupplex impetraſſet.* Sic congruè vbi homines pietatem abieciſſe videbantur, ipſa bruta animalia, pro tuendo ſanctorum dierum cultu præſetuliſſe pietatem viſa ſunt.

Sur. lib. 2. c. 9. in vi. S. Ludgeri.

Immiſſus furor bobus ob S. Ludgeri diem feſtum prophanatum.

Et vt propoſito inſiſtamus, haud impune violatus erga Deiparã cultus violatoribus ceſſit, quos in magna quæque plerũq; diſcrimina adduxit, atq; irreparabili dedit exitio. Et vt res cõprobetur exẽplis, quid Drauultius referat, audiamus: *In vrbe* (inquit) *Zamoſſa quædam matrona, genere quidem nobilis, ſed hæreſis tam perditæ, vt ſabbathi diem, & ſibi, & ſuis vellet eſſe feriatum, contra* Dominicũ *profeſtum, & operoſum,* Extra *vrbẽ huic erat villæ poſſeſſio, ad quam ipſo annunciantis Angeli die cum proficiſci pararet, domeſtici iter diſſuadent, diei Chriſtianis Religioſi ſanctitate propoſita. Mulier offenſa, Deiparam, cuius inclytas ferias famuli obieciſſent, verbis laceſſere, vnam ex multis dicere, eidem ſe ſanctitate parem eſſe iactare. Igitur ad villam ſuis inuitis egreſſa, cũ iam parum viæ reſtaret, equi rhedam trahentes tam fixis hæſere veſtigijs, vt ad progrediendum vis nulla coegerit. Itaque Rhedario nequicquam incitante, nihilque neque voce, & clamore neq; flagello proficiente, improba mulier dũ equi perſtant immobiles, exit ex rheda & tantiſper declinat à via, vt naturæ obtemperet, & aluum exoneret; ſe purgantem ingens, & validus ventus repente deturbat, & mulieris faciem in corporis egeſtas ſordes impingit, & cum os ſacrilegum immundis fæcibus inquinaſſet, poſt ingentes editos clamores, ſpurcam animam egit dolore trahente. Geſta res tanta anno 1600.* Sic blaſphema huius fœminæ lingua iure merito vna cum blaſphemãtis capite diuinitus aliorum futura documento perculſa eſt.

Drauult. Cathec. hiſt. tit. 2. c. 4. lib. 2. ex. 6

Hæreticæ mulierculæ dies feſtos deridentis impietas.

Diuina vltione caſtigata temeritas.

12. At poſt tragicam, quã meminimus hiſtoriã, alterius hæreticæ mulieris clades conſulto ſubtexenda eſt, quę cum amarulentis in Deiparam verbis proſiliret, prophana recurrẽtis Aſſumptæ Virginis diei cul. tus, iuſtaſq; violatæ religionis pœnas dedit. At ex Brẽdẽbachio hiſtoriã hic repetamus: *Anno* (inquit) 1556. *ipſo Aſſũptæ virgin. matris die Torpati ſacerdotes, ex recepto Eccleſiæ more diẽ illum ſolemnem habebant, & magno, vt ſolet, cum apparatu, & crebro cãpanarum pulſu diuinum cultum peragebant eam celebritatem, & reuerentiam Virgini Mariæ ad ſummi* Numi*nis honorem exhibitum, cum matrona quædam impendio inuideret, mandat pediſſequæ vti balneum apparet, caminũ inſtruat, ſe cum marito lauari decreuiſſe. Illa ſolemnis feſti* Dominam *ſubmonere, vtque alium in diem transferat, rogare:* Matrona *repẽte excandeſcẽs Quid* (inquit) *de* Maria *narras? Fuit illa mulier ſimilis mihi, nec vllius potẽtiæ, aut gratiæ prærogatiuam habet, tu iuſſa mea exequere.* Famula, *ne dominam grauius exacerbaret, imperata, perfici-*

Aliud diuinæ iuſtitiæ exemplum.

Brendebach. lib. 2. col. ſac. c. 26. ann. 1565.

Impudens muliercula ſacrum aſſũptæ Virgini diem violare auſa

perficit. Vbi ad caminum ventum eſt, arida ligna, quæ alioqui haud difficulter flammam excipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accendi potuerunt. Illa vbi ſe vndique vertit laboris fruſtanei pertæſa tectum omne ardere conſpicit, nec vlla vi flammam extinguere valet; ignis primum ipſum balneum vaſtat, mox contiguas ædes ingenti ciuium omnium terrore populatur. Confluit extemplo vniuerſum vulgus, & vix tandem latius ſerpere incendium prohibet. Poſtremo die lignorum faſciculus camino iniectus, omnino incombuſtus comperitur. Flammarum igitur globus in impium, & adeò ſacrilegum fœminę caput arroganter proculcantis ſolemnem feſtiui diei cultum, Deo inſufflante exiliens, in confeſtim in blaſphemæ mulierculæ vltionem Numinis impulſu exarſit, haud ſæuiendi proculdubio finem facturus, quouſque ſuam irreligioſa fœmina impietatem agnoſceret, ac pia deuoti populi ſtudia ſupplicibus certatim, Deiparæ cultum votis, laudibuſque extollerent.

Flamma impios fęminę auſus cōtemptamq; complicuit.

13. Funeſtus itidem, vt & hoc narratis adijciamus, ſacrorum dierum contemptus ruſticano homini extitit, qui ſacra diei religione abiecta dum operi inſtat, ruinis ſubito miſer oppreſſus eſt, & adhuc viuens inter effodiendum tumulo incluſus, funeſtum contemptæ religionis, ac ſuæ monimentum perfidiæ cunctis reliquit: Rem vero à Franciſco Bencio in ſuis Societatis Ieſu Annalibus deſcriptam hic excipiamus: *Cum ruſticus quidam* (inquit) *ſchiſmaticus, eo die qui Aſſumptæ Virgini ſacer eſt, ad eruendam argillam exiſſet maxime ob Kalendarij Gregoriani contemptum, multum licet diſſuadente Virgine quadam Catholica, & vaticinante vltimum illum ei diem, ac ſupremũ opus fore, ruentis ſubito caſu mole telluris ita oppreſſus eſt, vt ſuo incluſus funere idem reliquerit alijs neglectæ religionis monumentum, & inuenerit ipſe dementis propoſiti ſepulchrum.* Et magno ſane Ruſticanus iſte infelicitatis exemplo, dum temere Virginis cultum contemnit, ſemetipſum exitio deuouit, ac foueam ſibi, quã contumelioſe in Virginem operãdo, adhuc ſpirans abſorberetur, non tam fodiſſe, quam perfidiæ tumulum patefeciſſe, viſus eſt.

Ann. ſoc. Ieſ. Benc. in prou pol. an. 1580. Ruſticus ob prophanatũ diem ſacrũ Virgini terra obrutus

Maximam itaque Deo, vt ex narratis videre eſt, contumeliam inferũt, qui ſacris præcipue diebus, in quibus maxima quæque, tum rerum diuinarum myſteria, tum beneficiorum munera è cœlo hominibus præſtita recoluntur, non modo honorem (vt par eſt) non exhibent, ſed prophanis, illicitiſque inſuper ſacratiora tempora inſumentes, quod Deo inprimis iubente, eodemque auctore religionis cultui dicatum, ſacratumque fuerat, violant, proculcantque. Verum non impune Deus eiuſcemodi iniuriam, ac ſuarum contemptum rerum præterit; Virum quippe, vt ſacræ rerum geſtarum paginæ locupleti teſtimonio edocent, qui die ſabbathi furtiuam colligẽdis lignis operam dabat, lapidibus adnitente totius Iſraelitici populi manu obruendum Deus Moyſi præcepit. At ſi quis eos potiſſimum dies, qui vberem ſupernorum beneficiorum gratiam homini diuinitus impẽſam proteſtãtur, in religionis propudium, diuinique honoris contemptum violet, quo non dignus ſupplicio cenſendus erit? Profecto velut in ipſum Deum ſacrilegus, ob contemptam Numinis maieſtatem, haud alteri, quam Diabolo velut tortori plectendus, mactanduſque tradi meretur. Et ne noſtra

Sacri dies quibus diuina beneficia recoluntur, contemptoribus funeſti

Contemptus violati Sabbathi morte contemptoris expiatus.

Digitized by Google

ſtra longius à propoſito aberret oratio, patentiſſimum Chriſtiano orbi indignationis exemplum in hæretico homine apud Polonos exhibitum eſt, qui à catholicorum fide transfugiẽs, prauis, & impijs (vt hæreticorum mos eſt) opinionibus imbutus, immanes præſertim aduerſus ſacroſancta altaris myſteria, ac Dominici corporis ibi realiter conſiſtentis veritatem, dæmone, vt hominem perderet, inſtigante hauſerat. Impius igitur, vt recolendæ diuiniſſimi ſacramenti, quod iam à Chriſto ob ſalutem hominum inſtitutum fuit, memoriæ palam inſultaret, occaſionem nactus, feſtiua per anni circulum ſacratiſſimi corporis recurrente die, vt pro honore contumeliam, contemptumque pro obſequiò deferret, ſeruilibus inſtandum, inſudandúmque operibus, ac ſerio, conſultoque reliquis pluſquam prophanis, diebus ſuam excolendam ab operarijs vineam iuſſit. *Quoniam vero qui diſſipat ſepem* (vt diuina monẽt oracula) *mordebit eũ coluber*. Ita plane ſacrilego in rẽ præſentem contigit: ſed rem ab Auguſtino Manno noſtræ congregationis Presbytero, qui ſe à viris fide dignis accepiſſe teſtatur, in ſuo ſelectarum hiſtoriarum libro deſcriptam audiamus.

Exemplum in polono hæretico

Eccleſ. 10. 8.

14. *In quadam* (inquit) *Regione Poloniæ, quidam vir diabolo aures accommodans relicta fide* Catholica, *quã inuiolatam à maioribus acceperat, tranſiuit ad hæreticos. Hic habebat vineã, quam cum certo tempore neſcio quid cultum vellet in ea, & ſolemnitas diei approximaret, in qua inſtitutio ſanctiſſimi ſacramenti corporis Chriſti venerationis gratia inter Catholicos recoli ſolet, decreuit eadem die in contemptũ eius feſtiuitatis conducere operarios, vt foderent eam. Vxor autem viri huius, in qua nondum plene catholica fides, quam à teneris annis acceperat, extincta erat, rogabat virum, ne eo die tam ſolemni opus illud Mechanicum exerceret in vinea. Ille autem lætabatur, quoniam daretur ſibi occaſio contemnẽdi diem illum, & vxorem ſuam non audiens illuceſcente ſacro die profectus conduxit operarios, & duxit in vineã. Sedens autem ſuper gramen alacri animo, operarios ligonibus terram proſcindentes aſpiciebat. Vix operarij opus aggreſſi fuerant, cum repente ecce immanis coluber repens, & in ſpiris ſe ſe colligens, & exiliens, & linguis triſulcis ore micans, aduerſus vineæ Dominum ſinuoſo flexu, ſublato pectore cerula colla attollens, & veneno tumẽti fertur, horrida ſibila mittens. Cumq; perueniſſet ad illum, collum eius tam ſtrictis complexibus circumcinxit, donec ſuperbum contemptorem necauit. Fugerunt operarij à facie colubri, ſed vltor ſerpens adhuc perſtans ſuper illũ, nec morte eius contentus, lethalibus morſibus cœpit eum deuorare. Vt nulli eſſet dubium in ſerpente illo aſtitiſſe Diabolum, qui eum, quem prius veneno perfidiæ necauerat, eumdem poſtea iubente Deo veneno extinctum deuoraret, ſed deuorare nõ poteſt, niſi eum, qui non ſtetit fortis in fide.* Hæc ille.

Aug. Man. lib. ſelect. hiſt. cap. 40

Perfidus monentem vxorem ſpernit.

Ab angue inſpectantibus operaris deuoratur.

15. Ex quo palàm, vt arbitror, videre eſt hominem, qui tam ſolemnem ſacroſancto Dominici corporis myſterio contumeliam inferre conabatur, in ſuomet corpore, tabificę mortis aculeo pœnã exoluiſſe. Atqui miſerãdus prophani viri deceſſus, pari prophani illius apud Ethnicos Laocoontis interitu ad viuũ adũbratus, concinneque Poetarum ſtylo deſcriptus olim fuiſſe videtur; res quippe gentiles apud poetas ſatis decantata eſt de Lacoonte, cuius opportune nunc mentio incidit; hic enim

Anilis fabella Laocoontis in hoc verum exitum ſortita.

Digitized by Google

enim cum votiuum illum Palladi Græcorum dolis inſtructum, fabricatumque equum, & intus in Palladis ipſius templo ſiſtendum, valida ad percauendos hoſtium, ſi qui laterent, dolos, cuſpidis haſta audacter inuaſiſſet, mox in piaculi pœnam, vt Poetæ canunt, tum ipſe, tum filij miſere ab anguibus diſcerpti periere; his autem hiſtoriam Virgilius carminibus eſt perſequutus.

Virg. Aeneid. lib. 2. n.

Sic fatus validis ingentem viribus haſtam,
In latus, inque feri curuam compagibus aluum
contorſit

His ſacrilegos Lacoontis, qui patriæ exitium præſagiebat, conatus, in compactum doloſa Græcorum arte votiuũ, equi opus Poeta cœterorũ Princeps eleganter expreſſit, quibus condignum ſubinde ſupplicium diris anguium morſibus, tum in hominẽ, tũ in filios intortũ, his verbis ſubinfert.

Virgil. Aene. id lib. 2. n. 25
Laocoon à ſerpentibus diſcerptus ſacrilegii pœnas luit.

Laoocon, ductus Neptuno ſorte ſacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras:
Ecce autem gemini Tenedo trãquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.

Et infra.

Poetica elegans & concinna deſcriptio.

Diffugimus viſu exangues: Illi agmine certo
Laocoonta petunt, & primum parua duorum
Corpora natorum ſerpens amplexus vterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus &c.

16. Quibus vel obiter hic delibatis, concinne pœnam petulanti hæretico diuinitus inflictam, & eleganti poetæ metro deſcriptam, pie lector intelligis, quam hiſtoricam plane rem, etſi tragicam, nec quid fabuloſum, & commẽtitium repute;quod enim narrauimus à viro fide digniſſimo memoriæ proditum eſt. In hoc autẽ iuſta ſceleri pæna reſpondit: Quippe cum praua hæreticorum doctrina, & conſtans in malo perfidia, quæ fæcunda alioqui errorum parens ac diſcordiarum nutrix eſt, Colubri ad inſtar venenum ore præſeferat, non niſi ſerpentinis hæreticæ prauitatis ſectator morſibus infeliciter perire debuit.

Cur à ſerpente hæreſis ſectator diſcerptus.

Demum, vt condignas feſtiuorũ dierum violatores pænas dediſſe nemini addubitandum ſit, funeſtũ plane eſt, quod ſacram diei religionem, ac cultum audacter negligentibus, hoc nouiſſimo ſæculo contigit: vt in ſuis ſelectis exemplis Nicio enarrante comperimus. *Anno* (inquit) *M.DXCVI. Epidaurius quidã Myoparo Ianuenſem in portum ſe receperat, atque aliquot in eo dies fuerat, qui quidem Epidauri cuiuſdam auctoritate, & imperio adminiſtrabatur, ſed magna ex parte ad* Nicolaum *Lomellinum ſpectabat, ad quem* Epidaurius *ille die quodam acceſſit, aitque ſibi deliberatum eſſe* VIII. *Kal. Ianuarij Mypparonem è portu ſoluere, quo Epiſcopum neſcio quem Carthaginem nouam adueheret. qui dies Natalis erat Chriſti Domini, cui Lomellinus, nullo modo ſibi probari reſpondit, vt diem illum, toto orbe Chriſtiano celeberrimum, qui pietatis, ac religionis operibus deberetur, nauigãdo conſumeret; quamobrem rectius eum eſſe facturum, ſi diem poſtremum expectaſſet. At ille non eſſe id ſibi integrum ait, quod profectionem in illum diem pronunciaſſet, ac velle in eo, quod dixiſſet, fidem ſeruare; præterea magnam ex ea re ſpem lucri oſtẽdi; ſe enim ve-*

Nicius Aerithius lib. exẽpl. vir. ac vit. exemp. 9
Nauta diem natalitium Chriſti prophanans lugubri naufragio merſus

Sacroſancti diei religio contemptori fatalis.

vectores amplius quadraginta tollere, præter equos, & merces, pro quibus naulum eſſet perſoluendum, poſtremo ventum operam dare, quod ſciret, quam raro hyeme ſoleret contingere. Lomellinus cum eum ita obſirmatum videret Quoniam (inquit) tibi fixum in animo eſt Myoparonem ſoluere, Deum quidem propitium exopto, ſed inſignem aliquã calamitatem metuo. Sed *vera illum præſagiſſe, euentus comprobauit; nam cum Myoparonem ſoluiſſet, vt dixerat, adeo proſpera vſus eſt tempeſtate, vt quartum poſt diem delatus in Hiſpaniam, alteram ex ijs inſulis, quas* Baleares *vocant attigerit, ſed non ſine magno ſuo malo; etenim à vento, qui inualuerat arreptus, ad ſcopulos ibi proximos Myoparonem fregit, quique in eo erant, ad vnum omnes interierunt, cuius calamitatis fama, non nuncij cuiuſquam opera ad continentem permanauit; nam relictus eſt nemo, qui nunciaret, ſed cadaueribus defunctorum equorum, tabuliſque percrebuit, quæ mari illo ferebantur.* Proculcata igitur ſacra, adeoq; ſolemnis diei religio in viros iſtos, qui è portu ſoluerant, ac in eorum ducem, ventos, ac maris procellas concitaſſe, & certum denique pro contemptus mercede inter pelagi vndas naufragium intuliſſe viſa eſt. Et hęc de feſtorum dierum contemptoribus.

Prædictum illi à Lomellino exitium.

Illis ſcopulis omnes periere.

CAP. II.

A fide Chriſti, vitę, aut imperij, aut virorum Principum gratiæ retinendæ cauſa transfugientes.

1 MAgna Chriſtianę fidei excellentia, qua hominis anima diuinarum rerum theſauris apprime diteſcit, & ad aſſequendam Dei immenſitatem ipſo aſpirante prouehitur, ac mentis oculo ipſam quodammodo eius, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem*, naturæ ſublimitatem attingit: *Fide enim Moyſes inuiſibilem* (vt ait Apoſtolus) *tanquam videns ſuſtinuit*. Ad quod ſane Bernardus alluſiſſe viſus eſt, dum altiſſimæ fidei prærogatiuam retexens: *Fides* (inquit) *eſt velut quoddam æternitatis exemplar præterita ſimul, præſentia & futura ſinu quodam vaſtiſſimo comprehendens, vt nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.* Quo certe nihil præſtantius dici, aut excogitari vnquam poteſt, vt præcelſæ fidei præconia ſuis item alibi mellifluus doctor verbis extollens. *Fides* (inquit) *attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit nouiſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludit. Fidenter dixerim æternam, beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo; et fide teneo, quod ſana non capio mente.*

Dignitas chriſtianæ fidei

1. ad Timot. c. 16

Ad Heb. 11. c. 27.

Bern. ſer. 6. in vigil. Natiuit.

Ber. ſer. 76. in Cant.

2 Ea autẽ eſt nobiliſſimæ huius, quæ ſuam è cœlo originem trahit, virtutis, gratia meritorum faſtigium,

 vt

leſtique excidens, neque hac poſtremo diu gaudens. Nam vbi calidam attigit aquam, corpore, quod glacie torpebat, diſſoluto ſtatim interijt. Cuſtos vero, qui prodigium hoc viderat, vbi illum fugientem conſpexit, relictis omnibus ſe ſe in eius demiſit locum, ac vnam cum ſanctis illis vocem emiſit: Chriſtianus, & ego ſum. Itaque cum eius ſubita mutatione ſtuporem illis incuteret, & numerum impleuit, & moeſtos ob ſocium amiſſum ſanctos conſolatus eſt: eos imitando, qui in acie prima vbi forte aliquis ceciderit, ſtatim ordini alium reſtituunt, ac ſurrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipſe ſe geſſit: Vidit miracula cœleſtia, agnouit Veritatem, ad dominum confugit, cum martyribus adnumeratus eſt, exẽplũ eſt Apoſtolorũ imitatus: Abijt Iudas, Matthias eſt ſurrogatus. Sic martyrij corona, quá ſegnis morbiduſque miles irreparabiliter amiſit, alteri in eius locum repente ſuffecto diuinitus ceſſit; is vero, qui momentaneos pro Chriſto cruciatus expauit, martyrii palma, ac vita pariter excidit, vt illo diuinitus oraculo pauidi cordis miles, ſuum tenere locum, ac propheticæ vocis ad martyrium inſonante tuba, paratam ſibi è cœlo coronam dimittendam nullatenus, abiiciendamq; ediſceret: *Tene quod habes* (inquit) *ne alius accipiat coronã tuã.* Et quod item Chriſtus in Euãgelicis tabulis admonet, in ipſo ad impletum quiſque intelligat: *Quia vnus aſſumetur, & alius relinquetur.* Qui enim dignus Chriſti confeſſor primum extiterat, à martyrum conſortio recedens, fidem prodidit, & qui martyres inſectando, Chriſtum prodidiſſe videbatur, propoſitã martyribus pœnam viriliter ſubeundo, verus Chriſti tum confeſſor, tum pugil coronam accipiendo euaſit.

Cuſtos martyrũ fidẽ profeſſus palmam refert

Ignauia apoſtaſiæ & infelicitatis cauſa extitit

Apoc. 2. 1P.

Matt. 24. 40.

Confeſſor Chriſti fit proditor, & proditores contra Chriſti confeſſor euadit.

5. Et vt ſuſceptæ narrationis propoſito inſiſtamus, qui fidem Chriſti Principũ gratia per ignauiã aliquãdo eiurarunt, funeſto è vita exitu abrepti leguntur, vt teſtatiſſima ex Eccleſiaſticorum annalium tabulis exẽpla euincunt, quæ hic in medium proferre operæ pretium duximus. Homines itaque in Deum impii, qui Orthodoxam fidem, vt ambitionis obtentu fauorem principis lucrifacerent, fœdifragi turpiter eiurarũt, haud vllã ab homine, vti ſperabant, gratiã, imo odiũ potius pro gratia, certamq; pro beneficio contumeliam retulere. Vt autem exemplo res cõprobetur.

Eiurantes fidem humanæ gratiæ cauſa retulere odia

Theodoricus Gothorum Rex aulicum quemdam, cuius fidei, ac momenti vir eſſet, experimentum capere cupiens, cum Arrianorum ipſe mordicus ſectæ inhæreret, præmiorum ſpe ad Arrianiſmum indúxit; ſed odium ſubinde pro gratia miſer à Theodorico recepit; nam ægro Rex, indignoque animo ferens, quod is in ſui gratiam à Catholica fide ad Arrianorum ſectam transfugiſſet, illi non ſecus, ac proditori caput abſtulit, nullamque penitus ei, qui Chriſto fidem non ſeruarat, pręſtandam fidem egregio ſane documento monſtrauit. Sed rem à Nicephoro, atque aliis luculenter deſcriptam hic repetamus.

Baron. tom. 6 an. 494 n. 58

6. *De Theodorico* (ait) *quidã huiuſmodi hiſtoriæ tradunt; Miniſtrum is quemdam ſaniorem fidem ſectantẽ vehementer inſano amore proſequebatur, & ad voluptatem eo abutebatur. Et ille, vt quæ grata, placitaque ei eſſent, faceret, à conſubſtantialis fide deſciuit ad Arianiſmum. Quod vbi Theodoricus comperit, caput illi, quam tantopere amauerat, reſecuit, inquiens: Si Deo fidẽ ſincerã nõ ſeruaſti quomodo mihi, quia homo ſũ, conſciẽtiã ſanã præſtabis?* Hæc Nicephorus, eadem Zonaras, & Cedrenus, & Theodorus Lector poſte.

Niceph. lib. 16. c. 35

Deficientem à fide necari iubet

Negat præſtiturum homini fidem, quam Deo; nõ præſtitit

Zonar. Cedrenus, Theodorus Lector lib. poſtea.

ſteriori collectaneorum libro, etſi nil prorſus de fœda miniſtri conſuetudine tradat. Ex quibus verbis nobili, validoque in rem præſentem argumento ab Arriano homine nobis propoſito luce clarius innoteſcit, quã ſpecioſa ingenui viri, animique ſibi bene cõſcii virtus ſit, in oppignorata Deo fide immobilẽ iugiter perſiſtere, & ne latum quidem vnguem à ſuſcepta ſemel religione diſcedere; Quẽadmodum è contra haud dubium, ad probe coniectandum viri proditoris, venaliſque animæ indicium patet, ſi quis fidem aptare temporibus, ac terrenorum Principum gratiam, ipſiuſmet Dei amicitiæ, ac Religioni prætuliſſe deprehenditur; his enim illud Ambroſii apte conſonat: *Quanti dum Imperatoris gratiam ſequuntur, ipſius Dei gratiam perdiderunt*. Verũ diuini impulſu Numinis id, quod ſolemne aulicis, ambitioſiſque hominibus eſſe cõſueuit, ſub Arriano iſto ac infido principe locũ minime habuit, vt præcipuis Chriſti fidem eiurantes fauoribus proſequeretur, vel certe animos propoſitis ad id præſtãdum præmiis alliceret, pertentaretq; tunc enim cuncti facile à Chriſto recedentes, ſacrilegis vocibus Religioni nuncium remitterent; *Abiecerũt quippe omnes* (inquit ille) *pietatem, ne ſuam regi exprobare impietatem viderentur, ſi pie viuerent*. Quod adeo verum eſt, vt cum Roboam Rex impie ageret, totus certatim Iſrael eius ſequi veſtigia contenderet: *Non enim* (Ioſephus inquit) *opera Principũ approbari videntur, niſi hæc ſimiliter & agantur. Cum igitur* Roboam *ageret impie, ſtudebant & ſerui non eſſe iuſti, ne* Rex *videretur offendi*. Miſer igitur, cuius mẽtionẽ fecimus, dum ob ſui promerẽdam Regis gratiam, à Chriſti cultu excidit, vita pariter in pœnam facinoris, quod patrarat, Deo regem ad iuſtam vltionem impellente, infeliciter orbatus eſt. Sed ne alios eiuſmodi obnoxios crimini ſileamus.

Plures Cæſarum gratiam ſequuti Dei gratiam amiſerunt.

Amb. exp. in pſal. 118

Miſeri qui abiiciũt pietatem, ne videãtur principibus exprobrare impietatem

Ioſeph. lib. 2. Paralip. c. 12. n. 1.

Ioſeph. lib. 8 antiqu. c. 19.

7. Transamundus Vvandalorum Rex, ſecta item Arrianus ſubtexẽdus hic eſt, qui cum Africæ Prouinciam occupaſſet, Regno poſt Gundadabundi fratris obitum potitus certe haud palam ſub principatus initia catholicis negotium faceſſere minis, terroribuſque aggreſſus eſt; ſed blãditijs duntaxat, vt voti compos fieret, ac præmijs in ſuam eoſdem ſectam pelliciendos curauit: Quapropter perditi regis impietas his artibus inſtructa adeo inſectando præualuit, vt Catholicorum Eccleſiam penitus à ſe abolendã putaret, ſi nulli iam defunctis Epiſcopi ſufficerentur; hos tamen, quos Epiſcopatu iã initiatos nouerat, & Africanis adminiſtrandis Eccleſijs præpoſitos, in Sardiniam procul amandare non dubitauit. Igitur dolis accinctus, ac blãditijs Protheus iſte orthodoxos non modo peruertere, ſed dementare inſuper ſtuduit; inter cœtera autem quæ impie præſtitit, cum B. Fulgentium, vt eius doctrinam probaret, Carthaginem adduci præcepiſſet, diuinam ſubinde viri ſapientiam demiratus, nec quidquam ex ea proficiẽs, & à ſeipſo nil immutatus, vbi eius opera vberrimos in Dei vinea, animarumque cultu afferri fructus comperiſſet, pijs condignam laboribus mercedem rependens, in exilium ablegauit. Verum iuſto Dei iudicio Rex improbus, qui beati viri doctrina, exemplo inſuper, ac prædicatione, alter veluti Antiochus obduruiſſe penitus videbatur, cũ ſeptem & viginti annos, & quatuor amplius mẽſes regnaſſet, Mauris acriter inſectã-

Traſamundus Rex Arrianiſmum blanditiis propagauit. Baron. to. 7. an. § 22. n. 4.

B. Fulgẽtiũ dãnat exilio

Baron. tom. 7 vbi ſup.

tibus

tibus, ab ijs tandem turpiter in pœnam ſcelerum victus, infeliciter è vita abſceſſit. Porro infelicem homini, vlciſcente Deo, exitum obtigiſſe addubitandum non eſt, tũ præſertim quia cum Vvandali bellum gerentes venerandas Catholicorum Eccleſias prophanas redderent, Mauri è contra, cum quibus arma conferebant, ſacra loca ab Vvandalis contumelioſe proculcata, Gabaonis eorumdem exercitus Præfecti iuſſu piẹ ſollicitudinis ſtuſtio purgabant, excolebantque.

Gabaon militum dux qua arte Deum ſibi propitium fieri curat

Præfectus quippe Gabaon, etſi viribus impar, pietate tamen præcellens, hac potiſſimum arte inferendam hoſtibus cladem, optatamque ſuis victoriæ palmam ſe à Deo impetraturum ſperabat: *Hoc enim non ab re ducebat* (inquit Procopius) *vt Deum quem Chriſtiani colunt, veneraretur, nam ſi* (aiebat) *vt fertur pius erit, par eſt, vt iniquos, ac ei contumeliam inferentes plectat, famulantibus vero præſto ſit*.

Procop. de bel. Vvan. lib. 1.

Cum igitur Vuandali ingentem Deo vindice vaſtitatem, ac nobilem Mauri ex hoſtibus triumphum accepiſſent, Traſamundus nimio dolore tabeſcens, iraque percitus ob infelicẽ belli euentum, deſperatis iam rebus infeliciſſimo vitam exitu clauſit, vt idem Procopius his verbis tradit: *Quapropter magna* (inquit) *ipſorũ ſtrages, frequentibus ab hoſte ſagittis irruẽtibus facta eſt. Hæc igitur Traſamũdus ab Afris paſſus, paulo poſt deceſſit Rex annis viginti ſeptem.* Hic hominis plane impii & à Chriſti fide homines abducentis exitus fuit.

Procop. de bell. Vuand. lib. 1.

Vuandali à Mauris maxima ſtrage deleti.

8. Sed fraudulentam Traſamundi Regis impietatem, qua haud palã ab initio, ſed clanculum, nec tam in Orthodoxos terroribus, quã blanditĩs inſtructus deſẹuiebat, hic in ſtudioſi gratiam lectoris meminiſſe prẹſtat; ob iſthæc enim impius iuſtam Numinis in ſe, ſuoſque iram concitaſſe deprehenditur. Atqui regni primordia, inſtaurat̹que ab eo perſequutionis præludia, Procopio enarrante hic nobis repetenda ſunt: *Traſamundus* (inquit) *Regnum ſuſcepit, vir indole ſapientiæ, tum animi magnitudine omnes maiores antecedens: Chriſtianos autem non pœnis corporis, aut ſupplicijs, vt ille, ſed præmijs & honoribus omnibus ad deſerendam fidẽ inuitauit, non auſcultantes vero minime plectebat; Si quos magis criminibus obnoxios vidiſſet, ſeu fortuna, ſeu voluntate, hos non dare præteritorũ pœnas, ſed præmijs, muneribuſque meliorem inducere mentem cogebat. Fuit autem Anaſtaſio Principi amiciſſimus*.

Procop. loco cit.

Traſamundi fraudes in corrumpendis fidelibus

Hẹc de Traſamundo Rege Procopius. Et certe quidem B. Fulgentius ſcriptis ad Regem libris, hunc parẽte meliorem appellat, cui itẽ Theodoricus Italiæ Rex, filiam, Amalafridã nomine, connubiali fœdere iunxit, vt ex conſcripta Regis eiuſdẽ Theodorici ad prẹmemoratum epiſtola liquet, ad quem inſuper alteram direxit, qua eumdem antea acribus obiurgatum verbis ſuſcepit, etſi trãſmiſſa ab eo munera reijciſſet.

Quæ de Traſamũdo S. Fulgentius aſſerit.

Fulg. de Traſam. lib. 3. in fin.

Apud Caſſiodor. lib. 2. ep. 44.

9. Sed callidas perditi Regis in Catholicos artes ex Symachi Papæ literis, quẹ inter Ennodij Ticinenſis ſcriptorum monumenta recẽſentur, & ad Epiſcopos confeſſores directæ ſunt, altius nobis rimari fas eſt, vt ipſemet rerum geſtarum B. Fulgentii compilator his plane verbis deſcribit: *Interea* (inquit) *Traſamundi Regis aduerſus Religionem Catholicam mens implacabilis, & ira terribilis inter aſperas perſequutiones ſubdolaſque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Chriſtum, catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promiſſionibus in-*

Perfidi Regis in catholicis exagitandis calliditas.

Apud Ennodii pag. 318

Auctor vit. S. Fulg. apud Surium.

inuitabat, ſub intentione plus decipiendæ multitudinis ſimulare coepit, rationẽ ſe ſimpliciter inquirere catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cuius poſſet in ſuis erroribus aſſertione conuinci. Proponebat *denique multas ineptarum tendiculas quæſtionum, nec ſi quis ei reſpondere voluiſſet, aut deſpiciebat, aut repellebat, imo quaſi patiẽter audiens ſatisfieri ſibi non poſſe iactabat. Et re vera quis hominum tam obdurato cordi valuiſſet lumen oſtendere veritatis.* Obſtinatam vero, pertinacemque in malo, ipſius Traſamundi impietatem B. Fulgentij ſcripta ſatis edocent, ac quaſi digito præmonſtrare videntur, vt tertius potiſſimum ad monimum liber, aliaque ſanctiſſimi viri, quæ conſcripta ad Donatum extant Monimenta, fidem faciunt; ſed iſthæc auctor, quem ſupra laudauimus, in Fulgentij geſtis narrat. *Efficiebat autẽ* (inquit) *plurimos* Religionis *audaces fidei ſuæ cõſtantia per occaſiones à Dõmino præparatas, ſtudioſi regis conuincere blaſphemias.* Sed Fulgentium à Traſamundo Carthaginem ad ſe docendum euocatum tradit his verbis: *Pretinus Rex probare volens ſacerdotem, cui generaliter teſtimonium bonum tota noſtræ* Religionis *perhibebat* Eccleſia, *ſeruum ſtrenuum celeriter dirigit, à quo ſine mora ductus, atque perductus peruenit* Carthaginem. Verum enim vero probe omnem ab ipſo ſanæ, illibatæque fidei rationem aſſequutus eſt, haud veritatem, quam curioſe antea requirebat, & vt par erat, probauit, ſed conceptis ſemel erroribus inhærens, ore tenus infelix, haud corde, hominem quidem, non fidem laudauit: *Egregij* (inquit) *ſacerdotis ingenium, ſapiẽtiam, doctrinam, fidem, pietatem, mãſuetudinem, continentiam probat, & conuenientem famæ ſuæ præconijs talem eſſe, qualis prædicabatur, agnoſcit. Dictat proinde quædam veneno plena perfidiæ legenda ei, & celeriter dirigit, reſponſionem ſibi flagitans reddi. Reſponſiones ſubiecit ille breues, probabiles, neceſſarias, auctoritate teſtimoniorum graues, & Regi quoque longa expectatione ſuſpenſo tradidit ingerendas, quas ille Rex barbarus intentiſſime perlegẽs, quia nunquàm prædeſtinatus fuerat ad ſalutem, ſcilicet ex præuiſione illius pertinaciæ in reſpuenda diuina gratia laudat ſapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem.* Hæc de impio præ cæteris Traſamundo, qui præſtito ſibi diuinitus lumini obluctans, monentem Dei virũ, ac ſalubria ſuggerentẽ ad malorum cumulũ deluſit, imo ipſũmet Arrianis ſubinde poſcentibus, Fulgentium in benefactorem ingratus in Sardiniam iterum ablegauit: At Deus hominem ſub tanto veritatis lumine altius coecutientem, ſuis vincendum, atterendumque hoſtibus, ac vires, quas contra catholicos exeruerat, infringendas à barbaris voluit: *Cognoſcetur* (inquit) *Dominus iudicia faciens.* Regis quippe impietas, ſic hoſtes animauit, armauitque in prælium, vt Deus ipſe iuxta decantatum Iſaiæ vaticiniũ, Traſamundi nece, impiorumque Vvandalorum, qui pietatem impugnabãt, clade terrarum Orbi innotuiſſe viſus ſit. *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.* Porro quam acerbo vnus hic præ cæteris religionem, ac Chriſti fidem odio ſit proſequutus, & quam inique de catholicis, meritus ex eo palam fit, quod Hildericum Henerici filium ex Valentiniani Imperatoris filia progenitum, vt Iſidorus affirmat, iureiurando obſtrinxerit, ne vnquam ſacra, veneranda que Catholicis aperiri

Sæuitiam clementię ſpecie texit.

Expoſitam veritatem contempſit.

B. Fulg. lib. 3 & alibi

Traſamundi impietas quę & qualis *Auct. vit. S. Fulg. vbi ſup.*

Vt ſubdolus S. Fulgẽtium exciuerit. *Baron. tom. 6 an. 504. num. 450. & ſeq.*

Miratus eius Sapientiam fidei aſſenſum nõ præbuit.

pſal. 9.

Rebelles *Dei* lumini barbaris exagitandus traditur.

riri templa permitteret: Hæc autem Iſidorus. *Iſte (*inquit*) ſacramento à prædeceſſore ſuo Traſamundo fuerat obſtrictus, ne catholicis in regno ſuo Eccleſias aperiret, aut priuilegia reſtitueret, qui priuſquam regnaret, ne ſacramenti religionem violaret, præcepit Sacerdotes catholicos ab exilio reduci, & Eccleſias aperiri.* Hæc ille. Traſamũdus vero catholicis hunc in modum infenſus, vbi infeliciter viuendi finem fecit, mox catholici Epiſcopi ad ſuas mox Eccleſias libere in Africam Hilderico annuente redire permiſſi, non ſecus ac Pharaone altero in maris rubri fluctibus demerſo, vna cum Catholicis lætitiæ vltrò carmen decantarunt: *Cantemus domino glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorẽ deiecit in mare &c.* Et merito Traſamundus, qui Deo apprime, ac hominibus contumelioſus extiterat, qui ſupernis vocibus, ac ſeruorum Dei monitis aures obſtruxerat, vbi totus corde obdureſcens in arrepti dogmatis errore immobilis perſtat, deſperato iam morbo, ac recrudeſcente vulnere, e viuis miſerrime abreptus eſt. Sed ne perfidum alterũ huic haud imparem ſileamus.

Traſamundi in Catholicos odium.

Exod. 15. 1.

10. Almalaricus Gothorũ in Hiſpania Rex poſt Theodoricum Regem, qui in Italia ditionem obtinebat, Regno potitus, ob Arrianam, quam fouebat hæreſim, tam infenſo iugiter animo in Catholicos fuit, vt Crotildem Childeberti Francorũ Regis filiam, quæ ab eo iuncta ſibi matrimonio fuerat, miræ pietatis fœminam, & orthodoxæ religioni addictam, quibuſuis iniurijs, ac contumelijs perfidus æque, ac barbarus in Chriſti odium afficeret: Quapropter Childebertus ira commotus arma aduerſus barbarum ſororis gratia, ac iniuriarum ſibi illatarum cauſa arripere, eumdemque ad bellum laceſſire coactus, lanceis confoſſum, poſtquam quinque annos regnaſſet, feliciter bello deuicit, debellauitque ſed rem Turonenſi Francorum res geſtas excribente hic paucis repetere, operę pretium eſt; illatas quippe Reginæ iniurias, ac diſſidiorum inſuper cauſas his verbis proſequitur.

Almaricus coniugem catholicam inique tractat.

11. *Crotildis* (inquit) *multas inſidias ab Amalarico, viro ſuo propter fidem Catholicam patiebatur; nam plerumque procedente illa ad ſanctam Eccleſiam, ſtercora, & diuerſos fœtores ſuper eam proijci imperauit, ad extremum autem tanta crudelitate dicitur eam cæcidiſſe, vt illa infectum de proprio ſanguine ſudarium fratri tranſmitteret.* Sed cum Childebertus intentatas ſorori iniurias armis vlciſci decreuiſſet, Almaricum bello aggreſſus, ac pretioſis quibuſuis orbatum rebus, in eas fugientem anguſtias redegit, vt dum pro ſe tuendo ad Catholicorum Eccleſiam, cuius erat hoſtis confugere, etſi fruſtra tentaſſet, repente vita, ac Regno, rebuſque omnibus expoliatus ſit, ſed apte iſthęc Turonenſis proſequitur:

Greg. Tur. lib. 6. hiſt. Euntem ad Eccleſiam ſtercoribus iuſſit dehoneſtari.

Vnde (inquit) *ille maxime cõmotus* (ſcilicet Childebertus) *Hiſpanias appetiuit. Amalaricus vero hæc audiens naues ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto; cum Amalaricus naues deberet conſcendere, ei in mentem venit multitudinem pretioſorum lapidum in ſuo theſauro reliquiſſe, cumque ad eos petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu è porta excluſus eſt. Videns autem ſe non poſſe euadere, ad baſilicam Chriſtianorum orthodoxorum confugere cœpit, ſed priuſquam limina ſancta contingeret, vnus emiſſa manu lancea eum mortali ictu ſauciauit, ibique*

Greg. Tur. l. 6 ſtor. Franc.

Childeberti Francorum Regis in Hiſpanias expeditio

Digitized by Google

que decèdens reddidit ſpiritum. Haud enim apud Chriſtianorum Eccleſiam miſer, vt mortem euaderet, perſugium reperit, adeoque vno, eodemque temporis momento Childebertus ſe, ſororem, atque Eccleſiam pariter de barbaro Rege ſic Deo diſponēte vltus eſt; ſed reliqua proſequamur.

Almaricus haſta confoſſus.

12. *Tunc Childebertus* (inquit) *cum magnis theſauris ſororem aſſumptam, ſecum adducere cupiebat, quæ neſcio quo caſu in via mortua eſt, & poſtea Pariſios delata iuxta Patrem ſuum Clodoueum ſepulta eſt. Childebertus vero inter reliquos theſauros miniſteria Eccleſiarum pretioſiſſima detulit &c.* Hæc ille, à quo Iſidorus non parum diſſentire noſcitur, dum Amalaricū haud in Hiſpania, ſed Narbone in Gallia occiſum fuiſſe tradit: Agit item de his Procopius Græcos inter hiſtoricos, & Turonenſi ad vnguem conſonat.

Turonen. vbi ſup.

Finis itaque Amalarici Regis infeliciſſimus fuit, qui ne dum Arrianam aduerſus Catholicos hæreſim propugnaſſe, atque vxorem clariſſimam fœminam orthodoxæ religioni inhęrentem, iniquis modis pertractaſſe cōtētus, catholicorū inſuper eccleſias bonis, rerumque ſacrarum ornamētis impia, atque auara manu expoliauit, vt ex narratis hactenus à Turonenſi compertum ſit, dum aurea venerandorum miniſteriorum vaſa, & ſacros Euangeliorum codices auro, gemmiſq; ſplēdide onuſtos, domi inter ſuos theſauros alter veluti ſacrilegus Balthaſſar, interq; rapinarū ſuarum ſpolia ſeruabat, quæ demum veluti nobiles deuicti hoſtis, ac triūphi exuuias, iniquis è manibus pio Childeberti ſtudio vindicata, digno, vt par erat cultui, ſanctorumque Baſilicis in obliuionis anatema, perpetuo ibidē manſura dicata ſunt, & vt ſuſceptæ narrationis propoſito inſiſtamus.

Arrianus Rex ſacrarum Eccleſiarum vaſa in ſuos theſauros congeſſerat

13. Hæretici quidem Catholicos omnes, ac orthodoxam Chriſti fidem infenſo iugiter animo proſequuti ſunt; *neque enim inter eos iura pacis eſſe poſſunt, inter quos* (vt Ambroſius ait) *eſt bellum fidei.* Cū igitur Arrianus quidā Epiſcopus ſub Reccaredo Vviſigothorum rege, qui Catholicam fidem amplexatus poſt patris obitum fuerat, hanc vbique ab omnibus ambitioſiſſime excipi, & paucos admodum Arrianæ impietati addictos, inſanis ſectariorum erroribus præbere aurem comperiſſet, in furorem actus, totuſque liuore tabeſcens, non ſecus, ac funeſta inuiſibili ictu plaga accepta ſpiritum protinus exhalauit; ſed res ex Turonenſi repetenda hic eſt.

Baron. tom. 7 an. 585. n. 11. Ambr. ex pſ. in pſ.

Iura pacis eſſe non poſſunt inter quos eſt bellum fidei.

Arrianiſmus Recaredo regnante in Hiſpania proſtratus

14. *Igitur eo* (inquit) *tempore in Hiſpania Reccaredus* Rex *compunctus miſeratione diuina, conuocatis Epiſcopis religionis ſuæ, ait: Cur inter vos, et ſacerdotes illos, qui ſe catholicos dicunt iugiter ſcandala propagantur: & cum illi per fidem ſuam ſigna multa oſtendant, vos nihil tale agere poteſtis? Qua de re conuenite quæſo ſimul, & diſcuſſis vtriuſque partis credulitatibus, quæ vera ſunt cognoſcamus. Et tunc aut accepta illi à vobis ratione, ea credant, quæ dicitis, aut certe ab illis veritatem cognoſcentes, quæ prædicauerint vos credatis.* Optima ſane propoſitio, quæ cunctis ab orthodoxa fide aberrantibus lumē menti altius refundat, quo diuinarum arcana ſcripturarum perſcrutando, inter lucem, ac tenebras Deo adiuuante diſcernant vti factū eſt. Sed quid pius Rex poſt notitiā, laude dignum præſtiterit videamus:

Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 9 c. 5.

Inita ab eo reſtituendæ religionis ratio.

Iubet eos cum catholicis concordibus ſtudiis decernere

Tunc

Digitized by Google

Turon. loco ſupra hiſt. Franc.

Tunc intelligens (inquit) *veritatem Reccaredus poſtpoſita altèrcatione ſe catholicæ legi ſubdidit &c.* Deinde *nuncios mittit ad* Prouinciam *Narbonenſem, quibus narrantibus ea, quæ ille geſſerat, ſimili credulitate populus ille connecteretur.* Erat *enim tunc ſectæ Arrianæ* Epiſcopus *Athalocus, qui ita per propoſitiones varias, & interpretationes falſas ſcripturarum,* Eccleſias Dei *cõturbabat, vt putaretur quod ipſe eſſet Arius, quem proieciſſe in ſeceſſum exta hiſtoriographus narrauit Euſebius, ſed cum hæc populus ſectæ ſuæ credere non ſineret, & ad conſentiendum ei paucorum faueret adulatio, commotus felle, ingreſſus in cellulam ſuam, inclinato ſuper lectulum capite nequam ſpiritum exhalauit, ſicque hæreticorum populus in ipſa conſiſtens prouincia, inſeparabilem Trinitatem cõfeſſus ab errore diſceſſit.* Hæc Turonenſis de diuinis Catholicę fidei portentis in dies increbreſcentibus, & de Arriano itẽ Epiſcopo, qui præ animi triſtitia vitã miſere abrupit; in ſuis hiſtorijs narrat

Athalocus Arrianorum epiſcopus pertinaciſſimus

Baron. to. 10 an. Chriſti 911. n. 2. & ſeq.

Alexander Græc. Imp. vitiis immerſus

14. Verum, vt proculcatę Chriſti fidei funeſtum hic Lectori exemplũ ſuppetat: Alexãder Græcorũ Imperator, ſic vt vitijs apprime deditus, ita in Deum quoque impius extitit, adeo vt Chriſti fidẽ, ac Chriſtianorũ Religionem, quam oretenus profitebatur, à corde iam penitus abieciſſe videretur, ex quo infelicẽ ſibi exitum peperit. Porro execrandã Alexandri impietatem, quæ blaſphemiis in Deũ redundabat, ipſumque ſacrilego iugiter ore impetebat, Erempertus in ſuis paginis inculcans, blaſphemam hanc ab eo, vbi Deorum ſtatuas Cõſtantinopolim Roma delatas vidit, editam fuiſſe vocem affirmat: *Heũ quãdo* (inquit) *iſtas colebãt* Romani, *potẽtiſſimi, et inuictiſſimi perſeuerarũt, iuſſitque eas ſerico operiri, tunc ſequenti nocte per quietem vir aſpectu lucidus ei apparens ſeuere admodum cum arguens, & percutiens dixit:* Ego *ſum* Romanorum Princeps Petrus, *& ſtatim euigilans timore vehementi correptus, ſanguinem ore vomens exitiali morbo correptus extinctus eſt.* Et ſuo quidẽ ſanguine reſperſus blaſphemus homo pœnas blaſphemiæ, atque incredulitatis exoluit; adeo ut, qui execrandas prophano, fœtidoq; in Deũ ore contumelias incredulus eructauerat, ipsũmet vna cum blaſphemijs imo è pectore ſanguinẽ profundens, ſacrilegam è viſceribus animam in Orcum euomere compulſus ſit. Vt igitur quæ ad miſerandum Alexandri obitum ſpectant, recẽſeamus, hęc de eo Aretas Cæſarienſis Epiſcopus: *Cum* (inquit) *ſtatuis ijs, quæ in Hyppodromo ſunt, ſolitum Baccho ſacrificiũ fieri iuſſiſſet, ſane meritam eius rei mercedem illico reportauit: Si quidem ijs nondum peractis ſacrilegijs miſerabiliter ſublimis intra cubiculum ſuum eſt aſportatus. Caſu nihilo mitiore, quam fuit ille* Herodis, *qui cum Iacobum Zebedei filium in gratiam eorum, qui Chriſtum occiderant, interemiſſet, ac Petrũ ipſum* Apoſtolorum *Principẽ ſimili modo fuiſſet adortus, meritum ipſe quoque facinoris ſui præmium eſt conſequutus; quippe qui in maxima, quæ ad diem ſolemnem hominum frequentia conuenerat, regio ſatellitum comitatu ſubnixus, ſummo cruciatu ſcatentibus vndique ex eius corpore vermibus deceſſit è vita.* Hæc ille de miſerando, ac portentoſo impij hominis interitu, cui manũ in Chriſti Sacerdotes protẽdere, & in his, quæ ad Religionẽ ſpectant, infidelitatem præſetuliſſe, funeſtiſſimũ extitit.

Erempertus, de reb. geſt. Longobar.

Increpitus à S. Petro miſere perit

Arroſus miſer vermibus perit

15. Atqui poſt infauſtũ obitum quæ de inglorio, ac portentoſo eius funere idem Aretas hunc in modum ſub-

ſubiicit, audiamus: *Noſtis profectò* (inquit) *quemadmodum miſerrime ille fuit elatus, quantaque in eius funere faciendo adhibita feſtinatio: Sella regia, qua eius corpus portabatur confracta perinde quaſi ægre tuliſſet, ſceleratiſſima illa ſarcina preſſam fuiſſe. Meminiſſe præterea poteſtis, quam grauiter, fœdeq; infelix illud corpus fæteret, quātuſque, & quam teter eſſet odor ille, quem occurrentium ſibi naribus efflaret, eiuſmodi videlicet, qui aromatum, quæ incenderentur; omnium odorem confunderet. Intumuerat præterea miſerandum in modum; Atque hæc quidem diuinæ prouidentiæ etiam nunc in rebus humanis vitæ huius indicia fuere. Nā & colliqueſcente iam in putorem corpore, eius adhuc ſpirantis tabidas carnes ex inferioribus aiunt partibus effluxiſſe. Quoquidem factum eſt, vt vix ad deſtinatum ſepulchrum delatum turpiter fuerit, ignominiòſeque proiectum.* Hæc Aretas, qui paulo poſt de abolita execrandi hominis apud homines poſt mortem penitus memoria iſthæc: *Ad ea, quæ diximus, & illud acceſſit, quod neque ſolita quidem viris pijs poſt mortem adhiberi, exequiarum iuſta ei perſoluta fuere, neque regia exhibita à magiſtratibus pompa, præter pauciſſimos quoſdam, eoſdemque contemptiſſimos, qui cuilibet etiam de vulgo ſolitum officium præſtaturi eſſent.* Sed quid inſuper de eiuſdē ſectatoribus ſubinferat gratis, ſi libet, auribus excipiamus.

Aretas in Alexandro

Eius corpus fœtorem horridum halat

Vix ægerrimè defluētibus viſceribus ad ſepulchrū efferre potuit

Aretas vbi ſupra

16. *Quid vero* (inquit) *eius conſilij primarij auctores, maximeq; illa circūcirca nefariū caput palpitans cauda? Aliorū nimirum iam exitum vidimus, quorum memoria cū ſonitu perijt. Alijs etiā ex propinquo iā imminere videmus; neque enim gemitus pauperum peribit in finem, canetq; chorus iuuencularum, noſtri inquam ſæculi* Eccleſiarum, *victoriæ carmen nouo, & importuno Pharaone vna cum curribus, victoribuſque demerſo. Siquidem huiuſmodi exitū expectabat morum aſperitas, durities, implacabilitaſque.* Hæc Aretas, quæ ſepulchralis inſtar lapidis, & haud obſcuras, condignaſque eius impietati, anteactæque vitæ turpitudinum notas, ſepulto iā Alexādro, eius inſculpere tumulo hic voluimus. Et quidē iuſtiſſime hæc illi poſt mortē cōtigere. Quid enim impius iſte temere in abdicandis, reuocandiſque ad ſuas eccleſias Epiſcopis pertentauerit, ex Curopalate iſthæc fuſius proſequēte, ſtudioſo lectori apud Baronium repetenda videntur.

Eius adminiſtri præcipui triſti conſumpti exitu

Aretas in Alexandro

Et vt aſſertionis propoſitum, ac eorum, qui orthodoxam inſectati ſunt fidem, magis magiſque impietas diuinæ animaduerſionis calculo comprobetur: Saraceni, qui ſacroſanctum Chriſti nomen, ac fidem iniquis tum verbis, tum factis proculcarunt, inſenſoſque ſe iugiter vel poſt acceptam notitiam Chriſtianæ fidei ſectatoribus hoſtes exhibuere, cum Italicas inuaſiſſent oras, ac diù in campania ſui cunctis metum incutiendo perſtitiſſent, tādem omnes ad internecionem, vti merebātur, deleti ſunt, vt apud Leonem Oſtienſem ex antiquo Caſſinenſium Chronico his verbis: *Hoc modo* (inquit) *auxilio, & miſericordia Dei, Sarraceni ab his partibus eliminati ſunt &c.* Et infra. *Quos fugientes Chriſtiani inſequuti, vix paucis elapſis omnes interemerunt.* Hæc Leo Oſtienſis, quibus Luitprandus poſtremum addit: *Deo* (inquit) *miſerāte, pænorū ne vnus quidē ſuperfuit (ita vocati Sarraceni, qui ex Africa venerunt) qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuo caperetur.* Hæc Luitprandus; Barbari igitur Chriſtiani nominis hoſtes Beatiſſimis Apoſtolis pro grege ſibi credi-

Saraceni à Ioanne viii. Pontifice pulſi Campania

Baron to. 10 an. 915. n. 1

Leo Oſtienſ. in Chronic. Caſinenſ.

Luitprand. lib. 2. c. 14

Viſi in prælio SS. Petrus, & Paulus.

dito pugnantibus, ferro deleti ſunt. Et quidẽ Barbaros, qui vel ſe in vrbem intrudere, aut ſacris iniuriam inferre locis tentarunt, Deum ſeuerisſimum ſceleris vltorem expertos, ex hiſtoriarũ paginis videre eſt. Quod & alias ſub Leone Papa ijſdem Sarracenis contigit, qui cum ad inferẽdam vrbi vaſtitatem acceſſiſſent, inde propulſati turpiter, ac deuicti, partim contrucidati, partimque iure captiuitatis iugo addicti ſunt.

Deut. c. 15 Baronius an. 849. nu. 9

17. Sed Baronium iſthæc in ſuis annalibus proſequentem, arcanaque diuini Numinis in rebus Romanorũ proſpere dirigendis conſilia admirãtem, audire præſtat: *Mutatio iſta* (inquit) *dexteræ excelſi: Dixerat inſaniens inimicus, perſequar, comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium, interficiet eos manus mea: Sed flauit Spiritus tuus, & operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Aliquibus reſiduis ad grauiora ſupplicia ſubeunda, vel ad triumphum, & gloriam Apoſtolorum reſeruatis &c.* Tũc vero accidit, vt Sanctiſſimus Pontifex ad oſtia Tiberina deſcendens, armis iam accinctos Chriſtianæ militię duces, diuinis tum verbis, tum Sacramentis in prælium contra fidei hoſtes præmuniret, incitaretque, ac certã demum pugnaturis diuino afflatus Numine palmam repromitteret, vt Anaſtaſius tradit; qui de immani exorta procella, eiſdemque hoſtibus ventorũ vi marinos inter fluctus diuinitus ſubmerſis, vt pridẽ Leo Deũ precatus fuerat, clariſſima ſignorũ portenta ſubtexit, ad quem lectorem iſthæc cupientem remittimus. Quæ quidem mira anteactorum ſeculorũ portenta demum Pio Quinto Pont. Max., præcipuæ item ſanctitatis, ac recolendæ memoriæ, ſuperiori proxime huic noſtro ſeculo mira Dei virtute Chriſtianis cõtra barbaros Turcas, Saracenoſque Mahumeticæ impietatis ſectatores, nauali prælio dimicãtibus innouari contigit, vt egregie Baron. in ſuis annalibus adnotat ſub Chriſti anno 849., apud quem ſtudioſus Lector iſta conſulat: nobis vero iſthęc indicaſſe ſufficiat.

Pars merſa mari

Affuit Eccleſiæ cæleſtibus prodigiis Deus

Victoriam à Pio V. repromiſſam Deus præſtat.

CAP. III.

Fidem Chriſti, vel baptiſmũ poſt acceptam diuinitus notitiam repudiantes.

1 CHriſtiana fides ſibi non immerito palmam in orbe vindicat, quę ſuis haud vnquã hoſtibus cedere, ſed iuges pugnando ex ipſis reportare triumphos nouit; adeo vt ipſum fidei nomen non niſi victoriã mortalium auribus inſonet: *Hæc eſt* (inquit Ioannes) *victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Fides enim, quæ hominibus e cœlo prouenit, ac diuinitus mẽti inſũditur, in ſuiſmet cultoribus mirabiliter mundum, ac tartarum vincit. *Admirabile* (inquit Auguſtinus) *ſpectaculum noſtrũ, plane admirabile in quo Deus adiuuat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, ſanctitas vincit.* Quod, & Apoſtolus Chriſtianæ fidei præconia retexens: *Sancti* (inquit) *per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Tartareo quippe hoſti, in nos ex aduerſo inſurgenti, nõ niſi ſcuto fidei alacriter in acie reſiſtendum olim Petrus admonuit: *Cui reſiſtite* (inquit) *fortes in fide.* Coronam igitur fides ex nomine, et ſua quaſi manũ prætendit, dum Chriſtus ſuos

Io. 1. c. 5. 4

Aug. lib. 2 de ſimb. ad Cathecum. c. 2

Ad Heb. 11.

1. Petr. 3

ſuos in aciem, eiuſcemodi munitos præſidio ad pugnandum inuitat. Qua propter ſapientiſſimus ille inter ſcriptores diuinæ Chriſti fidei victorias recolens, egregium ſuum, *de victoria verbi*, opus inſcripſit; ad quod item Auguſtinus alluſiſſe viſus eſt, dum Chriſti fidem totum planè mundum ſanctitate, patientia, conſtantia, Apoſtolorum, Martyrum, ac Virginum, quibus tot vbique gentes ad Chriſtũ feliciter traductæ ſunt, ſibi vltro potenter ſubegiſſe affirmat; cui & paribus Oecumenius verbis adſtipulatus: *Omnem* (inquit) *perfidiam vicit, & eiecit, ita vt neque Iudæus, neque hæreticus quampiam vim aduerſus eam habeat.*

Rupert. lib. de vict. verb.

Aug. lib. de vtil cred. cap 17

Oecumen. vbi ſup.

2. Atqui Diabolus per fidem triumphari ſe ab hominibus videns, dum eiſdem coronas inuidet, ſcutum quoque fidei, quo viriliter adeo in acie pugnant, inuidens ipſum à pugnantibus auferendum, proijciẽdumque, ne ſic de ipſo victores fiant, vltro ſuadere contendit, de quo Paulus edixerat: *Sumentes* (inquit) *ſcutũ fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Certam namq; ſibi ex eis, reiecto, in quo ſalus eſt, clypeo, vt Auguſtinus docet, palmã repromittit: *Hoc eſt* (inquit) *humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filiorum Dei numerum poteſt pertingere, ſine hac omnis labor hominis vacuus eſt.*

ad Eph. 6. 16

Aug. de fid. Petr.

Vt infelices autẽ eorũ, qui Chriſti fidem, poſtquam ſibi Euangelicorum hominum ore innotuit, corde ſuſcipere detrectarunt, vel certe ab ea ſemel ſuſcepta turpiter defecere, hic ſuo apte loco exitus recẽſeamus. Dei potiſſimum ira, vt è ſacris rerũ monumentis liquet, eos expetijt, qui illibatam Chriſtianorum fidem, cui ſemel nomen dederant, abijcientes, Chriſtũ vnà cũ fide turpiter eiurare aliquando auſi ſunt; Hos quippe ſub dira quondam perſequutionis procella nouis, ſtupendiſque ſignorum portentis diuinitus perculſos fuiſſe, Cyprianus miſerandam lapſorum ſtragem, triſtiaque amarulenter funera deplorans, memorandam in hæc plane verba hiſtoriam contexit: *Si incredulis quibuſdam* (inquit) *minor fides eſt futurorum, vel præſentibus terreantur: Ecce eorum, qui negauerunt, quæ ſupplicia conſpicimus? quos eorum triſtes exitus flemus? Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt, quamuis nec dum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidã quo cæteri corrigantur: exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Vnus ex his, qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negauit, obmutuit. Pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen, vt nec rogare iam poſſet, qui verba ad precandam miſericordiam non haberet.* Sic itaque multiplici ſanę obluctãtes fidei exitio mulctatos, funeribuſque haud vulgaribus non raro addictos, ipſe locupletiſſimus præ cæteris Cyprianus teſtis, ac teſtatiſſimus diuinæ indignationis præco affirmat.

In deficiẽtes à Chriſti fide diuinitus animaduerſum.

Cypr. lib. de Lapſ.

Obmutuit vni lingua, quę Chriſtũ negauerat.

3. Vt vero alia multa, quæ nõ deſunt, hic obiter repetantur exempla, certe Regnero Daniæ Regi nullam aliam ob cauſam, quam ob contemptam, eiuratamque Chriſti religionem, triſtem funeſtamque obtigiſſe cladem, ex hiſtoriarum paginis comprobatur; de quo iſthæc Crantzius: *Regnerus* (inquit) *Rex Daniæ abrogata Chriſtianorum Religione, idololatriæ in Regno denuo inſtituendæ auctor fuit, quam eius impietatem diuina inſequuta eſt vindicta. Nam Helles, quem Regno ille eiecerat, adiunctis ſibi Gallorum auxilijs, eum prælio victũ & captum carceri tetro, ſerpentibusq; infeſto incluſit, qui ſanie eum perfuſũ,* vene-

Regnerus Daniæ Rex apoſtata. Alber. Crantz. lib. 4. c. 19 Danmentr. an. 826

venenatiſque morſibus confectum horrẽda morte affecerunt. Iure autem deſertor hic perditus Chriſtianæ fidei à ſuis in hoſtium manus, ad iuſtas repoſcendas ex eo pœnas tradi, ac deſeri, ab eoque, quem perfidus regno expulerat, victus, vinctuſque diro mancipatus carceri infeliciter perire compulſus eſt.

Horrendum in morem laniatus perit.

Sed vnus præ omnibus ſuo rem in præſens exemplo confirmat: Radabodus videlicet, Friſonum Dux, qui Chriſti fide enunciata ſibi Sacerdotum, diuinorumque Præconum ore, ac ſupremæ felicitatis, quæ poſt mortem credentes manet, promiſſionibus intenta aure perceptis, dans protinus Euangelio manus, ſalutari ſe baptiſmo expiandum libẽs decreuerat; ſed paulo poſt miſer priuſquã Chriſtiano ex more ſacris myſterijs, ritibuſque initiaretur, Diabolo, qui lucem odit, inſufflante, oblatum mẽti diuinitus lumen reſpuens, oculos, quos iam hauriendis cœleſtium rerũ arcanis reſeraſſe videbatur, luci claudens lucifuga, noctuæque ſimilis effectus, tartareis errorum tenebris reſeruauit, ac gehennam vna cum ſuis idololatris gentilibus ſubire, quam cœlum cum pauperibus Chriſti ſectatoribus intrare maluit. De quo plura in ſuis annalibus apte Baronius & nos infra tom. 2. ſuo loco narrabimus. Ex quibus compertum fit, non omnes, quibus cœleſtium rerum Deo elargiente lumen affulget, veritati manus dare, ac ſalutis, quę ſibi offertur, occaſionem arripere, ſed eos tantum, quos ſuperna gratia Chriſtus allicit, emollit, pertrahit euincitque: *Nemo enim* (vt in Euãgelio ait Chriſtus) *nemo* (inquam) *poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum*, Quod ſane præmemorato Principi contigit.

Baron. ann. 714.

Radabodi Friſiæ ducis triſte exemplum.

Vocatio ad fidem eſt peculiare Dei donum Io. 6.

4. Par item pœna Danos Chriſti Euangelium reſpuentes excepit, vt ex Adamo in ſuo Chronico apud Baronium his verbis compertũ redditur. *Dani* (inquit) *qui tunc reſtiterunt Euangelij prædicationi, tanta cæde mactati vtrimque ſunt Dani, vt vulgus omne caderet, de ſtirpe autem regia nemo omnino remaneret, præter vnum puerum nomine Hericum. Iſte mox, vt Danorum Regnum ſuſcepit, ingenito furore ſuper Chriſticolas efferatus, ſacerdotes Dei expulit, & Eccleſias claudi præcepit, ad quem Sanctus Dei Confeſſor Anſgarius venire non trepidauit. Comitante gratia diuina crudelem tyrannum ſic placatum reddidit, vt Chriſtianitatem ipſe ſuſciperet, ſuiſque omnibus, vt Chriſtiani fierent per edictum mandauit, & inſuper in alio portu Regni apud Ripam extruxerit Eccleſiã in Dania ſecũdã.* Hæc ille.

Dani ob ſpretũ Chriſti euãgeliũ diuina vltione percuſſi. *Adam. in Chron. apud Bar. tom. 10 ad Dom. 858 n. 15*

Henricus Rex traductus ad fidem à S. Anſgario.

At portentoſum plane eſt, quod ob Euangelicę veritatis lumen per ſummam iniuriam, contumeliamq; reiectum, toti quondam Ciuitati accidiſſe Sozomenus his verbis tradit: *Cum miles* (inquit) *Perſicæ cuiuſdam Ciuitatis Epiſcopus eſſet, multaque ſæpenumero paſſus, & verbera ſuſtinuiſſet, & tractus, nec vlli iſthic perſuadere poſſet, vt Chriſtianus fieret, moleſte tuliſſe, Ciuitatique maledixiſſe fertur, & abiſſe. Paulo poſt vero cum primores illic in regnum precaſſent, miſſum eſſe exercitum cum trecentis elephantis, Ciuitatemque illam ſubuertiſſe, & inſtar arui aratro ſubieciſſe, ac ſeminaſſe. Miles vero peram duntaxat circumferens, in qua ſacrum Euãgeliorum codicem habebat, Hieroſolymam vſque peruenit, in votis habens illinc, & in Aegyptum deſcendere, vt monachos illic videret*. Et congrue aſperum illud, durum, tremendumque Euangelici non tam verbum, quam

Zozom. hiſt. Eccleſ. lib. 2 cap. 14.

Epiſcopus à ciuibus male exceptus vrbem execratione defigit

Digitized by Google

quam fulmen oraculi homines incredulos expetiit: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*; adeout hic, vbi habitatores diuini verbi ſemen à corde procul abiecerant, mœnibus omnino dirutis, ac ſolo æquatis, tota ſterilis ad inſtar agri in culturã regio deſtinata ſit.

Matth. c. 23. Diuinum Chriſti oraculum in eos recidit.

5. Quod & ſuo item Georgius Seruiæ deſpotes, infenſus Chriſti, ac orthodoxæ fidei hoſtis, exemplo cõprobauit: qui cum armis ſuffultus aduerſus Amuratem præliando Regni ditionem recuperaſſet, captus ſubinde à Turcis, vna cum filijs in magnas calamitatum anguſtias incidit: at ſubinde è malis liber euadens, & à Beato item Ioanne Capiſtranenſi, vt Chriſtianæ fidei nomen daret, & à prauis erroribus ſe retraheret cõuictus, id impius audacter recuſauit, reſpõdẽs: malle dici ſe infelicẽ Principẽ, quam delirum ſenem tãtaq; fuit hominis impietas, vt nec Chriſto, nec Mahumeto deferret, & nulla religione obſtrictus vitã agẽs, Atheus potius, quã infidelis iure merito credi, ac dici potuerit, quem infelices tandẽ exitus ſortitũ eſſe nemo prudens eſt, qui ambigat: Impius autem, qui tã facile Turcis in bello contra Chriſtianos fauit, ac Chriſti nominis proditor extitit, hęreſi quoq; infectus fuiſſe deſcribitur. Deſpotæ igitur perfidia imměſos Hũgaris luctus, miſerãdamq; Chriſtianæ rei cladem, Græcis exitiũ, ac demum ipſi Georgio, & Seruiæ perniciem attulit: de quo iſthęc geſtorum Schanderbeghi ſcriptor narrat: *Erat (inquit) hic Georgius Vvchouichus, de quo ſuperius mentio facta nobis eſt, tum eius prouinciæ Princeps Deſpotes Seruiæ vulgo dictus, ita ſũpto vocabulo vir, ſi quidquam iſta ad bonos mores prodeſſent, à corporis decore, & maieſtate oris, non vulgari facundia vere, ac ſermonis grauitate, ſi quis alius venerabilis familia nobili, vetuſtiſſimaque, ætate quidem prouecta, religionis autem, & fidei inſuper (ne id ſcelerum eius omittamus) neglector, ac nullus ferme* Dei cultus *in pernicioſiſſimo hominis caderet ingenio, æque & Chriſtiana præcepta, et Machometi leges ſpernabat. Semel quandiù poſt hoc Varnenſe prælium nonagenarius ſenex Mecnethem fugiens, in Hungariam ad auxilia petenda veniſſet, agenti multa ſecum de Chriſti fide Ioanni illi Capiſtrano reſpondiſſe fertur: laqueo citius perſuaderi ſibi vitam finire poſſe, quam imbutas patrum traditiones relinquere, ſicq; abijſſe è conſpectu iterantem ſæpius malle ſe à Ciuibus ſuis infelicem Principem, quam delirum ſenem dici.* Sic miſer inter praua animi vitia, ac errorũ, quę menti præfixerat, dogmata adeo delirabat, vt de Deo inique, ac perperam audiret, ac religionem nullam colere, maximam religionem ducens, à Chriſti cultu penitus abhorreret, nugaſque futilium conſiliorum, potius, quam Chriſtianam religionem, conſectaretur, ſed vt impij hominis in malũ proni technas, callidaſq; artes proſequamur, hæc de eo auctor *Audito* (inquit) *Hũgarici belli apparatu, & Scanderbegi aduentu, tranſitus ei omnes, vias, & itinera præcluſit: conatus eſt ne quidquam ſcanderbeghus monere per nuntios Deſpotem, & lenioribus verbis agere, ne maleficio præoccuparet ſe, quando nulla ſubeſſet iniuriæ cauſa, & hoſtem vellet ex amico, vicinoque ſimul, & totius Hungariæ, & Epirotica in ſe arma ſollicitare à tergo, à fronte hoſtem omni tempore habiturum, niſi nunc ad ſe cum Vvladiſlai copijs iungendum liber legionibus ſuis pateret aditus, ne patiatur graue aliquam iacturam rei Chriſtianæ, quæ & ſe pariter cum omni imperio exhauriat*

Rainal. ann. 1444. n. 6.

Perfidus Deſpota ſuſpendi maluit quã credere.

Rainal. ann. 1444. n. 6

Marinus Prall de geſtis Scanderg. lib. 2

Idem qui ſupra

riat, dum tantum filiæ eum amor Amurati conciliat ſatis, & generi perfidiam, & Hungarorum beneficia expertum. Impius igitur rerum duntaxat priuatarũ ſtudijs intentus, & nullum ſanis conſilijs locum relinquens, cũcta ſurſque, deque vertere adniſus eſt, religioni autem amplectẽdæ aditum, viamq; omnem, ac ſaluti pariter præcluſit; ſed de his hactenus.

Fidei aures clauſit.

CAP. IV.

Fidem alteri præſtitam, ac iureiurando obligatam temere infringentes.

1 INtolerandã immortali Deo iniuriã infert, qui fidẽ iureiurãdo alteri præſtitã violat, vt Dei ipſius ab ore hominum quibuſuis modis iuſiurandum ablegantis, proſcribentiſque verba, ex Moſayci teſtamenti tabulis diſtricte admonent: *Non aſſumes* (inquit) *nomen Dei in vanum*; quod & pari Chriſtus in Euãgelio, ſuaq;tum imperij, tum magiſterij auctoritate edocet, dum apud cunctos adeo inolitam iurandi conſuetudinem, niſi certis quiſquam, iuſtiſque compellatur ex cauſis, ac demum non niſi vbi grauiſſima vrget, ſuadetque neceſſitas, ob præſentaneum peierandi periculum, è medio tollendam præcipit: *Audiſtis* (inquit) *quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua, ego autem di[c]o vobis, non iurare omnino &c. ſit ſermo veſter, eſt eſt non non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Et iure quidem: *Euãgelica enim veritas* (vt Hieronym. ait) *non ſuſcipit iuramentum, cum omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit.* Ea quippe eſt iureiurãdi religio, vt *Fides quando promittitur* (inquit Auguſtinus) *hoſtibus ſeruanda ſit, contra quos bellum geritur.* Quapropter Alexander homini, qui cum munitiſſimam ad ſe tutandum rupem obtineret, eiuſque ſe ditioni ſpõte dediſſet, fidem illi ſeruandam voluit, hæc dicens: *Hic homo mihi videtur ſapere, qui ſe maluit bono viro, quam loco munito concredere*; ideoque (Plutarcus ait) *fidem hoſti ſanctiſſime ſeruandam voluit.*

Exodi c. 20 periurium veteri lege vetitum.

Matth. 5. 33

Hier. in cap. Matth. 5. Chriſtianis haud opus eſt iuramẽto

Aug. de beneſ. Fides etiam hoſti ſeruanda.

Plutar. in apo. Alpha.

2. Apud Iudęos vero tanti olim Ioſue iuriſiurandi Religionem faciendam putauit, vt ipſis vltrò gentilium populis metu adactis, & per dolos, ac fraudem mentientibus, qui ipſomet fraudulentiam nomine auribus inſonabant, dum ab Iſraelitis victoribus, quos contra ſe armatos venire ſentiebant, miſericordiam implorantes, pactum iniјſſent (Gabaonitis videlicet) dux præſtantiſſimus ſartam, tectamque fidei Religionem eſſe voluerit, illiſque vltro verbis cõſulendo reſpõderit: *Iurauimus* (inquit) *eis in nomine Domini Dei Iſrael, & id circo non poſſumus eos contingere.* Maluit quippe vir Dei obſequio addictus, ſe à Gabaontis per fraudem religioſe deceptum, quam Gabaonitas, quibus ille ſuam iureiurando fidem obligauerat, vel cum minimo Religionis diſpendio fraudari, cõdignoque mulctatos ſupplicio dimittere. Enimuero frequentes in orbem terrarum clades inuectæ, quanti præſtitam violaſſe fidem piaculi ſit, teſtatiſſimæ inquã clades teſtantur, adeout merito poeta cecinerit.

Gabaoniſtis gentilibus ſeruata fides à Ioſue
Ioſue c. 9.

Præmiſſa futuris
Dant exempla fidem.

Claud. 4. Hon.

Quibus enarratis poſt commune, fœdifragi orbis piaculum, originaria

ma-

malorum dãna his plane verbis proſequitur.

Quid loquar euerſas vrbes, & prodita templa,
Et varias pacis clades, & mixta venena,
Inſidiaſque fori, cædes in mœnibus ipſis,
Et ſub amicitiæ graſſantem nomine turbam.

Claud. ubi ſup.

3. Verum, vt recolendis ex hiſtoriarum fonte exemplis funeſti hic eorum, qui præſtitam alteri fidẽ violarunt, exitus deſcribantur, præcipuum ab Eccleſiaſticis petitum annalibus, contemplandum ſe nobis offert exemplum: Gontharis videlicet, in Africa tyranni, qui cum aduerſus Iuſtinianum Imperatorem rebellãs, illam armis prouinciam regnãdi ambitione illectus occupaſſet, qui fidem homini præſtitã infregerat, hãc haud Deo ratam, illibatamque ſeruauit: Atqui iuſto Dei iudicio is, qui in cõuiuio legatum prodiderat, ipſe quoque haud multo poſt, dum eſcis in cõuiuio pariter operam daret, ab Artabane Duce, ipſas inter epulas iugulo appetitus, Areobindi, quẽ per iniuriam, ac dolos effuderat ſanguinem, per vulnera regeſſit. Sed dignis rem à Procopio notis digeſtam hic excipiamus.

Gontharis periuri exẽplum lugubre

Bar. to. 7. an. 545. n. 21.

4. *Deinde Gontharis* (inquit) *Reparatum Ciuitatis Epiſcopum Areobindo nunciatum mittit, vt ſub fide incolumitatis ad palatiũ venire maturaret; continebat enim ſe* (vt Baron. ait) *Areobindus vna cum coniuge in monaſterio intra Carthaginem poſitò, à Salomone Duce ædificato, quod cinctum muro arcem reddiderat munitiſſimam &c. Poſtquam vero prope palatium fuit, ſacrum Euangelium à Præſule accipiens in eius conſpectum venit, pronuſque aliquandiu iacuit, preces & ſacrum Euangelium, ac paruum filium tunc ſacro baptiſmate ablutum, per quod Præſul iurauerat, protendens. Gunthariſ eũ miſeratus ad ſpem quoque exhortans ſurgere iuſſit; omnia quæ Præſul pollicitus fuerat, ſe præſtiturum affirmando. Poſteraque die, eius & vxorem, & ſubſtantiam, Carthaginem transferri mãdauit. Deinde Præſulem miſſum faciens, Areobindum, & Athanaſium ſecum cœnare iuſſit, ac Areobindum ante omnes in ſumma accumbere, poſt cœnam vero in cubili ſolum dormire coegit; vbi Vlitheus cum nonnullis alijs ab eo miſſus, & flentem, & multa obteſtantem, ac miſericordiam, fidemque datam implorantem interfecit, non eſſe immortalem dicens, in longam eius ſenectutem cauillando.* Hæc de Gontaridis tyrannide, ac Areobindo ſub ementitæ pacis pallio, neci tradito Procopius, qui ad eiuſdem commẽtarij calcem, poſt ſex & triginta dies eumdem Gontharidem ab Artabane Duce, quem apud ſe conuiuio exceperat pariter necatum affirmat; Quo decantatum ſacris in paginis oraculum impleretur: *Sicut feci, ita, reddidit mihi Dominus.*

Procop. de bell. Vuand. lib. 2

Bar. ubi ſup.

Illius in Areobindum inſignis perfidia.

Et credulitas. Procop. vbi ſup.

Iudic. 1. 7

5. Verum vt altero è ſacris annalibus res aſtruatur exemplo, Aiſtulphus Longobardorum Rex, & Rachis item ipſius regis germanus frater, cum ſe ille regno pietatis cauſa abdicaſſet, alter in Regem electus eſt; ſed mox ad Regnum euectus multa inique præſtitit; vrbem quippe Romã armatorum copijs, poſtquam ſe iuriſiurandi religione obſtringens, Stephano papæ ad quadraginta annos ſe illibata pacis fœdera ſeruaturum promiſerat, inuadere tentauit, ac præſtitæ fidei ſacramẽtum infringẽs acerbam Romanis contumelioſus necem minitatus eſt, ni vltro ſe ipſos ſuo regẽdos imperio dediſſet. Quin fœdifragus

Bar. to. 9. an. 756. n. 1

Exemplum aliud Aiſtulphi Longodorum Regis.

Digitized by Google

gus Stephano inſuper Pontifice Maximo, qui ad eum placandum, & tum muneribus, tum lacrymis pro impetranda Romanis ciuibus pace ſupplex acceſſerat, reiecto vrbem Romam aggreſſus, obſidione tandem expugnat, cunctaque igni, ac ferro demãdat, ſed infelici tandem exitu in ſcelerum pœnam, ac violatæ, qua ſe Romano Pontifici obligauerat, fidei reus deceſſit de quo Anaſtaſius hæc ſcribit: *Dum hæc* (inquit) *agerentur, ipſe infelix Aiſtulphus quodam loco in venationem pergens, diuino ictu percuſſus, defunctus eſt*. Sic igitur Baronio adnotante accidit, vt ſacrilegus, qui aduerſus Deum, ſanctoſque eius ſæpe ſæpius arma, regni duntaxat obtinendi gratia mouiſſet, Regno, ac vita ſimul excideret.

Anaſtaſ. biblioth. in Zacch.

In venatione oppreſſus diuina vltione.

6 Porro cum Aiſtulphus prole careret, quæ ſucceſſiuo poſt ipſum iure ad Regnum proueniret, Rachis eius frater, ſalubriori vſus cõſilio, ſceptrum pietatis ſectandæ gratia contemnens, monaſticis ſe ipſum inſtitutis diuino afflatus Numine addixit. Verum vt paucis hiſtoriã repetamus, cum recentes Longobardorum tumultus in dies inualeſcerẽt, inſtarẽtq; arma, Stephanus Tertius, Romanus Pontifex, vt publico ciuium bono proſpiceret, Aiſtulphũ ſibi ampla munerum exhibitione promeruit, à quo ad quadraginta annos ſancito fœdere pacem impetrauit, ſed Rex parum ſibi conſtans, haud multo poſt ſancita à ſe Pontificij fœderis iura violauit, ob quod iuſtam Dei in ſe iram concitauit, vt Anaſtaſius in hæc verba proſequitur: *Inter hæc vero* (inquit) *dum magna perſequutio à Longobardorum Rege Aiſtulpho in hac Romana vrbe, vel ſubiacentibus eius ciuitatibus inſiſteret, & vehemens eiuſdem Regis ſæuitia immineret &c. præfati viri ad eum conuenientes impertitis muneribus, quo facilius eadẽ apud eum impetrarent in quadraginta annorum ſpatia pacti fœdus cum eo ordinantes confirmauerunt. At vero idem proteruus Longobardorum Rex, antiqui hoſtis inuaſus verſutia, ipſa fœdera pacis poſt pene quatuor menſes in periurij incidens reatum, diſrupit.* Verũ enim vero vbi periurus Rex initam cum Romano Pontifice pacem diſſoluẽs, inique cũ eo, ac Romanis ſe gereret, Stephanus non iam hominem, ſed Deum ipſum aduerſus hominem pro vlciſcendis iniurijs, ac propugnanda vrbe intenſis precibus conueniendũ putauit, vt idem Anaſtaſius ait: *Multas* (inquit) *in præfatum ſanctiſſimum virum, vel cunctum populum Romanũ ingerens contumelias, varias illi minas dirigens, cupiens quippe, Deo non ſibi contrario cunctam hanc prouinciam inuadere, & oneroſum tributum huius Romanæ vrbis inhabitantibus adijcere nitebatur, per vnum quodque ſcilicet caput ſingulos auri ſolidos annue auferre inhiabat, & ſuæ iuriſdictioni Ciuitatem hanc Romanam, vel ſubiacentia ei caſtra ſubdere indignanter aſſerebat &c.* Atqui Pontifex poſt humillimas porrectas Deo preces, Pipinũ Francorum Regem conuenit ipſius Betri Petri nomine directis ad eum litteris; quibus Rex permotus, arma contra Longobardos mouens, eorũ exercitus cõfregit, ac Apoſtolicam ab obſidione Romanorum Vrbem liberauit, vt Anaſtaſius his verbis.

Baron. tom. 9 an. 752. n. 13

Anaſtaſius Bibliot. in Stephano

Aiſtulphus pactus fœdus cum Stephano Pontifice

Paulo poſt infringit fidem

Anaſtaſ. vbi ſupra

Vectigal in ſingula Romanorum capita indicit

7. *At vero* (inquit) *ad hæc Chriſtianiſſimus Pipinus Francorum Rex, feruore fidei motus, iterum cum Dei virtute generalem faciens motionẽ; ad Lõgobardorum partes coniunxit* (peruenit *ſcilicet*) *ad Clauſas, & funditus eorũ, dem euertit Longobardorum exercitũ*. Armis igitur Aiſtulphũ ab obſidione

Pipinus liberat vrbe expeditio

Anaſt. in Steph. Papa

Vrbis recedere coegit, & cũctas,quas vi occuparat, Romanæ Eccleſię Ciuitates ab eius manu vindicauit. Sic igitur (vt Baronius ait) ſecundum illud Dauidicum. *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Deus omnem barbari, ac truculenti hominis furorẽ, non tantum compeſcuit, ſed redegit in nihilum. Obluctantem enim ipſi Pontifici Romano tyrannum, aduerſus quem tã ingentem conduxiſſet exercitum, ac obſeſſum, vndique coarctaſſet, vel inuitum, nolentemque ſubiecit. Pontifex autem Petri ſucceſſor ſubinde Herodianis uelut è manibus liberatus, Petri iure merito occinuiſſe potuit epinicia: Nunc ſcio vere quia miſit Dominus Angelũ ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Immortales igitur cum vniuerſa Eccleſia paſtor optimus, vt par erat, Deo gratias perſoluens, ad ſancta, quæ impias excuſſerat, vel demolitus fuerat, inſtauranda loca, & ad ſacrum Religionis cultum ab omni barbarorum hominum iniuria vindicandum ſe accinxit. Verũ quoniam ad condignas ex impijs pœnas repetendas ira Dei lento quantũuis pede ferri videatur, haud tamẽ vltionem diutius iuxta prouidentiſſimam iudicij ſui trutinam differt: Barbarus Aiſtulphus haud multo poſt patratorũ ſcelerũ, violatæq; Romano Pontifici fidei, nec non proculcatæ Religionis, ſacrorumque locorum direptorum, ac reliquiarum per ſummum nefas proiectarum, & demum ſacerdotum, Clericorum, virginum, ipſiuſquemet Dei immanis contemptor iuſtiſſimas pœnas exoluit, vt illis Anaſtaſius verbis indicaſſe viſus eſt: *Diuino* (inquit) *ictu percuſſus, defunctus eſt.* Cuius triſtem miſerandumque tyranni obitum Stephanus Papa in Epiſtola ad Pipinũ Regem his verbis meminit: *Etenim* (inquit) *tyrãnus ille, ſequax Diaboli Aiſtulphus, deuorator ſanguinum Chriſtianorum, Eccleſiarum Dei deſtructor, diuino ictu percuſſus eſt, & in inferni voraginem demerſus. In iſtis quippe diebus, quibus ad hanc Romanam vrbem deuaſtãdam profectus eſt, poſt anni ſpatij circulum ita diuino mucrone percuſſus eſt, vt profecto in eo tempore, quo fidem ſuã tentans, diuerſi piaculi ſcelera perpetratus eſt, vt in eo, & ſuam impiam finiret vitam.* Hæc Stephanus, dum in præmemoratis ad Pipinum Regem litteris, perfidi, periurique cœdem amarulento ſtylo complexus, regijs conſulto auribus, iſthæc ſuggeſſit.

8. Enim vero violatæ, vt ex recenſitis cõſtat, non Deo ſolum, ſed & hominibus fides haud ſemel violantibus exitio fuit, vt ob contemptũ fidei ſacramentũ illatã Saxonibus cladem Francorum annales his verbis tradunt: *Anno Domini 776. Saxones iterum Carolo magno rebellarunt, ruptis ſacramentis, & obſidibus promiſſis mentitis; & Fresburgum Caſtrum per mala ingenia, & iniqua placita capientes, Francos expulerunt, & caſtrã deſtruxerunt. Similiter voluerunt facere de Sigisburdo caſtello, ſed dum per placita Francos, qui intus erant, non potuiſſent illudere, ſicut fecerant alias de Fresburgo, præparauerunt pugnas, & machinas, vt Caſtrum vi caperent, Deoque volente petrarias, quas parauerũt, in ſuo plus damno ſenſerunt, quam illi de Caſtello.* Et infra de portentis è cælo tunc præſtitis, hęc ibi: *Pagani, qui à foris erant, ſtatim confuſi ſunt, & magno timore perterriti; fugere cœperunt ad caſtra, & omnis multitudo eorum fugam arripiens, alij ab alijs inuicem interficiebantur, & qui retro reſpiciebant, propter pauorem ab antecedentibus lanceis confodiebantur, & diuerſos ictus inter ſe perpeſſi ſunt omnes, &*

di-

Pſalm. 88

Baron. Chr. 755. n. 8. Superbæ Longobar. dorum vires attritæ

Act. 12.

Bar. vbi ſup.

Tandat Dei vltionem, ſed poſtmodum aggrauat,

Anaſtaſ. in Stephano

Littera Stephani papæ ad Regem Franc. Pontificiæ de eius fune ſta morte litteræ

Ex Franc. Annal. Baron. tom. 9 an. 776. n. 4

Diuina vltio in Saxones ſæuiſſe fra gos.

Digitized by Google

diuina vltione vindicati. Metu igitur fœdifragi homines perculſi, dum turpē fugam arripiunt, haud hoſtiū, ſed ſuorum, vt Dei vltio palam fieret, armis confodiuntur, ac gens tota ad internecionem deletur.

9. Fidem itaque vel hoſti datam fallere, tam graue piaculum eſt, vt ſemel exhibitam contumelioſe infringentibus, clades plerumque non dubia ſit conſecuta. Funeſta quippe Hunnis ob id vnum ſtrages diuinitus obtigit, vt zonaras hunc in modum narrat: *Iuſtinus Imperator* (inquit) *cū bellum contra Perſas gereret, Hunnos gentem bellicoſam, armorum ſocios ſibi adiungere cupiens, auxilium ab eorum Rege petijt, qui acceptis ſtipendijs, & muneribus ab Imperatore ſubmiſſis, opē promiſit. Sed cum à Perſa etiam Hūnorum Rex ad amicitiam, ſocietatemq; coeundam, & arma communiter inferenda inuitaretur, ad illum adijt ſpe maioris commodi incitatus.* Hoc *vbi cōperit Iuſtinus Perſarum Regem de re tota certiorem factum, ne barbari promiſſo fideret, commonefecit. Perſa veritate facti diligenter inueſtigata, compertaque, Regem, eiuſque milites interfici iuſſit, illum, vt hominem perfidioſiſſimum, iſtos vt ſocios, conſciosque periurij.* Sic periuri homines acerba morte mulctati ſunt.

Hunni periuri cæſi extrema internecione.
Io Zonaras 3. p. ann. Conſtant. & Iuſtin

10. Nec vero abſimile Vladiſlaū Hungarorum regem fatum inuoluit, qui ob violatā hoſti fidem certo poſt fugam ſe exitio deuouiſſe traditur, vt apud rerum Hungaricarum ſcriptores his verbis legitur: *Rex Hungariæ violato fœdere, prior in Turcā bellum mouit, initoque prælio, Turcam cum ſuos in pugna non ſine magna cæde fugari conſpicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad vlciſcendā Chriſtianorum perfidiam, & ad vindicandum ius reſciſſæ pacis depromptum è ſinu, quem geſtabat, codicem initi ſāctiſſime fœderis explicat, intentiſque in cœlum oculis: Hæc ſunt* (inquit) *Ieſu Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere; per nomen tuū ſāctē iurarunt, datamque ſub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum ſuū abnegarunt: nunc Chriſte, ſi Deus es: (vt aiunt) & nos hallucinamur, tuas, meaſque iniurias, te quæſo vlciſcere, his qui ſanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas oſtende: vix hæc dixerat &c.* Et infra. *Tandē trucidato rege Vladiſlao Hungari in fugam coniecti nobilem victoriā Amuratho reliquerūt.* Cui enim ille fidem fregerat, Deus vltro victoriæ palmā conceſſit, & ignominioſam periuro vaſtitatem intulit.

Ant. Bonfin. lib. 2. de reb. Hung. decad. 3. & Chron. gener. hiſpan. p. 4
Vladiſlaus ob non ſeruatam Turcis fidē plexus.

Vladiſlaus in prælio trucidatus

11. Funeſtum quoque Perſarū Regi eiuſcemodi piaculum fuit, cui acerbiſſima Deo vlciſcente clades in præmium obtigit, vt à Procopio in hiſtoriarum paginis, quod geſtum eſt, hūc in modum deſcribitur: *Peroſes* (inquit) *Rex Perſarū, Nephtalitis Hunnis bello illato, inglorius in Regnum ſuum redijt. In anguſtijs enim quibuſdam, vbi eos perſequebatur, agmine eorum conſerto circumuentus, & exitu earum, omni præſidio clauſo, ab eis captus eſt. Itaque ad neceſſitatem eam redactus, pacem ab illis petijt. Nephtalitarum autem Dux non prius cōditiones pacis admiſit, quam Peroſes corpore inclinato, adorationis & honorem præſtitit, & ſponſionem vna cum iuramento interpoſito confirmauit &c. Poſtea vero ignominiam eam non ferens contra iuriſiurandi Religionem, cum exercitu contra eos profectus eſt. Et cū illi rurſum inſidias ei ſtruxiſſent, propter ius iurandum violatum cæſus eſt.* Deus igitur, cui ille peierando contumelioſus fuerat, ſuis eum hoſtibus puniendum tradidit:

Peroses Perſarum Rex periurii pœnam expertus.
Procop. lib. 1. de bell. Perſ.

Dum ignominiam eluere nititur, ſanguine periurium luit.

12. Et vt nonnulla in rem præſentem ſubijciamus, Danos in Anglia ob violatam potiſſimum fidem cęſos ad internecionem fuiſſe conſtat, vt hiſtorię his verbis fidem faciunt. Anno Domini 1012. *Huna militiæ Regis Angliæ princeps, videns Danorum inſolentiam, qui iam poſt pacem factam per totam Angliam adeo ſuperbiẽdo inualuerant, quod vxores virorum nobilium, & filias vi opprimere, & vbique ludibrio tradere præſumpſerant, acceſſit perturbatus ad Regem, & querelam ſuper his diſpoſuit luctuoſam. Tunc Rex non mediocriter commotus eiuſdẽ Hunæ conſilio miſit litteras ad omnes Regni fines, mãdans nationibus ſingulis, & vniuerſis, vt ſub vna die in feſto Sancti Bricij* Epiſcopi, *omnes Dani per Angliam conſtituti furtiuo impetu morti traderentur, vt ſimul, & ſemel de oppreſſione Danica omne genus liberaretur Anglorum. Sicque Dani, qui firmo fœdere paulò ante vtrimque iurato cum Anglis pacifice habitare debuerant, opprobrioſe nimis ſunt perempti, mulieres cum liberis ad domorum poſtes alliſæ miſerabiliter animas effuderunt.* Et infra: *Tunc fugerunt multi Danorum ad quandam Eccleſiam in Ciuitate, vbi omnes ſine pietate ipſis aſtantes altaribus ſunt perempti.* Sic piaculũ, quod admiſerant, non niſi ſanguine compenſandum fuit.

Dani in Anglia ob fidẽ violatam ex inſidiis cæſi

Matth. Vuerſtmonaſterienſ. apud Baron. to. 11 an. 1012. n. 13

Die feſto S. Bricii in eos ab Anglis concurſum

In ipſis Eccleſiis crudeliter trucidati

13. Et lugubre quidem eſt, quod Procopio tyranno, eique in ſcelere conſortibus, ſub Valente Imperatore Dei nutu accidit, vt Socrates in ſuis hiſtoriis teſtatur. Hæc enim de illo: *Cum Procopius* (inquit) *tyrannus à Conſtantinopoli Valenti Imperatori ad cõfligẽdũ paratus occurreret etc. Et prima quidẽ pugna ille inferior. paulo tamẽ poſt Procopiũ viuũ cepit, traditum ſibi à ducibus illius*, Agelone, & *Domario, quos etiam nouis ſupplicijs ſubiecit, & illos quidem ſpretis iuramentis, quæ ipſis iurauerat, ferris diſſectos occidit: De tyranno vero haſce pænas ſumpſit: Duas arbores loco inter ſe vicinas deflexit, & cuique alterum tyranni crus alligauit, ac deinde arbores in ſuam quamq. ſtationem redire, erigique permiſit. Ille erectæ Procopium diſcerpſerunt, atq; ita tyrannus in duas partes ſectus interijt.* Sic infelix, qui alijs fidem non ſeruarat, perijt. Et hæc interim de funeſto perditorum hominum obligatam alteri fidem violantium exitu, his noſtris paginis diſſeruiſſe voluimus.

Socrat. lib. 4. hiſt. Eccl. c. 5.

Procopius tyrannus periurium non impune tulit

Quam miſere necatus eſt

CAP. V.

Filij parentibus inobedientes, & contumelioſi.

1 HAc eſt Filiorum erga parentes pietatis, & obſeruantiæ lex, vt Deum, ne dum homines, haud ſemel ſui præconem, aſſertoréque teſtatiſſimum habeat; adeoque, quod Deus in Moſayci teſtamenti tabulis diſtricte olim cauit, ſuo quoque poſtmodũ Chriſtus in Euãgelio ſatis, ſuperque exemplo commendarit, dum iam diſceſſurus è mũdo, & ad patrem iturus, ſua inhonorata matre abire neutiquam voluit. Morti enim iã proximus ſuæ Ioanni Matris tutelam prius legauit, quã à ſe matrem, & ſpiritum ablegaret, vt ipſi Euangeliſtæ docent, & ſuo eleganter ex more Iuglaris expreſſit.

Deus ipſe exemplum obedientiæ erga parentes

Teſtari prodigus adhuc ſe poſſe confidens,
Ita partitus hæreditatem ſuam eſt,
Vt reuerentiam, quam habebat erga matrem.

Iuglaris eleg 71
Ioan. c. 19

Fi-

Filijs cederet.

***Prouidentiam**, quam habebat erga filios, matri:*

Supra cæteros tamen Ioannem commendat,

Qui ſciret nullius adoleſcentiam
Securam vnquam futuram
Niſi ſub tutela Mariæ.

Haud ſeuera adoleſcẽtia niſi ſub Maria.

Quę quidem paternæ obſeruantię monumenta perduelles filij, ſuiſque parentibus contumelioſi, ſuo altius animo inſculpantiſſi enim eum, quem iuſtiſſime patrem tenent, præceptorem vltro ſubmonẽtem non audiũt, debitumque ſuperno docti magiſterio ijs impendere obſequium detrectant, à quibus vitæ lucem hauſere, miſeri profectò à Dei filio è cruce, nõ tam amoris tutelare præſidium, quã certam, expeditamque perditionis ſẽtentiam expectent. Qui igitur in parentes, à quibus, quod pręcipuum eſt, vitæ beneficium Deo elargiente quaſi per manus accepere, aſperi, & contumelioſi exiſtunt, Deum tandẽ, qui præcipuo parentes obſequio colendos præcepit, ingenti plane malorum cumulo, ſeuerum vindicem ſẽtiunt. Nec vero in rem præſentem nobis teſtatiſſima æque, ac deploratiſſima tragicarum calamitatum argumenta deſunt, quibus ſuus parentibus honor aſſeritur, & iuſto, manifeſtoque ſupernæ vltionis gladio vindicatur.

Inobedientes parentibus Deus caſtigat.

2. Quod ſane regiæ proſapiæ vir ſuo verum exemplo comprobauit, qui ob contemptum parentem, eiuſque monita proculcata, infelici tãdem exitu vitam clauſit; Venceslaus itaque iunior Bohemiæ, & Poloniæ Rex, cum perditis præditus moribus ſceptro ſe prorſus indignum exhiberet, bonaque regia iuuenili leuitatẽ abductus in Helluones, bibonesq; profunderet, ob id vnum tamen quantocius, viuendi, ac regnandi ſimul finem fecit, quia in patrem moroſus, monitis ab eo ſibi ſub vitę clauſulam exhibitis neutiquam morem geſſit; quapropter diuinam fęſtinanter irã expertus deceſſit, vt Suffridus his verbis tradit: Rex (inquit) *Bohemiæ Venceslaus III. nondum coronatus occiſus eſt fraudulenter à quodam milite procurantibus quibuſdam Baronibus regni ſui. Hic cum eſſet adoleſcens vix ſexdecim annorum, & nouiter duxiſſet filiam cuiuſdam Ducis Poloniæ in vxorem, eodem anno nuptiarum ſic miſerabiliter interemptus eſt, non relinquens hæredem regni. Tunc Barones dicti regni elegerunt ſibi Regem Ducem Carinthiæ, ſororium ſcilicet præfati regis occiſi, inconſulto tamẽ Regẽ Romanorũ, cuius intereſt conferre iam dictũ regnũ. Igitur Rex Romanorũ Albertus forti* ***manu intrauit in Bohemiam, & conſtituit ibi regem filium ſuum Rodulphum Ducem Auſtriæ, dans ei vxorem reginã Bohemiæ, videlicet Eliſabetham Regis Venceslai II. viduam. Sic primo regnum Bohemiæ ad Theutonicos tranſlatum eſt.*** Hęc ille; quibus & Dubrauius cõſentit, dũ Vvenceslaũ perditis fuiſſe moribus, ac iuuenili more delirantem regias opes in malos vſus cum Helluonibus, & potatoribus prodegiſſe, pluresque inſuper arces vili pretio ab eo diſtractas, nec non refuſo deinde pretio repetitas fuiſſe ſcribit. Ad id autem cum Regni Proceres adigeret, pluribus ſub eorũ conſpectu collocatis ex ordine ollis, ſingulas bacillo cõfregiſſe addit, & vnũquemq; ſuo cientem nomine, inſultantemque illis verbis: ***Redde regi, quod regium eſt, alioquin tergiuerſanti caput ad hunc modum comminuetur.*** Ex quo plurium, quos ea res afficiebat, ſibi odia conflauit. Adeoque inſanus iuuenis, & male ad regni ha-

Venceslaus Rex Parentibus inobe. caſtig.

Rain. ann. 1306 n.16

Nondum coronatus à militiæ occiſus.

Suffrid. epiſt. lib. 2.

Dubrauius hiſt. lib. 19

Illius erga Proceres inſania.

habenas adminiſtrãdas improuidus, imparatuſq; acceſſit, vt Vvenceslaus ſenior, eius Pater, in adoleſcentia tã effræni, perditiſque moribus, breuem filij fore principatum, vel dum viueret, certo coniectaſſe, & filium anno poſt ſuummet obitum & vita, & regno pariter orbandum præſagiſſe viſus ſit. Et iuſte qui Patri inobediens fuerat, iuſto Dei iudicio ſibi, tum vitam, tum Regnum præcidi meruit, cum longæuitas, obſequentes duntaxat, optatiſſimum veluti prçmiũ, filios ex diuinæ legis prçſcripto cõſequatur, *Honora Patrẽ tuũ vt ſis* (inquit) *longæuus ſuper terram.* Sic infelix præterquamquod breui tẽpore regno potitus eſt, tandem ſine hærede inglorius, ferroq; perculſus deceſſit. quod totum Rainaldus in ſuis paginis his verbis confirmat: *Non minoribus* (inquit) *malis Bohemia inuoluta, quam Suecia hoc anno luxit cæſo Vvenceslao III. Bohemiæ Rege in procinctu Polonicæ expeditionis, dum exutis ob æſtum ad lineam tunicam veſtibus in conclaui obambulabat. Cuius nece funeſta perditæ vitæ reſpondente regnum in ciuiles fluctus coniectum eſt, concertantibus Bohemis de eligendo rege &c.* Sibi igitur Rex, qui ſe cupiditateſque ſuas male regere didicerat, & in patrẽ moroſus fuit, vaſtitatẽ, ac regno multiplices bellorum procellas, vita, ac hærede iuſto Dei iudicio orbatus, decedens intulit.

Eius Pater obitum infelice præſagit.

Exod. 20, 12

Rain. vbi ſupra
Sine hærede deceſſit.

Exemplum aliud filij immorigeri
D. Bernardin. tom. 2. Dom. in Quadrag. ſer. 27. art. 3. c. 1

3. Sed teſtatiſſimum contumelioſi in parentes filij exemplum D. Bernardino ſcriptis tradente, hic à nobis ſubtexendum eſt: *Noſtra* (inquit) *ætate in Hiſpaniæ citerioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul Valẽtia, adoleſcens fuit, qui per Parentũ inobedientiam eo deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia, & publica facinora in vincula coniectus, & ſuſpendio damnatus ſit. Erat etiam tum prorſus imberbis, pendenti vero iam, atque exanimi ſubito prorumpit barba, moxq; ſpectãte populo, tum illa iam profunda, tum comæ capitis plane caneſcunt, vt ætatem inferret hominis nõnagenarij. Miraculo rei accitus cum populo, & toto clero accurrit Epiſcopus, omnes in genua proſtrati expectant, dum oſtendit Deus quid ſibi hoc monſtrũ velit. Atqui ecce tibi Epiſcopus editionẽ capiẽs tumultus, ad omnes ait, voluiſſe Deũ oſtendere quantum de vita ijs detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt. Victurum etiam hunc iuuenem fuiſſe ad eam ætatem, quæ iam apparebat in facie, niſi ipſos ſeptuaginta annos parentum inobedientia detraxiſſet.* Contumelioſus itaque in parentes, quod ſibi diuinitus præfixum fuerat vitæ tempus, infeliciter, ac breui decedẽs contraxit, adeo vt miſer anguſtatus ad vitam fuerit, dilatatus ad pænam.

Populus inſolito ſtupore ad hoc ſpectaculum defixus

4. Atqui funeſtus alterius adoleſcentis, qui parentes ad mortem, vſque tum factis, tum dictis amarulenter afflixerat, his plane verbis à Thoma Cantipratenſi exitus deſcribitur: *Alium quempiam* (inquit) *in partibus Galliæ ſub Philippo Rege noſtris temporibus viro Religioſo referente, fuiſſe cognouimus. Hic ab ineunte ætate peruicaciſſimæ vitæ, vt illud, quod de Iſmaele ſcriptum eſt: Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo ita videretur impletũ, vt nec parentes proprios quieſcere ſuſtineret, ſed ad amariſſimum vitæ finem perduceret. Poſt quos & ipſe miſerabiliter infirmatus, & in agone mortis poſitus, ſumptis Eccleſiaſticis ſacramentis ſubito inter manus aſſiſtentium clamans horribiliter exiliuit dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus eſt, & me*

Thom. Cantiprat. lib. 2 apum c. 14 p. 7

Exemplum aliud iuuenis præfractę ceruicis in parentes

Geneſ. c. 16

Digitized by Google

me conatur occidere. Vt hæc dicens quaſi contra ingredientium multitudinem ad oſtium ire conabatur; nec mora cadens euerſis terribiliter oculis clamauit expirans: Heu me, pater meus modo validiſſimo lapide frontem meam percutiendo contriuit &c. Hi autem, qui aſſiſtebant, neminem quidem videbāt, ſed quaſi turbas ſe comprimentium; & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec Patrem proprium propitium habere potuit, quātis diuinæ vindictæ animaduerſionibus dignus ſit. Iuſto autē Dei iudicio, qui in patrē durus, & contumelioſus extitit, patrati ipſummet patrem ſceleris vindicem nactus, paterna erga ſe, lapidibus ab eo impetitus, viſcera obduruiſſe perſenſit, neque vllam, poſt mortem vel apud ipſum genitorem, quia impius extiterat, pietatem conſequi meruit.

Auditi exercituum ſtrepitus eo animam agente

5. Non incōmode autē opinor hic accidet caſus, non ineleganter expoſitus in epiſtola quadam, quæ nuper noſtras ad manus peruenit, Abbatis Stephani Gradij, viri eruditiſſimi, & nūc Bibliothecæ Vaticanę Cuſtodis, amiciſſimi noſtri, ad Ferdinandum Fuſtembergium, virum nobilitate non ſolum natalium, verum etiam doctrinę, morumque clariſſima, intimum Alexandri Septimi Pont. Max. Cubicularium, quem nuper Eccleſię Paterbonenſi cum ſummo Ciuitatis plauſu Præpoſitū aſpeximus; eſt autē huiuſmodi.

Albæ Gradius, quæ ad Ferdinand. Fuſtemb. vir meritiſſ.

Soles, (inquit) optime Ferdinande, pro tua ſingulari pietate delectari vehementer, ſi quid incidit in familiari ſermone, ex quo manifeſtior interdū eminet vis diuinæ prouidentiæ, res gubernantis humanas; teque adeo non ſemel animaduerti auidiſſimis excipiētē auribus, quæ de recte factis cum præmio, deque conſequente atrocia quæque ſcelera vltione narrarentur; in qua ego re præcipuū bonæ conſcientiæ fructum poſitum eſſe ſtatuo, cuius beneficio ſapientes viri in ſemetipſos interdum animi cauſa recedentes, proſpectumque actæ cum virtute vitæ, vie mentis vſurpantes, liquidiore ſine dubio voluptate perfunduntur, quam quæ oculis vulgi ab aulæis, ac tabulis, nemorumque & villarum amœnitatibus accidere ſolent. Et quamquam boni illi quidem contenti, ſuis accedentem his ab externa mercede gratiam non magnopere deſiderant; remuneratam tamen virtutem libentiſſimis animis intuentur, quaſi teſtem publici iudicij ſecum vna ſentientis. Contra vero punita improborum malitia, qui omnis nihil habeant boni vni in aliorum incommodis, quo lætentur, tamen vt eſt eleganter ſcriptum apud Lucretium.

Viri frugi ſignum de bonorum præmiis, & malorum vltione gaudere.

Lucret. in Carm.

Suaue mari magno turbātibus æquorum ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt.

Suaue eſt cernere ... a quibus ... remus.

Accipe itaque, & reliquo exemplorum huius generis cēſui adnumerare ne ſperne, quod paucis adhinc annis apud Raguſium Patriam meam ingenioſa in pœnis exigendis Nemeſis, me tum ibi agente, ac tantum non inſpectante molita eſt.

9. *Ioannes Draco erat Faber lignarius, homo ſui artificij præ ... inprimis, & elegans, idemque propter ingenij ſolertiam, & non vulgarem, aptamque temporibus ... & ſalium commoditatem ... Ciuitatis acceptus qui ... gna ab omnibus ... eius induſtriæ ... Vnū erat, quam ... erga ſenes, & imp... pietas, gra-*

Io. Draco vir amabilis & facetus.

Sed ... por... ... g atus.

grataque acceptæ olim ab ijs vitæ, & educationis memoria: cuius vitij nomine cum peſſime, vbique audiret, paratam linguæ ſuæ dicacitatem, quaſi propugnaculum habebat; quo ſe ab hominum reprehenſionibus, & maledictis munierat; ſed eo munimenti genere à claudicante pone veſtigia vltione protegi diutius non potuit; cum enim inter cæteras ingenij laudes intelligens, haud mediocriter eſſet artis, quæ ad explodēda, certoſque ad ictus dirigenda pertinet muralia tormenta, quæ bombardas appellamus inter miniſtros earum machinarum publica ſtipendia in ciuitate merebat. Quo ergo tempore Leonardus Fuſculus Venetæ claſſis Imperator, Cretam prouinciam magno cū naualium apparatu petebat, cum eſſet in conſpectu Raguſij, *atque ex recepto militiæ more feſtus tanto viro tormentorū plauſus honoris cauſa pararetur, forte Draco bombardam eximiæ magnitudinis in arce, alta de rupe mari imminente, cui à* S. Petro *vocabulum eſt, expediendam in eum vſum ſuſceperat, pilamq; inde ferream, nullius in ea ludicra iaculatione futuram operæ, extrahere conabatur; quod vt efficeret fatali vecordia ad ipſum os tormenti aduerſo conſiſtens pectore tubum eius inclinabat ad pauimentum marmoreis conſtratum tabulis ad elegantiam ædificij, ſeueris illam quidem muniendarum arciū magiſtris haud ſatis probatam. Vna opera per pronum tormēti fiſtulam ferreus excidit globus, globumque congeſti pone ſulphurei, nitratique pulueris quidam veluti riuulus eſt conſequutus. Hic porro ſuccenſus ab excitata decidentis ictu ferri ex lapideo pauimento ſcintilla continuatum ad interiorem fiſtulam perduxit incendium, quo comprehenſa magna eius materiæ vis, ingentibuſque, & ſubitis incrementis in immenſam flammæ, ac vaporis molem cum impetu, boantique ſublata ſeſe per os tormenti in apertum effudit, & vt ſe forte miſer ille in feneſtræ tormentariæ anguſtias coniecerat, neque ad ſe inde expediendum, aut ſpatij ſatis in re trepida, aut conſilij habuit, toto effundentis flammæ impetu exceptus, inque ſublime ſuſpenſus, ac in præceps datus eſt, formidabilique ſpectaculo ſuccedenti ad mœnia claſſi fuit, & effuſæ ad claſſem ſpectādam vrbanæ multitudini, quæ ſubiectā oculis miſerabilem illam ſpeciem diuerſis motibus animorum accepit, cum alius antiquorum* Vulcani, & Phaetontis *caſuum intempeſtiuam mentionem ingereret, alium humanæ conditionis infelicitas commoueret, pars multo maxima negligentiam pietatis, & ſiniſtram hominis ea in re famā cum horrore, ac deteſtationibus loqueretur.* Hæc ille. quæ hic coronidis inſtar narraſſe ſatis ſit.

Artis bombardę fuit peritus

Bombardā parat

Puluis accēditur

Vi pulueris in altum extollitur & miſere moritur

impietas eius infelicis exitus cauſa

CAP. VI.

Filij perduelles aduerſus parentes.

1 HOnorem parentibus deferendum diſtrictis non ſemel verbis in antiquis diuinarū legū tabulis cautum eſt, ipſiuſque naturę ductu cuncti mortalium didicere; Quamobrem Deus, ac ſi parum eſſet naturæ ipſius magiſterio vnūquēq; ſui in parētes officij pręmonuiſſe, imperio mulctā, ac legi pœnā iungens, perduelles filios, ſuiſq; inobedientes, ne dū contumelioſos parentibus maledicto ſubiecit: *Maledictus*, (inquit) *qui nō honorat patrem ſuū, & matrem ſuam.* Quinimo vt magis, magiſque arrogantem filiorum petulantiam

Quem antiqua erga parentes obſequii lex

Exodi cap. 21

fræno

Digitized by Google

fræno cohiberet, ęquè in filios, qui ſuam in parentes linguam, ac in eos, qui impiam in progenitores manum exèrunt, animaduertendum edixit. *Qui percuſſerit* (inquit) *patrem, aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri, aut matri morte moriatur.* Demum vero his; qui non ſolum parentibus, vt pietas exigit, morem non gerunt, ſed & eiſdem inſuper moleſtiam exibent triſtia cuncta, ac funeſta portendit: *Qui affligit patrem, & expellit matrem ignominioſus erit, & infelix.* Hinc quippe tragici, vt tum in ſacris, tum in prophanis hiſtoriarum paginis videre eſt, perduellium filiorum exitus plerumque deriuant, vt diuinis res geſtæ, quę paſſim leguntur, oraculis fidem adſtruát. Et in Francorum præſertim Chronicis miſerandus Chramni perditiſſimi filij in Clotharium Regem parentem obitus his verbis deſcribitur *Deſtitutum* (inquit) *ſe Chramnus tanto parricidialis flagitij conſorte animaduertēs, ad Conabum* Britonũ *Principem confugit, reſiduaque reparare bella tentabat &c. Non diſſimulandas autem filij arbitratus iniurias, inde quãta potuit ſuorum manu Britanniam eſt ingreſſus. Occurrit autem ei Chramnus cum Conabo Britonum Rege, barbarorum agmen ductante &c. Tunc Clotharius in incerto belli poſitus lacrymis ſuffuſus ora, Chriſtum exorat in hæc verba:* Chriſte (inquit) *Deus qui occulta hominum ſolus agnoſcis, precibus nunc adeſto meis, iuſti exercens examen iudicis. Etenim quod nulli iuſto, maxime tibi omnium cognitori rerum, venerabilis Chramni nequitia poſſit videri ſatis certus ſum, ideo quod naturalis oblitus gratiam pietatis, hoſtili animo contra vitam inſurrexit patris, & quod fraude machinatus occulte nequiuit efficere, id nunc palàm illato bello contendit explere etc. Reſpice ergo Domine de cælo, & iudica iuſte, illudque iudicium exerce, quod contra Abſalon, patri Dauid quõdam infeſtiſſimum exercuiſti. Non ego quidem Dauid, ſed tamen fide non degener &c. His intentum precibus audiuit omnipotens* Deus; *nam ſuperior bello factus, Britannos vſque ad refugia nauium (quas ad hos vſus parauerant, vt ſi aduerſa bellorum forent, eo ſe conferrent) perſecutus, maximam ex eis ſtragem dedit. Chramnus quoque ipſe, dum filias, pariterque vxorem captiuitati ſubducere geſtit, ab exercitu captus, patrique præſentatus, iuſſuque eius in cuiuſdam paupercula caſa ſuper ſcamnum extenſus, orarioque ſuggillatus, ibidem cum coniuge, ac filiabus igni eſt concrematus.* Enim vero, vt Hieronymus aptè in rem præſentem docet: *Meretur cæcitatis ſuæ ſubire ſupplicium, qui parentum vultus toruo viſu deſpexerit, & claris oculis læſerit pietatem.*

Deuter. c. 27

Prouerb. c. 19

Aimoin. lib. 2 de gest. Fran. c. 30

Chramni Clotario parenti perduellis exemplum lugubre.

Reſtituta pristino ſplēdori à Clotario S. Martini baſilica

2. Reg. 12. Abſalon per duellis in patrem, per dictis exemplo poſitus.

Chramnus cum vxore & filiabus cōcrematus

Hieron. in Matth.

4. At quoniã non vno perduelliũ infelicitas filiorum exemplo euincitur, en tibi alterum ex eiſdem Francorum tabulis, Merouecum nomine petulantioris in parentes ingenij filium proferimus, de quo iſthæc Aimoinus. *Tandem* (inquit) *Merouecus in patrem rebellis, poſtpoſitis Phytoniſſæ reſponſis, per triduum in diuinis hoc reſponſum libris; in* Regum *quidẽ libris: eo quod reliquiſtis Dominum Deũ veſtrum tradidit vos* Deus *in manus inimicorum veſtrorum.* Et infra. *Qui à Taruenenſibus in quadam villa circumuentus, & ſe capiendum fore intelligens, veritus ne ſi ad patrem duceretur, graues de ſe pœnas daret; Gailenum quemdam ſibi familiarem rogauit, vt ſe gladio percuteret. A quo cultro per uiſcera traiectus interijt. Gailenus truncatis manibus, ac pedibus, nari-*

Aimoin. lib. de gestis Fr. c. 23

Patrem vl torem veritus à famulo enſem ſibi immergi iubet.

 ri-

ribus ſimul, & auribus turpiter vitam finiuit. Euiſceratus itaque aliorum exẽplo è vita deceſſit, qui ferina prorſus, imo ferrea in genitorem ſuum, dum vixit, viſcera præſetulit.

Porrò ne allatis hactenus exemplis, propoſito nobis perduellium filiorum argumento feciſſe ſatis videamur; En tibi aliud exemplum à Iano Nicio in ſuis paginis, excerptum hic tibi delibandum volumus: *Cum* (inquit) *ſuperioribus annis capitale quoddam facinus eſſet admiſſum, venerat in eiuſdem ſuſpicionem homo quidam, qui re vera ab eo ſcelere aberat longiſſimè; verum quæſtione habita, ſiue metu, ſiue dolore adductus, coactus erat illud de ſe fateri; ſed cum ſupplicij dies aduenisſet traditus eſt ſodalibus miſericordiæ, qui eum cohortationibus ſuis ad mortem æquo animo ferendam impellerent. At ille, qui ſibi eſſet cõſcius, illud à ſe facinus non fuiſſe admiſſum cœpit clamare, vociferari, atque hominum fidem implorare, neque aliquam in ſe cõſolationem admittere &c. Poſtremo cum aliquantulum in attenta, atque acri meditatione defixus hæſiſſet, eos vocare ac dicere: arbitror me inueniſſe, quod Deus tam ſeuere vindicandum cenſeat. Ego paucis ab hinc annis matri meæ, quia me obiurgabat calce ventrem ferij, eamque de ſcalis deturbaui, quo ictu, caſuque in morbum incidit, eaque paulatim conſumpta deperijt; ac Dei auxilio ita repente immutatus eſt totus, vt alius videretur, nam & ſe iurè plecti, ac leuius etiam, quam merita ipſius poſcerent, fatebatur, tum peccata ſua multis cum lacrymis ſacerdoti aperuit, atque æquum ad mortem illam inhoneſtam, ac turpem animum attulit:* Hæc Ianus de filio in matrẽ iniurio; cui & aliud ad inſtituti noſtri propoſitũ opportune ſubtexit exẽplũ quod qui vult apud ipſum conſulat.

Ian. Nic. exemp. 10. 11.

Falſi accuſatus tormẽtorum vi falſum crimen faſſus.

Fatetur ſe verberata matre, ac præcipitata mortem illi peperiſſe.

Nicius exempl. 11

3 Verum vt ſuſceptam narrationem proſequamur, quid alteri iam mortuo, humatoque eius cadaueri in contemptæ, ac leſæ genitricis vltionem obtigerit, velut quid pijs, curioſiſque auribus dignum ſilentio minime obuoluendum, conſulto autem hic recenſendum ſuppetit; ex quo immanẽ criminis atrocitatem, ipſamque vna cum crimine pœnam, haud morte penitus ſolui, atque aboleri, compertum ſit: Quid igitur in præmemoratis vitiorum exemplis Nicius ad rem noſtram exponit, audiamus.

Exemplum aliud filii ob contemptam matrẽ.

Alter itidem (inquit ille) *Romæ qui fuerat in matrem contumax, ac pugnis eam contuderat, ſubito oppreſſus morbo, eius vim ferre non potuit &c. Hic igitur ferme iam moriens ſacerdoti peccatum ſuum aperuit, ac Deum ex animo, vt propitius eſſet, orauit, quem hac lege ſacerdos abſoluit, vt demiſſis, ac ſupplicibus verbis, parentis pacem expoſceret. Sed extinctus eſt, antea quã poſſet ad eum mater accedere, & ſepultus eſt in cœmeterio Baſilicæ Apoſtolorum Principis proximo (quod Campum ſanctum appellant) ſed poſtridie viſum eſt id brachium extare, ac prominere, quo matrem verberauerat. Quam rem eius cuſtodes Eccleſiæ, veſpillonum incuriæ tribuentes, demittendũ, humoq; contegendum curarunt. Sed cum altero, ac tertio die brachium illud foras proiectum extare conſpiceretur, venit matri in mentem id adeo contingere, quod temporis anguſtijs excluſus admiſſi in ſe ſceleris veniam impetrare non potuiſſet. Venit & clare: hanc tibi (inquit) noxam & aliã quãcumque admiſeris mitto, quieſce. Quibus dictis continuo brachium illud ad reliquum corpus adductum ſe continuit, neque amplius foras emerſit.*

Nicius exempl. vit. & vit. ex. 61.

Qui matrem verberat ſcelus in morte execratus.

Terra iterũ conditus illud porrigit

Ex quo videre eſt quã grãde piacu-

Digitized by Google

culum parẽtibus inſultaſſe apud Deũ cenſeatur, adeout mater, vel poſt mortem filio, vt tumulatus quieſceret, crimen indulgere, ac pœnam condonare debuerit. Quod certe non abſimili olim euentu Eudoxiæ Auguſtæ, Arcadij Imperatoris vxori cõtigiſſe ex rerum geſtarum annalibus compertum eſt, cuius regium corpus illatum tumulo dimoueri, atque vna cum ipſo tumulo eum in modum cõcuti cœpit, vt quieſcere nullatenus poſſe videretur; Quippe quæ Ioannem Chryſoſtomum virum ſanctitate præcipuum, digniſſimumque Cõſtantinopolitanæ vrbis Patriarcham, ſibi, ac ſuis iuſtiſſime ſtudijs infensũ, exilio mulctandum, ac multiplicibus inſuper ibidem anguſtijs conſumptũ è medio tollendum curauerat. In parentem quippe ſanctiſſimum, ac Paſtorem Conſtantinopolitanorum Auguſta mulier hæc agens enormiter deliquiſſe viſa eſt, ideoq; nõ ſecus, ac contumacis ingenij filia in patrem contumelioſa, eiuſmodi poſt mortem ſupplicio diuinitus plectebatur. Neque vero Regiæ mulieris cadauer, tumulo, quo fuerat illatum, conquieuit, quouſque Theodoſius Arcadij filius Viri beatiſſimi corpus honorifice ab exilio, quo viuens amandatus fuerat, Conſtantinopolim reductum, condignis exceptum delatumque honoribus, Conſtantinopolitanæ ſedi reſtituendum ſategit, vt his Nicephorus verbis teſtatur: *Seorſim vero* (inquit) *pro matre quoque precatus eſt, vt tumuli eius motus, atque ſtrepitus cõſiſteret. Triginta enim, & quinque annos iam is quatiebatur, quo tempore ſcilicet, & ipſa Eccleſiam concutiebat. Nec ille id non exorauit. Confeſtim namque vrna eius conſtitit.* Sic et non aliter portentoſus ille ſepulchri motus tandem quieuit.

Non abſimile Eudoxiæ exemplum.

Concuſſum tremuit eius ſepulchrum donec D. Chryſoſtom corpus Conſtantinopolim relatum eſt.

Niceph. Callist. lib. 14 c. 40. Sur. tom. 1. in vit. S. Io: Chryſoſt. Baron. ann. Chr. 438

4. Verum enim vero filij, qui præter naturæ, imo humanitatis iura crudeles ſe erga parentes exhibent, omnem poſthac humanitatem vna cum feris exuiſſe comprobantur, vt Nicius his verbis narrat: *Alter* (inquit) *cuius in matrem crudelitas non tantum intra verba conſtiterat, ſed etiam progreſſa erat ad verbera, eamque pulſauerat, nouo quodam inſaniæ genere correptus eſt. Hic putabat ex homine ſe eſſe cõuerſum in beſtiam; quã obrem fugitabat hominum ſocietatem, cubiculis, lectis vti nolebat, cibos item infelix ad hominum vitam inſtitutos æque horrebat, ſolum equorum ſtabula, vel bouilia adamabat, ibi perpetuo ſe continebat. Ne multa quo ad vixit ſtabulis incluſus vna cum alijs quadrupedibus fœno victitauit, & hordeo. Atqui diuina in impium, ac ſceleroſum illum hominem animaduerſio fuit, illa quidem grauis, atque atrox, ſed ſi ſceleris magnitudo æſtimetur, infra eius meritum inuenietur eſſe; nam qui immanitate feras etiam beſtias ſuperaſſet, meruerat, vt canibus vel potius leonibus obijceretur, à quibus dilaceratus, atque diſcerptus, eſſet omnibus exemplo, qui impias in parentes manus inijciunt, neque eum illis exhibent honorem, cultumque, quem debent.* Hęc apud Nicium de perdito, atque inhumano filio, feriſque ipſis adnumerando, qui nouo portenti ſatis ad viuum genere Nabuchodonoſoris in feram nouo prodigio transformati imaginẽ oculis mortalium exhibuit.

Ian. Nic. ex. 75

Qui matrẽ affecerat verberibus amẽtia percitus in feram ſe transformatum opinatur.

Pœna infra meritũ fuit cum à feris laniari meruiſſet.

Et contumelioſos quidem parentibus, parricidaſque furijs, ſpectriſque exagitatos fuiſſe, vt hi facinoris, atq; impietatis atrocitatem in pœna diſcerent, ſat ex antiquis rerũ monumentis euincitur. Quapropter Virgilius de Oreſte, qui matrẽ interfecerat, illud cecinit:

Parricidæ ſæper furiis agitati

Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Dum videt, vltriceſque ſedent in limino diræ.

Virg. in carm

4. Tacitus quoque de Nerone, qui matrē pariter occiderat hęc quidē ſcribit; *Sed à Cæſare perfecto demum ſcelere magnitudo eius intellecta eſt reliquo noctis modo per ſilentium defixus: ſæpius pauore exurgens, & mētis inops lucem operiebatur, tanquam ſcelus allaturam.* Et infra hæc addit: *Obſeruabaturque maris illius, & littorum grauis aſpectus. Et erant qui crederent, ſonitus tubæ collibus circum editis, planctuſque tumulo matris audiri.* Adeo enim funeſta filios impios fata conſequuntur, vt hi nec punctum quidem temporis à metu terriculamentiſque, ac ſupplicio quieſcant.

Tacitus in Nerone

Denique vt cuncta vno verbo cōplectamur, iā dictis illud appendicis inſtar accedit, quod parentes qui immorigeros, ac contumelioſos filios habent, id non caſu, ſed iuſto Dei iudicio ſibi obtingere pro certo ſciāt; ſi enim ad trutinam, quod patiuntur, diligenter expendant, anteactorumque temporum rationem ineant, ęqua à filijs lance ſecum rem peragi intelligent, quod vel vno à nobis exemplo commodè confirmari poteſt, ex his, quæ eodem Sacerdote in rem præſentem narrante accepimus, & hic tibi exponimus.

Ex relat. viri fide digniſ.

Exemplum in Romano nobili.

5. Vir inter Romanos genere clarus (cuius nomen, & proſapiam iuſtis ex cauſis præterimus) filium habuit perditis moribus adoleſcentē, ac ijs potiſſimum, quibus adoleſcētium plerumque ætas obnoxia eſt, vitiorum illecebris, ac cupiditatibus miſerrime irretitum. Is Patris iuſſa nil veritus, in mala quotidie præceps ruuebat, eo deterior, quo maiora ſibi paternæ ſollicitudinis ſtudio auxilia ſuppeditabantur. Nullus igitur ſperandæ ſalutis locus ſupereſſe videbatur, vbi iam in mores vitia, naturamque alteram coaluiſſent, adituque omnino emendationi præcluſo patris monita, atque obiurgationes, præter contemptum nihil proficeret. Quid igitur Pater? oleum atque operam ſe in filio perdere anxius querebatur. Quid monitores ſubinde, quid amici, quid præceptores denique in deperditæ ſpei iuuene pręſtare poſſent? cui perditis cœteros inter adoleſcentes moribus vitiato, id quod malorum omnium deterius eſt, occinebat: *Peccator cum in profundum venerit contemnit.* Iuuenis itaq; præferocis ingenij, ac perfrictę frontis, per ludum audacter genitorem contemnere, ſalubriaque tum eius, tum aliorum monita reſpuere videbatur, cum quotidie in grauiora quęq; dedecora prolapſus meretricijs inſuper amoribus implicitus facultates prodigeret, & vt ſuis cupiditatibus, delicijſque faceret ſatis, dato voluptates pretio nundinaretur, nec non velut prodigus alter filius luxurioſè (vt ſacræ loquuntur paginæ) cum meretricibus viuendo, rem omnem ſuam diſſiparet: ſub patris enim oculis, cui nil acerbius, domeſticam quoque ſuppellectilem, vt ad meretricias veniret manus per feneſtras è domo auferebat. Atqui pater tam ingenium filij, quam manum execratus, vbi omnes, & ſi fruſtra ad molliendum, edomandumque furentis adoleſcentis animum, vias pertentaſſet, intimo animi dolore excruciabatur, crebraſque apud ſacerdotē, quo à confeſſionibus vtebatur, hac de re querelas imiſcēs, infelicem tum ſui

Paterna contemnit monita

Prouerb. 18.3.

Lucæ c. 15. Bona profūdit in meretrices.

ſui,quam ex ſe progeniti ſortem dolebat, cui ſacerdos (quippe qui petulantis filij mores iam probe nouerat.) & quorſum hæc (inquit) vir inclyte? certe immanis cuiuſpiam;atq; occulti te apud Deű criminis eſſe reű crediderim, ob quod in procaci, ac perdito filio iſthæc exſoluas? vtique (reſpondit ille) vtique omnimodam piaculi, ac infortunij mei rationem habes; Antiqua enim ſuperioris vitæ meæ ſcelera hę ad pręſens iuſtiſſime conſequuntur pœnæ,nec abſq; manifeſto Dei iudicio fit, vt condigne nunc miſer in filio plectar: quippe qui,dum ipſe adhuc adoleſcentior domi apud patrem agerem, vitioſis mei inſtar filij,voluptatum illecebris, captus, prauiſque ſenſuum obnoxius cupiditatibus, vix meo vnquam parenti morem gerere (vt par erat) acquieſcens,contentioſe nimis, veluti refractarius eiuſdem imperijs,dictis, monitiſque obluctari non deſtiti, adeo vt inſuper apud ſummum Pőtificem fel. rec. Clementem Octauű, ego genitorē meum,non ſecus ac virum durum, ac ſeueriorem ſuam erga prolem incuſare, eidemque per calumnias detrahere non dubitauerim, quo is Pontificio ſubinde imperio adactus, certam pecuniæ ſummam in meos totam vſus, imo potius in vitia expēdendam, vel nolēs, vel inuitus ſubminiſtraret. En tibi paucis, originariam malorum, quæ me in præſens à filio perpeti contingit,cauſā edixi; Equo igitur iure, vt vides,mecum deſuper agitur, vt immorigerum filium ſic obluctantem, ac contumelioſum inſuper habeam; quippe qui in patrem meum moroſus adeo, petulans, atque iniurioſus fuerim. *Perque enim peccat,per hæc, & punitur.* Vides hinc profecto; æqua iudicij lance hominum res diuinitus adminiſtrari, inflictaſque parentibus contumelias impune haud vnquam abire, ſed contumelijs, vel paribus, vel certe interdű acerbioribus compenſari.

Fatetur ille pernicia ſuam in parentem, eademque merito pati a filio.

Iuſto Dei iudicio punitus.

Greg. in mor.

6. Pietas ergo, quę præcipuo parētibus iure debetur, ſi quando à filijs proculcetur Deum ſeueriſſimum vindicē,ac ipſa inſēſa elementa ſortitur, adeo vt cuncta in impios inſurgere, vltroneamq; quoadmodo vltionem expetere videantur. Quis enim neſciat, quantus parentibus, à quo vitę beneficium ad nos prouenit, honor debeatur, & quanti piaculi ſit,id præterire; his enim minus ſe gratum exhibere, idem eſt, ac impium ipſius præter naturæ ductum, hominem in Deum inſurgere, & aduerſus naturæ leges pugnare. *Non poſſum* (inquit Ambroſius) *ſaluo pietatis iure odiſſe patrem,cui debeo, quod creatus ſum, nec matrem longo decem menſium faſtidio pij fœtus onera portantem.* Impijs itaque,quibus Deus apprime infenſus eſt, triſtia cuncta, cuncta demű funeſte obtingunt. Sed de his hactenus.

Ambr. ſer. 15 in pſalm 118

CAP. VII.

Filij parentum imprecationibus irretiti.

1 SApientis oraculum, ipſo haud ſemel experimēto comprobatum eſt: diris videlicet parentum imprecationibus impetitos, lugubri tādem fine è vita abſcedere. Vt enim ait: *Maledictio matris eradicat fundamenta;* Quam igitur maternę imprecationis,quæ in moroſos, petulāteſque filios intorquētur, iacula vim ha-

Maledictio matris ſemper exitio eſt

Eccl. 3.11.

habeant, Auguſtinus præ cæteris aſſertor, ac teſtis locupletiſſimus eſt, cuius rei tragicam, omnique humana expectatione acerbiorem hiſtoriã, ipſiſmet eius verbis hic repetendam volumus; hęc igitur ille; *Decem quidam* (inquit) *fratres fuerunt, quorum ſeptem ſunt mares, tres fœminæ, de Cæſarea Cappadociæ ſuorum ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit: tali pœna ſunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorũ ciuiũ non ferentes quaquauerſum cuique ire viſum eſt, toto pene nugabuntur Orbe* Romano *&c.* Et poſt multa. *Venerunt autem ante Paſcha fermè dies quindecim,* Eccleſiam *quotidie, & in ea memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentabant orantes, vt iam ſibi placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quacunque ibant, conuertebant ad ſe Ciuitatis aſpectum. Et nonnulli, qui eos alibi viderant, cauſamque tremoris eorum nouerant, alijs vtcumque poterãt indicabant.* Qui demum Beatiſſimi Protomartyris patrocinio liber euaſit, vt idem Auguſtinus his verbis tradit. *Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quoniam ſanatus erat, ſtabat incolumis intuens intuentes.* Ex quo fit, vt improbi, quos mater diris deuouerat, petulanteſque ipſius culpæ Caini æquiparentur ſupplicio, perpetuoq; terrori addicti, exitiale prorſus maternæ ſibi fulmen imprecationis extitiſſe ſentiant.

Aug. lib. de ciuit. Dei.

S. Stephani patrocinium ſupplices implorant.

Parentibus infenſi Caini pœna puniti.

2. Sed alter immorigerus in parentes adoleſcens iuſto Dei iudicio expetitus eſt, cuius poſt mortem corpus Cacodæmonum opera è domo, in qua iacebat, præreptũ, tumulo inferri nequiuit: Sed rẽ à Bouerio in ſuis annalibus his verbis expoſitã audire præſtat. *Primum* (inquit) *deplorabile eſt cuiuſdam adoleſcentis exemplum, quem cum in Theanenſi diæceſi Neapolitanæ Prouinciæ, opulenti parentes à B. P. Franciſco precibus impetrantes, mollius enutritum, eo quod illis vnicus eſſet, nulloque* Dei *timore, ac pietate à teneris imbutũ, effræni quadam, ac pernicioſa vitæ libertate frui ſinunt, eam* Eccleſiaſtici *(vt puto) vocem ignorantes:* Equus *indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps, lacta filium, & pauentem te faciet; lude cum eo, & contriſtabit te &c.*

Fr. Zach. Bouer. 19 Annal. Capucc. to. 2. ann. cap 1600. n. 37

Mölliter educatus eſt & licentiæ fræna male illi laxata.

Eccl. c. 30. n. 8. & 9.

Hæc porro peſtiferas morum libertas, cum nimia parentum indulgentia cum puero cœpta, & cum puero enutrita, cum eo ſimul ad ſextum decimum vſque annum adoleuiſſet, ad eam tandem illum ſceleris impudentiam pertraxit, vt defuncto patre, cum multorum eum mater flagitiorum, quæ paſſim patrabat, materno planè affectu argueret, is præ iracundia inſaniens vi matrem humi proſtratam pedibus conculcaret, illiuſque, vnde vitæ principium hauſerat, ventrem impia planta protereret: At nec pia mater, quæ cum filij ſaltem animæ parcere deberet, graui hac ingratiſſimi filij iniuria, & contumelia laceſſita, maternam in eum maledictionẽ vibrat, qua miſer oppreſſus, paulo poſt morbo corripitur, moxque magno clamore cum ſe à Deo ad inferos damnatum eſſe vociferaretur, nullum præterquam dæmonem inclamat &c. Diuino igitur iudicio actus ceruice inter genua complicata, cum dæmonem altius inclamaret, inter has crebras diaboli inuocationes animam exhalat. Deplorabat miſera mater, ingenti animi dolore cruciata, filij non tam corporis, quã animæ perditionẽ &c. Sed poſtea miſeri cadauer haud ſepulchri locum à dæmonibus raptum obtinuiſſe, &

Increpitus fero in matrem furit.

Inclamato dæmone exhalat animã.

Sa-

Sacerdoti, ne pro illo oraret, diuinitus intimatum fuiſſe ſcriptor his verbis tradit. *Quid tu pro hac anima, quæ æterno igni a Deo damnata eſt, hoſtiam paras? deſine pro eo ſacram Deo victimam offerre, ſed eam potius pro alijs in domino quieſcẽtibus immola etc.* Hæc Bouerius, dum æternam improbi adoleſcẽtis perditionem haud dubijs è cælo ſignis, argumentiſque pateſactam affirmat.

Prohibetũr diuinitus ſacra myſteria pro illius anima peragere

3. Porrò vt narrationis propoſito inſiſtamus, qui parentes (quibus totũ, id quod ſunt, acceptum referre debent) verbis, factiſque per contemptum exaſperant, infelicem tandem vitæ exitum nacti, omnimodis verum, ſibique bene conſtans oraculum comprobarũt; iuxta enim decantatum illud, quod & ſacræ edocent paginæ: *maledictio matris eradicat fundamenta*: & vt res exemplo firmetur; Accipe gratis rem auribus, quam Sacerdos omni fide digniſſimus, veluti ſibi probe notam, & hoc ſæculo geſtam, nobis hęc ſcribẽtibus vltro narrauit.

Eccl. 3. 11.

Ex relat. à viro fid. dig.

Conſpicuæ olim Romanas inter fœminas nobilitatis matrona, quę vt cœteris animi dotibus, ita pulchritudinis fama, ac pudicitia præſertim præcellebat, fæcunda cum virtutibus tum fœtibus, plures apud ſe, orbata iam viro, ætate adhuc integra filios habebat; quos cum vnice diligeret, vt familiæ, ac domeſticis rebus bene conſuleret, etſi à primarijs viris eius nuptiæ ambitioſe expeterẽtur, viduitate tamen eximie delectata, & ſi florida adhuc ætate ob filiorum, quo tenebatur, amorem, ijſdem, quod ſui erat muneris, ſollicite, caſte, laudabiliterque operam dabat, rata ſe inter mulieres fortunatiſſimam, ſi vtpote fœtibus liberabiliter diues, Dei eoſdem obſequio, ac pietati addictos, boniſque præditos moribus vidiſſet: Sed vbi eos potiſſimum annos, quibus lubricum ad vitia iter, & plana, ac facilis ad improbitatẽ via eſt, adoleſcentes attigere, vel ſub optimæ genitricis cura, ac fere ſub oculis mores, quibus iam bene exculti adoleuerãt, abortum fecere: ſenſim quippe eo vſque miſerrimi iuuenes prolapſi, ſunt vt cum matri certis de cauſis violatæ notam pudicitiæ per ſummam iniuriam intuliſſent, eiuſdem capiti inſultare, & contumelioſis, tum verbis, tũ verberibus conſpirantes facto in eam impetu proſilire non dubitauerint. Quadam igitur die, commentitio in matronam pudiciſſimam calumniarum ſibilo permoti inſurgũt, validoq; fuſte eã cædũt. Vnus dũtaxat è filiorum numero, natu minimus tam immane conſilium execratus, cęteris obluctantibus ſe tanquam murum pro matre impijs conatibus valide, cõſtãterque oppoſuit; ne & ipſe nefandi conſortio criminis pollueretur.

Filiorum in matrem cõtumelioſorũ triſte documentum.

Filiorum in matrem flagitium inſigne.

4. Verum matrona criminis expers, tam acerbam contumeliã à filijs ſuo pudori inflictam magis, quam intentata verbera, & ipſam exhorreſcens mortem, filios adeo in ſe impios, lacrymis reſperſa, defixiſque in cælum oculis, Deum ſuæ vindicẽ innocentiæ obteſtata, diris deuouit: nec ſera dictis è cęlo vltio adfuit, neque maternæ maledictionis verbũ in ventos abijt; ſinguli enim in malum quotidie præcipites, vno duntaxat excepto, infelici omnes vitam exitu clauſere. Quapropter cuidã e Sacerdotibus noſtræ Congregationis, cum eam aliquãdo plorantem offendiſſet, cauſam ſciſcitanti illa hanc vnam aſſeruit: En (inquit) modo per Epiſtolas à sereniſſimo Poloniæ Rege de filio meo, qui inter aulicos eidem acceptiſſimus erat, violenta morte præ-

Deſxi diris à matre.

Mater lacrimis perfuſa rem tragicam narrat.

præprepto ſum certior facta; ſed hic
haud rerum tragicarum, quæ domũ,
ac filios meos expetunt, expectantq;
finis; omnes quippe filios vno dempto
infeliciter, ac triſti fato deceſſuros
pro certo habeo; hi namque ingentem
famæ meæ, qua nil carius, nil

Mater filiorum perduellium calamitoſum ſum interitũ præſagit.

pretioſius, contumeliam, mihique
omnium acerbiſſimam inurere, aſperiſque
verbis inſuper, ac verberibus
impie matrem ſuam impetere auſi
ſunt; ſed haud impune, haud impune
inquam, ſinguli Deo iuſto vindice
abituri ſunt. Quantumuis enim,
quod illis maledicendo imprecata
ſum, Dei nutu perculſa, ac pietate
permota ex animo retractauerim, &
caſſum, irritumque nunc penitus velim,
animus tamen malorum, quæ
illos manent, & quæ iam ceruicibus
impendet, calamitatum prænuncius
cuncta ijſdem infauſta, dira cuncta
portendit. Dictis autem ſucceſſu temporis
euentus reſpondit; cuncta nãq;
ex ordine, prout illa dixit, contigere;

Vnus ferro tranſuerberatus

vnus itaque in Poloniæ Regno ferro
tranſuerberatus perijt: ſubito alter
caſu, & nulla animæ ratione præhabita
(quod maxime dolendum eſt)
è vita abijt. Alter ſubinde familię
ſplendorem proculcans, & antiquam
gentis proſapiam flocci faciẽs, vitijs;
criminibuſque duntaxat operam impendens,
cum dedecori dedecus adderet,
in vrbe, vbi in Hadrianæ molis
caſtro vinctus detinebatur, capite
mulctatus eſt; id à Deo, quod filijs

Tertius capire truncatus in carcere.

perdúellibus raro contingit, aſſequutus,
vt pœnitentium more conſciẽtiam
expiaret, ac in pœna, quam
ſubijt, antiqui culpam ſceleris agnoſceret.
Nouiſſimus demum ex ijs,
qui criminis in matrem conſcius, &
conſors fuerat, alter veluti Cain,
inuſitato addictus pauori, cum ob ea,
quæ patrarat ſcelera, ſuam maxime
conſcientiam extimeſceret, atque
oneroſam inprimis animi ſarcinam
experiretur, factus ex vrbe extorris,
atque è ſuorum domo profugus orbem
excurrere, nec tutum vbivis terrarum
locum nactus, ex vna regione
in aliam commigrando ac lucis pertæſus,
infeliciter diu vitam protrahere
compulſus eſt, donec ipſe triſti,
infauſtoque aliorum inſtar exitu abſumptus
eſto. Hæ profecto immorigeros,
petulanteſque filios calamitates
expetunt, at eos præſertim, quos
matrum imprecationes ob inofficioſa,
contumelioſaq; geſta, diris iuſte aliquando
deuouere. Illud vero hic coronidis
inſtar enarratis hactenus addendum
eſt, totam videlicet clariſſimam
virorum proſapiam; Deo
deſuper vlciſcente iam occaſum vidiſſe.

Quartus ex torris male perit.

5. Sed vt aſſertionis propoſitũ
luce clarius manifeſtum ſit, alterum
hic contumelioſi in matrem filij exẽplum,
nobis quidem ab eodem, qui
ſupra narratum in medium proferimus:
Quod ſic ſe habet. Iuuenis quidam
in genitricem, à qua vitæ beneficium
acceperat, adeo petulans: adeo
ingratus extitit, vt friuolam domi
aliquando irarum cauſam nactus, grauius
in eam excandeſceret; mulier
vero e contra ea libertate, quæ matrem
decet, conceptis natum verbis
acriter corripere, & vt Dei iugiter
metum præ oculis haberet, debitũque
inſuper (quod Deus iubet) parenti
honorem deferret, ac demum
ſe à prauis vitiorum, quibus tenebatur,
ſordibus, deliramentiſque retraheret,
admonere non deſtitit: ſed dictis
interim mulier nil profuit: quinimo
non ſecus, ac oleo ignem foueret,
ſic protinus ille matris eloquio
petulantior euaſit. Quapropter
facto in eam impetu, ac fuſte inſiliẽs

Ex relat. à fide dig. Sacerdotes.

Petulantis alterius adoleſcentis exemplum

cre-

crebris eamdem ictibus contuſit, ac humi ſemimortuam reliquit. Verũ dum iſthęc agerentur, mater filij manu enormiter lęſa, eumque in modum contuſa, Deum illatę ſibi contumelię vindicẽ his verbis obteſtata eſt: *Deum, Deũ* (inquã) *immortalẽ ego mulier infelix, ac mater, fili nequam deprecor, obteſtorque, vt condignam ex te vltionem repetat, teque ingratiſſimũ, ac de me peſſime meritum ſic plectat, vt quia manu in matrem tuam impius inſilijſti, impiam manum hanc ipſemet iuſtus tibi carnifex abſcindas.* Abijt ille funeſtis eiuſcemodi à matre dictis, fulminum inſtar perculſus, cumque poſtmodum miſer à paterna domo diuertiſſet, conſcientiæ ſtimulis acriter exagitatus in Vrbem contendit, vbi Auguſtinianæ familiæ Patribus ſuam pretio operam locauit.

Lęſa mater diuinas in illum iras imprecata.

8 Improbus ergo cum apud religioſos, ac laudabiles Heremitani Ordinis viros, eorumdem ſeruitio addictus, male ſibi conſcius, parumque Dei memor, ac maternorum viſcerum oblitus, maternarum tamen iniuriarum, atq; imprecationum haud immemor, abſque iugi angore animi continuo eſſe non potuit; iam enim carnificinæ miſer, materni oris calculo addictus, ad contumelioſam ſibimet dexteram (prout olim mater edixerat) amputandam, ſe arcano quodam impulſu vrgeri ſentiebat, adeout niſi quod menti occurrebat, expleret, haud pacifice poſthac conſiſtere poſſe videretur: Ea quippe eius iugiter auribus vox perſonabat. *Quid cunctaris ò miſer? Abſcinde, abſcinde dexteram, qua impie matrẽ percuſſiſti, & ſic quieſces.* Quid igitur infelix tanta in ambiguitate, atque animi anguſtia, conſcientia inſuper acerbius extimulante faceret, qui antiqui ſe ipſum ſceleris conſcium, & vindicem, exactoremque intus in animo duriſſimum iugiter patiebatur? *Mala quippe conſcientia* (vt ille ait) *ante peccatum, eſt frænum, poſt peccatum verò flagrum eſt.* Quibus & Ambroſij verba mirifice conſonant: *Quæ pœna* (inquit) *grauior, quam interioris vulnus conſcientiæ? Quod ſeuerius iudicium, quam domeſticum? quo vnuſquiſque ſibi eſt reus; ſibi enim prius eſt reus, quam cæteris.* Itaque infelix perpetrati in genitricem ſceleris, etſi nullus exaduerſo inſtaret, conſcientiam, qua ad carnificinam expetebatur, ferre non poterat. Igitur ſceleſtus iſte, materno ore vltioni addictus, cum per Vrbem aliquando deambularet, acrioribuſque animi pũctionibus torqueretur, macellum, in quod mactandæ ad lanienam oues ducuntur, conſpicatus, ferro, quo ibidem à lanio carnes conſcindũtur, arrepto, ſacrilegaq; aptata ſuper ligno manu, ferrum vibrans vnico ictu reſecauit. Obriguit interim iuuenis præ dolore, atque è ſectis brachij venis cruore vberius profluente, exanimis in terram concidit: Lanius vero qui ibi præſens erat, ad funeſtum ſpectaculum, ac inuſitatam eiuſmodi crudelitatem, pluſquam dici poteſt attonitus hæſit; cum en tibi accurrunt illac prętereuntes, qui hominem collapſum, ac vehementius dolore exacerbatũ videntes, humo releuant, & in celeberrimum valetudinarium S. Spiritus in Saxia, quod non procul diſtabat, opportunis quantocyus remedijs fouendum deducunt, vbi in lectulo de more poſitus, cum dolor magis recrudeſceret, & à chirurgis potiora quæque remedia adhiberentur, ab eo, qui rem præſtiterat, adeoque delirum, eo quod in ſemetipsũ ſæuiſſet, putabant, cauſam ſciſcitantes, patrati olim ab eo in matrẽ ſceleris

Stimulis cõſcientiæ agitatus religioſam diſciplinam amplectitur.

Agebatur ad vltionẽ in ſe exercẽdam.

Iuſtus Lipſ.

Ambr. lib. 3. officior. c. 4.

Nulla pœna grauior conſcientiæ vulnere.

Sibi manũ præſcindit, qui matrem manu pulſarat.

ris reatum,funeſtamq;cladem dexteræ, eo quod ipsũ diris mater deuouerat,iuueni longe ante quam fieret, prænunciatam ipſo narrante didicerunt. Verùm miſellus haud multo poſt cum dolor magis, magiſque recrudeſceret, & pharmaca queq; ex arte adhibitę ad ſedãdũ nil prodeſſẽt dolore ſaucius vitã infeliciter clauſit.

Spaſmo conuulſus emoritur:

9. Porro vt ſuſceptæ adhuc narrationi inſiſtamus,pari quoq;admiratione dignum eſt, quod non abſimili infelicitatis calculo alteri, qui matrem conuiciatus fuerat, diuinitus cõtigit, vt his rem Nicius verbis refert: *Quidam* (inquit) *per iracundiam colaphum matri magnum impegerat, quæ mater tantum filij in ſe facinus execrata: Tam impia* (*inquit*)*dextera digna eſt, quam ego reciſam aſpiciam. Neque hoc matris dictum,tam imprecationis,quam vaticinij vim habuit. Nam ille morbo animi in inſaniam delapſus die quodam, ſicut facere ſuadebat furor, in proximam lanienam accurrit, ferroque, quod de lanij manibus abſtraxit,ſibi dexteram abſcidit. Quo facto eas ipſe à ſeſe impietatis ſuæ pœnas exegit, quibus eum mater dignum eſſe prædixerat.* Hæc de impio matris percuſſore meritas à ſe, ſuaque manu pœnas exigẽte Nicius meminit. Id vero,quod ad criminis reatum, & ſupplicij genus ſpectat, cum altero,licet diſtinctis geſtũ temporibus reincidere videtur. Atqui à nobis hic ſilentio prætereundum nõ eſt, quod & in rem noſtram facit, & Beati Antonij Patauini inter ſanctos celeberrimi æuo,ordinis minorũ viri,dũ impij, cuiuſdam peccata auribus exciperet contigiſſe fertur; Is enim, cum pede matris aluo calcem impegiſſet, & veluti grauiſſimi ſcepiaculi reum apudDei famulũ amarulentis verbis incuſaret;hoc ille audito

Alium exẽplum non abſimile. Ian.Nicius virt. & vit. exemp.68.

Adoleſcentis,qui calcẽ matri impegerat audit à s.Antonio eius pedem dignum, qui truncaretur:

pe dem, quo in genitricem inſilierat, ad condignas exoluendas pœnas, ferro amputari dignum, ſuis atrox ſcelus dictis dumtaxat ſuggillans,nec pro delicto, quod alter patrarat,eiuſcemodi pęnam reo iniungens,inclamauit:Quibus auditis intimo vir animi dolore percitus, nec ea qua par erat,prudẽtis iudicij trutina ſibi dicta expẽdens,nulla interpoſita mora,ferro protinus pedem abſcidit, vt in geſtis eiuſdem ſanctiſſimi viri traditur, adquæ lectorem remittimus.

Dolores ſceleris percitus illum ſibi abſcindit

10 Ex quibus demum fit, vt honor, qui ex Dei præſcripto, parentibus defertur, amplis confertiſque tum filios, tum filiorum domos bonis adaugeat, ac omni tam cæleſtium, quam terrenarum benedictionum copia ditatas perficiat,ſtabiliatq; Quapropter illud vere ſapientis ore decantatũ eſt: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Quod triſti,funeſtoque, quod paucis ab hinc annis in vrbe contigit,exemplo comprobatur:

Eccl.3.11

Ruſticus quidam præferoci, ingenio omnem tum pietatem, tum humanitatem exuerat, adeo vt germanum ferro perderet, & in ſuam inſuper tum lingua, tum manu genitricem impius inſiliens, eam contumelioſis dictis, ictibuſque impeteret. Atqui iuſtã illi læſa tam enormiter mulier vindictam precata, barbarum, inhumanumque filium diris deuouit, quem multiplices poſtmodum calamitates æquo Numinis calculo cõſequutæ ſunt. Enim verodũ rurali operi addictus, vineã in Vrbe ad Cinnæ cliuum excoleret, ac die quadã hominẽ, qui vt ſe pomis reficeret,vineam adierat,amarulentiore animo offendiſſet, cum in modum ira ſuccenſus eſt, vt hunc conuicijs aſſe-

Ex relat. à fide digno

Ruſticus matri contumelioſus ab ipſa diris deuotus.

Digitized by Google

affectum, validis inſuper ictibus impeteret, ac ruſticana, quæ tunc præmanibus erat, falce, integram homini tibiam amputaret. Quo miſer ex vulnere acerbiſſimis contabeſcens doloribus, haud multo poſt diē obijt. Ruſticus vir ſubinde ab apparitoribus tentus, & carceri mancipatus, maleque habitus, cum proprio rem ore confeſſus, ob ſui tamen defenſionem ſe aggreſſorē cæcidiſſe affirmaret, mitius à prætore cum homine actum eſt. Iuſto tamen Dei calculo vir, cui carnifex deerat, ſibimet ipſi carnifex deſtinatus eſt; Enim vero miſer tam ingenti poſtmodum ſe vitæ tædio, ac pauore correptum ſenſit, adeoque immani ſemetipſum perdendi furore intus agebatur, vt ſe iudice ſuſpendio vitam abrumpere præoptaret, & ac ſi intus ab aliquo incitaretur, ſuis iſthęc iugiter auribus verba obſtreperent: *Quid agis ſceleſte? quid moraris? Ea ſi quidem culpa eſt, quam in matrem admiſiſti, vt non niſi reſte expiari queat Quoniam igitur fallendo iudicem pœnam euaſiſti, dignum tibimet ipſi ſupplicium infer: Frange itaque laqueo gulam, et ſic exacerbatum in te Numen placabis?*

Ira excandeſcens ferro in alterū inſilit

Dum iſthæc perditus ſecum voluit, carnificinamque impatiens, ſuique impotens meditatur, alter veluti Cain triſtis, mœſtuſque demiſſo vultu incedebat, eratq; illiusquodadmodo vita ante oculos quotidie pendens, adeout cum ad ſuſpendium ſingulis momētis non tam ſe incitari, quam rapi, pertrahique animaduerteret, ſibi à ſemetipſo, pluſquam ab hoſte timens, ſolus neutiquam domi conſiſteret, ſed ruſticanum hominē ſocium domi haberet. Itaque cum alter rem gratam amico facturus, per multas noctes ſub veſperum eius domum diuerteret, ipſe alterius releuatus præſentia tentationem, quam callidus hoſtis, eiuſque perdendi cupidus valide, inſtanterque vrgebat, & ſi non prorſus euicit, magna tamen ex parte ſuperauit. Atqui dum acrius tentator inſtat, hominemque validius in necem impellit, ſocius iuſte prępeditus ad veſperā non redijt, vbi vero poſtea inſequenti mane, vt ſe apud eum excuſaret, feſtinus recurriſſet; En tibi (oh triſte, funeſtumque ſpectaculum, portētoſū, & non vulgare irarum Dei argumentū) primo ſane aſpectu hominem fune collo alligato, è domus feneſtra pendulum, ſuaque ſudę ad inſtar manu, enectum reperit; Et ſiquidem non potuit nō valde mirari, iuſtam, quæ in extincto affulſerat, Dei vltionem; Qui enim impune hominem poſt tam atrox facinus iudicem prætererat, Deum ſeueriſſimum vindicem ipſe ad ſuimet carnificinam reſeruatus incurrit; adeoque vbi ex legum præſcripto promerenti carnifex defuit, iuſta tamen ſui perdito homini carnificina deeſſe haud potuit.

Alter velut Cain timori addictus.

Diabolus hominem ad necem vrget.

11 Haud abſimile item eſt, quod in Corſica inſula homini, qui ſe petulanter in patrem gerebat, contigiſſe, à viris fide dignis accepimus. Hic cum præceps in vitia, ſuoque ex more lubrice victitans, ne dum aliquam genitori reuerentiam, ſed & contumelias inſuper, conuiciaque deferret, atque efferatus, ne dum eum tanquā exterū, ſed veluti infenſū ſibi hoſtē inique pertractaret, die quodam accidit, vt cum ex leui occaſione in parentem, quem ſuis repugnantem vitijs, votiſque videbat aduerſum immodice indignatus fuiſſet, audacter in eum inſiliens, validum dextera ictū

Ex relat. à fid. dignis.

Perditus in parentem filius inſurgit

eiacularet, ac pede inſuper calcem impingeret. Quibus ille ad iuſtam in filium commotus iram, Deũque illatarum ſibi iniuriarum vindicem conteſtatus: *Abi*, *Abi* (inquit) *mortalium ſceleſtiſſime, haud diuina in te vltio tardabit: precor etenim, vt tũ manus, tum pes, quibus in genitorem inſilijſti, morticinorum inſtar abſcindantur*. Hæc ille. Verum cum ſubinde iuuenis quempiam acerbis dictis pupugiſſet; indignatus alter, mucroneque dicto citius arrepto, primo quidem ictu manum illi dexterá præcidit; ſed cum manu ille adhuc pendula à rixando non deſiſteret, rixanti alter iterato ictu pedem quoq; am putauit, paternaque hunc in modum filio, ipſiſmet quibus pater pridé edixerat verbis, vltio à tergo adfuit; Perduellis autẽ haud multo poſt pre nimio tabeſcẽs dolore infeliciter perijt. Quę cũ patri renũciata fuiſsẽt, defixo protinus humi genu, eleuatiſque in cælum oculis totũ, ratũ è cœlo habuit. Id autem in huius clade maxime admirandum eſt, quod inter exacerbati genitoris verba, & filij cladẽ, viginti quatuor horæ vix efſluxere, adeo iuſta numinis in perditũ diuinitus vltio accelerauit. Sed iã ã cõtumelioſis, ac immorigeris filijs ad improbas, impuraſque fœminas ſtylum conuertimus.

Pater ſeſus ſuis dictis filium impetit.

Filius patris verbis percuſſus.

CAP. VIII.

Fœminæ nimium corporis pulchritudini ſeruientes, impuriſque amoribus deditæ.

1 IMpigra fœminarũ, quæ in excolendis animi virtutibus, tã cito laſſeſcunt, ſtudia, in vnius tamen pulchritudinis cultu, ac formæ lenocinio pertinaciter deſudant, vt nullis parcendo impenſis, ac laboribus pro re, quæ nullius momenti eſt, tanquã pro re omnium maxima, adhibitis vltro ad cultum venenis, iugique ſe ipſas, ac ſexus inconſtantiam opere, & labore vincentes cor tendant. Quod miserę profecto haud facerent, ſi Sapientis inanem, futilemque operam deridentis verba meminiſſent: *Fallax* (inquit) *gratia*, *& vana eſt pulchritudo*. Quam enim pulchritudo ſibi apud homines gratiam mereatur, quæ tot, tantiſque periculis obnoxia, vel dum floret magis, vigetque, & blandius mortalium oculos delectat, in fumos dicto citius abit atque euaneſcens, quod ſemel Poeta cecinit, menti altius refricat:

Fallax & inſuper noxia eſt pulchritudo.

Prouerb. c. 31

Forma bonum fragile eſt, quantum
que accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur illa
ſuo.

Ouid. de art. lib. 2.

2. Fugitiuus namque formæ decor, ementitaque oris venuſtas, quãuis inter Dei munera recenſeatur, in hoc tamen fallit ipſa, & fallitur, quod eiuſcemodi bonum, quid veluti momentaneum, inſtabile, ac fallax, vel improbis aliquando, tum fœminis, tum

Pulchritudo pluribus exitio eſt.

Digitized by Google

tum viris, tandemque perituris, non niſi ad certum animæ interitum è cælo deſuper (vt ipſe videtur innuere Auguſt.) proueniat: *Pulchritudo* (inquit) *corporis, bonum Dei donum eſt, ſed propterea id etiam largitur malis, ne malum bonum videatur bonis*. Multos quippe vel dum maxime oculis arridet, pulchritudo ſefellit, captiuoſq; in laqueum denique adduxit, vt Sapiens apte pulchritudinis detrimenta recenſens: *Inueni* (inquit) *amariorẽ morte mulierem quæ laqueus eſt venatorum, & ſagena cor illius*: ac infelices ſubinde, qui pulchritudinem conſequuntur, exitus cunctis velut digito præmonſtrans: *Pedes eius* (inquit) *deſcendunt ad mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant*.

Aug. lib. 15. De ciuit. Dei

Eccleſ. 7. 27.

Eccleſi. ſup.

3. Haud igitur pulchritudini, quę vitijs adeo, periculiſque obnoxia eſt, fidendum, ſed non ſecus ac ab ingenti maris Charybdi, fragili nauigio contendentibus, tum ſibi, tum tum cæteris valde timendum, cunctos Chryſoſtomus admonet: *Quid eſt* (inquit) *mala mulier, niſi ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticũ periculum, delectabile detrimentum*. Quin & ipſam blanditiarum fallaciam, ac mulieris ſpeciem, tam ſibi, quam intuentibus noxiam, fatalemque inculcans, narratis iſthæc vir ſapientiſſimus addit: *Quid eſt ſpecioſa mulier? ſepulchrum dealbatum, niſi fuerit caſta, pudica. Pulchritudo autem ſine his virtutibus eſt præcipuum præcipitium, pariens venenum inſpicientibus compoſitũ*. Tanti vero pulcritudo periculi eſt: *Vt minori miſeria* (Hieronymus teſte) *deformis habeatur mulier, quam formoſa ſeruetur*. Nimiaque procurandę pulchritudinis ſtudia, fomenta libidinum, ac manifeſta formæ, ac pudoris lenocinia ſint quibus tandem in ſyrtes delari voluptatum ſectatores impingunt. Quá obrem illa Romanarum mulierum decus, ac ſplendor ſapientiſſimo rerum humanarum experimento edocta, & Chriſtianæ pietatis laude cõſpicua, muliebris tum formæ, tum ingenij leuitatem peroſa, ſicquenter illud in ore habebat, ac ſerio proclamare cõſueuerat: *Mundítiã corporis, atq; veſtitus eſſe animæ immũditiã*. Vnius quippe cura certa, maniſeſtaq; eſſe alterius incuria cõprobatur, adeo vt vno, eodemque momento vtriq; (vt Bernardus affirmat) vix bene cõſultum aliquãdo ſit: *Quanto enim* (inquit) *amplius corpus foris componitur, atque ornatur, tanto interius anima fœdatur, & ſordidatur*: Quinimo vt Hieronymus eidem inſiſtens ſermoni ait; *Nitens cutis ſordidum oſtendit animum*. Quibus egregie Nazianzenus quoq; adſtipulatur, dũ vultus pallorem, *pulchrum ſublimiũ virorũ florem appellat*. Hunc vero præ cunctis ornamentis Gorgonię ſorori vſu fuiſſe illis palàm verbis teſtatur. *Vnus* (inquit) *illi rubor placebat, quem gignit pudor, vnus cãdor, quẽ parit abſtinẽtia. Nam picturas, & oculorum fucos illis relinquebat, quibus pudori, & probro eſt erubeſcere*. Hæc ille.

Haud quęrenda pulchritudo.

Chryſoſt. in Matth. 19.

Chryſ. in pſ. 50

Hier. in ep.

Hieron. in Epitaph. Paulæ

Nimia corporis mundities, animæ immunditia eſt.

Bernard. in apolog. ad Guil. Abb. ſup. miſſus eſt

Hier. vbi ſup

Nazian. orat. 14

Nazian. orat. in laud. Gorg

4. Hinc, vt opportune Sapiens adblandientis formæ lenocinium, ſuiſque apte verbis adumbrans incautos, quoſque ad præcauendum ſuo probe magiſterio inſtruat: *Ne abſtrahatur* (inquit) *in vijs illius mens tua, ne deciparis ſemitis illius: multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab illa. Viæ inferi, domus eius penetrans interiora mortis*: Formoſæ igitur mulieres, quibus plus forma, quã pudor cordi

Prouerb. c. 7. Inſeorum via lupanaria.

di, ac curæ eſt, ſucis, pigmentiſque reſperſæ, non niſi rixas, clades, funera, perditos denique, triſteſque exitus tum ſibi, tum cœteris pariunt. Ex quo fit, vt tunc maxime, cum oculos, animoſque delectant, ſuum illecebris aculeum exerentes, incautos funeſtiſſime perdant; & vt rem hic breuiter conficiamus, muliebri quidem forma certũ tam ſibi, quam alijs exitium intentari, haud ſemel ex veterum hiſtoriarum monumentis euincitur, & vt vnum hic proferamus exemplum.

Fauſtæ Imperatricis [ſcortatricis] exemplum triſte.

5 Fauſta Maximini Herculei filia, & magni Conſtantini Imperatoris vxor, ſed haud digna tanti Imperatoris, ac imperij conſors, quæ præter nomen nil fauſti præſetulit, infelicem demum per ſatis decantata dedecora exitum incurrit; Regia quippè mulier in omnem effuſa libidinem, ſui neutiquam animi motibus imperare didicit. Quamobrem dum præ amore inſaniens voluptatibus fræna relaxat, ac ſtrupris ſe, totãq; pariter proſapiam fœdare non erubeſcit Criſpi Cæſaris priuigni aſpectu illecta, vt iuuenẽ, quẽ deperibat in ſui amorem pertraheret, quibus potuit technis, blanditijſque contendit, quẽ vbi ſingulari pudicitia præditum, ſuis obluctantem votis, conſtanterque improbæ tam voluntati, quam voluptati repugnantem vidit. *Erat enim pulchrior mente, quam corpore, & pulchrior* (vt Auguſtinus ait) *intus quam foris, pulchrior in luce cordis, quã in facie corporis:* ſcelerati ſcelus addẽs, ſtupri eumdem ſibi per dolos apud genitorem illati detulit, vt in ſuis Baronius annalibus rem omni ſæculorũ memoria dignam his plane verbis tradit: *Alio* (inquit) *ac plane diuerſo oculorum obtutu Criſpum Cæſarem aſpexit Fauſta Auguſta, Nouerca, quæ in eum oculos conijciens impudicos, adoleſcentuli victoris capta forma, turpẽ mox inde hauſit amorem, vt eum miſera deperiret, nouaque Fædra, nouum in Criſpo nouauit Hippolytum:* Hæc Baronius de Criſpo, qui vt pote natus triumphis, aſſuetuſque nobilem ex Alemannis palmá reuexit, & ſuimet ipſius magis, quam hoſtium debellator, ac victor nobiliorem longe de vitijs, obſcèniſque illecebris triũphum meruit: mori quippe, quam illibatum pudicitiæ candorem labefactare; paternoque thoro iniuriam inferre maluit: *Quippe cum eſſet decorus, & ſpecioſus facie* (vt Auguſtini hic verbis vtamur) *pulchritudinem vultus ſui, non ad alienam deriuauit iniuriam, ſed ad ſuam gratiam conſeruauit, hoc ſe pulchriorem iudicans, ſi non diſpendio caſtitatis ſed cultu pudoris ſpecioſior appareret.* Quod vt illi immortalem apud ſuperos coronam peperit, ſic haud leuem Conſtantino apud mortales crudelitatis labem, ac ipſi demum Fauſtæ condignum pro intentato adoleſcẽti ſtupro ſupplicium intulit. Criſpus enim ſubdolis apud parentem artibus incuſatus, eademque inſuper Fauſta, eo quod repulſam perpeſſa, ſe á iuuene contemptam videret, adnitente neci addictus eſt, vt iſthæc Zozimus, & ſi perperam de eo loquutus affirmat *At vbi* (inquit) *Romam venit* (id eſt Cõſtantinus) *omnis arrogantiæ plenus ab ipſo lare ſibi ſumendum impietatis exordium exiſtimauit. Nam Criſpum filium, Cæſaris (vt antea dictũ eſt) ornatum titulo, quod in ſuſpicionẽ veniſſet, quaſi cum Fauſta Nouerca conſueſceret. nulla ratione iuris naturalis habita ſuſtulit. Cumque Conſtãtini mater* Helena *tantam calumitatẽ*

æquo

Baron. tom. 3. an. 320. n. 3.

Aug. ſerm. 88 de temp.

Bar. iterum an. 324. nu 8 9. 10

Criſpi priuigni inardeſcit amoribus.

Aug ſerm. 83 de temp.

Zozim. lib. 2 hiſtor.

Conſtantinus in Criſpum ſtupri incuſatum ſæuit.

Digitized by Google

æquo ferret animo, & intolerabilem ex cæde iuuenis dolorem perciperet, quaſi conſolans eam Conſtantinus malũ malo maiori ſanauit; Nam cum balneum accendi ſupra morem iuſſiſſet, eiq; Fauſtam incluſiſſet, mortuam inde extraxit.

Flammis ipſa demum exuſta.

Hæc Zozimus de Funeſta Criſpi cædis vltione, quam Conſtantinus poſt ſolemnem ignominiæ notam, ex Fauſta deſumpſit, obſcuris licet verbis recenſet. Porro hanc vnã necis lectiſſimo adoleſcenti inferendæ cauſam fuiſſe Artemius Auguſtalis Præfectus, idemque Chriſti martyr, dũ Chriſtianæ Religionis cauſã apud Iulianum Apoſtatam ageret, qui Conſtantino impie inſultans, multaq. in eum dedecorum probra impingens, propinquorum inprimis patratas ab eo clades iactabundo maledicus ore effutiebat; Hæc inquã pro Conſtantino martyr clariſſimus conceptis apud impium verbis, quibus tum innocẽtes Criſpi mores, tum Fauſtæ impudicitia palam fieret, in rem præſentem perorando reſpondit.

6. *Ille vxorem* (inquit) *Fauſtam iuſte admodum interfecit, vtque priſcam Phædram eſſet imitata, eiuſque filium Criſpum calumniata, quod eius amore captus eſſet, & vim ei conatus eſſet afferre, ſicut etiam illa Hyppolitum Teſei filium. Atque primum quidem, qui ſic in matrem inſanierat (vt volebant eius membra) ille cum eſſet maritus puniuit. Poſtea autem cum ſciuiſſet eſſe mentitam, ipſam quoque occidit, in eam ferens ſententiam omnium iuſtiſſimam.* Hæc pro afferenda caſti iuuenis innocentia, ac de iuſto item regię mulieris ſupplicio ad Iulianum Arthemius. Idem plane de Criſpo condignis nunquam laudibus celebrando Hieronymus in Lactantio eiuſdem præceptore & alij affirmant. Huius item rei aſſertores ſunt, Paulus Oroſius, ac Sidonius Appollinaris probæ fidei auctor, qui lugubrem illorum temporum faciem in ſuis paginis contemplandam exhibent, ac præcipui apud Conſtantinum viri teſtimonio rem cunctis perſpicuam faciens, hæc vel obiter ait, cum de celebri illo Ablauij Conſulis diſtico meminit: *Vt mihi* (inquit) *non figuratius Conſtantini domum, vitamque videatur vel pupugiſſe verſu gemello Conſul Ablauius, vel momordiſſe diſtico tali clam palatinis foribus appenſo.*

Ex Metaph. apud Suriũ die 10. Octobr. tom. 5.

Criſpi Innocentia ab Artemio aſſerta.

Paul. Oroſ. Sidonius Apolli. apud Baron. vbi ſup.

Vera ſuper Criſpi cæde ſententia

> *Saturni aurea, ſæcla quis requirat?*
>
> *Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.*

Aculeatum in Conſtantinum gemmarum auidum dyſtichon.

Quia ſcilicet prædictus Auguſtus iiſdẽ ferme temporibus extinxerat coniugem Fauſtam calore balnei, filium Criſpum frigore veneni. Hæc Sidonius. Cum igitur à Conſtantino intima quæque Regiæ domus dedecorum probra vindicante Criſpus, & Fauſta & quãplures item vna cum ipſis domeſtici ſublati fuiſſent, aliqua æquo Principi in exerendo in ſuos multipliciter gladio inhæſiſſe potuit crudelitatis nota, dum Neroniana ſub eodem, carminibus, quæ palatinis affixa pręforibus fuerant, redijſſe tempora decantatum eſt, vt Baronius his luculenter verbis affirmat.

Baron. tom. 3 an. 1374 nu. 12

7. *Quod vero* (inquit) *ad Criſpum filium ſpectat, conſtat ab omnibus eſſe laudatum, quem etiam Iulianus Apoſtata virum frugi, ac bonum prædicat. Fuiſſe quoque Religione Chriſtiana imbutum, multa ſuppetunt argumenta &c.* Hæc Baronius, qui Conſtantinum zelo percitũ, ac in ſuos quoſq; animaduertentem contemplandum exhibuit, ſed iuſto Dei iudicio in perditum Fauſtæ caput, in fœminã

Iul. in Caſſ. Criſpus religioni chriſtianæ initiatus.

vtpote

vtpote impuris amoribus deditam, quę caſtum, morigerumque adoleſcentem, etſi fruſtra, in ſtuprum turpiter concitarat, Principis ira deſæuijt; quinimo cum Fauſta ſub ſpecioſo nomine, infauſta, cuncta ob ſuã laſciuiam, atque impietatem præſeferret, cõdigno affecta ſupplicio, proculcatæ tum pudicitię, tum pietatis pœnas exoluit; Conſtantinum quippe ad auitã religionem, Deorumque cultum reuocare ſategerat, vt ex antiquorum ſcriptorum monumentis Baronius his verbis teſtatur.

Baron. to. 3. an. 324. n. 35 Conſtantinus lepra percuſſus ob exhibitum dæmonibus cultum.

8. *Cæterum* (inquit) *non deeſt, qui ex Græcis Hiſtoricis affirmet, Conſtantinum poſtquam ſumma rerum potitus eſt, ſegniorem factum, tandem Fauſtæ vxoris impulſu ad patrium Deorum cultum rediſſe &c. quando à Deo lepra percuſſus, à Silueſtro baptizatus, lepra ſimul, & impietate liberatus fuerit.* Hæc ille, cui Glycas pariter in ſuis annalibus conſonat. Atqui petulãtis ingenij mulier, vt vno, eodemq; tempore, tam inſontis profuſi ſanguinis, quam contempti Numinis, pudoriſq; pœnas daret, incendio demum abſumpta, perdite viuendi finem fecit.

Bar. tom. 12. an. 998. n. 12 Exemplum Diuinæ vltionis in Mariam Aragoniam impudicam.

9 Par quoq; vltionis iudiciũ Mariam Aragoniam, Othonis III. Imperatoris vxorem, notæ impudicitię fœminam inuoluit, quę cum formoſi cuiuſdam Comitis amore capta, eundem nullis ad ſtuprum blanditijs pellicere potuiſſet, impudentiſſima mulierum fœdiſſimi eius criminis notam caſtiſſimo iuueni per ſummam iniuriam impegit, hunc apud maritũ ſuę grauiter pertentatæ pudicitię per dolos reũ inſimulando; Verum nobili mox portento, ignibuſque, lydio veluti lapide, vniuerſa fraus detecta eſt, debitaque de ſceleſtiſſima muliere, calumniæ, & impudicitię pœna ab eodem Othone, ad quem potiſſimum ea iniuria pertinebat, exacta eſt. Sed rem egregie ſcriptorum ſtylo his apud Baronium verbis digeſtam videre eſt.

Inter hæc autem (inquit) *Imperator Romam cogitans, cum Mutinam perueniſſet, iuxta ipſam in villa, Amula dicta, hoſpitio ſuſceptus eſt. Accidiſſe autem tunc ipſi ea tradunt, quæ magna admiratione digna metro ſcripſit Gotefridus Viterbienſis, nempe coactum fuiſſe, id iuſtitia ab eo exigente,* Auguſtam *vxorem ſuam Mariam nomine, filiam* Regis Aragonum, *necis comitis innocentiſſimi ream publice cremandam iudicare.* Coniecit *enim fœmina procax oculos in dictum Comitẽ, virum integerrimum, forma pulcherrimum, quæ à viro caſtiſſimo paſſa repulſam, illum de pertentata pudicitia calũnioſe accuſauit apud Imperatorem, qui facile nimis adhibens fidem ipſi, Comitem morte damnauit.* Impudens quippe mulier pudorem procul abiecerat, vt ſuæ faceret ſatis libidini, ac ſe dominam agere oblita, ſeruilem ſub ſceptro animum exhibens, cum imperaret hominibus, vitijs ſeruiebat, & non ſecus, ac mulier olim Aegyptiaca domina Ioſephũ tũ precibus, tũ blanditijs ad ſtuprum pelliciens: *Supplicat* (ait Auguſtinus) *quæ in cæteris imperabat.* Sed Comite iam obtruncato quid funeſtæ mulieri contigerit, videamus:

Baron. vbi ſup. Crant. in Sax. lib. 4 c. 26

Regia mulier libidinis mancipium.

Gotefridus chron. 17. in Ottone car. 3

Aug. ſerm. 87 de temp

10. *Quem* (inquit Baronius) *cum capite amputatum audiſſet eius vxor, magna audacia, quam pudoris neſcius dolor miniſtrauit abunde, Othonem cõuenit pro tribunali ſedentem, clamans de nece iuſtiſſimi viri vindictam, proiectoque capite Viri in medium, ipſum* Imperatorem *reum ſanguinis innocentiſſimi, apud ipſum iura reddentem accuſat. Probationem per contrectationem* ſer-

Vxor viri ſui innocentiam ab Othone vlciſci poſtulat. Bar. vbi ſup.

Digitized by Google

ferri càndentis, veritatis indicem offert: Conſenſit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur, mulier conſcia innocentiæ viri ſui arripit illud illæſa, contrectat inuſta, quia iuſta, ſtringit vt flores, ignitum metallum, quo ſolum exuruntur præcordia ipſius Imperatoris. Cum tunc inſultans victrix fœmina vindictã in Imperatorem à gladio exegit imperãtis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, ſpondens iugulum, ſed poſcit inducias. Interim Proceres accurrunt pro vita fœminam exorant Imperatoris ſed fruſtra diu laboratum: at tandem ea eſt conditione tranſactum, vt auctor ſceleris Auguſta, ex qua cauſa proceſſerat necis uiri, flammis comburenda daretur. Hæc probæ fidei ſcriptor apud Baronium, ex quibus manifeſta hominibus è cœlo vltio affulſit in Auguſtam, quæ vitijs magis, quam inſulis clara, & morum potius deformitate, quam forma corporis in orbe ſpectata, vltricibus flammis pro inſontis viri vita, ac fama, e medio ſublata eſt.

Probatione ferri candentis illuſtrata Innocentia.

Auguſta cõuicta flagitii flammis exuſta.

11. Prauis igitur amoribus irretitæ mulieres, quæ blandiendo in viros deſæuiunt, & cordatis etiam exitium creant, certam animabus ruinã intentando, ipſæ quoque poſt turpẽ, dedecoramque vitam, ſuis tandem technis, ac delicijs irretitæ, peſſimum ſibi interitũ comparant. Blandum quippe, fucaturnque meretricãtium dulcorem, omni amariorem abſynthio, aculeata mortis, quæ finem neſcit, amaritudo conſequitur. Vt illa Sapientis apte in rẽ præſentẽ verba recidant. *Nouiſſima eius* (inquit) *amara quaſi abſynthius, acuta, quaſi gladius biceps*. Et vt exemplo res aſtruatur, funeſtus famoſæ quidẽ inter Hiſpanas mulieris, è ſelectis Auguſtini Manni noſtræ Congregationis presbyteri hiſtorijs, hic nobis exitus contemplandus obijcitur his plane verbis.

Aug. Mann. in ſelect. hiſt. c. 21

Hiſpanæ meretricis perditiſſimæ exemplum

Prouer. 5. 4

Aug. Mann. in ſelect. hiſt. c. 21

Mulier quædam (inquit) *Hiſpana venit Romam, erat autem formoſa nimis. Hæc propter eius pulchritudinem prouocante Diabolo, facta eſt rete diaboli. Nam pretioſas virorum animas capiebat nutibus, & blanditijs labiorum, & oculorum aſpectu vulnerabat corda. Statim autem incauti adoleſcẽtes ſequebantur eam, quaſi agni laſciuientes, & neſcientes, quod Diabolus per illam ſpargebat flammam ignis comburentis. Facta erat domus huius mulieris via inferi deducens in inferiora mortis, feſtinabantque ad eam libidinoſi iuuenes, quaſi aues ad laqueum, neſcientes, quoniam de diſcrimine vitæ ageretur. Irridebat illa omnes, & Sacerdotes, & Religioſos viros, & omnes, qui ei perſuadere conabantur, vt admiſſorum peccatorum aliquando pænitentiam ageret, ad Deum ſuum reuerteretur plorans, & veniam petens; quia & aliæ famoſæ meretrices pænitentes apud Deum gratiam inueniſſent*. Huc ſenſim impudica mulier carnalibus illecebris furens deuenerat, vt licet maxime, ob ea quæ patrabat, erubeſcenda foret, ſua tamen dedecora neutiquam erubeſceret: ſed quis tãdem fœminæ in præceps currentis finis fuerit, videamus: *Cum mulier iſta multos vulneratos deiciſſet, & fortiſſimi, quique interfecti eſſent ab ea, & nollet acquieſcere, percuſſit eam morbo grauiſſimo, & in diſcrimen vita eius deducta eſt, vt medici de eius ſalute deſperarent. Quærebat illa medelas ad morbum profligandum, ſed animæ ſuæ, quæ perierat, nullum remedium petebat. Acceſſit ad illam Parochus, hortabatur illam, vt ſui miſeraretur, & ad Deũ reuerteretur. Illa autem faciem ſacerdotis auerſabatur, & verba ſalutaria audire renuebat, & ne audiret, ver-*

Moneatẽ officii deſide:.

Morbo implicita decumbit

Sacerdotem crimina expiare hortantem repellit,

tebat ſe ſe ad proximum parietem &c. Interim morbus illi non parcens ad extremum vitæ perduxerat illam, & tũc in vltimum remedium vocati ad eam ſunt duo Patres ex miniſtris domorum hoſpitalium. Qui benignis verbis, vt ſolẽt conati ſũt, ſi quoquomodo potuiſſet flectere tantam animi duritiem, & perſuadere illi, vt confiteretur peccata ſua, animamque ſuam ab æternis pœnis redimeret. Cumque & ipſi tempus fruſtra contererent: ecce aperitur videntibus illis magno impetu porta thalami, & ingreditur in eam ſetigera, & lutulenta Scropha miræ magnitudinis, quæ dentibus infrendens huc, atque illuc per thalamum curſitans, tandem concito ſaltu tulit ſe ſupra lectum, tot infandis libidinibus commaculatum, & confeſtim ſuper eam inſiluit, roſtroque horribiliter illam in vmbilico percuſſit, donec exanimata eſt. Inuenta eſt infelix fœmina poſt mortem nigra ſupra carbones, vt omnibus teſtata relinqueretur immundi dæmonis rabies contra hominem à Deo iuſto derelictũ.

Dæmon ſuis formã meretricem Romæ necat.

Hæc enim auctor, qui funeſtum impudicæ, impœnitentiſq; fœminæ obitum grauiſſimis verbis, vt pote cæteris exemplo futurum in ſuis hiſtorijs deſcribit, ac nobis iure optimo inter peſſimas peccatorum mortes fœminæ ſortem adnumerandam proponit.

12. Infelici huius conſortio puellæ impuris amoribus inſana iũgẽda eſt, cuius hiſtoria, velut res noſtro ſęculo teſtatiſſima, viros per ſe conſpicuos, ac omni fide digniſſimos aſſertores habet. Rem enim geſtam ſuo elegãti ſtylo perſequutus eſt vir pietatis, ac eloquentię prçclarus inprimis, Fabius Chiſius, cum Neritonenſis olim Epiſcopus apud Vbios ſedis Apoſtolicæ Nuncium ageret. Qui virtutum poſtea, ac meritorum ſuffragio ad ſupremum Apoſtolici throni apicem Dei nutu euectus, atque ob animi, rerumque magnitudinem digniſſimo Alexandri nomine inſignitus, nunc Chriſti Eccleſiæ in Petri feliciter ſolio præeſt; tunc enim perhumanam Iano Nicio Erithræo ſibi amicitia iuncto epiſtolam ſcribẽs; hiſtoriam plane tragicam, ſcribenti opportune ſuggeſſit, quam tanto illo vtpote viro, eiuſque tum pietate, tum eruditione dignam, in libello, quem de virtutibus, ac vitijs inſcripſit, ſuo apte loco inſeruit, & nos inde noſtris hiſce ſcriptis nobili poſteris monimento futurã intexere haud ab re duximus; ſed interim Nicij verba excipiamus:

Puellę impudicæ triſte facinus

Magni documenti hiſtoria.

Ian. Nicius Erith. ex. vir. & vit. ex. 171

13. *Huic vero perniciosæ* (inquit) *parentum in liberos indulgentiæ iure tribuendum eſt illud, quod de ſicula puella, eiuſque amatore ſcripſit ad me vir omnibus ijs virtutibus, quæ in Epiſcopum conueniunt, cumulatiſſimus Fabius Chiſius, Epiſcopus Neritonenſis, quod totidem verbis, quibus ab eodem narratur, exponam, non enim dici poſtulat elegantia, neque [illegible].* Hæc Nicius ad hiſtoriã lectori ſuggerendam verborum præludia fecit: ſed nos interim rem, pro vt geſta eſt, eruditiſſimi viri ſtylo concinne expoſitam gratis hic auribus accipiamus:

Tragica ſiculæ puellæ hiſtoria eleganti ſtylo deſcripta.

Reperita ex Fabio Chiſio doctiſſimo ipſius verbis narratio.

In inſigni (inquit) *inſulæ Siciliæ vrbe puella quædam nobilis iuuenem exterum adamare cœpit, nihil inde cogitantem, qui ſtudiorum cauſa illuc ſe contulerat, ac eo veſaniæ, & libidinis impetu adacta eſt, vt die quodam ſumpta occaſione ore impudenti renunciauerit id ipſum iuueni, atque in noctem proximam inuitauerit. Accepta ſponſione iuuenis, quanquam eodem die ſecta ſiniſtri brachij vena ſanguinem miſiſſet, iuxta à medicis præſcriptam verni temporis purgationem, paruit. Cum*

Triſtes amorum exitus

Digitized by Google

vero ſatur, aut feſſus libidine obdormiuiſſet, contigit, vt ſponte aperta vena, effuſoque ſanguine expirauerit. Quod puella deprehendens poſtea, ſomno excitata, matrique renuncians, atque cum ea inito conſilio ad crimen occultandum ſuis humeris media nocte cadauer in templi limine côllocauit. Illuxit dies: varius rumor de nece iuuenis illius, & ciuium concurſus ad feretrum, quod de more locauerunt in eodem templo. Interim furere illa, nec quamuis à matre monita conquieſcere, nec ſtare loco, imo circa veſperas illius diei petijt, liceret ſibi inter ſpectatores accedere, ac mortuum aſpicere, tum negare mater, Illa vero vehementius perſiſtere. Abijt tandem matre comitante amore percita; Cumque e cōſpectu fuit amati iuuenis, educto cultro, quem veſte tegebat, exclamans: Ego perdita cauſa fui tuæ necis dilecte mi, immiſſoque ferro pectori proprio manubrio tenus, cecidit ſuper ipſum, & ſuam ad Orcum victimam proſequuta, inſigni hac infamiæ nota gentem ſuam infecit. Hęc appoſite Vir præſtantiſſimus, noſtriſque maior laudibus. *Vnde* (ſubdit Nicius) *licet intelligere, pernicioſa hæc matrum in filias indulgentia, quorſum euadat, quāquam mater hæc, de qua diximus, progreſſa ſit longius, non enim pauxillum inſane, ſed totum inſane filiam amauit, quæ ſuſtinuerit peccati illius conſcia eſſe; nam quid debuerat mater cupida exiſtimationis bonæ tum ſuæ, tum filiæ, niſi cum compertum habuiſſet de illius amore, ab ea illam inſania retrahere, atque ab adoleſcentis illius non modo familiaritate, ſed etiam congreſſione, materno iure, ac poteſtate prohibere, imo honeſto cuipiam viro nuptui eam dando, omnes impuriſſimorum amorum cauſas illi præcidere? At contra tam leni, ac victo in eam animo fuit, vt ne ſollicitam eam haberet, non modo furorris illius ſe comitem, ſed ducem etiā præbuerit, neque illud in mente habuit filiæ flagitium, in Dei, quod caput eſt, offenſionem, & in ſuum familiæq; vniuerſæ dedecus, infamiamque recidere. Itaque fit veriſimile nunc illam apud inferos in æternis illis ignibus poſitam vna cum eo, quem eumdem in interitū traxerat, vitioſum matris amorem, qui tantam ſibi calamitatem, ſuppliciumq; conflauerat, omnibus precibus deteſtari, & quouis illam odio pernicioſiorem aſſerere.* Habes hic tragicā adoleſcentulę impuros inter amores diffluentis hiſtoriam, quæ miſerandum, tum iuueni eiſdem amoribus irretito, tū ſibi, quæ vna malorum cauſa fuit, interitum, perpetuique tam apud poſteros notā dedecoris, quam perennes apud Orcum cruciatus peperit; Cuius iure optimo inter peſſimas peccatorum mortes exitus computandus eſt.

Perditæ matris in filiā impudicam indulgentia cæca

Coniurcta amantum horrida funera.

O impium & væſanum maternum amorem.

Non raro in mortes vertuntur amores.

14. Itaque è putridæ carnis, ac cœni volutabro, veluti è ſentina malorum, multiplices dolores, corporis cruciamenta, luem, ac corruptionem tandem, præmiorum inſtar à morbidis voluptatum ſectatoribus liberaliter demeti, illa Apoſtolicę tubæ vox eſt: *Et qui ſeminat in carne* (inquit) *de carne & metet corruptionem.* Adeo vt vel in carne miſeri, quæ carnis ſunt, infelici malorum cumulo exoluant, acerrimiſque, dum adhuc ſpirant, dolorum aculeis interpuncti, ſuam hic gehennam patiantur, priuſquam gehennam ſubeant, vti impuræ fœminæ, quæ inter fœdas voluptatum illecebras laſciuiebat, exemplo compertum ſit, quod à Bouerio in ſuis Chronicis hunc in modum deſcribitur: *Contigit aliquando* (*inquit*) *vt Fr. Bernardinus Generalis in Hiſpaniam adnauigans, nauis, qua vehebatur, inter arenas fixa inhæreret;*

A voluptatum cæno velut ex fonte cuncta malorum incommoda.

Ad Gal. 6. 8.

Leues deliciæ æternis luendæ ſuppliciis

quamobrem iter pedeſter proſequi cogitur. Erat illi tunc ſocius Fr. Raphael Aſtenſis Laicus, Prouinciæ Genuenſis alumnus, vir omnium memoria, ac veneratione dignus, quo cum, dum per deſertum quoddam progrederetur, ab ijs mæſta quædam dolentis vox eminus auditur, ſubſiſtit Bernardinus, & dum vndenam ea vox erumpat, vndique circumſpicit, En fœminæ inter geminos apros, à quibus miſera dilacerabatur. Se illi aſpectandam offert. Horreſcit primo aſpectu Bernardinus, verum cum hoc non humani, ſed diuini alicuius iudicij ſimulachrum eſſe intelligeret, à muliere & conditionem, & doloris cauſam exquirit. Cui illa: Heu me (inquit) nobiliſſimi cuiuſdam Hiſpani olim filia, quæ vt turpibus carnis voluptatibus cum Amaſio operam darem, ſub falſo perpetuæ caſtitatis ſeruandæ ſtudio, honeſta coniugia reſpui, neque huius me vnquam ſceleris pœnituit, donec morte abreptam Dei *iudiciũ ad hæc me intolerabilia duorum horum dæmonum, qui me aprorum inſtar dilaniant, ſupplicia adegit: Heu miſeram, heu infelicem, in æternum perimendam. Inter hæc verba ab apris illis tartareis abrepta, ac per medium diſcerpta ſe ex illius oculis eripit.* Triſtem ſane mulier vna cum ſuis amoribus, quos iam æternis compenſat cruciatibus, finem ſortita eſt.

Lugubre viſum oſtẽſum Bernardino generali Capucin.

Ob turpes amores ſe damnatam conqueritur

15. Et fœminæ quidem impudicæ, quæ alijs è proximo lapſum, atque ruinam peperere, poſt turpes, inſanoſque amores, funeſtum non tã exitum pro mercede, quam exitium conſequutæ ſunt. Quod vt exemplo manifeſtum ſit, duas tibi ob oculos deperditi pudoris fœminas à Nicio in ſuis paginis editas, contemplandas proponimus, de quibus ille in ſelectis exemplis hæc habet: *Mulier vidua* (inquit) *cuius vir rem decoxerat, deſperans ſe poſſe viuere, filiam ſuã virginem indotatam, viro cuidam Principi, animi, voluptatiſque cauſa vtendam dedit, ipſa vero alteri cuidam, corporis obſequio ſe ſe deuinxit, ſed paucis poſt annis in contubernio, ac pene in complexu illius viri, repentina morte perijt, tũ filia, quæ dotis ſibi comparãdæ cauſa viro illi principi tradita fuerat, in concubinatum, ab eodem ſine dote, vni ex ſuis familiaribus collocata eſt in matrimonio; ſed cum nihilo ea minus ille ad libidinẽs ſuas vteretur, lethalem in morbum incidit, cuius vim diù ſuſtinere non potuit, ſed ferme iam moriens, cum adoleſcentulæ, quam amabat, minus à ſe proſpectum eſſe intelligeret, mandauit marito illius, vt quidquid auri in armariolo ibi proximo inueniſſet acciperet, ſibique haberet &c., atque in alteram lectuli ſpondam cõuerſus confeſtim animam efflauit. Narrat hæc mulier (ſi fides iſtis habenda eſt) ſæpe venire illum in ſomnis ad ſe mortuum, ac queri propter ipſam male ſibi apud inferos eſſe, multis de cauſis &c. Verum vt ad id, de quo erat ſermo, reuertamur, hæc mulier, cuius pudicitiã mater proſtituerat, quo dos ipſi inueniretur, primum vna cum liberis octo, tum ex alijs, tum ex viro ſuſceptis ſine dote, cum egeſtate, & inopia conflictata eſt, nec fere quidquam eius inopiã ſubleuauit vulgati corporis quæſtus; denique morbo capitis, ex medicamento, quo fucatum capillis nitorem inducebat, contracto, in ipſo ætatis flore deceſſit.* Sic voluptuoſas, obſcœnaſque fœminas, quæ pudorem cum aliorum diſpendio proſtituunt, ſuique corporis illecebras venales exhibent; non niſi infeliciſſimus conſequi exitus ſolet.

Nicius ex. 3. Triſtia alia impudicarũ exempla.

Adoleſcentula ab impia & impura matre viro principi proſtituta

Mercedis ſpes emoriente principe eiuſ.

Confecta egeſtate corpore ad quæſtũ abutitur.

16. Præmemoratæ miſerandus fœminæ alterius, quæ libidini addicta, inter amorum blandimenta turpi-

pi-

Digitized by Google

piter diſſluebat, interitus iūgēdus eſt, eodem, qui ſupra auctore his verbis narrante: *Virgo quædam*(inquit) *honeſtis orta parentibus, quæ quidvis potius, quam caſtam, & religioſam vitam meditabatur, parentum imperijs coacta, & egeſtate, vni ex illis familijs nomen dederat, ſed breui, deſertis ſuis Caſtris ad iuuenem, qui erat cupiens ſui, transfugit: ex cuius congreſſu concepit, ac puerum peperit: Quamobrem compulſi ſunt parentes eius nuptui eam tradere, ſed ita Deo vſi ſunt propitio, vt Piſtori cuidam ſatis locupleti collocarint. Sed non eſt inuenta melior nupta, quam virgo fuerat; nam amore cuiuſdam capta, cœpit pecunia virum exuere, ex eaque amatoris ſui ſumptibus ſupppeditare; quo factum eſt, vt illum breui ad egeſtatem adegerit, atque in eas rei familiaris anguſtias adduxerit, vt cogeretur ipſam deſerere, atque operas ſuas alteri Piſtori locare. At mulier mariti moleſtia liberata, ſolutiore animo ſuis libidinibus obtemperabat: Verum aliquanto poſt vir partim ex pecunijs, ex operarum ſuarum mercede redactis, partim ex ijs, quas ab amicis mutuas ſumpſerat nouām tabernam aperuit, atque vt erāt induſtrius, ac diligens, diſſoluto ære alieno, iā cœperat eſſe in ſuis nummis, ac multis; cum vxor quæ ab omnibus deſerta egeſtate, & inopia laborabat, egit per amicos, & religioſos viros interpretes, vt pacem cū viro faceret: ſe enim, quouis ille vellet deſcenſuram, ſed nihil præficiebat. Etenim erat illi ſtatutum, ac fixum nunquā eā domū reducere, ſed cū amici pertinacius contenderent, expugnatus tandem, mutauit ſententiam, & ſtatuit cum ipſa redire in gratiam, ſed ne tum quidem inuenta eſt ſui diſſimilis; nam cum ab eo omnibus in rebus commode, ac liberaliter haberetur, cœpit rurſus viri ſui bene parta non ſolum indiligenter tutari, verum etiam per luxuriam effundere, adeout paucis mēſibus nihil fere illi reliqui fuerit, ac vim impoſuerit, vt operis ſuis locandis victum quæritaret. Sed mox debita eam pœna conſequuta eſt; nam cū in morbum grauem incidiſſet, neque eſſet vnde curaretur, delata eſt in Noſocomium S. Ioannis in Laterano, vbi per aliquot dies defixa lectulo iacuit, ſed cum tandem ex eo morbo conualuiſſet, & infirmis etiam tum viribus bacillo innixa domum ſuam reuerteretur, via ſacra, ab vna ex ijs bubulis, quæ ibi venales habentur, expetita eſt, & in æde SS. Coſmæ, & Damiani, quo tanquam in aram confugerat, antequam quiſquam poſſet obſiſtere multis vulneribus confoſſa, exanimis relicta, atque hunc mulier flagitioſiſſima, dignum moribus, factiſque ſuis, exitum vitæ inuenit.* Mulier igitur libidinis mancipium tum morbis, tum vulneribus Deo vlciſcente confecta, quæ caſtitatem proculcarat, miſerandumque in modum ſic malis attrita, ſuæ ſpectatoribus non tam vitæ fabulam, quam tragicum ſui malis, quibus expetita eſt, triſte, funeſtumque de ſe ſpectaculum cunctis præbuit. Sed ad alia interim properandum eſt, & iam à mulieribus, quæ homines, vt ſcriptura ait *apoſtatare faciunt*, ad fratricidas ſermonem conuertimus.

Adoleſcentulæ impudicæ exemplū.

Virum redigit ad inopiam.

Inſtaurata à viro re familiari iterum cum eo redit in gratiam.

Iterum per luxuriam effundit rem domeſticam

Recuperatā valetudine, dum reuertitur domum confoſſa à bucula cornibus, quæ viſo cornua fixerat.

Eccl. 19, 2

Fra:

CAP. IX.

Fratricidæ infeliciter pereunt.

1 PRimum ſane crimen, præ cunctis capitaliſſimũ, quod ſub ipſa mũdi primordia, poſtquam humani generis Protoplaſtus à ſumma paradiſi felicitate decidit, inuiſo hactenus crudelitatis portento in orbem irrepſit, fraterno ſanguine dedicatum eſt, vt appoſite Tertullianus inculcat: A *primordio* (inquit) *iuſtitia vim patitur, ſtatim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio ſortita eſt. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre, quo procliuius impietas alienũ ſanguinem inſectaretur, in ſuo auſpicatu inſectata*. Quod & amarulentis ſapiens verbis expreſſit: *Ab hac* (inquit) *vt receſſit iniuſtus in ira ſua, per iram homicidij fraterni perijt*. Haud enim alio, quæ ſancta inter homines ſunt, charitatis iura, quam innoxij profuſione ſanguinis, & intolerando piaculi genere infringi, ac violari poterant: Abel namque innocens, atq; inclytum proſapiæ germen, à Caino fratre per dolos, ac per inuidiá, nõ tamen impune occiſus eſt; adeo vt mortalium infeliciſſimus, vbi tanto ſe crimine obſtrinxit, innoxiumq; ſanguinem profudit, iuſtam illico in ſe Numinis iram expertus, iugibuſq, conſcientię ſtimulis exagitatus, vitam, quam trahebat, oneri, ac ſolam, quam aſſidue expetebat, mortem ſibi leuamento futuram pręſentiret. At nec immerito crudelis poſt fraternam cędem, ne fratri ſuperſtes fieret, perire maluit, quam viuere, vitamque potius quoquomodo abrumpere elegit, quam protrahere, vt malis, calamitatibuſque ingruentibus, vel moriendo finem faceret; Iuſto quippe iudicij calculo hominum perditiſſimus adeo immane delictum, quod admiſerat, reputabat, vt iã ſuorũ præco malorum in illas iure voces proruperit: *Omnis* (inquit) *qui inueniet me, occidet me*. Sed mox ſuperno confirmatus oraculo, timori, à quo ſibi adeo timebat, modum ponere, ac bene vel nolens poſtmodum ſperare didicit: *Nequaquam* (inquit Deus) *ita fiet. Poſuit autem in eo ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum*.

Fratricidi crimen ſub ipſa mundi primordia irreptit.

Tertull. contr. Gnoſt.

Sap. 10. 3.

Quam ſeuere à Deo in Caino punitum.

Mori, quam viuere maluit.

Gen. 4. 14.

Gen. vbi ſup.

2. Cainus itaque poſt fratricidiũ, cui ſe obnoxium fecerat, perpetuis conſcientiæ perculſus iaculis, diutino malorum experimento plus ſibi vitam tœdij, atque ærumnæ, quam voluptatis, & leuamẽti fore Ambroſ. teſte perſenſit: *Ergo & iſti Cain* (inquit) *longæuitas indulta, vindicta eſt, & quod vixit in metu, & prolixum ſpatium cucurrit multo, & infructuoſo labore*. Gehennam itaque ſuam miſer vbique haud miſerandus circumferens, pœnam, quam ſuo Deus imperio auferebat, & ſi nemo inſtaret, & ad pœnam expeteret, acerbiſſimam iugiter patiebatur. *Cum adhuc* (inquit Ambroſius) *à Domino pœna ceſſaret, torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum, latebat miſer tremens, & timens, & cum adhuc percuſſor deeſſet, ipſa ſeſe iniuſti vita cruciabat*. Diuino itaque iudicio perculſus, vel ſi maxime vellet, pœnam, quam iuſte perferebat, abſcondere, vel ad momentum interpolare nequibat, atque animi carnificinam inuſitato tremore mortalium

Amb. lib. 2. de Abel. & Cain c. 9

Longæua vita pœnæ vicem ſubiit

Amb. in pſ. 35

Carnificinã geſſit in pectore

occu-

Digitized by Google

oculis portendebat: *Circuibat* (inquit Chriſoſtomus) *Cain omnibus loquens, ſilentio vocem edens, ſilentioq; erudiens, lingua tacebat, & cætera mẽbra clamabant.*

Chryſ. hom. 4 de zelo. Iſai.

3. Porrò conſcientiæ, quod perpetuo miſer circumferebat, ſuppliciũ, etſi tortor deeſſet, immane adeo ipſomet ſapientum calculo cenſetur, vt vel Iudas poſt admiſſam ſacrilegã magiſtri proditionem, ſemetipſum non ferens, fatali laqueo volens, libenſque vitam, quam trahebat, abrũpens, exitio deuouerit: *Quippe cum non poſſet* (vt Chriſoſtomus ait) *ferre iudicij conſcientiæ dolorem, adaptato ſibi laqueo vitam finiuit.* Quam quidem acerbiſſimi ſupplicij pœnã Flaccus, homo iniuſtus æque, ac cruentus (vt ipſe Philo teſtis eſt) aliquãdo in Andro inſula expertus, vitam, ac ſe ipſum peroſus, mortem ingentis inſtar beneficij requirebat: *Adeo,* (inquit) *trepidabat, vt non aliter, quam inſanus proſiliret, ac vltro citroque diſcurreret, manus complodens, fæmora percutiens, humi ſe affigens, & clamitans. Iam in horas præmorior, multis mortes ſuſtinens ante illam vltimã.* Hæc anxia, perturbataque hominis, funeſta quæque timentis, expectantiſque conſcientia, pendeſque ante mortem ſub ipſius oculis vita tolerabat. Conſimilẽ quippe Cainus quoq; pœnam trahens, differebatur ad mortem, vt ſic protraheretur ad pœnã. At perijt tandem iuſto Dei calculo, Cain impius, inſontiſque fratris ſanguinem vulnera regeſſit.

Suſpendium Iudæ mitius viſum eſt ea conſcientia.

Chryſ. in pſ. 7

Flaccus mortem beneficij loco expetiuit. *Philo in Flaccum.*

4. Verum poſt impium Cain, alterius hic, qui binorum fratrum mactator fuiſſe deſcribitur, Hermeneſridi videlicet Toringorum Regis miſerandam ob oculos cladẽ proponimus, his ab Aimoino verbis narratam: *Inde* (inquit) *Theodoricus, fratre Clothario in ſocietatem aſcito, ipſe cũ filio Theodeberto Toringiam petit. Præerat Toringis Rex Hermeneſridus, duobus ſuis fratribus trucidatis. Cui acceſſerat ex coniugio vana quædam mentis elatio, quod ei filia Theodorici Regis Italici ex ſorore ſuſcepta Clodouei, iure copularetur nuptiali. Hæc muliebri faſtu elata, quod regali manaret è proſapia, fratrem mariti, Bercharium nomine ingenti oderat crudelitate. Denique ſuadet viro, vt fratrem ſibi æmulum, vita priuet, & regno. Id ille nil moratus effecit, miſſiſque lictoribus eum perimi iuſſit &c.* Sed iam de Hermeneſ. hęc auctor proſequitur. *Tanta autem* (inquit) *ſtrages tunc de Toringis facta fuiſſe fertur, vt cæſorum congerie completo fluuio, Franci ſuper interfectos in vlteriorem tranſirent ripam; Hermeneſridus ipſe cum paucis elapſus in munimentum ſe contulit vrbis. Quem poſtea Theodoricus, fide data, Tubriacum ad ſe venire mãdauit, eumque dum deambulatum per murum vrbis irent, & inter ſe alterutrum ſermocinarentur, præcipitem deorſum egit. Qui ruens comminuto cerebro exanimatus eſt, ſicque infeliciter perijt.* Sic nullam vir, qui in fratres crudelis, atque ipſimet fraterno per ſummam iniuriã ſanguini infidus extiterat, apud alios fidem, pietatemque conſequi meruit.

Aimoin. lib. 2. de geſtis Franc.

Regis Thuringiæ, qui fratres trucidarat,

Hermenfridus dolo præceps actus è muro

5. Enim vero faternus ſanguis impie profuſus, atque ad Deum iugiter clamans, iuſtam tandem ab eo vltionem repoſcit, vt ſuo ex iam dictis Cainus exemplo ſatis docet, quẽ admiſſi contemptorem, immemoremque piaculi, illis Deus verbis iuſtiſſime perſtrinxit, dum ad iudiciũ, pænamque hominem male ſibi conſciũ repetens: *Vox* (inquit) *fratris ſui Abel clamat ad me de terra.* Pari quoque animaduerſionis calculo Cõſtãs

Pœna fratricidarum ſupplicium.

Gen. c. 4

Græ-

Græcorũ Imperator, qui anno Chriſtum 659. in Oriente imperij clauũ adminiſtrauit, iure merito percuſſus eſt. Nã iſthæc de eo Theoph. *Anno* (inquit) *decimo octauo Imperij Conſtãs germanum ſuum fratrem Theodoſium interfecit: quem quidem offenſus ab eo antea opera Pauli Patriarchæ attonſum diaconum conſecrari voluiſſet; à quo miniſtrante idem* Imperator *ſancto ſanguinis poculo in ſacroſanctis myſterijs impertitus fuiſſet*. Hæc ille. Atqui vt Baronius hæc in rem præſentem habet: *Vbi ſcelus* (inquit) *imo in vno plura ſcelera nefandiſſima perpetraſſet, cum extinctum penitus fratrem, & obliuione ſepultum omnino putauit, didicit ſuo damno miſer ſuperſtitem poſt cædẽ homini, quod uiuat & clamet*. Hæc enim de eo in Græcorum annalibus apte deſcribuntur.

Theoph. in Conſtant.

Conſtans græcorum Imperator fratricida.

Bar. tom. 8. ann. 659. n. 2

6. Is *Ergo Theodoſius à morte ſua ipſi Conſtantino crebro per quietem viſus eſt habitu Diaconi poculum ſanguine plenum porrigere, atque dicens: Bibe frater*, ac ſi diceret (inquit Baronius) *Inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti, talem decet propinare poculum plenum ſanguine auidæ crudelitati. Explere cruore germani porrigentis, non ut olim in Eccleſia porrigebat in tuarum redeptionẽ culparum ſanguinem Chriſti, ſed in vltionem paratum. Porrigo calicem ſalutarem, ſed ira Dei poculum plenũ, quod haurias eſt neceſſe; meus ecce ſanguis, qui tuum à Deo vindice ſuis vocibus exigit.* His vocibus, & cõſciẽtia pariter altius inclamante, Imperator extimulatus, quia à ſe ipſo fugere non poterat, terram ſui conſciam delicti fugere ſatagebat. Verum cũ Imperator male ſibi conſcius, cunctiſque inuiſus in Sicilia degeret, in fraterni, quem impie effuderat, ſanguinis pœnam, Syracuſis in balneo occiditur vt Anaſtaſius his verbis narrat: *Occiſo Conſtante rebelles Metium, ſiue Mezenum Armenum Imperatorem crearunt. Quo audito Conſtantius Conſtantis filius in Siciliã veniens, nouum aggreſſus Imperatorem, imo tyrannum occidit vna cum ijs, qui aduerſus patrem coniurant*. Hæc græcorum annales tradunt. In Balneo igitur crudelis, ac perditus Imperator fratris, quem hauſerat ſanguinem refudit, & vel ſero tandem intellexit parem cruentos homines pænã ſequi, vt qui viros innoxios gladio abſtulere, gladio pariter in piaculi vltionem eos demeti oporteat.

Cedren. comp. in Conſt.

Bar. vbi ſup.

Occiſus frater per viſũ apparens ex eo vltionem petit.

7. Et quidem ſeueriſſimis à Deo pænis Fratricidij crimen expeti conſueuit, vt infelix Ariſtoboli exitus legentes admonet, qui in ipſomet loco, vbi pridem Antigoni fratris cruorem fuderat, ſuummet haud caſu, ſed peculiari ipſius Dei nutu fudiſſe legitur; de quo iſthæc apud ſcriptores habentur: *Ariſtobolus Hircani filius, poſt matrem fame enectã, fratres in vincula coniectos, Antigenum ex omnibus, vnum charum habebat, cum vero; & hunc à calumniatoribus inſtigatus interfeciſſet, paulo poſt corruptis viſceribus ſanguinem vomere cæpit; quodam igitur tempore contigit, vt dum quidã miniſtrorum ſanguinem, qui vomitu redditus erat, peluis exceptum foras ſubinde efferret, eodem in loco, vbi Antigonus cæſus erat, extãtibus adhuc cædis eius maculis; cum peluis laberetur, &c. Tunc Ariſtobolus intelligens diuino nutu effectum, vt quo loco fratris ſãguinem effuderat, ibidem & ſãguis effu deretur, in hæc verba prorupit: Ergo non latet Deum* (inquit) *meum impium, ac ſceleratum facinus, quã do tã tã cito repoſcor ad pænas cognati ſãguinis. O corpus impudens, quouſque retinebis animã, quã materni ſimul, ac fraterni manes flagitãt? Cur nõ ſe-*

Timp. in Theatr. diu. iud.

Ariſtoboli exemplum lugubre.

Fratrem Antigonum occiderat

Digitized by Google

ſemel eã reddis, ne ſic per partes opus ſit libare meum ſanguinem, atque ita parentare oppreſſis per nefas, & parricidiũ. V ix ea fatus erat, cum exhalaret animam. Sentiebat quippe mortalium perditiſſimus, ac fraterno adhuc cruore madidus, diuinæ ſuo impendentẽ capiti vltionis mucronem intentari.

Agnoſcit Ariſtobolus pœnas à Deo vindice repoſci

8. Sed hic, vbi de fratricidis adhuc ſermo eſt, infantem ab ipſamet ſorore, ſceptri atripiendi cauſa interemptum, ac mulierem proinde diuino iudicio mulctatam, Vuilelmus Maſmeburienſis hunc in modum narrat; *Sanctum Kenelmum* (inquit) *tenellæ ætatulæ puerum, vt pote ſeptẽnem, Zenulphus Rex Merciorum Quendridæ ſororis fidei educandum reliquerat. Sed illa falſo ſibi regnum præſagiens, fraterculum tollendum de medio, ſatelliti, qui alumnus erat, commẽdauit. Is inſontem, cauſa remittendi animum, vel recreandi, quaſi venatum ducens, inter fruteta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commiſſa, Romæ diui nitus innotuit; ſi quidem membrana ſuper altare Sancti Petri ſuperne columba ferente delapſa, necis, & ſepulchratus loci per ordinem index, quæ quia elementis Anglicis erat conſcripta, à Romanis, & aliarum gentium hominibus, qui aderant fruſtra legi tentata. Sed ſalubriter, & in tempore Anglus linguæ inuolucrum latialiter Quiritibus euoluens, effecit, vt Apoſtolici epiſtola regibus Anglis, compatriotam Martyrem indicaret. Quapropter frequenti cœtu innocentis corpus leuatũ V vinchelcumbam vehebatur. Ita Clericorum vocali cantu, & Laicorum alacri plauſu parricidalis fœmina commota eſt, & feneſtra cænaculi, in quo ſtabat, caput extulit &c.* Et poſt multa; *Cruoris* (inquit) *ſigna extant hodie, inhumanitatem mulierculæ, & Dei vltionem ſpirantia*. Cruentis itaque notis delictum, quod fœmina clam patrarat, diuinitus deſignari contigit.

Vuillelm. Maſmeſb. de geſt. Reg. Angl.

Kenelmus regni hæres à ſorore trucidatus

Occulta ſcelera eſſe nequeunt

Pari itẽ vltione Boleslaus, fraterno pollutus ſanguine, expertus eſt, ac ipſemet, qui ſacros templi parietes vltricibus indelebiliter notis reſperſerat, Venceslai cruor, ad vindictam, fratriſque probrum ibi iugiter perſeuerans, Deum iuſtum, ſeuerũq; parricidij vltorem proclamat. Canes, quippè, qui Achabi quondam Regis impij, ac interfectoris perditi ſanguinem ſamberant, Boleslaum ſimiliter fratricidam pari iudicio reum dentibus dilaniantes, eius carnes depaſti leguntur, vt in rerum geſtarum monimentis ſic traditur: *Venceslaus Bohemiæ Princeps, quem Ludmilla religioſa mulier educauit, a puero ſanctiſſimus euaſit, atque optimus. Boleslaus autem iiſdem ortus parentibus, quod à Drahomira impia, ſceleratiſſimaque fæmina educatus eſſet, impius, immanis, crudelis, & importunus extitit, eoque peruenit, quoad progredi feri hominis amentia potuit. Nam Drahomiræ ſuæ alitricis veſtigijs inſiſtens, quæ & Ludimillam ſocrum, & multos Chriſti ſacerdotes occiderat, Venceslaum fratrem interemit, humanaque, & diuina iura violauit &c. Nec ſacrilegi, & parricidæ Boleslai dementia non eſt punita, & vindicata diuinitus. Nam templi paries, quem Venceslai cruore frater inſanus, & præceps amentia reſperſerat detergi, abluique non potuit, vt nefariæ cædis teſtis eſſet æternus. Paulo poſt Boleslaus impius Rex ob necem D. Stanislai anathemate ictus, amens factus à canibus proprijs fuit deuoratus.* Sic Rex patratæ haud ſemel cœdis crimini obnoxius, neque vnius tantum apud Deum piaculi reus, ob interemptum videlicet fratrem, ac venerandum Chriſti ſacerdotem, ſibiq;

Boleslai ſanguine fraterno inquinati exemplum.

Tymp. in Theat. diu. vindic.

Traxit ex impia educatione mores impios.

Boleslaus anathemate & amentia percuſſus deuoratur à canibus.

in ſpiritu patrem trucidatum, crudeli fato addictus, canumque dentibus diſcerptus, depaſtuſq; è vita abſceſſit.

9 His vero, quæ hactenus narrata à nobis ſunt, funeſta alterius, qui fratrem interemit, clades iungenda eſt, quam nouiſſima hac noſtra ætate contigiſſe, prælaudatus noſtri temporis ſcriptor affirmat, atque his verbis hiſtoriã ſuis in paginis recẽſet: *In Polonia* (inquit) *erat Comes quidã fere eius Regni primus, liberis præditus, quorũ, qui primo erat ætate proximior, hæres patri eſſe cupiebat, ſed Regni legibus non poterat ſuperſtite illo, vt diximus, qui ipſum ætate antecedebat; Quamobrem amens cupiditate, decreuit illum inſidijs, ac fraude, ac ſi minus res procederet, palam extinguere. Itaque dat ſicarijs quibuſdam negotiũ, vt eum quouis modo obtruncent; qui, vt erat imperatum, efficiunt, ſed non diutius impune hunc abſtulit; nam cũ paulo poſt tanto ſcelere inquinatus, in Italiam, ac Romam veniſſet, atque inde Neapolim, eius vrbis viſendi ſtudio contenderet, dum apud Citernum quieſcendi gratia conſiſtit, atque interim equos in proximum ibi agrum pabulatũ dimittit, à ruſticano homine eius agri cuſtode, quem verborum contumelijs affecerat, glande è ſclopo dimiſſa traijcitur, ac ſubito moriens minime diu perceptæ ex fraterna cæde voluptatis potitus eſt.* Sic fraternæ cœdis apud Deũ reus, quod in fratrem admiſerat, crimen, vel à patria profugus exoluens, non iam hæreditatem, quam inique concupierat, ſed ſepulchrum, quod alteri parauerat, inopino ſublatus exitu adiuit.

Impii alterius in fratrem exemplum.

Polonus Comes fratrem occidendum curat, vt Comitatu potiatur,

Sepulchrum pro Comitatu nactus in peregrino ſolo.

10 Aliud huic ſimile ſeni cuidã apud Ianuenſes contigit, qui diuitiarum cupiditate abductus, vt aurum conquireret, fratri venenum propinauit; ſed ſcriptoris hic verba excipiamus: *In actis* (inquit) *quæ octauo quoque die circumferuntur, anno MDCXXXIV. menſe Auguſto, legimus, Ianuæ in vincula publica ſenem eſſe coniectum, annos natum non minus ſeptuaginta, qui fratris bonis inhians, eumdem veneno ſuſtulerat, tanquam, ſi tum primum ad decurrendum vitæ ſpatium è carceribus, vt ita dicã, exiret, & non iam ad calcem perueniſſet; etenim eo conſilio tantum in ſe ſcelus conceperat, quo mollius, ac lautius vitam exigeret: Huic ſtulto comico ſeni perſuaſum fuiſſe arbitror, ad Mathuſalæ annos ſe eſſe peruenturum, quod nobis argumento eſſe debet, vt ad extremũ vſque ſpiritum, à Dei ope, auxilioque dependeamus; nam ſi ex noſtris nos viribus metiri velimus, nullum erit flagitium tam fœdum, nullum facinus tam atrox, tam audax, quod alienum à nobis ſit futurum.* Miſer profecto, qui tunc, cum vita deficeret, de lautiori comparando viatico cogitans, in id ſcelus proſilijt, vt fraterno manum ſanguine macularet. Sed plura alia exempla non deſunt, quæ narratis hactenus addi poſſent, ſed conſulto à nobis breuitatis gratia & ne tædio ſimus, omittuntur.

Lan. Nic. ex. 39.

Fratre veneno ſublato vincula ferrea pro auro adeptus

CAP. X.

Fures, & rerum furtiuarum detentores

1 NVllum fere crimen eſt, quod publicæ rei plus noceat, quod humanæ ſocietatis ſic iura cõuellat, quod æquitati, ciuium bono, ac paci magis aduerſetur, quod tum Deo iuſtitiæ vindici, & aſſertori, tum ho-

Fures publicę rei maxime pernicioſi.

hominibus, quos è proximo tangit, inuiſum magis, atque execrabile ſit, quam furtum; adeout diſtrictis manifeſtiſque ſcelus hoc verbis, ceu publica orbis lues, in Moſaici teſtamenti tabulis proſcribi diuinitus: *Nõ furtum* (inquit) *facies*: additiſque inſuper pœnis ſeueriſſime plecti meruerit. Enim vero intoleranda furũ impune graſſante licentia, cũcta, quæ hominum ſunt, ſuſque, deque inuerti neceſſe eſt. Hinc iure merito ad coercẽdas rapaces hominum manus, ſuam certatim leges, tũ diuinę, tum humanæ vim exerunt, & iuxta illud, quod in omnium ore eſt: *Contra fures omnia iura clamant*, pœnis, mulctiſque adhibitis in eoſdem animaduertunt. Haud enim vnquam ſuum Iuſtitia gladium perſtrinxiſſet, ni humana ſocietas, ob læſam, violatamque à furibus charitatem, vim, Philoſopho teſte, eſſet perpeſſa: Ex *defectu* (inquit) *charitatis orta eſt iuſtitiæ neceſſitas*. Scelus itaque, quod humanis legibus damnatur, diuinis quoque oraculis, haud obſcure notatum eſt, adeoque Propheta superno afflatus lumine, non niſi, certam furum, prædonumque domibus diuino adactus imperio vaſtitatem edixit. *Hæc eſt* (inquit) *maledictio, quæ egreditur ſuper faciẽ omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur &c. Et veniet ad domum furis, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius*.

Exod. c. 20. 19 Furtũ à Deo damnatum

Iuſtitia ob læſam charitatem in orbe inuecta

Philoſ. in poſit.

Zach. 5. 6

Maledictio, & vaſtitas fures conſequitur.

2. Porró eiuſcemodi crimen adeo hominibus, ac viris præſertim Principibus, quos inprimis lædit, contumelioſum ſemper fuit, vt Alexander Seuerus Imperator, ſi quem talem hominem conſpexiſſet, publicæ ſuamet manu vlciſcendæ iniuriæ cupidiſſimus, digitum, quo furanti oculum erueret, paratum ſemper haberet. Quinimo ſic in fures aliquando exarſit, vt honeſtum alioqui hominem in furto deprehenſum, nulla habita ratione, mox cruci ex lege affigendum præceperit. Nec his contentus, fures eum in modum infenſos iugiter habuit, vt nec ab eiuſmodi hominibus ſalutari ſeſe paſſus, illud per præconem palàm edixerit; *Nemo ſalutet Principẽ qui ſe furẽ eſſe nẽſcit*. Ac qui inſuper amantiſſimus Princeps, furti ſuſpicione infames haud vnquã intueri ſuſtinuit, ac proinde cum Septimus Arabinus, furtorum crimine olim famoſus, ac liber ſub Heliogabalo factus, Principẽ inter Senatores ſalutatum veniſſet, illis mox vocibus exclamauit: *O numina* (inquit) *ò Iuppiter, ò Dij immortales: Arabinus nõ ſolum viuit, ſed & in ſenatum venit. Fortaſſis dẽ me ſperat? Tam fatuum, tam ſtultum me eſſe iudicat*. Indignos namque ipſius lucis beneficio, ac ſolo dignos exitio, eiuſcemodi obnoxios crimini reputabat.

Alexander Seuerus in fures vere ſeuerus.

Lamprid. in Alex.

Idem qui ſupra.

3. Nec vero, vt ſacra interim prophanis iungamus, obſcurum, atque ignobile in Achan fure diuinæ olim animaduerſionis præceſſit exemplũ, qui cum aduerſus Vrbem Hai, poſt expugnatam Ierico, Iſraelitis valide pugnantibus, prædandi cupidus, inter captiuorum ſpolia Coccineum palliũ argenti ſiclos, virgamque auream præter Dei imperium abſtuliſſet, tanquam peſſimi reus furti, nec nõn publicæ quietis inimicus, ac perturbator, cunctiſque malis obnoxius, Ioſue poſtmodum iubente lapidibus impetitus eſt: *Lapidauitque* (ait ſcriptura) *eum omnis Iſrael, & cuncta, quæ illius erant igne combuſſerunt*. Ita plane in fures ex Dei ipſius præſcripto animaduerti placuit: Et Apoſtolus quidem, vt digna ſceleri pœna reſpon-

Achan ob furtum lapidibus impetitus.

Ioſue 7. 25 Fures à regno Dei Apoſtoli voce proſcripti

ſpondeat, iuſto haud ſemel iudicij calculo, fures à Dei regno proſcripſit: *Neque fures* (inquit) *neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Iure autem merito alienis inhiãtes rebus, raptoreſque perditos beata illa ſuperni regni ad ſui conſortium felicitas non admittit, vt pote fraternæ charitati apprime aduerſantes, hominũ ſocietati iniurios, nec non iuſtitiæ maxime infenſos, contumelioſoſque.

1. Cor. 6

4. Enim vero fures, iniquis, quę aliorum, abradendo manibus, iuſtas Dei iras, promeritaſque tandem mercedis inſtar apud tartarum pænas, nõ euadunt, adeo vt non niſi clades, ac funera pro furtis, atque rapinis cumulatiſſime demetant; certa quippe furtiuas inter ſarcinas non tã prędarum lucra, quam animarum detrimenta, Auguſtinus recenſens: *Vbi lucrum* (inquit) *ibi damnum, lucrum in arca, damnum in conſcientia*.

Aug. ſerm. de decem plag.

Lucrum in arca damnũ in conſcientia.

5 Atqui furtum (de quo ſermo eſt) non modo animæ, ſed publicæ quoque rei, humanæque ſocietati, imo naturæ ipſi adeo repugnat, & contrarium eſt, vt vim Tullio teſte illi propemodum inferre videatur: *Detrahere aliquid* (inquit) *alteri, & alterius incommodo ſuum cõmodum augere, magis eſt contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt, aut corpori accidere, aut rebus externis*. Adeoque furũ ceruicibus, in quos omnia iura proclamant, fuſtes, reſtes, & ſupplicia, funeſtuſque pariter animæ interitus, & certa demũ diuinitus perditio intentatur. Hinc prouidi olim publicarum rerum adminiſtri, ac copiarũ duces, cohibendos maxime fures, eliminandaſque procul à caſtris rapinas, ne quid funeſtũ accidat, ſuis malis edocti cẽſuerũt. Et vt exẽplis inſiſtamus: N*arſes belli Dux fortiſſimus* (vt Procopius ait) *à Iuſtiniano Imperatore contra Totilam in Italiam miſſus, re bene geſta lætior factus, id omne Deo acceptum (vt erat in vero) indeſinenter referebat: Conuerſus deinde ad ea, quæ proxima erant, adminiſtrandum, Longobardorum in primis nefanda facinora, ſe in expeditionem ſequentium, vindicare primum, & expiare curauit; Illi namque ad cæteram vitæ, factorũque impietatem, & ſcelus, vel ædificia ipſa, in quæ diuerterant, iniuſſi cremabant, ſtuprumque fœminis, & vim inferebant, ſacras in ædes refugientibus. Vnde magna pecunia hos primum donatos ad proprios redire penates permiſit: Valeriano, Damianoque ſuis cum copijs Ducibus traditis, qui eos tandiu deducerent, quoad in Romanorum confinia perueniſſent, et illis iniunctum, vt ſine aliorum iniuria pertranſirent*. Et fortes quidẽ bellantiũ manus qui in hoſtes æque arma tractabant, ac res ciuium per vim contrectabant, veluti bello, ac publicæ rei exitiales à caſtris procul abegit. D*elegit potius* (inquit Baronius) *robore fortiſſimorũ carere militum, quam Deum eorum perperam factis offendi, probe ſciens ex militum delictis infirmiorem exercitũ reddi, ex pietate autem imbelles effici quoſque fortiſſimos*. Certiſſime enim innumeras iniquorum hominũ manus, tum regnis, tum prouincijs vaſtitates, calamitateſque inferunt, adeo vt veriſſimũ ſit, quod & alibi de vitijs Hieronymus teſtatur: N*oſtris* (inquit) *peccatis barbari fortes fiunt, vitijs noſtris Romanorum ſuperatur exercitus*.

Cic. lib. 3. de offic. c. 3

Procop. de bello Goth. lib. 3. ap. ad Bar. to. 7. an. 553.

Exemplum Narſetis raptores ab exercitu dimittentis

Bar. to. 7. an. 553. n. 19

Carere maluit robore militum, quam Numinis patrocinio.

Hieron. ep. 3. ad Heliod.

Porro ingentem, memorandamq; cladem, quã furtiuæ interdum manus peperere, hic ex Romualdi Abbatis ſanctiſſimi geſtis repetere haud alienum eſt: *Quodam vero tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur;*

Benedictus Genen. lib. 4. in vita S. Romualdi

Memorandæ ducis pręclari uox.

tur; familiarem ſibi quedã habebat agricolam, qui ſibi & vtenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquando faciebat, et ſi quid ei opportunum eſſet, ditior charitate, quam rebus, de ſuæ paupertatis inopia hilariter miniſtrabat: Huius vaccam Comes quidam ſuperbus, & tumidus, miſſis paraſitis impetu barbarico rapuit, eiuſque carnes ſibi ad prandium cũ magna gulæ auiditate præparari præcepit. Ecce autem Ruſticus cellam Romualdi feſtinus aggreditur, iacturæ ſuæ caſus clamoſis vlulatibus vociferatur, ſpem ſuam, & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eumdem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal ſuum reddat humillima ſupplicatione depoſcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo ſpiritu reſpuit, & quem ſaporem craſſi vaccæ lumbi potuiſſent habere, ſe ipſo die guſtaturum eſſe aſſeruit. Adueniente autem hora prandij, appoſita menſa, vaccæ carnes allatæ ſunt. Sed, & diuinæ vltionis iam imminente ſententia, in ipſo edendi initio, Comes fruſtum bouini lumbi abſcindens, ſibi in os miſit, quod repente in illius gutture tam immobiliter hæſit, vt nec ad interiora deſcendere, nec foras eijci vllis conatibus poſſet; Sic que inter ſuorum manus intercluſo ſpiraminis aditu, terribili morte necatus eſt. Manifeſto vtique Dei iudicio rapinæ, quam admiſerat, miſellus pęnam exoluit.

Ruſticus miſer confugit ad S. Romualdum.

Spretę à raptore ſáctiſſimi Abbatis preces.

Dum raptas carnes deguſtat Comes præfocatur.

6. Vt inſtituti autem propoſito inſiſtamus, manifeſtum quidem furibus ipſius Dei nutu ſuppliciũ intẽtatur, quo ſuperna in eiuſcemodi homines indignatio palàm, conſtanterq; euincitur, & cuius opportune hic exemplum ſubteximus. Quid igitur Crantius in rem præſentem narret audiamus: *Robertus* (inquit) *prius Rollo, dux Nortmannorum, ſeuere ſuis interdixerat latrocinijs, furtis, & rapinis, ruſticos inſtrumenta ſua in agris relinquere voluit. Reuerſus quidam ex agricolis domum ab importuna vxore rogatus, cur inſtrumẽnta non adportaret?* Ducis *præceptum obiecit. At illa furtim ex agro inſtrumenta ibi relicta ſubduxit, & abſcondit, vt maritum redderet cautiorem. Reuerſus vir in agrum, vbi non reperit, quæ reliquerat, rem ad loci Præfectum refert, ille ad ducem, vocatus à Duce Ruſticus pretium accepit amiſſorum: Iubetur Præfectus, ignis purgatione adhibita furem explorare; primus conatus irritus fuit; nam ignis furem non prodidit, licet omnes ruſtici ſubijſſent ſcrutinium. Tum Dux verſus ad Epiſcopum, Deus (inquit) Chriſtianorum ſi eſt conſcius ſecretorum, cur furem non prodit? Epiſcopus necdum bene firmatus in Religione non corripuit, ſed cauſam pro excuſatione prætendit, quia ignis nondum furem tetigiſſet. Iubetur diligentius inquirere Præfectus, & apud vicinas villas, nec ſic quiſquam repertus eſt. Vocatus à Duce Ruſticus, an cui indicarit rem in agro eſſe, rogatur. Ille nemini præterquam vxori ſe dixiſſe reſpondit: Vxor quæſtionibus admota furtum fatetur. Tum Dux marito clã vocato. Sciebas (inquit) vxorem furacem eſſe, an non? ille ſciebam (inquit) Cui Dux. Cur ergo non puniuiſti, aut non indicaſti? Ergo iuſſit ambos ſuſpẽdio necari, & hac ſeueritate legem ſanxit.* Hæc ille. Laqueus igitur, vbi furtum, quod latebat, innotuit, diuino magis, quam humano iudicio, vtriſque intentatus eſt, vt cuncti ab alienis rebus manum contrahãt, & Deũ qui furtum tam diſtricte prohibet, ac ſeuere vindicat, teſtem ſimul, ac vindicem, quem fallere minime poſſunt, vt par eſt, pertimeſcant.

In eius theat. vit. hum. to. 6 lit. P.

Iniqua ignis probatio.

Crant. l. 5. 2 Nouergiæ c. 27.

Epiſcopi dubia fides.

Mira Roberti fures iuſtitia.

Roberti ducis Normanniæ acerbitas in fures.

7. Quoniam vero de furibus hic ſer-

quamobrem iter pedeſter proſequi cogitur. Erat illi tunc ſocius Fr: Raphael Aſtenſis Laicus, Prouinciæ Genuenſis alumnus, vir omnium memoria, ac veneratione dignus, quo cum, dum per deſertum quoddam progrederetur, ab ij s mæſta quædam dolentis vox eminus auditur, ſubſiſtit Bernardinus, & dum vndenam ea vox erumpat, vndique circumſpicit, En fœminæ inter geminos apros, à quibus miſera dilacerabatur. Se illi aſpectandam offert. Horreſcit primo aſpectu Bernardinus, verum cum hoc non humani, ſed diuini alicuius iudicij ſimulachrum eſſe intelligeret, à muliere & conditionem, & doloris cauſam exquirit. Cui illa: Heu me (inquit) nobiliſſimi cuiuſdam Hiſpani olim filia, quæ vt turpibus carnis voluptatibus cum Amaſio operam darem, ſub falſo perpetuæ caſtitatis ſeruandæ ſtudio, honeſta coniugia reſpui, neque huius me vnquam ſceleris pænituit, donec morte abreptam Dei *iudiciũ ad hæc me intolerabilia duorum horum dæmonum, qui me aprorum inſtar dilaniant, ſupplicia adegit: Heu miſeram, heu infelicem, in æternum perimendam. Inter hæc verba ab apris illis tartareis abrepta, ac per medium diſcerpta ſe ex illius oculis eripit:* Triſtem ſane mulier vna cum ſuis amoribus, quos iam æternis compenſat cruciatibus, finem ſortita eſt.

Lugubre viſum oſtēſum Bernardino generali Capucin.

Ob turpes amores ſe damnatam conqueritur

15. Et fœminæ quidem impudicæ, quæ alijs è proximo lapſum, atque ruinam peperere, poſt turpes, inſanoſque amores, funeſtum non tā exitum pro mercede, quam exitium conſequutæ ſunt. Quod vt exemplo manifeſtum ſit, duas tibi ob oculos deperditi pudoris fœminas à Nicio in ſuis paginis editas, contemplandas proponimus, de quibus ille in ſelectis exemplis hæc habet: *Mulier vidua* (inquit) *cuius vir rem decoxerat, deſperans ſe poſſe viuere, filiam ſuã virginem indotatam, viro cuidam Principi, animi, voluptatiſque cauſa vtendam dedit, ipſa vero alteri cuidam, corporis obſequio ſe ſe deuinxit, ſed paucis poſt annis in contubernio, ac pene in complexu illius viri, repentina morte perijt, tũ filia, quæ dotis ſibi comparãdæ cauſa viro illi principi tradita fuerat, in concubinatum, ab eodem ſine dote, vni ex ſuis familiaribus collocata eſt in matrimonio; ſed cum nihilo ea minus ille ad libidinẽs ſuas vteretur, lethalem in morbum incidit, cuius vim diù ſuſtinere non potuit, ſed ferme iam moriens, cum adoleſcentulæ, quam amabat, minus à ſe proſpectum eſſe intelligeret, mandauit marito illius, vt quidquid auri in armariolo ibi proximo inueniſſet acciperet, ſibique haberet &c., atque in alteram lectuli ſpondam cõuerſus confeſtim animam efflauit. Narrat hæc mulier (ſi fides iſtis habenda eſt) ſæpe venire illum in ſomnis ad ſe mortuum, ac queri propter ipſam male ſibi apud inferos eſſe, multis de cauſis &c. Verum vt ad id, de quo erat ſermo, reuertamur, hæc mulier, cuius pudicitiã mater proſtituerat, quo dos ipſi inueniretur, primum vna cum liberis octo, tum ex alijs, tum ex viro ſuſceptis ſine dote, cum egeſtate, & inopia conflictata eſt, nec fere quidquam eius inopiã ſubleuauit vulgati corporis quæſtus; denique morbo capitis, ex medicamento, quo fucatum capillis nitorem inducebat, contracto, in ipſo ætatis flore deceſſit.* Sic voluptuoſas, obſcœnaſque fœminas, quæ pudorem cum aliorum diſpendio proſtituunt, ſuique corporis illecebras venales exhibent; non niſi infeliciſſimus conſequi exitus ſolet.

Nicius ex. 38
Triſtia alia impudicarũ exempla.

Adoleſcentula ab impia & impura matre viro principi proſtituta

Mercedis ſpes emoriente principe eiuſq.

Confecta egeſtate corpore ad quęſtũ abutitur.

16. Pręmemoratæ miſerandus fœminæ alterius, quæ libidini addicta, inter amorum blandimenta turpi-

pi-

piter diſſluebat, interitus iũgẽdus eſt, eodem, qui ſupra auctore his verbis narrante: *Virgo quædam* (inquit) *honeſtis orta parentibus, quæ quidvis potius, quam caſtam, & religioſam vitam meditabatur, parentum imperijs coacta, & egeſtate, vni ex illis familijs nomen dederat, ſed breui, deſertis ſuis Caſtris ad iuuenem, qui erat cupiens ſui, transfugit: ex cuius congreſſu concepit, ac puerum peperit: Quamobrem compulſi ſunt parentes eius nuptui eam tradere, ſed ita Deo vſi ſunt propitio, vt Piſtori cuidam ſatis locupleti collocarint. Sed non eſt inuenta melior nupta, quam virgo fuerat; nam amore cuiuſdam capta, cœpit pecunia virum exuere, ex eaque amatoris ſui ſumptibus ſupppeditare; quo factum eſt, vt illum breui ad egeſtatem adegerit, atque in eas rei familiaris anguſtias adduxerit, vt cogeretur ipſam deſerere, atque operas ſuas alteri Piſtori locare. At mulier mariti moleſtia liberata, ſolutiore animo ſuis libidinibus obtemperabat: Verum aliquanto poſt vir partim ex pecunijs, ex operarum ſuarum mercede redactis, partim ex ijs, quas ab amicis mutuas ſumpſerat nouam tabernam aperuit, atque vt erat induſtrius, ac diligens, diſſoluto ære alieno, iã cœperat eſſe in ſuis nummis, ac multis; cum vxor quæ ab omnibus deſerta egeſtate, & inopia laborabat, egit per amicos, & religioſos viros interpretes, vt pacem cũ viro faceret: ſe enim, quouis ille vellet deſcenſuram, ſed nihil præficiebat. Etenim erat illi ſtatutum, ac fixum nunquã eã domũ reducere, ſed cũ amici pertinacius contenderent, expugnatus tandem, mutauit ſententiam, & ſtatuit cum ipſa redire in gratiam, ſed ne tum quidem inuenta eſt ſui diſſimilis; nam cum ab eo omnibus in rebus commode, ac liberaliter haberetur, cœpit rurſus viri ſui bene parta non ſolum indiligenter tutari, verum etiam per luxuriam effundere, adeout paucis mẽſibus nihil fere illi reliqui fuerit, ac vim impoſuerit, vt operis ſuis locandis victum quæritaret. Sed mox debita eam pœna conſequuta eſt; nam cũ in morbum grauem incidiſſet, neque eſſet vnde curaretur, delata eſt in Noſocomium S. Ioannis in Laterano, vbi per aliquot dies defixa lectulo iacuit, ſed cum tandem ex eo morbo conualuiſſet, & infirmis etiam tum viribus bacillo innixa domum ſuam reuerteretur, via ſacra, ab vna ex ijs bubulis, quæ ibi venales habentur, expetita eſt, & in æde SS. Coſmæ, & Damiani, quo tanquam in aram confugerat, antequam quiſquam poſſet obſiſtere multis vulneribus confoſſa, exanimis relicta, atque hunc mulier flagitioſiſſima, dignum moribus, factiſque ſuis, exitum vitæ inuenit.* Mulier igitur libidinis mancipium tum morbis, tum vulneribus Deo vlciſcente confecta, quæ caſtitatem proculcarat, miſerandumque in modum ſic malis attrita, ſuæ ſpectatoribus non tam vitæ fabulam, quam tragicum ſui malis, quibus expetita eſt, triſte, funeſtumque de ſe ſpectaculum cunctis præbuit. Sed ad alia interim properandum eſt, & iam à mulieribus, quæ homines, vt ſcriptura ait *apoſtatare faciunt*, ad fratricidas ſermonem conuertimus.

Adoleſcentulæ impudicæ exemplũ.

Virum redigit ad inopiam.

Inſtaurata à viro re familiari iterum cum eo redit in gratiam.

Iterum per luxuriam effundit rem domeſticam.

Recuperatã valetudine, dum reuertitur domum confoſſa à bucula cornibus quæ viso cornu fixerat.

Eccl. 19, 2.

Fra-

CAP. IX.

Fratricidæ inſeliciter pereunt.

1 PRimum ſane crimen, præ cunctis capitaliſſimũ, quod ſub ipſa mũdi primordia, poſtquam humani generis Protoplaſtus à ſumma paradiſi fœlicitate decidit, inuiſo hactenus crudelitatis portento in orbem irrepſit, fraterno ſanguine dedicatum eſt, vt appoſite Tertullianus inculcat: A *primordio* (inquit) *iuſtitia vim patitur, ſtatim vt cœli Deus cœpit, inuidiam religio ſortita eſt. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre, quo procliuius impietas alienũ ſanguinem inſectaretur, in ſuo auſpicatu inſectata*. Quod & amarulentis ſapiens verbis expreſſit: *Ab hac* (inquit) *vt receſſit iniuſtus in ira ſua, per iram homicidij fraterni perijt*. Haud enim alio, quæ ſancta inter homines ſunt, charitatis iura, quam innoxij profuſione ſanguinis, & intolerando piaculi genere infringi, ac violari poterant: Abel namque innocens, atq; inclytum proſapiæ germen, à Caino fratre per dolos, ac per inuidiá, nõ tamen impune occiſus eſt; adeo vt mortalium infeliciſſimus, vbi tanto ſe crimine obſtrinxit, innoxiumq; ſanguinem profudit, iuſtam illico in ſe Numinis iram expertus, iugibuſq, conſcientię ſtimulis exagitatus, vitam, quam trahebat, oneri, ac ſolam, quam aſſidue expetebat, mortem ſibi leuamento futuram prẹſentiret. At nec immerito crudelis poſt fraternam cędem, ne fratri ſuperſtes fieret, perire maluit, quam viuere, vitamque potius quoquomodo abrumpere elegit, quam protrahere, vt malis, calamitatibuſque ingruentibus, vel moriendo finem faceret; Iuſto quippe iudicij calculo hominum perditiſſimus adeo immane delictum, quod admiſerat, reputabat, vt iã ſuorũ præco malorum in illas iure voces proruperit: *Omnis* (inquit) *qui inueniet me, occidet me*. Sed mox ſuperno confirmatus oraculo, timori, à quo ſibi adeo timebat, modum ponere, ac bene vel nolens poſtmodum ſperare didicit: *Nequaquam* (inquit Deus) *ita fiet. Poſuit autem in eo ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum*.

Fratricidi crimen ſub ipſa mundi primordia irrepſit.

Tertull. contr. Gnoſt.

Sap. 10. 3.

Quam ſeuere à Deo in Caino punitum.

Mori, quam viuere maluit.

Gen. 4. 14.

Gen. ubi ſup.

2. Cainus itaque poſt fratricidiũ, cui ſe obnoxium fecerat, perpetuis conſcientiæ perculſus iaculis, diutino malorum experimento plus ſibi vitam tœdij, atque ærumnæ, quam voluptatis, & leuamẽti fore Ambroſ. teſte perſenſit: *Ergo & iſti Cain* (inquit) *longæuitas indulta, vindicta eſt, & quod vixit in metu, & prolixum ſpatium cucurrit multo, & infructuoſo labore*. Gehennam itaque ſuam miſer vbique haud miſerandus circumferens, pœnam, quam ſuo Deus imperio auferebat, & ſi nemo inſtaret, & ad pœnam expeteret, acerbiſſimam iugiter patiebatur. *Cum adhuc* (inquit Ambroſius) *à Domino pœna ceſſaret, torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum, latebat miſer tremens, & timens, & cum adhuc percuſſor deeſſet, ipſa ſeſe iniuſti vita cruciabat*. Diuino itaque iudicio perculſus, vel ſi maxime vellet, pœnam, quam iuſte perferebat, abſcondere, vel ad momentum interpolare nequibat, atque animi carnificinam inuſitato tremore mortalium

Amb. lib. 2. de Abel. & Cain c. 9

Longæua vita pœnæ vicem ſubiit

Amb. in pſ. 35

Carnificinã geſſit in pectore

occu-

Digitized by Google

oculis portendebat: *Circuibat* (inquit Chriſoſtomus) *Cain omnibus loquens, ſilentio vocem edens, ſilentioq; erudiens, lingua tacebat, & cætera mēbra clamabant.*

Chryſ. hom. 4 de verb. Iſai.

3. Porrò conſcientiæ, quod perpetuo miſer circumferebat, ſuppliciū, etſi tortor deeſſet, immane adeo ipſomet ſapientum calculo cenſetur, vt vel Iudas poſt admiſſam ſacrilegā magiſtri proditionem, ſemetipſum non ferens, fatali laqueo volens, libenſque vitam, quam trahebat, abrūpens, exitio deuouerit: *Quippe cum non poſſet* (vt Chriſoſtomus ait) *ferre iudicij conſcientiæ dolorem, adaptato ſibi laqueo vitam finiuit.* Quam quidem acerbiſſimi ſupplicij pœnā Flaccus, homo iniuſtus æque, ac cruentus (vt ipſe Philo teſtis eſt) aliquādo in Andro inſula expertus, vitam, ac ſe ipſum peroſus, mortem ingentis inſtar beneficij requirebat: *Adeo,* (inquit) *trepidabat, vt non aliter, quam inſanus proſiliret, ac vltio citroque diſcurreret, manus complodens, fæmora percutiens, humi ſe affigens, & clamitans. Iam in horas præmorior, multis mortes ſuſtinens ante illam vltimā.* Hæc anxia, perturbataque hominis, funeſta quæque timentis, expectantiſque conſcientia, pendeſque ante mortem ſub ipſius oculis vita tolerabat. Conſimilē quippe Cainus quoq; pœnam trahens, differebatur ad mortem, vt ſic protraheretur ad pœnā. At perijt tandem iuſto Dei calculo, Cain impius, inſontiſque fratris ſanguinem vulnera regeſſit.

Suſpendium Iudæ mitius viſum eſt ea conſcientia.

Chryſ. in pſ. 7

Flaccus mortem beneficii loco expetiuit. Philo in Flaccum.

4. Verum poſt impium Cain, alterius hic, qui binorum fratrum mactator fuiſſe deſcribitur, Hermenefridi videlicet Toringorum Regis miſerandam ob oculos cladē proponimus, his ab Aimoino verbis narratam: Inde (inquit) *Theodoricus, fratre Clothario in ſocietatem aſcito, ipſe cū filio Theodeberto Toringiam petit. Præerat Toringis Rex Hermenefridus, duobus ſuis fratribus trucidatis. Cui acceſſerat ex coniugio vana quædam mentis elatio, quod ei filia Theodorici Regis Italici ex ſorore ſuſcepta Cledouei, iure copularetur nuptiali. Hæc muliebri faſtu elata, quod regali manaret è proſapia, fratrem mariti, Bercharium nomine ingenti oderat crudelitate. Denique ſuadet viro, vt fratrem ſibi æmulum, vita priuet, & regno. Id ille nil moratus effecit, miſſiſque lictoribus cum perimi iuſſit &c.* Sed iam de Hermenef. hęc auctor proſequitur. *Tanta autem* (inquit) *ſtrages tunc de Toringis facta fuiſſe fertur, vt cæſorum congerie completo fluuio, Franci ſuper interfectos in vlteriorem tranſirent ripam; Hermenefridus ipſe cum paucis elapſus in munimentum ſe contulit vrbis. Quem poſtea Theodoricus, fide data, Tubriacum ad ſe venire mādauit, eumque dum deambulatum per murum vrbis irent, & inter ſe alterutrum ſermocinarentur, præcipitem deorſum egit. Qui ruens comminuto cerebro exanimatus eſt, ſicque infeliciter perijt.* Sic nullam vir, qui in fratres crudelis, atque ipſimet fraternō per ſummam iniuriā ſanguini infidus extiterat, apud alios fidem, pietatemque conſequi meruit.

Aimoin. lib. 2. de geſtis Franc.

Regis Thuringiæ, qui fratres trucidarat,

Hermenfridus dolo præceps actus è muro

5. Enim vero faternus ſanguis impie profuſus, atque ad Deum iugiter clamans, iuſtam tandem ab eo vltionem repoſcit, vt ſuo ex iam dictis Cainus exemplo ſatis docet, quē admiſſi contemptorem, immemoremque piaculi, illis Deus verbis iuſtiſſime perſtrinxit, dum ad iudiciū, pænamque hominem male ſibi conſciū repetens: *Vox* (inquit) *fratris ſui Abel clamat ad me de terra.* Pari quoque animaduerſionis calculo Cōſtās

Pœna fratricidarum ſupplicium.

Gen. c. 4

Græ-

Græcorũ Imperator, qui anno Chriſtum 659. in Oriente imperij clauũ adminiſtrauit, iure merito perculſus eſt. Nã iſthæc de eo Theoph. *Anno* (inquit) *decimo octauo Imperij Conſtãs germanum ſuum fratrem Theodoſium interfecit: quem quidem offenſus ab eo antea opera* Pauli *Patriarchæ attonſum diaconum conſecrari voluiſſet; à quo miniſtrante idem* Imperator *ſancto ſanguinis poculo in ſacroſanctis myſterijs impertitus fuiſſet*. Hæc ille. Atqui vt Baronius hæc in rem præſentem habet: *Vbi ſcelus* (inquit) *imo in vno plura ſcelera nefandiſſima perpetraſſet, cum extinctum penitus fratrem, & obliuione ſepultum omnino putauit; didicit ſuo damno miſer ſuperſtitem poſt cædẽ homini, quod viuat & clamet.* Hæc enim de eo in Græcorum annalibus apte deſcribuntur.

Theoph. in Conſtant.

Conſtans græcorum Imperator fratricida.

Bar. tom. 8. ann. 659. n. 2

6. *Is Ergo Theodoſius à morte ſua ipſi Conſtantino crebro per quietem viſus eſt habitu Diaconi poculum ſanguine plenum porrigere, atque dicens: Bibe frater, ac ſi diceret* (inquit Baronius) *Inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti, talem decet propindre poculum plenum ſanguine auidæ crudelitati. Explere cruore germani porrigentis, non ut olim in Eccleſia porrigebat in tuarum redẽptionẽ culparum ſanguinem* Chriſti, *ſed in vltionem paratum. Porrigo calicem ſalutarem, ſed ira* Dei *poculum plenũ, quod haurias eſt neceſſe; meus ecce ſanguis, qui tuum à Deo vindice ſuis vocibus exigit.* His vocibus, & cõſciẽtia pariter altius inclamante, Imperator extimulatus, quia à ſe ipſo fugere non poterat, terram ſui conſciam delicti fugere ſatagebat. Verum cũ Imperator male ſibi conſcius, cunctiſque inuiſus in Sicilia degeret, in fraterni, quem impie effuderat, ſanguinis pœnam, Syracuſis in balneo occiditur, vt Anaſtaſius his verbis narrat: *Occiſo Conſtante rebelles Metium, ſiue Mezenum Armenum Imperatorem crearunt. Quo audito Conſtantius Conſtantis filius in Siciliã veniens, nouum aggreſſus Imperatorem, imo tyrannum occidit vna cum ijs, qui aduerſus patrem coniurant.* Hæc græcorum annales tradunt. In Balneo igitur crudelis, ac perditus Imperator fratris, quem hauſerat ſanguinem refudit, & vel ſero tandem intellexit parem cruentos homines pænã ſequi, vt qui viros innoxios gladio abſtulere, gladio pariter in piaculi vltionem eos demeti oporteat.

Cedren. comp. in Conſt.

Bar. vbi ſup.

Occiſus frater per viſũ apparens ex eo vltionem petit.

Timp. in Theatr. diu. vind.

7. Et quidem ſeueriſſimis à Deo pænis Fratricidij crimen expeti conſueuit, vt infelix Ariſtoboli exitus legentes admonet, qui in ipſomet loco, vbi pridem Antigoni fratris cruorem fuderat, ſuummet haud caſu, ſed peculiari ipſius Dei nutu fudiſſe legitur; de quo iſthæc apud ſcriptores habentur: *Ariſtobolus Hircani filius, poſt matrem fame enectã, fratres in vincula coniectos,* Antigonum *ex omnibus, vnum charum habebat, cum vero; & hunc à calumniatoribus inſtigatus interfeciſſet, paulo poſt corruptis viſceribus ſanguinem vomere cœpit; quodam igitur tempore contigit, vt dum quidã miniſtrorum ſanguinem, qui vomitu redditus erat, pelui exceptum foras ſubinde efferret, eodem in loco, vbi* Antigonus *cæſus erat, extãtibus adhuc cædis eius maculis; cum peluis laberetur, &c. Tunc Ariſtobolus intelligens diuino nutu effectum, vt quo loco fratris sãguinem effuderat, ibidem & sãguis effũderetur, in hæc verba prorupit:* Ergo *non latet Deum* (*inquit*) *meum impium, ac ſceleratum facinus, quã do tã tã cito repoſcor ad pænas cognati sãguinis. O corpus impudens, quouſque retinebis animã, quã materni ſimul, ac fraterni manes flagitãt? Cur nõ* ſe-

Ariſtobuli exemplum lugubre.

Fratrem Antigonum occiderat

Digitized by Google

ſemel eā reddis, ne ſic per partes opus ſit libare meum ſanguinem, atque ita parentare oppreſſis per nefas, & parricidiū. Vix ea fatus erat, cum exhalaret animam. Sentiebat quippe mortalium perditiſſimus, ac fraterno adhuc cruore madidus, diuinæ ſuo impendentē capiti vltionis mucronem intentari.

Agnoſcit Ariſtobolus pœnas à Deo vindice repoſci

8. Sed hic, vbi de fratricidis adhuc ſermo eſt, infantem ab ipſamet ſorore, ſceptri arripiendi cauſa interemptum, ac mulierem proinde diuino iudicio mulctatam, Vvilelmus Maſmeburienſis hunc in modum narrat; *Sanctum Kenelmum* (inquit) *tenellæ ætatulæ puerum, vt pote ſeptēnem, Zenulphus Rex Merciorum Quendridæ ſororis fidei educandum reliquerat. Sed illa falſo ſibi regnum præſagiens, fraterculum tollendum de medio, ſatelliti, qui alumnus erat, commēdauit: Is inſontem, cauſa remittendi animum, vel recreandi, quaſi venatum ducens, inter fruteta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commiſſa, Romæ diuinitus innotuit; ſi quidem membrana ſuper altare Sancti Petri ſuperne columba ferente delapſa, necis, & ſepulchratus loci per ordinem index, quæ quia elementis Anglicis erat conſcripta, à Romanis, & aliarum gentium hominibus, qui aderant fruſtra legi tentata. Sed ſalubriter, & in tempore Anglus linguæ inuolucrum latialiter Quiritibus euoluens, effecit, vt Apoſtolici epiſtoſtola regibus Anglis, compatriotam Martyrem indicaret. Quapropter frequenti cætu innocentis corpus leuatū Vvinchelcumbam vehebatur. Ita Clericorum vocali cantu, & Laicorum alacri plauſu parricidalis fœmina commota eſt, & feneſtra cænaculi, in quo ſtabat, caput extulit &c.* Et poſt multa; *Cruoris* (inquit) *ſigna extant hodie, inhumanitatem mulierculæ, & Dei vltionem ſpirantia.* Cruentis itaque notis delictum, quod fœmina clam patrarat, diuinitus deſignari contigit.

Vuilelmi Maſmeſb. de geſt. Reg. Angl.

Kenelmus regni hæres à ſorore trucidatus

Occulta ſcelera eſſe nequeunt

Pari itē vltione Boleslaus, fraterno pollutus ſanguine, expertus eſt, ac ipſemet, qui ſacros templi parietes vltricibus indelebiliter notis reſperſerat, Venceslai cruor, ad vindictam, fratriſque probrum ibi iugiter perſeuerans, Deum iuſtum, ſeuerūq; parricidij vltorem proclamat. Canes, quippè, qui Achabi quondam Regis impij, ac interfectoris perditi ſanguinem ſamberant, Boleslaum ſimiliter fratricidam pari iudicio reum dentibus dilaniantes, eius carnes depaſti leguntur, vt in rerum geſtarum monimentis ſic traditur: *Venceslaus Bohemiæ Princeps, quem Ludmilla religioſa mulier educauit, a puero ſanctiſſimus euaſit, atque optimus. Boleslaus autem ijſdem ortus parentibus, quod à Drahomira impia, ſceleratiſſimaque fœmina educatus eſſet, impius, immanis, crudelis, & importunus extitit, eoque peruenit, quoad progredi feri hominis amentia potuit. Nam Drahomiræ ſuæ alitricis veſtigijs inſiſtens, quæ & Ludimillam ſocrum, & multos Chriſti ſacerdotes occiderat, Venceslaum fratrem interemit, humanaque, & diuina iura violauit &c. Nec ſacrilegi, & parricidæ Boleslai dementia non eſt punita, & vindicata diuinitus. Nam templi paries, quem Venceslai cruore frater inſanus, & præceps amentia reſperſerat detergi, abluique non potuit, vt nefariæ cædis teſtis eſſet æternus. Paulo poſt Boleslaus impius Rex ob necem D. Stanislai anathemate ictus, amens factus à canibus proprijs fuit deuoratus.* Sic Rex patratæ haud ſemel cœdis crimini obnoxius, neque vnius tantum apud Deum piaculi reus, ob interemptum videlicet fratrem, ac venerandum Chriſti ſacerdotem, ſibiq; in

Boleslai ſanguine fraterno inquinati exemplum.

Tymp. in Theat. diu. vindic.
Traxit ex impia educatione mores impios.

Boleslaus anathemate & amentia percuſſus deuoratur à canibus.

in ſpiritu patrem trucidatum, crudeli fato addictus, canumque dentibus diſcerptus, depaſtuſq; è vita abſceſſit.

Impii alterius in fratrem exemplum.

9 His vero, quæ hactenus narrata à nobis ſunt, funeſta alterius, qui fratrem interemit, clades iungenda eſt, quam nouiſſima hac noſtra ætate contigiſſe, prælaudatus noſtri temporis ſcriptor affirmat, atque his verbis hiſtoriã ſuis in paginis recẽſet: *In Polonia* (inquit) *erat Comes quidã fere eius Regni primus, liberis præditus, quorũ, qui primo erat ætate proximior, hæres patri eſſe cupiebat, ſed Regni legibus non poterat ſuperſtite illo, vt diximus, qui ipſum ætate antecedebat; Quamobrem amens cupiditate, decreuit illum inſidijs, ac fraude, ac ſi minus res procederet, palam extinguere. Itaque dat ſicarijs quibuſdam negotiũ, vt eum quouis modo obtruncent; qui, vt erat imperatum, efficiunt, ſed non diutius impune hunc abſtulit; nam cũ paulo poſt tanto ſcelere inquinatus, in Italiam, ac Romam veniſſet, atque inde Neapolim, eius vrbis viſendi ſtudio contenderet, dum apud Citernum quieſcendi gratia conſiſtit, atque interim equos in proximum ibi agrum pabulatũ dimittit, à ruſticano homine eius agri cuſtode, quem verborum contumelijs affecerat, glande è ſclopo dimiſſa traijcitur, ac ſubito moriens minime diu perceptæ ex fraterna cæde voluptatis potitus eſt.* Sic fraternæ cœdis apud Deũ reus, quod in fratrem admiſerat, crimen, vel à patria profugus exoluens, non iam hæreditatem, quam inique concupierat, ſed ſepulchrum, quod alteri parauerat, inopino ſublatus exitu adiuit.

Polonus Comes fratrem occidendum curat, vt Comitatu potiatur,

Sepulchrum pro Comitatu nactus in peregrino ſolo.

10 Aliud huic ſimile ſeni cuidã apud Ianuenſes contigit, qui diuitiarum cupiditate abductus, vt aurum conquireret, fratri venenum propinauit; ſed ſcriptoris hic verba excipiamus: *In actis* (inquit) *quæ octauo quoque die circumferuntur, anno MDC.XXXIV. menſe* Auguſto, *legimus, Ianuæ in vincula publica ſenem eſſe coniectum, annos natum non minus ſeptuaginta, qui fratris bonis inhians, eumdem veneno ſuſtulerat, tanquam, ſi tum primum ad decurrendum vitæ ſpatium è carceribus, vt ita dicã, exiret, & non iam ad calcem perueniſſet; etenim eo conſilio tantum in ſe ſcelus conceperat, quo mollius, ac lautius vitam exigeret: Huic ſtulto comico ſeni perſuaſum fuiſſe arbitror*, ad Mathuſalæ *annos ſe eſſe peruenturum, quod nobis argumento eſſe debet, vt ad extremũ vſque ſpiritum,* à Dei *ope, auxilioque dependeamus; nam ſi ex noſtris nos viribus metiri velimus, nullum erit flagitium tam fœdum, nullum facinus tam atrox, tam audax, quod alienum à nobis ſit futurum.* Miſer profecto, qui tunc, cum vita deficeret, de lautiori comparando viatico cogitans, in id ſcelus proſilijt, vt fraterno manum ſanguine macularet. Sed plura alja exempla non deſu nt, quæ narratis hactenus addi poſſent, ſed conſulto à nobis breuitatis gra tia & ne tædio ſimus, omittuntur.

Ian. Nic. ex. 39.

Fratre veneno ſublato vincula ferrea pro auro adeptus

CAP. X.

Fures, & rerum furtiuarum detentores

Fures publicę rei maxime pernicioſi.

1 NVllum fere crimen eſt, quod publicæ rei plus noceat, quod humanæ ſocietatis ſic iura cõuellat, quod æquitati, ciuium bono, ac paci magis aduerſetur, quod tum Deo iuſtitiæ vindici, & aſſertori, tum ho-

hominibus, quos è proximo tangit, inuiſum magis, atque execrabile ſit, quam furtum; adeout diſtrictis manifeſtiſque ſcelus hoc verbis, ceu publica orbis lues, in Moſaici teſtamenti tabulis proſcribi diuinitus: *Nō furtum* (inquit) *facies*: additiſque inſuper pœnis ſeueriſſime plecti meruerit. Enim vero intoleranda furū impune graſſante licentia, cūcta, quæ hominum ſunt, ſuſque, deque inuerti neceſſe eſt. Hinc iure merito ad coercēdas rapaces hominum manus, ſuam certatim leges, tū diuinę, tum humanæ vim exerunt, & iuxta illud, quod in omnium ore eſt: *Contra fures omnia iura clamant*, pœnis, mulctiſque adhibitis in eoſdem animaduertunt. Haud enim vnquam ſuum Iuſtitia gladium perſtrinxiſſet, ni humana ſocietas, ob læſam, violatamque à furibus charitatem, vim, Philoſopho teſte, eſſet perpeſſa: Ex *defectu* (inquit) *charitatis orta eſt iuſtitiæ neceſſitas*. Scelus itaque, quod humanis legibus damnatur, diuinis quoque oraculis, haud obſcure notatum eſt, adeoque Propheta ſuperno afflatus lumine, non niſi, certam furum, prædonumque domibus diuino adactus imperio vaſtitatem edixit. *Hæc eſt* (inquit) *maledictio, quæ egreditur ſuper faciē omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur &c. Et veniet ad domum furis, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius*.

Exod. c. 20. 19
Furtū à Deo damnatum

Iuſtitia ob læſam charitatem in orbe inuecta

Philoſ. in ...

Zach. 5. 4

Maledictio, & vaſtitas fures conſequitur.

2. Porró eiuſcemodi crimen adeo hominibus, ac viris præſertim Principibus, quos inprimis lædit, contumelioſum ſemper fuit, vt Alexander Seuerus Imperator, ſi quem talem hominem conſpexiſſet, publicæ ſuamet manu vlciſcendæ iniuriæ cupidiſſimus, digitum, quo furanti oculum erueret, paratum ſemper haberet. Quinimo ſic in fures aliquando exarſit, vt honeſtum alioqui hominem in furto deprehenſum, nulla habita ratione, mox cruci ex lege affigendum præceperit. Nec his contentus, fures eum in modum infenſos iugiter habuit, vt nec ab eiuſmodi hominibus ſalutari ſeſe paſſus, illud per præconem palàm edixerit: *Nemo ſalutet Principē qui ſe furē eſſe nōſcit*. Ac qui inſuper amantiſſimus Princeps, furti ſuſpicione infames haud vnquā intueri ſuſtinuit, ac proinde cum Septimus Arabinus, furtorum crimine olim famoſus, ac liber ſub Heliogabalo factus, Principē inter Senatores ſalutatum veniſſet, illis mox vocibus exclamauit: *O numina* (inquit) *ò Iuppiter, ò Dij immortales: Arabinus nō ſolum viuit, ſed & in ſenatum venit. Fortaſſis dē me ſperat? Tam fatuum, tam ſtultum me eſſe iudicat*. Indignos namque ipſius lucis beneficio, ac ſolo dignos exitio, eiuſcemodi obnoxios crimini reputabat.

Alexander Seuerus in fures vere ſeuerus.

Lamprid. in Alex.

Idem qui ſupra.

3. Nec vero, vt ſacra interim prophanis iungamus, obſcurum, atque ignobile in Achan fure diuinæ olim animaduerſionis præceſſit exemplū, qui cum aduerſus Vrbem Hai, poſt expugnatam Ierico, Iſraelitis valide pugnantibus, prædandi cupidus, inter captiuorum ſpolia Coccineum palliū argenti ſiclos, virgamque auream præter Dei imperium abſtuliſſet, tanquam peſſimi reus furti, nec non publicæ quietis inimicus, ac perturbator, cunctiſque malis obnoxius, Ioſue poſtmodum iubente lapidibus impetitus eſt: *Lapidauitque* (ait ſcriptura) *eum omnis Iſrael, & cuncta, quæ illius erant igne combuſſerunt*. Ita plane in fures ex Dei ipſius præſcripto animaduerti placuit: Et Apoſtolus quidem, vt digna ſceleri pœna reſpon-

Achan ob furtum lapidibus impetitus.

Ioſue 7. 25
Fures à regno Dei Apoſtoli voce proſcripti

tur; familiarem ſibi quedã habebat agricolam, qui ſibi & vtenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquando faciebat, et ſi quid ei opportunum eſſet, ditior charitate, quam rebus, de ſuæ paupertatis inopia hilariter miniſtrabat: Huius vaccam Comes quidam ſuperbus, & tumidus, miſſis paraſitis impetu barbarico rapuit, eiuſque carnes ſibi ad prandium cũ magna gulę auiditate preparari precepit.

Ruſticus miſer confugit ad S. Romualdum.

Ecce autem Ruſticus cellam Romualdi feſtinus aggreditur, iacturæ ſuæ caſus clamoſis vlulatibus vociferatur, ſpem ſuam, & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eumdem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal ſuum reddat humillima ſupplicatione depoſcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo ſpiritu reſpuit, & quem ſaporem craſſi vaccæ lumbi potuiſſent habere, ſe ipſo die guſtaturum eſſe aſſeruit.

Spretę à raptore sãctiſſimi Abbatis preces.

Adueniente autem hora prandij; appoſita menſa, vaccæ carnes allatæ ſunt. Sed, & diuinæ vltionis iam imminente ſententia, in ipſo edendi initio, Comes fruſtum bouini lumbi abſcindens, ſibi in os miſit, quod repente in illius gutture tam immobiliter hæſit, vt nec ad interiora deſcendere, nec foras eijci vllis conatibus poſſet; Sicque inter ſuorum manus intercluſo ſpiraminis aditu, terribili morte necatus eſt.

Dum raptas carnes deguſtat Comes præfocatur.

Manifeſto vtique Dei iudicio rapinæ, quam admiſerat, miſellus pęnam exoluit.

6. Vt inſtituti autem propoſito inſiſtamus, manifeſtum quidem furibus ipſius Dei nutu ſuppliciũ intẽtatur, quo ſuperna in eiuſcemodi homines indignatio palàm, conſtanterq; euincitur, & cuius opportune hic exemplum ſubteximus. Quid igitur Crantius in rem præſentem narret audiamus:

Roberti ducis Normanniæ acerbitas in fures.

Robertus (inquit) prius Rollo, dux Nortmannorum, ſeuere ſuis interdixerat latrocinijs, furtis, & rapinis, ruſticos inſtrumenta ſua in agris relinquere voluit.

In eius theat. vit. hum. to. 6 lit. P.

Iniqua ignis probatio.

Crant. lib. 2 Nouergiæ c. 27.

Reuerſus quidam ex agricolis domum ab importuna vxore rogatus, cur inſtrumẽnta non adportaret? Ducis præceptum obiecit. At illa furtim ex agro inſtrumenta ibi relicta ſubduxit, & abſcondit, vt maritum redderet cautiorem. Reuerſus vir in agrum, vbi non reperit, quæ reliquerat, rem ad loci Præfectum refert, ille ad ducem, vocatus à Duce Ruſticus pretium accepit amiſſorum: Iubetur Præfectus, ignis purgatione adhibita furem explorare; primus conatus irritus fuit; nam ignis furem non prodidit, licet omnes ruſtici ſubijſſent ſcrutinium. Tum Dux verſus ad Epiſcopum, Deus (inquit) Chriſtianorum ſi eſt conſcius ſecretorum, cur furem non prodit?

Epiſcopi dubia fides.

Epiſcopus necdum bene firmatus in Religione non corripuit, ſed cauſam pro excuſatione prætendit, quia ignis nondum furem tetigiſſet. Iubetur diligentius inquirere Præfectus, & apud vicinas villas, nec ſic quiſquam repertus eſt. Vocatus à Duce Ruſticus, an cui indicarit rem in agro eſſe, rogatur. Ille nemini præterquam vxori ſe dixiſſe reſpondit: Vxor quæſtionibus admota furtum fatetur. Tum Dux marito clã vocato. Sciebas (inquit) vxorem furacem eſſe, an non? ille ſciebam (inquit) Cui Dux. Cur ergo non puniuiſti, aut non indicaſti? Ergo iuſſit ambos ſuſpẽdio necari, & hac ſeueritate legem ſanxit.

Mira Roberti fures iuſtitia.

Hæc ille. Laqueus igitur, vbi furtum, quod latebat, innotuit, diuino magis, quam humano iudicio, vtriſque intentatus eſt, vt cuncti ab alienis rebus manum contrahãt, & Deũ qui furtum tam diſtricte prohibet, ac ſeuere vindicat, teſtem ſimul, ac vindicem, quem fallere minime poſſunt, vt par eſt, pertimeſcant.

7 Quoniam vero de furibus hic ſer-

Digitized by Google

ſermo eſt, odioſum ſemper adeo horum tũ nomen, tũ memoria exſtitit, vt non ſecus, ac homines omnium nequiſſimi, ac præ cunctis infamia digni, mortalibuſque inuiſi, peculiari quondam in execrationem criminis ſigno, Luciano teſte, prænotarentur: *T. enim* (inquit Baronius) *littera, quod crucis figuram exprimat, notari conſueuiſſe fures, apud Lucianum teſtatũ habetur.* Quin & ſeueriſſimis ex legũ præſcripto in eos pænis agebatur, quod Tãburlanes ſuo vnus exemplo in fures rigidiſſimus oſtẽdit, qui vt ſuos probe milites in officio cõtineret, omnẽ in eos animaduertendi modũ prætergreſſus, leuiora quæque furta acerbiſſimis pęnis mulctabat, vt ſcriptores apud Rainaldũ de eo in rẽ præſentem teſtantur: *Tantæ* (inquit) *potẽtiæ coniuncta erat militaris induſtria vt numerus ordinem non confunderet: Caſtra eius in vrbis modum erant inſtructa, circumſcripto cuique artificiũ Collegio, loco proprio, vt nullus eſſet latrocinijs locus, atque omnia velut in opulentiſſima Vrbe venalia exponerentur, ac diſciplinæ ſeuerus adeo erat vindex, vt ipſe quamuis eſſet latronũ rex, militi de furto lactis accuſato, viſcera ad explorandam veritatem aperiri ferro iuſſerit, eadem poena indicta mulieri, quæ eum detulerat, niſi inuenirentur furti veſtigia.* Plura vero eius crudelitatis Raphael Volateranus, nec non potentiæ exempla hunc in modum tradit:

Bar. an. 34 nu. 42
Lucian. dial. ind. moral.

Tamburlanes rigidus in fures, latroneſque.

Rainal. ann. 1405. n. 5.

Latronum Rex vel minima in ſuis furta acerbiſſime punit.

Valat. iogum biſt. lib. 12

8. *Tamburlanes quidam nomine* (inquit) *ſeu Tartarus, ſiue Turcharum genere, nam eiuſdem erat ſectæ, primo bubulcus, deinde miles gregarius virtute paulatim effecit, vt regno gẽtis ſuæ potiretur. Schytas, Medos, Albanos, Meſopotamiam, Phartum, Perſiam, Armeniam ſibi ſubiugauit: Traiecto demũ Euphrate cum ſexcentis peditum, equitum vero trecentis millibus Aſiam minorem obtinuit.* Et mirum ſane, quod tanta hominum multitudo, armis ſibi, ac licentia item, viribuſque adblandientibus ſub barbaro homine intra æqui fines eum in modum ſe contineret, adeoque furtis ab horum caſtris penitus ablegatis, rapinę, quæ familiares militibus ſunt, non abſque magno portento exularent; de his enim olim Poeta cecinit:

Rapinæ uero exemplo à Tamburlani caſtris exulant

Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Lucan. lib. 10. bel. ciuil.

Quapropter miraculo prope adſcribendum eſt, ſi præter communem morẽ, hominumque fidem, iuſtitia ſuam in Tamburlani caſtris ſidem ad inuenit.

9 Demũ, vt ſupremam funeſtæ enarrationi manum imponamus, hic iure merito fur ille omnium nequiſſimus coronidis inſtar recẽſendus eſt, cuius adhuc damnata ſacris in paginis memoria viget, quippe qui reſte ſuas ex pauperum peculio rapinas coronauit. Mortalium namque infeliciſſimus, vti Apoſtolico iugẽ marſupio fraudẽ fecit, ſic iuſtã quoque ſibi, ne irremuneratus in Orcum abiret, pœnã intentauit. Vnus enim ipſe, & ſacræ pecuniæ depeculator, & magiſtri ſimul proditor factus, à fraude in proditionis tandẽ barathrũ impegit. Enim vero non niſi rapiendi cupiditate abductus, piã illam fœminam, & vnguenti profuſione celebrẽ in euangelio illis memordiſſe verbis legitur: *Dixit ergo* (inquit Ioãnes) *vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus; quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.*

Iudas quoque fur erat et latro.

Ioan. 12. c. 11
Venundari volebat vnguentum, vt ex pretio rapere.

Per-

10 Perditus igitur ſuam ab amore lucri (vt Origenes, vel quiuis alius docet) auſpicatus eſt perditionem: *Initium mali*(inquit) *habuit ab amore pecuniæ.* Quamuis ſapiens, prouiduſq; magiſter crumenam cupido homini tradens, cupiditatis morbique cauſam amouere contenderet; *Tradita eſt*(inquit Chryſoſtomus)*illi crumena, vt perditionis materia tolleretur.* At nil adhibitum ægrotanti remediũ profuit. Infelix enim ſuum à rapinis pauperũ in Chriſti ſchola tyrociniũ poſuit, ſuam proditione tandem malitiam completurus, vt argute Iuglaris inculcat.

Mala Iudæ initio.
Orig. vel alius hom. 4. in gen.
Chryſ. ho. 64

Profecit per ſuos gradus impietas
Alimenta primum pauperibus abſtulit,
Mox vero Deum ſibi.

Iuglar. elog. 82

Impius ſane, qui de ſeruanda magis pecunia, quam de fide, ac de magiſtro ſollicitus fuit, vt auctor hunc in modum tradit.

Rapinis tyrocinium faciens proditor euaſit.

Melior peculij cuſtos, quam fidei
Vt ſeruaret non ſua, ſe ipſum perdidit.
Paupertati patrocinans, quam odiſſet;
Quia facilius ſpoliare pauperes poterat,
Ditari pauperes voluit.

Verum quia fur erat, & latro precioſi tum mercem vnguenti, tum pretium ſibi præreptum indoluit, adeoque vnus præ cunctis in prodigã obſequentis fœminæ pietatem proclamauit.

Iuglar. vbi ſup.

Liberalem pietatem.
Quid ni ante alios auarus argueret,
In quem tota illa profuſio declamabat.
A diſpergente ne vltra colligeret,
A vaſe fracto, ne vltra obdureſceret, monebatur.

Iuglar. vbi ſup.

Ita malus, vt vel à bono deprauaretur vnguento
Continuit dentes ab eſca
Vt interim morderet inſontem.
Quia fur erat, & latro &c.

Atqui miſer non niſi certa pro lucris (vt idem inquit) detrimenta retulit.

Detrahit præmuneris obſequio auaritia permotus.

Tam lucri cupidus, quam non capax
Semper quid vendi, ——
Nunquam quid emi poſſet attendens
Properat vrgere facinus:
Quod mox tanquam omnium maximum
Laqueo coronaret.

Sic ſacrilegus creditæ pecuniæ raptor, haud alium præter ſe (vt magnus Leo docet) carnificem meruit: *Et merito* (inquit) *tibi tua pæna eſt cõmiſſa, quia in ſupplicium tuum nemo te ſæuior potuit inueniri:* Propterea aptato laqueo vitam finiuit; *vt guttur* (inquit Beda) *per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Adeoque qui lucris ſemper inhiabat, vbi ſe iam perditum vidit, non niſi deſperatorum more vitam abrupit, & ſicque dum deſperando grauius, quã tradendo peccat, ſola ad laqueũ deſperatio traxit: *Vt enim laqueo* (inquit Auguſtinus) *reſpiratio, ita prohibetur deſperatione ſpiritus.* Fur itaque adeo ſacrilegus iure *filius perditionis, ac mortis* ipſius Leonis ore appellatus, fatali tandem arbori appenſus crepuit medius, & vt ille cecinit:

Leo ſer. 16 de paſſ.
Beda in Ioa.
Facinora ſua laqueo corona.
Aug hom. 27 ſerm. 50
S. Leo vbi ſupra.

—— *cælo, terræque peroſus*
Inter vtrumque perit. ——

Sedulius in carm.

Condignum itaque furi peſſimo, ac proditori præmium laqueus reſpondit. Enim vero miſer rapinis, & auro, *quod* (vt Criſologus ait) *plus aggrauat corda, quam corpora* onuſtus, *adaptato laqueo vitam finiuit.*

Chriſol. in ſerm.
Chriſoſ. in Pſ. 7.

11 Quoniam igitur furtiuis, aliena manibus attrectaſſe, funeſtum ſemper,

per, certoque dignum exitio mortalibus viſum eſt, immanis plane noxa, grauioribuſque pœnis compenſanda ijs potiſſimũ fuit, qui ſuam non tam alteri rem, quam debitam Deo immortali gloriam, per ſcelus vſurpando, auferre conati ſunt. Gloriam quippe, quæ gratiſſimum diuinitati tributum eſt, ſibi per fraudem, ea, quę Dei ſunt, aſcribendo tribuere, Iobus vir ille ſãctiſſimus adeo præ cunctis exhorruit, vt nil inter capitalia orbis piacula grauius, execrandumq; magis cenſuerit: *Si oſculatus ſum* (inquit) *manum ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, et negatio contra Deum altiſſimum*. Suam quippe exoſculari manum nihil aliud eſt, quã manifeſtæ rapinę, imo ſacrilegij crimen, quo, quis reum ſe facit, dum gloriã, quæ ſolius Dei eſt, accepta ſibi, non Deo bonorum omnium auctori dona aſcribendo furatur: *Quod tunc* (inquit Bernardus) *fieri arbitror, cum donum Dei non Deo, ſed meritis adſcribitur actionum*. Nam vt idem habet: *Quidquid* (ait) *fauoris captas, quod ad Deũ non retuleris, ipſi furaris*.

Solo deſperatio illum trahit ad laqueum.

Iob. 31. 27.

Fures ſunt, qui gloriam Deo auferũt

Frutum eſt glorię Dei vſurpatio. Ber. ſer. 28. in Cant.

Ber. ſer. 13 in Cant.

Reſtat igitur ne furti apud Deũ iuſtiſſime arguamur, vt debitæ ad huius primi voluminis calcem à nobis gratiæ reddantur illi: *Cui benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*.

Apoc. 5. 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google